MAGNENTIJ H-RABANI MAURI, EX ABBATE FULDENSI, ... OPERA, QUAE...

Maurus Hrabanus Magnentius, ...

RABANI
MAURI
OPERA
TOM. VI

HRABANI MAVRI,

ABBATIS Primùm FVLDENSIS;

ORDINIS S. BENEDICTI;

posteà

ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI

OPERVM

Quotquot reperiri potuerunt;

TOMVS SEXTVS

& Vltimus.

Nunc primùm in lucem editus.

Contenta huius Tomi, habentur pag. 4.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Antonij Hierati, ſub ſigno Gryphi.
ANNO M. DC. XXVI.

CATALOGVS EORVM QVÆ IN HOC SEXTO ET VLTIMO TOMO HRABANI MAVRI OPERVM CONTINENTVR.

HRABANI MAVRI MOGVNTINENSIS ARCHIEPISCOPI, DE CLERICORVM INSTITVTIONE ET CÆREMONIIS ECCLESIÆ EX VETERI ET NOVO TESTAMENTO AD HEISTVLPHVM ARCHIEPISCOPVM LIBRI TRES.

AD FRATRES FVLDENSES, EPIGRAMMA EIVSDEM.

CErnite quid voluit fratres, sententia legis,
Quæ mandat rite noscere verba Dei.
Aures quisquis habet, hic audiat inquit apertas,
Quid dicat sanctus Spiritus Ecclesiis.
Cui Psalmista pari concordat grammate plebem
In legem Domini cernere rite iubens.
Sic quoque nos semper oculis atque auribus est fas
Intentis fratres discere verba Dei.
Quid mandet dictis, quid factis indicet ipsis:
Quæ codex geminis continet ille suis.
Quid celebrando pijs signet charissima Christi
Sponsa sacramentis, & studijs varijs.
Namque poposcistis hæc vobis reddere scriptis,
Exhibui paruis hæc tribus ipse libris.
Quid cultura venit. gradibus quid nunciet almis,
Quid prece, quid festis sancta Dei Ecclesia.
Dogmata quæ cunctis pia discere quæue docere,
Condecet ordinibus mystica dicta Dei.
Si licet hæc tota non possum carpere scriptis,
Plurima complexus hic tamen arte dedi.
Hæc ego peccator Hrabanus dona tonantis,
Vobiscum capiens nunc pia participo.
Supplex vos posco testans per sceptra tonantis,
Me vt commendetis vos precibus Domino.
Quatenus ipse pius concedat dona salutis,
Vobiscum mihimet regna beata poli.
Christus dux vester, Christus rex, Christus amator.
Semper vos saluet summus in arce Deus.

HRABANI MAVRI MOGVNTINENSIS Ecclesiæ Archiepiscopi, in librum de Institutione Clericorum.

PRÆFATIO.

DOMINO REVERENDISSIMO AC RELIGIOSISSIMO HEISTVLPHO ARchiepiscopo, *Hrabanus minimus seruorum Dei, æternam in Christo optat salutem.*

CVM te sancte pater pro merito summæ pietatis plurimi venerentur, & omnibus fidelibus causa magnæ fidei & sanæ doctrinæ honorabilis atque amabilis existas, congruum esse iudicaui, vt ego in quem plurimum tuorum beneficiorum contulisti, aliquod munusculum licet non condignum, tamen, vt credo, non ingratum tuæ venerationi deferrem, nihil verens de precio, quia animus in bonitate diues, magis æstimat deuotionem offerentis quam donum: & hac fiducia ausus sum partem laboris mei, quam in studio sacræ lectionis elaboraui, tibi quem benignissimum atque æquissimum esse scio, vice muneris dirigere, à te qualiscunque sit reciperetur, ac tuo sacro iudicio probaretur: atque ad purum examinaretur. Quæstionibus ergo diuersis fratrum nostrorum, & maxime eorum qui in sacris ordinibus pollebant, respondere compellebar, qui me de officio suo, & varijs obseruationibus quæ in Ecclesia Dei decentissime obseruantur, sæpissime & interrogabant, & aliquibus eorum dictis, aliquibus vero scriptis, pro vt oportunitas loci ac temporis erat, secundum authoritatem & stylum maiorum ad interrogata respondi, sed non in hoc satis eis facere potui, qui me instantissime postulabant, immo cogebant, vt omnia hæc in vnum volumen congererem, vt haberent quo aliquo modo inquisitionibus suis facerent satis, & in vno codice simul scriptum reperirent, quod antea non simul, sed speciatim singuli prout interrogabant, in folijs scripta haberent. Quibus consensi, & quod rogabant feci quantum potui. Nam de hoc tres libros edidi. Quorum

primus de Ecclesiasticis ordinibus, & de veste sacerdotali continetur. Item de quatuor charismatibus Ecclesiæ, id est, Baptismo, & Chrismate, Corpore & sanguine Domini, & de officio missæ secundum morem Romanæ Ecclesiæ. Secundus autem liber continet de officio canonicarum horarum, & de ieiunio, & de confessione ac pœnitentia, de legitimis quoque ieiunijs, & festiuitatibus varijs, de lectionibus & cantico Ecclesiastico, de fide Catholica, & econtrario de varijs hæresibus. Tertius vero liber edocet, quomodo omnia quæ in diuinis libris scripta sunt, inuestiganda sunt atque discenda, necnon & ea quæ in gentilium studiis & artibus Ecclesiastico viro scrutari vtilia sunt. Nouissime vero liber ipse exponit quomodo oportet eos, qui docendi officium gerunt, diuersos auditores, diuersis allocutionibus admonere, & in doctrina Ecclesiastica fideliter erudire. Et quia hæc omnia quæ diximus ad Clericorum officium maxime pertinent, qui locum regiminis in Ecclesia tenent, & de vniuersis legitimis DEI populum instruere debent, placuit ipsos libros de institutione clericorum nuncupari, id est, cum qua se vel sibi subditos ad seruitium diuinum instruere debent. Proinde obsecro te sancte pater, vt oblatum tibi opus suscipias, ac pie relegens, diligenter illud examines, & ita quæ in eo rationabiliter inueneris dictata, ei hoc tribuas, à quo est ratio creata: si qua vero inconsiderate repereris prolata, tuo studio citius reddas illa emendata. Tuo enim magisterio semper me libens subdam, à quo recordor me accepisse dignitatem Ecclesiasticam. Confido tamen omnipotentis Dei gratiæ, quod fidem & sensum Catholicum in omnibus tenuerim, nec per me quasi ex me ea protuli, sed authoritati innitens maiorum, per omnia illorum vestigia sum secutus. Cyprianum dico atque Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Ioannem, Damasum, Cassiodorum, & cæteros nonnullos quorum dicta alicubi in ipso opere (ita vt ab eis scripta sunt) per conuenientiam posui, alicubi quoque eorum sensum meis verbis propter breuitatem operis strictim enunciaui. Interdum vero vbi necesse fuit, secundum exemplar eorum quædam sensu meo protuli. In omnibus tamen (ni fallor) Catholicam imitatus sum veritatem, à qua (si Dominus adiuuerit) non patior vllo modo diuelli, quam & te præ omnibus habere atque amare confido, & ideo tua suffragia supplex peto vt ipsa veritas omnium creatrix atque gubernatrix, licet non meis meritis, tamen propter tuam sacratissimam orationem me in se sine vllo deuio erroris in æternum conseruare dignetur. Beatitudinem tuam opto semper bene valere in omnibus sancte pater memorem nostri.

LIBRI PRIMI CAPITA.

SECVNDI LIBRI CAPITA.

De

LIBRI TERTII CAPITA.

F I N I S.

E

HRABANI MAVRI MOGVNTINENSIS ARCHIEPISCOPI, DE INSTITVTIONE CLEricorum.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De vna Ecclesia Dei.

ECCLESIA ergo Dei Catholica, quæ per totum orbem dilatata diffunditur, Christi nomine nobilitata glorificatur. Omnis enim homo qui rectæ fidei existit particeps, & sacro baptismate regeneratur, à Christo
F
Christianus vocatur, & Dei patris atque Ecclesiæ matris noscitur esse filius. Ecclesia ἐκκλησία Græcum est, quod in Latinum vertitur conuocatio siue conuentus, eo quod omnes conuocat ad se. Catholica καθολικός autem dicitur, id est, vniuersalis: quia in toto mundo vna est Ecclesia Christi, quæ & sponsa Christi, & corpus eius est.

CAPVT II.

De tribus ordinibus Ecclesiæ.

SVnt tamen tres ordines in Ecclesia. Conuersantium id est laicorum, monachorum, & clericorum. Quorum primus id est laicus ordo, popularis interpretatur. Laos λαός enim Græce, populus Latine dicitur. Secundus est Monachicus id est singulariter conuersans, hoc est, à sæculari conuersatione remotus. Monas μονάς enim Græce singularitas dicitur, & Monachus μοναχός singularis vel solitarius. Tertius est ordo clericalis. Cleros κλῆρος quippe Græce, sors vel hæreditas dicitur. Cleros au-
G
tem vel clericos hinc appellatos Doctores nostri dicunt: quia Matthias sorte electus est, quem primum ab Apostolis legimus ordinatum, sic & eos quos illis temporibus Ecclesiarum principes ordinabant, sorte legebant. Act. 1.
Nam & hæreditas Græce Cleronomia κληρονομία appellatur, & hæres cleronomos. Propterea ergo dicti sunt clerici quia de sorte sunt Domini, vel quia Domini partem habent. sicut de eis scriptum est loquente Domino: Ezec. 44.
Ego, hæreditas eorum. Vnde oportet vt qui Deum hæreditate possident, absque vllo impedimento seculi, Deo seruire studeant, vt congrue illud Psalmistæ dicere possint. Psal. 15.
Dominus pars hæreditatis meæ. Iste autem ordo præponitur in Ecclesia, quia iure in sanctis deseruit, & sacramenta populis dispensat. Sicut enim in veteri testamento tribus Leuipræ cæteris tribubus peculiariter à Domino electa est ad seruiendum illi per diuersa officia in tabernaculo, quod est Ecclesia præsens, vt seruiant ei die ac nocte in templo sancto eius, vt sint populo in his quæ ad Deum pertinent, vt offerant Deo dona & sacrificia pro sua & populi ignorantia, vt iudicent inter iustum & iniustum, & discernant inter sanctum & prophanum, inter pollu-
H
tum & mundum: doceantque populum Dei omnia legitima eius & præcepta, quæ mandauerat ad eos.

CAPVT III.

De tonsura Clericorum.

TOnsura Ecclesiastici vsus à Nazaræis (ni fallor) exorta est, qui prius crine seruato, denuo post vitæ magnæ continentiam deuotione completa caput radebant, & capillos in ignem sacrificij ponere iubebant, scilicet vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Horum ergo exemplis vsus ab Apostolis introductus est, vt hi qui in diuinis cultibus mancipati Domino consecrantur: quasi Nazaræi, id est, sancti Dei crine præciso innouantur. Hoc quippe Ezechieli Prophetæ iubetur, dicente Domino: *Tu fili hominis sume tibi gladium acutum, &* Ezech. 5.

A *duces per caput suum & barbam*: videlicet quia & ipse ex sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis deseruiebat. Hoc & Nazaræos illos Priscillam & Aquilam in Actibus Apostol. primos fecisse legimus, Paulum quoq; Apostolum, & quosdam discipulorum Christi, qui in huiusmodi cultu imitandi extiterunt. Est autem in Clericis tonsura signum quoddam quod in corpore figuratur, sed in animo agitur: scilicet vt hoc signo vitia in religione resecentur, & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atque inde innouatis sensibus vt comis rudibus enitescamus, *expoliantes nos*, iuxta Apostolum, *veterem hominem cum actibus eius, & induentes nouum qui renouatur in agnitionem Dei*. (Col. 3.) Quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrare, vbi ipsa mens noscitur habitare. Quod vero detonso superius capite inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Thiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem aurea latitudo est circuli, quæ regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, vt impleatur etiam corporis quadam similitudine, quod scriptum est Petro Apostolo dicente. (1. Petr. 2.) B Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Quæritur autem cur modo (sicut apud antiquos Nazaræos) non ante coma nutritur, & sic tondetur? Sed qui hæc exquirunt, aduertant quid sit inter illud Propheticum velamentum, & hanc Euangelij reuelationem, de qua dicit Apostolus: *Cum transierit ad Christum auferetur velamen.* (2. Cor. 3.) Quid autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysi & aspectum filiorum Israel, hoc significabat illis temporibus etiam coma sanctorum. Nam & Apostolus comam pro velamento esse dicit. Proinde iam non oportet vt velentur crinibus capita eorum qui Domino consecrantur, sed tantum vt reuelentur: quia quod erat occultum in sacramento Prophetiæ, iam in Euangelio declaratum est. Sunt quoque quidam Doctorum, qui asserunt diuersas ob causas Petrum Apostolum hunc morem primum sumpsisse primitus, C vt formam & similitudinem Christi in capite gestaret, dum pro redemptione nostra crucis patibulum subditurus, à nefanda Iudæorum gente acutis spinarum aculeis crudeliter coronaretur. Deinde vt sacerdotes veteris & noui testamenti, in tonsura & habitu discernerentur. Postremo vt idem Apostolus suique successores & sequipedes ridiculosum gannaturæ ludibrium in populo Romano portarent: quia & horum barones hostes exercitus superatos sub corona vendere solebant. Sed de his quid suscipiatur, lectoris iudicio derelinquimus. Veniamus ergo nunc ad sacratissimos ordines clericorum, eorumque originem & gradus singulariter demonstremus.

CAPVT IV.

De gradibus Ecclesiasticis.

D SVnt autem gradus Ecclesiastici octo, quorum nomina hæc sunt. Hostiarius, Psalmista siue Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, atque Episcopus. Initium quidem sacerdotij in veteri testamento Aaron fuit: quanquam & Melchisedech prior obtulerit sacrificium, & post hunc Abraham, Isaac, & Iacob: legitur & Noe altare ædificasse, & super illud Domino holocaustum obtulisse. Sed isti spontanea voluntate non sacerdotali authoritate ista fecerunt. Cæterum Aaron primus in lege sacerdotale nomen accepit, primusq; pontificali stola infulatus victimas obtulit iubente Domino ac loquente ad Moysen: (Exod. 29.) *Accipe*, inquit, *Aaron & filios eius, & applicabis ad hostium tabernaculi testimonij, cumque laueris patrem cum filijs aqua, indues Aaron vestimentis suis*, id est, linea & tunica, & Superhumerali, & Rationali quod constringes balthео, & pones thiaram in capite eius, & laminam sanctam super thiaram, & oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur: E filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque baltheo Aaron scilicet & liberos eius, & impones eis mitras, eruntque sacerdotes mei religione perpetua. Quo loco contemplari oportet Aaron sacerdotem summum fuisse, id est Episcopum. Nam filios eius presbyterorum figuram præmonstrasse, quibus merito astare debuissent leuitæ sicut summo sacerdoti. Moyses vero huius facti mediator, Christum significat. In nouo autem testamento post Christum sacerdotalis ordo à Petro cœpit. Ipsi enim primum datus est pontificatus in Ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eum Christus Dominus. *Tu es*, inquit, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & dabo tibi claues regni cælorum.* (Matt. 16.) Hic ergo ligandi atque soluendi potestatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Siquidem cæteri Apostoli cum Petro pari consortio honoris & potestatis effecti sunt, F qui etiam in toto orbe dispersi Euangelium prædicauerunt, quibus decedentibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorum, qui iam non genere carnis & sanguinis eliguntur, sicut primum secundum ordinem Aaron, sed pro vniuscuiusque merito, fide & doctrina, quæ in eum gratia diuina contulerit. Quod vero per manus impositionem à prædecessoribus Dei sacerdotibus Episcopi ordinantur, antiqua est institutio. Isaac enim Patriarcha sanctus, ponens manum suam super caput Iacob benedixit ei, & Iacob filijs suis. Sed & Moyses super caput Iesu Naue manum suam imponens, dedit ei spiritum virtutis & ducatum in populo Israel, sic & impletor legis & Prophetarum Dominus noster Iesus Christus, per manus impositionem Apostolis suis benedixit, sicut in Euangelio Lucæ scriptum est. (Luc. 24.) *Et produxit illos foras in Bethaniam, & eleuauit manus suas & benedixit eis. Factumque est cum benediceret illis discessit ab eis, & ipsi reuersi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.* Et in Actibus Apostolorum ex præcepto (Act. 13.) G Spiritus sancti Paulo & Barnabæ ab Apostolis manus imposita est in Episcopatum, & sic missi sunt ad Euangelizandum. Porro quod Episcopus non ab vno, sed à cunctis prouincialibus Episcopis ordinatur, id propter hæreses agnoscitur institutum, ne aliquid contra fidem Ecclesiæ, vnius tyrannica authoritas molietur. Ideoque ab omnibus conuenientibus instituitur, vt non minus à tribus præsentibus, cæteris tamen consentientibus, testimonio literarum. Huic autem dum consecratur datur baculus, vt eius indicio subditam plebem vel regat vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur & annulus, propter signum pontificalis honoris, vel signaculum secretorum. Nam multa sunt quæ ante carnalium minusque intelligentium sensus occultantes sacerdotes, quasi sub signaculo cadunt, ne indignis quibusque Dei sacramenta aperiantur.

CAPVT V.

H *De ordine tripartito Episcoporum.*

ORdo autem Episcoporum tripartitus est, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, qui & metropolitani sunt, & Episcopis. Patriarcha πατριάρχης Græca lingua pater principum siue summus patrum interpretatur, quia primum id est Apostolicum retinet locum, & ideo quod summo honore fungitur, tali nomine censetur, sicut Archiepiscopus, Antiochenus Episcopus, atque Alexandrinus antistes. Archiepiscopus ἀρχιεπίσκοπος Græco vocabulo dicitur, quod sit summus vel princeps Episcoporum, tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet Episcopis cæteris. Singulis enim prouincijs præeminet, quorum authoritate & doctrina cæteri sacerdotes subiecti sunt, sine quibus reliquis Episcopis nihil agere licet, nisi quod singulis in propria parochia commendatum est. Sollicitudo enim totius prouinciæ ipsi commissa est, & omnes superius designati ordines, vno eodemque vocabulo Episcopi nominantur, sed priuato nomine [illegible]dem vtuntur propter distinctionem potestatum

A singulariter acceperunt. Metropolitanus autem idem vocatur, eo quod præsideat illi ciuitati, quæ cæteris ciuitatibus in eadem prouincia constitutis quodammodo mater sit. Metropolis μητρόπολις ergo Græce, mater ciuitatum interpretatur. Episcopatus autem vocabulum inde dictum, quod ille qui superefficitur superintendat, curam scilicet subditorum gerens. Scopin σκοπεῖν enim Latine intendere dicitur. Episcopi ἐπίσκοποι autem Græce, Latine speculatores siue superintendentes interpretantur. Nam speculator est præpositus in Ecclesia dictus, eo quod speculetur atque prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam: intimet vnicuique actus suos, sicut Dominus ad Ezechielem dixit Prophetam. *Et tu*, inquit, *fili hominis speculatorem dedi te domui* Ezec. 33. *Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium morte morieris, non fueris locutus vt se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram*, & cæt. Pontifex princeps sacerdotum est, quasi via sequentium: ipse & summus sacerdos, ipse pontifex maximus nuncupatur. Ipse enim efficit sacerdotes atque Leuitas, ipse omnes ordines Ecclesiasticos disponit, ipse quid vnusquisque facere debeat, ostendit. Antistes autem idem B dictus est, eo quod ante stet. Primus enim est in ordine Ecclesiæ, & supra se nullum habet sacerdotem. Sacerdos quidem nomen habet compositum ex Græco & Latino, quasi sacrum dans. Dispensat ergo mysteria cælestia, fidelibus baptismum tradit, corpus & sanguinem Christi distribuit, & verbum Dei prædicat. Sacerdos autem vocari potest, siue Episcopus sit siue presbyter. Episcopi autem Apostolorum vicem in Ecclesia tenent, sicut supra diximus. Et Chorepiscopi qui vicarij sunt Episcoporum, ad exemplum Lxx. seniorum constituti sunt: nec aliquid eis magis licet in Ecclesia ordinare aut constituere, nisi quantum eis conceditur à legitimis Episcopis, qui sedem & regimen integrum in Ecclesijs obtinent. Ordinati sunt autem Chorepiscopi propter pauperum curam, qui in agris & villis consistunt, ne eis solatium confirmationis deesset. Dicti sunt autem Chorepiscopi, quia de choro sunt sacerdotum: hi autem à solo Episcopo ciuitatis cui adiacent ordinantur, sicut presbyteri. C

CAPVT VI.

De Presbyteris.

PResbyterorum ordo exordium sumpsit à filijs, vt dictum est, Aaron. Qui enim sacerdotes in veteri testamento vocabantur, hi sunt qui nunc appellantur presbyteri: & qui tunc princeps sacerdotum, nunc Episcopus vocatur. Presbyter πρεσβύτερος enim Græce, Latine senior interpretatur. Non pro ætate autem vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem & doctrinam sapientiæ quam acceperunt, presbyteri nominantur, sicut per Sapientiam dicitur: *Gloria senum* Prou. 20. *canicies*, & item: *Canicies hominum prudentia eius*. Vnde & apud veteres idem & Episcopi & presbyteri fuerunt. Quia illud nomen dignitatis est, hoc ætatis. Et Paulus D Apostolus ad Titum scribens. *Huius*, inquit, *rei gratia* Tit. 3. *reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego tibi disposui, si quis sine crimine est vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.* Et statim subiungit. *Oportet enim* Ibid. *Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem*, & cæt. Et ad Philippensibus Episcopis & Diaconibus scribit. Cum vna ciuitas plures Episcopos habere non possit, sed sub Episcoporum nomine presbyteros complexus est. Ideo autem presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, sicut Episcopi, id est, in confectione diuini corporis & sanguinis, & in baptismate, & in officio prædicandi. Sed licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent, quod nec chrismate frontem signant, nec paracletum spiritum dant, quod

E solis Episcopis deberi, lectio Actus Apostolorum demonstrat: nec ordinare clericos in sacris ordinibus possunt, quod Episcopis propter vnitatem & concordiam reseruatur. Secundi vero ordinis viri presbyteri sunt, quorum typum præferebant Lxx. viri in veteri testamento, in quibus Dominus spiritum Moysi propagauit, vt talibus adiutoribus vsus in populo, innumeras multitudines facile gubernaret. Sic & paternæ plenitudinis abundantia transfusa est in Eleazaro & Ithamaro, vt ad hostias salutares & frequentioris officij sacramentum, ministerium sufficeret sacerdotum. Sic & Apostolis Christi, Doctores, fidei comites additi sunt, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleuerunt, & per Euangelicam doctrinam dilatauerunt.

CAPVT VII.

De Diaconis.

LEuitæ ex nomine authoris vocati, de nomine Leui Leuitæ exorti sunt, à quibus in templo Dei, mystici sacramenti mysteria explebantur. Præcepit enim Exod. 29. Dominus & dixit ad Moysen, vt post ordinationem Aaron G sacerdotis & filiorum eius, rursus Leui tribus in diuini cultus mysterio ordinaretur, & consecrarentur Domino pro omnibus primogenitis, & seruirent pro Israel coram Aaron & filijs eius in tabernaculo Domini excubantes in templo die ac nocte, ipsique gestarent arcam & tabernaculum, & omnia vasa eius, & in circuitu tabernaculi castra ipsi constituerent, & in promouendo tabernaculo ipsi deponerent, & rursus ipsi deponerent, & rursus ipsi componerent. Hi Græce diacones διάκονες Latine ministri dicuntur, quod sicut in sacerdote consecratio, ita & in Diacono ministerij dispensatio habetur. In veteri testamento excubabant in tabernaculo testimonij ad præcepta Aaron, & ad cuncta opera tabernaculi: veruntamen ad vasa sanctuarij & ad altare non accedebant, sicut mandauerat Dominus Aaron dicens: *Ecce dedi vobis fratres vestras Leuitas de medio fi-* Num. 18. *liorum Israel, & tradidi donum Domino, vt seruiant in ministerijs tabernaculi eius: tu autem & filij tui custodite sacerdotium vestrum, & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum* G *sunt per sacerdotes administrabuntur*, & cætera. Hi à viginti quinque annis & supra ingrediebantur, vt ministrarent in tabernaculo fœderis, cumque quinquagesimum annum ætatis explebant seruire cessabant, & erant ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, vt custodirent quæ sibi fuerant commendata. In nouo autem testamento Apostoli septem Diaconos, propter sacramentum eiusdem numeri ordinauerunt ad ministerium sacrum, & officium altaris, qui leguntur etiam & prædicasse, & baptizasse non paucos, sicut sanctus Stephanus disputauit contra Iudæos, & Philippus baptizato Eunucho Euangelizauit ciuitatibus cunctis donec veniret Cæsaream, & in Samaria prædicabat, & baptizabat eos qui ab Apostolis Petro & Ioanne postmodum confirmabantur. Sed baptizate eis modo coram Episcopis siue presbyteris licitum est. Cæteris autem non licet, nisi prædictis forte sis officijs longius constitutis, necessitas extrema compellat. Hi enim sunt (quos in Apocalypsi Apoc. 8. legimus) septem Angeli, tubis canentes. Hi sunt septem H candelabra aurea. Hi sunt voces tonitruorum septem. Ipsi enim clara voce in modum præconis admonent cunctos, siue in psallendo, siue in lectionibus audiendis. Ipsi enim vt aures habeamus ad Deum adclamant. Ipsi quoque euangelizant. Sine his sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio sacramenti est. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam sacerdotibus, propter præsumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit à Diacono. Leuitæ offerunt oblationes in altaria. Leuitæ componunt mensam Domini. Leuitæ operiunt arcam testamenti: non enim omnes vident altare mysteriorum, quæ operiuntur à Leuitis, ne videant qui videre non de-

...nt,& formam quam seruare non possunt,quique propte-
rea altari albis induti assistunt, vt hinc admoniti cæle-
stem vitam habeant, candidique ad hostias & immacu-
lati accedant. Quos primus fecit Syluester Papa,tricesi-
mus quartus pontifex in Romana Ecclesia post Petrum
Dalmaticis vti & constituit vt pallio linostimo eorum læ-
ua tegeretur,sicut in gestis pontificalibus continetur.

CAPVT VIII.

De Subdiaconis.

HYpodiacones ὑποδιάκονες Græce, quos nos subdia-
cones dicimus, qui ideo sic appellantur: quia sub-
iacent præceptis & officijs Leuitarum. Oblationes in
templo Dei à fidelibus ipsi suscipiunt, & Leuitis super-
ponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos Na-
thinnæi vocantur, vt liber Paralipomenon & Hesdræ
testatur, quod interpretatur, in humilitate Domino ser-
B uientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanael qui in Eu-
angelio Ioannis diuina proditione commonitus. Sal-
uatorem meruit confiteri, quique etiam ad primum di-
uinitatis iudicium fidelis enituit, protestante Domino
Ioan. 1. ac dicente: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Isti quo-
que vasa corporis & sanguinis Domini Diaconibus ad
altare offerunt. De quibus quidem placuit patribus,
vt quia sacra mysteria contrectant, casti & continentes
ab vxoribus sint, & ab omni carnali immunditia libe-
ri: iuxta quod illis Propheta docente iubetur: *Mun-*
Esa. 52. *damini qui fertis vasa Domini.* Hi ergo cum ordinantur,
non suscipiunt manus impositionem sicut sacerdos &
Leuitæ, sed patenam tantum & calicem de manu Epi-
scopi, & Archidiacono scyphum aquæ cum aqua:mantì-
le & mauutergium.

CAPVT IX.

De Acolythis.

ACcolythi ἀκόλυτοι Græce, Latine cæroferarij dicun-
C tur, à deportandis cæreis quando legendum est
Euangelium, aut sacrificium offerendum. Tunc enim
accenduntur luminaria ab eis & deportantur,non ad fu-
gandas tenebras dum sol eodem tempore rutilet, sed
ad signum lætitiæ demonstrandum, vt sub typo lumi-
nis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Euangelio
Ioan. 1. legitur: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venien-*
tem in hunc mundum, quorum typum præferebant illi,
qui Domini mandato in tabernaculo lucernas quotidie
accendebant super candelabrum positas.

CAPVT X.

De Exorcista.

EXorcistæ ἐξορκίσται, ex Græco in Latinum adiurantes
seu increpantes vocantur. Inuocant enim super ca-
techuminos, vel super eos qui habent spiritum im-
mundum nomen Domini Iesu, adiurantes per eum vt
D egrediatur ab eis. Refert Iosephus regem Salomonem
excogitasse suamque gentem docuisse modos exorcis-
mi, id est adiurationis, quibus immundi spiritus expul-
si ab homine, vlterius reuerti non sunt ausi. Testatur &
de eis liber Actus Apostolorum, ita dicens: *Tentauerunt*
Act. 19. *autem quidam, & de circumeuntibus Iudæis, exorcismis inuoca-*
re nomen Domini Iesu, &c. Inuenimus eos quos Esdras a-
ctores memorat templi, eos nunc esse exorcistas in Ec-
clesia Dei. Fuerunt enim sub Esdra actores templi ser-
uorum Salomonis filij, qui actum templi totius sub cu-
ra sua haberent, non tamen sacerdotalibus officijs mi-
nistrarent, aut sacris oblationibus deseruirent. Nullam
ergo aliam curam habebant actores templi, nisi ad sarta
tecta reficienda, vt quæcunque fuissent veterata in æ-
dificio templi aut delapsa, per eosdem actores de the-
sauris Dominicis reficerentur atque excolerentur. Ergo
exactores templi, exorcistæ sunt in populo Dei. Quo- E
modo enim actor prudens & bonus scit quid sit Do-
mini sui census & omnis substantiæ modus, & redigit
apud se totius possessionis instrumenta originalia, sic
exorcista redigit in sua diligentia totius regni Domini
secreta, vt memoriæ mandet de scripturarum sacramen-
tis, vnde exerceat scilicet donum, quod illi est à Spiritu
sancto concessum secundum Apostoli præconium. Ex-
orcistas enim memorat Apostolus cum dicit. Nunquid
omnes donationes habent sanationum. Hi enim cum
ordinantur accipiunt de manu Episcopi libellum in quo
scripti sunt exorcismi,dicente eis Episcopo: Accipite &
commendate memoriæ, & habete potestatem imponen-
di manus super energuminos siue catechuminos, vt im-
peretis immundis spiritibus,& abijciatis.

CAPVT XI.

De Lectoribus.

LEctores à legendo, Psalmistæ à Psalmis canendis vo- F
cati. Illi prædicant populis quid sequantur. Isti ca-
nunt vt excitent ad compunctiones animos audientium.
Licet & quidam lectores ita miseranter pronuntient,
vt quosdam ad luctum lamentationemque compellant.
Ijdem etiam & pronuntiatores vocantur, quod porro
adnuntiant. Tanta enim & tam clara eorum erit vox, vt
quantumuis longe positorum aures adimpleant. Lecto-
rum ordo formam & initium à Prophetis sumpsit. Sunt
ergo lectores qui verbum Dei prædicant, quibus dici-
tur: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Isti quip- Eze. 33.
pe dum ordinantur, primum de eorum conuersatione
Episcopus verbum Dei facit ad populum deinde coram
plebe tradit eis codicem apicum diuinorum ad Dei ver-
bum adnuntiandum. Iste ergo doctrina & libris de-
bet esse imbutus, sensuumque ac verborum scientia per-
ornatus, vt distincte & aperte sonans, audientium cor-
da possit instruere. Psalmistarum, id est cantatorum
principes siue authores, fuere Dauid siue Asaph. Isti e- G
nim post Moysen Psalmos primi composuere & can-
tauere. Mortuo Asaph, filij eius in hunc ordinem sub-
rogati sunt à Dauid, erantque Psalmistæ per successio-
nem generis, sicut & ordo sacerdotalis, ipsique soli con-
tinuis diebus in templo canebant, candidis induti sto-
lis, ad vocem vnius respondente choro. Ex hoc veteri
more Ecclesia sumpsit exemplum nutriendi Psalmi-
stas, quorum cantibus ad effectum DEI, mentes au-
dientium excitentur. Psalmistam autem & voce & ar-
te præclarum illustremque esse oportet, ita vt ad dele-
ctamentum dulcedinis animos incitet auditorum. So-
lent autem ad hoc officium etiam absque scientia Epi-
scopi sola iussione eligi, quicunque in cantandi arte pro-
babiles huiusmodi constiterint.

CAPVT XII.

De Hostiarijs.

HOstiarij sunt qui & æditui & ianitores in lege di- H
cebantur. Hi apud Hebræos in veteri testamento
electi sunt ad custodiam templi, quique ordinati per
vices suas omnia interiora templi vel extra custodiebant
vt non ingrederetur in eum immundus in omni re. Di-
cti autem hostiarij quod præsint hostijs templi. Ipsi enim
tenentes clauem omnia intus ex vtraque parte custo-
diunt, atque inter bonos & malos habentes iudicium fi-
deles recipiunt, respuunt infideles.

CAPVT XIII.

Quos oporteat ad sacrum ordinem accedere, & quo ordine.

CAnones & decreta Zosymi Papæ decernunt
clericus qui ad sacrum ordinem accedit, ...

A ris huc exorcistas quinque annos exoluat, exinde Acolythus vel subdiaconus quatuor annis fiat. Ad benedictionem quoque diaconatus non minoris ætatis quam viginti quinque annorum accedat, in quo ordine quinque annis expletis, si inculpabiliter ministrauerit, ad presbyteratus honorem promoueri poterit, non tamen ante triginta annos ætatis, licet valde dignus sit: quia & Dominus noster non ante tricesimum annum prædicare exorsus est. De quo gradu si eum auctior ad bonos mores vita perduxerit, summum pontificatum accipere poterit, hac tamen lege seruata, vt neque bigamus, pœnitens, nec neophytus ad hos gradus possit admitti.

CAPVT XXIV.

De vestibus sacerdotalibus.

DE veste ergo sacerdotali moderna ad antiquum veteris testamenti habitum comparationem facientes, secundum maiorum sensum quid mystice B significat, prosequamur.

CAPVT XV.

De superhumerali.

PRimum ergo eorum indumentum est Ephod Bad, quod interpretatur Superhumerale lineum, quod significat munditiam bonorum operum. Hinc bene in lege, cum Dominus de veste sacerdotali Moysen instituit, primum de Superhumerali faciendo præcepit, quia quisquis ad sacerdotium magisteriumque populi Dei promouendus est, primum eius debent opera cognosci, vt dum hoc quod foris omnibus patet, inreprehensibile paruerit, conuenienter ex tempore & integritas cordis eius, & fidei synceritas scrutetur.

CAPVT XVI.

De podere, id est tunica linea.

C SEcundum est linea tunica, quæ Græce ποδήρης Poderis, Latine talaris dicitur, eo quod ad talos vsque descendat. Hanc Iosephus byssinam vocat, cuius significatio mystica in promptu est. Cum enim constet lino vel bysso continentiam & castitatem significari, strictam habent lineam sacerdotes, cum propositum continentiæ non eneruiter, se studiose conseruant. Hæc ad talos vsque descendit, quia vsque ad finem vitæ huius bonis operibus insistere debet sacerdos, præcipiente ac promittente Domino. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2.

CAPVT XVII.

De Cingulo.

D TErtium vestimentum est cingulum siue baltheum, quo vtuntur ne tunica ipsa defluat, & gressum impediat, hoc nimirum custodiam mentis significat. Qui enim tunica talari indutus absque cingulo incedit defluit tunica, ac relicto corpore, ventis & frigoribus intrandi spacium tribuit, quin & præpeditis gressibus incedendi vsum retardat, vel etiam calcantibus se causa efficitur ruinæ. Ergo lineas induunt sacerdotes vt castitatem habeant: accinguntur baltheis, ne ipsa castitas sit remissa & negligens, ne vento elationis animum perflandi aditum impendat, ne crescente iniquitate refrigescere faciat charitatem ipsorum, ne bonorum gressus operum iactantia suæ præsumptionis impediat, ne præpedito virtutum cursu ipsa etiam terrestris concupiscentiæ sordibus polluta vilescat, & ad vltimum authorem suum ad ruinam superbiendo impellat.

CAPVT XVIII.

De Phanone.

E QVartum vero mappula siue mantile, sacerdotis indumentum est, quod vulgo phanonem vocant, quod ob hoc eorum tunc manibus teneatur quando missæ officium agitur, vt paratos ad ministerium mensæ Domini populus conspiciat. Mappæ ergo conuiuij & epularum adpositarum linteamina sunt, vnde diminutiuum mappula sicut & mantilia, nunc pro operiendis mensis sunt: quæ vt nomen ipsorum indicat, olim tergendis manibus præbebantur. Oportet ergo sacerdotes & ministros altaris mappulas manibus tenere, quorum officium est diuina sacramenta conficere, vt cum deuotione mentis opus spontaneum concordet, digne exerceatur officium, quod pie diuino est munere collatum.

CAPVT XIX. F

De Orario, id est stola.

QVintum quoque est quod orarium dicitur, licet hoc quidam stolam vocent. Hoc enim genere vestis solummodo eis personis vti est concessum, quibus prædicandi officium est delegatum. Bene etiam oratoribus Christi orarium habere conuenit, quia cum indumentum eorum officio proprio conciliat, & ipsi sedulo ad verbi ministerium cohortantur, & plebs ipsis commissa indicium salutare conspiciens, ad meditationem legis concurrere feruentius admonetur. Apte ergo orarium collum simul & pectus regit sacerdotis, vt inde instruatur, quod quicquid ore proferat, tractatu summæ rationis attendat, vt illud Apostoli semper in eo appelletur quo dicit. *Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu psallam & mente.* 1. Cor. 14 & iterum: *Os nostrum ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est*, 2. Cor. 6. *ne forte si improuise irrationabiliter loquatur, damnum patiatur*, Salomone attestante, qui ait: G *Cor sapientis erudiet os eius, & labiis illius addet gratiam.* Prou. 16. item: *Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Prou. 21.

CAPVT XX.

De Dalmatica.

SExtum namque est quod Dalmatica à Dalmatia Græciæ prouincia, in qua primum texta est, nuncupatur. Hæc vestis in modum est crucis facta, & passionis Domini indicium est. Habet quoque & purpureos tramites ipsa tunica, à summo vsque ad ima ante ac retro descendens, necnon & per vtramque manicam, vt admoneatur minister Domini per habitus sui speciem, cuius muneris particeps est, vt per mysticam oblationem passionis Dominicæ commemorationem agat, vt ipse in eo fiat hostia Deo acceptabilis.

CAPVT XXI. H

De Casula.

SEptimum sacerdotale indumentum est, quod Casulam vocant, dicta est autem per diminutionem à Casa, eo quod totum hominem tegat, quasi minor Casa, hanc Græci Planetam πλανήτην nominant. Hæc supremum omnium indumentorum est, & cætera omnia interius per suum munimen tegit & seruat. Hanc ergo vestem possumus intelligere charitatem, quæ cunctis virtutibus supereminet, & earum decorem suo tutamine protegit & illustrat. Nec enim vllus iam erit virtutum splendor, si non eas charitatis irradiauerit fulgor, quod ostendit Apostolus dicens: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem non habeam, factus* 1. Cor. 13.

A *sum sicut as sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit.* & reliqua. Sine hac charitate vel casula, nec sacerdos ipse ad altare adpropinquare debet, nec munus offerre, nec
Matth. 6. preces fundere. Vnde veritas ipse dicit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Et item: *Cum statis ad orandum, di-*
Marc. 11. *mittite si quid habetis aduersum aliquem.* & reliqua. De hoc itaque spiritali virtutum indumento, Apostol. ad
Coloss. 3. Colossenses ita scripsit. *Induite inquit vos sicut electi Dei, sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* &c. Et de charitatis eminentia
B paulo post subiunxit dicens: *Super omnia autem hac charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis.*

CAPVT XXII.

De sandaliis.

INduunt quoque sacerdotes pedes sandalijs siue solcis, quod genus calciamenti euangelica authoritate eis est concessum, vt Marci euangelium testatur: quia
Marc. 16. hoc calciamentum mysticam significationem habet, vt pes neque tectus sit, neque nudus ad terram, id est vt nec occulietur euangelium, nec terrenis commodis innitatur. Nam scriptum est in Apostolo: *Et calciati pedes*
Ephes. 6. *in præparatione euangelij pacis.* Sicut enim sandalia partem pedis tegunt, partem inopertam relinquunt, ita & euangelij doctores partim euangelium operire, partimque aperire debent, ita videlicet vt fidelis & deuotus sufficientem habeat doctrinam, & infidelis & con-
C temptor non inueniat blasphemandi materiam. Admonet etiam & nos hoc genus calciamenti, vt carni nostræ & corpori in necessitatibus consulamus, non in libidinis lasciuiam defluamus, de quibus vtique nos diuina lex instruit. Scriptum est enim: *Carnem*
Esa. 58. *tuam ne despexeris.* Et item: *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis.*

CAPVT XXIII.

De pallio.

SVper hæc autem omnia summo pontifici (qui Archiepiscopus vocatur) propter apostolicam vicem pallij honor decernitur, quod genus indumenti crucis signaculum purpureo colore exprimit, vt ipso indutus pontifex à tergo & pectore crucem habeat, suaque mente pie & digne de passione redemptoris cogitet, ac populo pro quo Dominum deprecatur, redemptionis suæ signaculum demonstret. Condecet quoque bene, vt ipsa apostolica dignitas apostolicum virum faciat, vt plena deuotione, sano sermone, & digna o-
D peratione possit dicere cum Apostolo: *Mihi autem absit*
Gal. 6. *gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Hæc quæque de habitu sacerdotali ad sensum secundum modulum ingenioli nostri breuiter diximus, non præiudicantes his, qui congruentius & dignius de eadem re possint scribere, & plenius disputare.

CAPVT XXIV.

De sacramentis ecclesiæ.

E DE sacramentis autem quæ in ecclesia fiunt, oportet vt sequens sermo exponat, atque declaret ritum sacerdotalem. Sunt autem sacramenta, Baptismū & Chrisma, Corpus & sanguis, quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum, virtus diuina secretius salutem eorundem sacramentorum operatur, vnde & à secretis virtutibus vel sacris, sacramenta dicuntur. Quæ ideo fructuose penes ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens spiritus, eundem sacramentorum latenter operatur effectum. Vnde seu per bonos seu per malos ministros intra ecclesiam Dei dispensentur, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur: quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, vnde & Græce μυστήριον dicitur, quod secretam & reconditam habeat repositionem. F

CAPVT XXV.

De baptismatis sacramento.

PRimum autem sacramentorum est baptismum, quia antequam sancto chrismate vngatur aliquis, aut corporis & sanguinis Christi particeps existat, sacra regeneratione purgari debet, ac deinde ad cætera rite accedere. Baptismum βάπτισμα Græce, Latine tinctio interpretatur, quæ non tamen ob hoc quod homo in aquam mergitur tinctio dicitur, sed quia spiritu gratiæ ibi in melius immutatur, & longe aliud quam erat efficitur. Primum homines fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipsa tinctione pulchri dealbatione virtutum efficimur. Vnde & in Canticis scribitur canticorum. Quæ est ista quæ ascendit quasi dealbata? cuius mysterium non aliter nisi sub trinitatis designatione, id est, patris & filij & spiritus sancti cognitione completur, dicente Domino ad Apostolos: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos* Mar. vlt.
in nomine patris & filij & spiritus sancti. Sicut enim in tribus G
testibus stat omne verbum, ita sacramentum confirmat ternarius numerus nominum diuinorum. Quod autem per aquam baptismum datur, hæc ratio est: Voluit enim Dominus, vt res illa inuisibilis per congruentiam, sed profecto incontrectabile & inuisibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur Spiritus sanctus. Nam sicut oleum naturali pondere superfertur omni liquore, ita in principio ferebatur Spiritus sanctus aquis. Sicut aqua purgat exterius corpus, ita latenter eius mysterio per Spiritum sanctum purificatur & animus: cuius sanctificatio ita est. Inuocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cœlis, & medicatis aquis sanctificat eas de semetipso, & accipiunt vim purgationis, vt in eis caro & anima delictis inquinata mundetur. Vtrumque enim baptizando necesse est adhiberi, & baptismi lauacrum, & Spiritus sancti purgatio, quia ait Saluator: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. H
Sed ante baptismum, catechizandi debet in hominem peruenire officium, vt fidei primum catechuminus accipiat rudimentum. Nam in euangelio secundum Matthæum legitur, quod post resurrectionem Dominus apostolis præceperit, vt in nomine patris & filij Mat. vlt.
& spiritus sancti docerent, & baptizarent omnes gentes, id est, prius per fidem Dei illis insinuarent, & sic credentes in remissionem peccatorum baptizarent. Hoc est quod secundum Marcum idem Dominus legitur præposuisse fidem baptismatis, cum ita dixerit. *Qui cre-* Mar. vlt.
diderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit condemnabitur. & Ioanne teste, prius ipse Iesus cæci nati oculos luto ex sputo facto superliniuit, & sic ad [illegible] Siloe misit: quia prius debet baptizandus fide instructionis Christi instrui, & sic ad baptismum iam

A admitti, vt sciat cuius gratiæ in eo est particeps, & cui iam debitor fiat deinceps.

CAPVT XXVI.

De Catechuminis.

CAtechuminus autem dicitur, pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen baptismum recepit. Nam Catechuminus κατηχούμενος Græce, Latine auditor interpretatur. Et quia primum exhortationis
Deut. 6. præceptum in lege est, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Inde est vt is qui per sacerdotem quasi per Moysen Deus loquitur, catechuminus, id est audiens nominetur: scilicet vt verum agnoscens Dominum, relinquat errores varios idolorum. Puto autem omnes à Ioanne pœnitentia baptizatos, catechuminorum prætulisse figuram. Post catechuminos autem, secundus gradus est competentium. Competentes autem
B sunt, qui iam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ ad gratiam Christi percipiendam festinant: ideoque appellantur competentes, id est gratiam Christi petentes. Nam catechumini tantum audiunt, necdum petunt. Sunt enim quasi hospites & vicini fidelium, deforis audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed adhuc non appellantur fideles. Competentes autem petunt, iam accipiunt, iam catechizantur, id est imbuuntur instructione fidei & sacramentorum. Istis enim traditur salutare symbolum: quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant, quales iam ad gratiam Christi exhibere se debeant. Notandum autem quod in Ecclesia Saluatoris paruulorum, qui per ætatem nec adhuc renuntiare diabolo nec credere in Deum possunt, per corda & ora gestantium salus adimpleatur, quia & in euangelio legitur quod Iesus fidem illorum intuens qui paralyticum ad sanandum sibi adferebant,
Matth. 9. dixerit ipsi: *Homo remittuntur tibi peccata tua:* & quod filium viduæ à mortuis suscitauit, misericordia motus super ea. Manifestum enim quod paruuli sicut ex a-
C lijs ea quæ illis remittuntur in baptismo, peccata traxerunt, sic & per alios ad salutem credunt. Nec enim siquidem muti & surdi, qui nec audire neque proferri fidem possunt, ab aliquibus Christianis ad baptizandum offeruntur, per credulitatem offerentium saluari creduntur: quia non obsistit omnipotentis Dei gratiæ, naturæ infirmitas humanæ.

CAPVT XXVII.

De catechizandi ordine.

CAtechizandi enim ordo hic est: Primum interrogatur paganus, si abrenuntiat diabolo & omnibus damnosis eius operibus atque fallacibus pompis: vt primum respuat errorem, & sic appropinquet ad veritatem, possitque iuxta Apostolum deponere veterem hominem secundum pristinam conuersationem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, abnegans impietatem & secularia desideria. Deinde apostolicæ fidei o-
D stenditur ei symbolum, & exquiritur ab eo si credat in Deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum, vnum Deum in trinitate & vnitate, si confiteatur vnam esse ecclesiam catholicam, & si credat remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem. Hæc ergo omnia si vere profitetur credere, iam incipit per fidem induere nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis, quo tamen plene induitur, quando per baptismi lauacrum regeneratur. At postquam se per confessionem veræ fidei in alterius commendauerit dominium, & per abrenuntiationem prioris possessoris se alienauerit seruitio, exsufflatur ab eo sæua potestas, vt per pium sacerdotis mysterium Spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus, signaturque ipse homo signaculo sanctæ crucis tam in fronte quam in E
corde, vt ipse apostata diabolus, in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscens signum, iam sibi deinceps sciat illud esse alienum. Exinde iam dicuntur super eum orationes, vt fiat catechuminus. Tunc datur ei sal benedictum in os, vt per sal typicum, sapientiæ sale conditus fœtore careat iniquitatis, & nec à vermibus peccatorum vltra putrefiat: sed magis illæsus seruetur ad maiorem gratiam percipiendam. Dehinc iterum exorcizatur diabolus, vt suam nequitiam agnoscens, & iustum super se iudicium Dei timens recedat ab homine, nec iam contendat eum arte sua subuertere, ne baptismum consequatur, sed magis honorem Deo creatori suo exhibens, reddat opus factori suo. Postea tanguntur ei nares & aures cum saliua, & dicitur ei illud verbum euangelicum quod Iesus quando surdum & mutum sanauit tangens cum sputo linguam eius, & mittens digitos suos in auriculas eius, dixit: *Epheta, quod est, adaperire.* Hoc enim Marc. 7.
sacramentum hic agitur, vt per saliuam typicam sacerdotis & tactum, sapientia & virtus diuina salutem eiusdem catechumini operetur, vt aperiantur ei nares ad accipiendum odorem notitiæ Dei, vt aperiantur illi & aures ad F
audiendum mandata Dei, sensuque intimo cordis reponendum. Deinde benedictione sacerdotali munitur, vt ad sacrum baptismum cum fide accepta custodiatur. Vngetur illius tunc pectus de oleo sanctificato cum inuocatione sanctæ trinitatis, vt nullæ reliquiæ latentes inimici in eo resideant, sed in fide sanctæ trinitatis mens eius confortetur. Vngetur & inter scapulas de eodem oleo, vt vndique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gloriam roboretur.

CAPVT XXVIII.

De tinctione baptismi, & vnctione chrismatis.

POst hæc igitur consecratur fons, & ad ipsum baptismum catechuminus accedit, & sic in nomine sanctæ trinitatis trina submersione baptizatur. Et recte homo qui ad imaginem sanctæ trinitatis conditus est, per inuocationem sanctæ trinitatis ad eandem renouatur imaginem, & qui tertio gradu peccati, id est, G
consensu cecidit in mortem, tertio eleuatus de fonte per gratiam resurgat ad vitam. Potest & hæc trina mersio triduanam Domini sepulturam significare, maxime cum dicit Apostolus. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* & reliqua. Oportet ergo cum inuocatione sanctæ trinitatis sub trina mersione baptismum confici, vt secundum personarum differentiam mysterium baptismi celebretur, & secundum vnitatem substantiæ vnum baptisma fiat, vnde dicit Apostolus: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* & reliqua. Postquam enim ascenderit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro à presbytero cum sacro chrismate, sequente simul & oratione, vt regni Christi particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari. Scri- H
ptum est & in euangelio ita: *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt cœli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam & venientem supra se.* Bene quidem baptismo continuatur chrismatis vnctio: quia Spiritus sanctus qui per illud Chrisma suæ virtutis admixtione sanctificat credentes: baptizato Iesu statim super illum in columbæ specie descendit: cuius videlicet typum præferebat columba illa, quæ in diluuio ad arcam reportauit ramum oliuæ virentibus folijs, significans vtrique quod Spiritus sanctus per chrismatis vnctionem in baptismate virorem confert fidelibus cœlestis gratiæ. Sed de hoc plenius in sequentibus dicemus. Legimus & in Gestis patrum, quod Syluester Papa in ecclesia Romana constituerit, vt sicut potestas & priuilegium apud solum episcopum constat, quod sacrum chrisma ipse

conficiat

conficiat, & baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet propter hæreticam suasionem, ita presbyter eodem chrismate liniat baptizatum leuatum ex aqua propter occasionem transitus mortis, quia scriptum est in Apostolo: *Vos autem fratres in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitet in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius* &c. Ac deinde profecto pater, quia quicunque non est Christi, regni sui particeps fieri nequit. Ideoque necessarium est, vt statim succurratur baptizato cum chrismatis vnctione, vt Spiritus sancti participationem accipiens, alienus à Christo non existat.

CAPVT XXIX.

De indumento baptizati & eucharistia.

POst baptismum autem traditur Christiano vestis candida designans innocentiam & puritatem Christianam, quam post ablutas veteres maculas, studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet, ad præsentandum ante tribunal Christi. Cuncti vero renati albis induuntur vestibus, ad mysterium resurgentis ecclesiæ, sicut ipse Dominus coram discipulis transfiguratus est, vt dicitur: *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta eius facta sunt candida sicut nix*: quo facto splendorem vt dictum est, resurgentis in futurum figurauit ecclesiæ. Vtuntur ergo albis vestibus, vt quorum primæ natiuitatis infantia vetusti erroris pannus fuscauerat, habitus secundæ generationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sacram vnctionem caput eius mystico velamine, vt intelligat se diadematis regni, & sacerdotalis dignitatis portitorem, iuxta Apostolum: *Vos estis inquit genus regale & sacerdotale offerentes vosmetipsos Deo hostiam viuam, sanctam, Deo placentem.* & reliqua. Nam sacerdotes in veteri testamento quodam mystico velamine caput semper ornabant. Deinde corpore & sanguine dominico omne præcedens sacramentum in eo confirmatur, quia hæc ideo accipere debet, vt Deum habere mereatur in se habitatorem, & illius fit capitis membrum, qui passus est & resurrexit pro nobis. Dicit enim ipsa veritas. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, ipse in me manet, & ego in eo.* Et item: *Nisi manducaueritis*, inquit, *carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

CAPVT XXX.

De impositione manus episcopalis.

NOuissime autem à summo sacerdote per impositionem manus paracletus traditur illi spiritus sanctus, vt roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum alijs idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est, per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum chrismate per sacerdotem in capitis summitate: per pontificem vero in fronte, vt priori vnctione significetur Spiritus sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam, in secunda quoque vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis, venire in hominem declaretur. Tunc enim ipse Spiritus sanctus post mundata & benedicta corpora atque animas, libens à patre descendit, vt vas suum sua visitatione sanctificet & illustret, & nunc in hominem ad hoc venit, vt signaculum fidei quod in fronte suscepit, faciat eum donis cœlestibus repletum: & sua gratia confortatum, intrepide & audacter coram regibus & potestatibus huius seculi portare, ac nomen Christi libera voce prædicare. Nec mirum si homo bis eodem chrismate ad accipiendum Spiritum sanctum vngatur, cum idem Spiritus bis sit ipsis Apostolis datus, id est, in terra semel quando post resurrectionem suam Dominus insufflauit in eos, & dixit. *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*: & de cœlis semel, quando post ascensionem Domini in die Penthecostes in linguis igneis super apostolos venit, & omnium gentium linguis eis loqui concessit. Ergo Spiritus sanctus digitus Dei in euangelio nominatur, & digito Dei scripta est lex. Ideo autem digitus Dei dicitur, vt eius operatoria virtus simul cum patre & filio significetur. Sicut autem per baptismum in Christo morimur & renascimur, ita Spiritu sancto signamur, qui est digitus Dei, & spiritale signaculum. Bene quippe conuenit vt per sacrum chrisma & per pinguedinem oliuæ gratia Spiritus sancti tribuatur: quia in psalmo scriptum est de Christo Saluatore, quod vnxerit eum Deus pater oleo lætitiæ præ consortibus suis, & item de nobis, quod exhilaret faciem nostram in oleo. Chrisma χρίσμα Græce, Latine vnctio nominatur, ex cuius nomine & Christus dicitur, & ex ipso homo post lauacrum sanctificatur. Nã sicut in baptismate peccatorum remissio datur ad veniam, ita per vnctionem sanctificatio spiritus adhibetur ad gloriam, & hoc de pristina vnctione tractum est exemplum, qua vngi in sacerdotium & regnum solebant antiqui, vnde & Aaron & filij eius post lauacrum à Moyse vncti sunt, vt sacerdotes Domini fierent. Et Salomon & cæteri reges per prophetas & sacerdotes perfusi sunt cornu olei, vt regni gubernacula tenerent. Quod dum carnaliter fit, spiritaliter proficit, quomodo & ipsa baptismi gratia visibilis actus est, quod in aqua mergimur, sed spiritalis effectus quod à delictis mundamur. Videamus ergo & ipsam olei naturam: si quid in ea huic significationi conueniens possit intelligi. Oleum namque ardens illuminat, & medicans sanat, & aquis infusum perspicuas eas reddit: quod bene gratiam Spiritus sancti potest demonstrare. Ipse enim flamma charitatis & splendore sapientiæ, animas illuminat. Ipse medicamine clementiæ suæ per veniam peccatorum vulnera sanat. Ipse admixtione virtutis suæ, aquas baptismi ad effugandas peccatorum tenebras veraciter illustrat. Testatur etiam hoc sacra scriptura, ait enim Paulus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et Ioannes: *Qui diligit* inquit *fratrem suum, in lumine manet.* Et item: *Vos inquit vnctionem habetis à Spiritu sancto, & nostis omnia.* Ecce apostolorum sententiæ manifestant, per vnctionem Spiritus sancti lumen charitatis & scientiæ nos habere. Nam saluator in euangelium Spiritum sanctum medicinam esse peccatorum ostendit, cum per ipsum potestatem apostolis dedit peccata remittere dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* & reliqua. Quod autem gratia Spiritus sancti aquas baptismi fœcundans illustret, insinuat Ioannes, cum ipsum Dominum in Spiritu sancto baptizare testatus est dicens: *Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Nunquam enim aqua baptismatis filios lucis generare posset, nisi prius ipsa dono eiusdem Spiritus sancti illuminata esset, vt in ipsa mirabiliter partum spiritalis lucis efficeret, idem spiritus qui in primordio simul cum patre & filio illam purgationi aptam creauit. Abluit ergo nos Dominus à peccatis in baptismate, & vnxit nos & consignauit nos spiritu promissionis sancto, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris, qui est vtique pignus hæreditatis nostræ in redemptionem adquisitionis in laudem gloriæ ipsius, vt adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis ait Apostolus filij Dei, misit spiritum filij sui in corda nostra clamantem abba pater. Nam confirmatio totius sanctitatis & virtutis & iustitiæ in ipso constat: ipse est remissio omnium peccatorum, ipse filios Dei à filijs diaboli secernit. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Ipse iustificat sanctos & illuminat, ipse est Deus, ipse Dei donum, eo quod datur à Deo. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem per ipsum. Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodẽ spiritu, alij gratia sanitatum in vnõ spi-

A aliis operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Sicut enim corpus vnum est, & membra multa: omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum corpus sunt, ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes nos vno spiritu potati sumus. Spiritum enim sanctum aquæ nomine appellatum in euangelio legimus, ipso Domino clamante & dicente: *Si quis sitit veniat & bibat, qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hoc euangelista exposuit vnde diceret, secutus enim ait. Hoc enim dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Sed aliud est aqua sacramenti, aliud aqua quæ significat Spiritum sanctum. Aqua enim sacramenti visibilis est, aqua spiritus inuisibilis est. Illa abluit corpus & significat quod fit in anima, per istam autem, id est, per Spiritum sanctum ipsa anima
B mundatur. Sicut etiam aqua corporalis corpus lauat & potat, ita spiritalis spiritum lauat & pascit. Ideo autem Spiritus sanctus septiformis nuncupatur propter dona quæ diuinitatis eius plenitudine particulariter quique vt digni sunt, consequi promerentur. Ipse enim spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, atque spiritus timoris Domini appellatur.

CAPVT XXXI.

De Sacramento corporis & sanguinis Domini.

SEd quia de duobus sacramentis, id est baptismo & chrismate tam quantum nobis Dominus dedit supra disseruimus, superest, vt de reliquis duobus, id est, corpore & sanguine Domini etiam nunc quantum Dominus annuerit diligentius inuestigemus. Primum nobis quærendum est, cur Dominus corporis & sanguinis sui
C mysteria in his rebus sancire voluisset quæ comedi & consumi possunt, & non potius in his quæ maiore honore seruata diutius integra haberi potuissent? deinde, cur in cibo & potu idem sacramentum voluisset, cum ex terrenis fructibus communi vsu terrestres vescerentur, & non magis ex alia aliqua re illud traderet, quæ similiter percipientes reficeret? Sed tamen aliquatenus res inusitata pro maiori miraculo etiam ab imperitis veneraretur, sicut manna cibi cœlestis pauit in deserto populum Israeliticum, & omnibus admirandus pluit. Deinde illud etiam quæri potest, cur inter omnes fructus terræ potissimum ad hoc elegerit frumentum atque vinum, qualitpta cunctos fructus terræ dignitate præcellant, & pretiosiores omnibus fiant: quæ videlicet omnia ita solum posse credimus. Maluit enim Dominus corporis & sanguinis sui sacramenta fidelium ore percipi, & in pastum eorum redigi, vt per visibile opus inuisibilis ostenderetur effectus. Sic enim cibus materialis forinsecus nutrit corpus & vegetat, ita etiam verbum Dei intus animam nutrit & roborat, quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *& verbum caro factum est, & habitauit in*
D *nobis.* Ait ergo ipsa veritas: *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Vere scilicet caro Christi est cibus, quia vere pascit, & ad æternam vitam hominem nutrit: & sanguis eius vere est potus, quia esurientem & sitientem animam iustitiam, in æternum veraciter satiat. Temporalem quippe vitam sine illo cibo & potu habere possunt homines, æternam omnino non possunt, quia iste cibus & potus æternam societatem capitis membrorumque suorum significat. *Qui manducat* inquit *carnem meam, & bibit sanguinem meum, ipse in me manet & ego in eo,* quapropter necesse habemus sumere corpus & sanguinem eius, vt in ipso maneamus, & eius corporis membra simus: quia *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo.* Quod autem ex terræ fructibus voluit hæc sacramenta confici, hæc ratio est: Quia ergo ipse filius Dei

Ioan. 1.

Ioan. 3.

homo in terra inter homines factus est, & ex terrenis parentibus, scilicet ex stirpe Adam progenitus: *veritas de terra orta est,* vt ex terrigenis cœlicolas faceret, de terrenis fructibus cibum cœlestem homo cœlestis fecit, vt sicut ipse Deus inuisibilis in carne visibili ad saluandos mortales mortalis apparuit, ita etiam ex materia visibili rem inuisibilem congrue ipsis demonstrauit: vt in eadem re simul ediscerent & quid Deus propter nos factus est, & quid nos per ipsum futuri sumus. Ait enim Apostolus Ioannes: *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimus quomodo cum apparuerit, similes ei erimus.* Cur autem panem & vinum in hanc dignitatem elegerit exponit scriptura, quæ testatur Spiritum sanctum pronunciasse secundum ordinem Melchisedech Christum sacerdotem esse futurum. Melchisedech ergo Genesis narrat, panem & vinum obtulisse. Oportebat enim vt qui secundum ordinem Melchisedech sacerdos factus fuerat oblationem eiusdem pontificis ipse pontifex factus imitaretur, vt scriptura de eo pronuntians veridica esse probaretur: quia Iesus non venit soluere legem, sed adimplere, sicut ipsa veritas testatur: *Quomodo necesse est,* inquit, *impleri omnia, quæ scripta sunt in lege & prophetis, & psalmis de me?* Propterea quippe Dominus noster corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit quæ ad vnum aliquid rediguntur, ex multis sinc granis siue azymis, vt sanctorum charitatis vnitatem significaret, & intelligi daret corporis membrorumque suorum vnitatem, quod est sancta ecclesia in prædestinatis & vocatis iustificatis atque glorificatis, sanctis & fidelibus eius: quorum primum iam factum est, id est, in prædestinatione: secundum & tertium & factum est, & fit, & fiet, id est vocatio & iustificatio: quartum autem in re futurum est, id est glorificatio huius rei sacramentum, id est vnitas corporis & sanguinis Christi de mensa dominica assumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res vero ipsa omni homini ad vitam, nulli ad exitium. Quicunque enim eius particeps fuerit, id est, Christo capiti membrum adsociatus fuerit in regno cœlesti, quia aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti, sacramentum enim ore percipitur, virtute sacramenti interior homo satiatur. Sacramentum enim in alimentum corporis redigitur, virtute autem sacramenti æternæ vitæ dignitas adipiscitur. In sacramento fideles quique communicantes pactum societatis & pacis ineunt. In virtute enim sacramenti omnia membra capiti suo coniuncta & coadunata in æterna claritate gaudebunt. Sicut ergo in nos id conuertitur cum id manducamus & bibimus, sic & nos in corpus Christi conuertimur dum obedienter & pie viuimus. Sed tamen ipsius sacramenti (sicut supra diximus) tanta est dignitas & tanta potentia, vt quicunq; illud indigne perceperit, magis sibi damnationem quam salutem acquirat, quod ostendit Apostolus dicens: *Quicunque enim manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Domini corpus.* Tunc enim vere & salubriter corpus & sanguinem Christi percipimus, si non tantū volumus, vt in sacramento carnem & sanguinem Christi edamus, sed vsque ad spiritus participationem manducemus & bibamus, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus, vt eius spiritu vegetemur. Sumunt ergo fideles bene & veraciter corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse fiant Corpus Christi, si volunt viuere de spiritu Christi. De spiritu Christi non viuit nisi corpus Christi. Inde est quod exponens nobis Apostolus hunc panem vnum, vnum corpus Christi significare intelligi voluit. *Calicem* inquit *benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est? Quomodo vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnesque de vno pane & vno calice participamus.* Nec enim in sacramentis aliud offerri licet, nisi quod Dominus ipse constituit, & suo exēplo facere nos docuit

E

Psal. 84.

1. Ioan. 3.

Gen. 14.

F

G

1. Cor. 11.

H

A 1. Cor. 11. Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur *accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & calicem postquam cœnauit dicens: *Hic calix noui testamenti est in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* Ergo Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet: quia ipsas res de se Dominum testificari Euangelium narrat. Ait enim ipse
Ioan. 6. Dominus. *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Et item. *Ego sum inquit vitis vera.* Panis enim Dei descendit de cœlo, & dat vitam mundo, quem pater signauit, Deus misit in mundum. Hic est panis vitæ, hunc qui manducat, non esuriet in æternum. Iste panis cor hominis confirmat: iste quidem de terra naturæ nostræ productus est. Illudque vinum lætificat cor hominis, quod ex vite vera processit. Nec enim aliud ex vite quam vinum nasci potest. Ergo quia
B panis corporis cor firmat, ideo ille corpus Christi congruenter nuncupatur. Vinum autem quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinē Christi refertur. Hæc autem dum sunt visibilia sanctificata, tamen per Spiritum sanctum in sacramentum diuini corporis transeunt. Quod autem panem sacrificij sine fermento esse oporteat, testatur liber Leuiticus, vbi commemoratur Dominum per Moysen filijs Israel ita præcepisse. *Omnis,* inquit,
Leuit. 8. *oblatio quæ offertur Domino absque fermento fiat, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Credimus ergo & panem illum quem primum Dominus in cœna mystica in mysterium corporis sui consecrauit, infermentatum esse, maxime cum in tempore paschæ nullum fermentum cuiquam vesci, sed nec in domo habere vlli licebat, Domino illud in lege præcipiente ac dicente, sicut
Exod. 12. Exodus testatur. *Primo mense,* inquit, *quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma vsque ad diem vicesimam eiusdem mensis ad vesperam, septem diebus non inuenietur fermentum in domibus vestris, qui comederit fermentatum, peribit anima sua*
Ibid. *de cœtu Israel: tam de aduenis quam indigenis terræ.* Et paulo
C post. *Azyma,* inquit, *comedetis septem diebus, non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.* & reliqua. Quod ergo neque in domo neque in finibus cunctis eorum populo Dei habere licebat, superfluum est arbitrari id Dominum foris exquisisse. Quid autem illud significet, quod in Pascha comedi vetitum erat ostēdit Apostolus, & paschæ & azymorum rationem manifestissima
1. Cor. 11. narratione exponens. *Etenim,* inquit, *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur, non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis.* Quicunque ergo ad mensam Domini vbi agni immaculati & incontaminati caro mactatur, & vbi veneranda mysteria passionis & resurrectionis eius à fidelibus celebrantur, plenus dolo atque malitia accedat, & aut odij, aut inuidiæ, aut auaritiæ, aut luxuriæ facibus accensus, corpus Domini percipere non meruit, verendum est ne vbi vitam accipere debuit iudicium damnationis inueniat: & magis incitetur ad pœnam, quam retrahatur ad veniam. Scriptum est enim de Iuda proditore, qui malignus ad mensam Domini accessit, & fieri conuiuij particeps esse non timuit, quod post buccellam statim introisset in eum sa-
D thanas, dominusque ei dixerit: *Quod facis, fac citius,* qui mox id quod prius latendo machinabatur, continuo extensis insaniæ suæ manifestum effudit virus, ita vt cum turba multa gladijs & fustibus, facibus & armis instructa ad eum tanquam ad latronem capiendum veniret, qui mori vltro veneral. Qui ergo insidijs mente conditis, qui præcordijs aliquo scelere pollutis mysteriorum Christi oblationibus sacrosanctis participare non metuit, ille in exemplum Iudæ filium hominis tradit, non quidem Iudæis sed peccatoribus, membris videlicet suis, quibus illud inæstimabile & inuiolabile dominici corporis & sanguinis sacramentum temerare præsumit. Ille dominum vendit, qui eius timore atque amore neglecto terrena pro illo & caduca, imò etiam criminosa diligere & curare conuincitur. Sed in sacramento vinum aqua mi-
xtum offerri debet, quia in euangelio legitur: quod cum aperuisset vnus militum lancea latus Iesu, continuo exierit sanguis & aqua. Ille enim sanguis in remissionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum hæc & lauacrum præstat & potum. Neuter ergo horum sine altero in sacrificio debet offerri, nec vinum sine aqua, nec aqua sine vino: quia & nos in Christo, & in nobis Christum manere oportet, quod ostendit sanctus Cyprianus ita dicens: Calix inquit dominicus vino mixtus offertur, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini vt commixtio illa ab inuicem non possit separari, ita nec ecclesia à Christo potest diuidi & separari, & c. Attestante enim Ioanne: aqua populi sunt: & neque aquam solam neque vinum solum, sicut nec granum frumenti solum sine aquæ admixtione & confectione in panem cuiquam licet offerre, ne videlicet talis F
oblatio caput à membris secernendum esse significet, & vel Christum sine nostræ redemptionis amore potuisse pati, vel nos sine illius passione saluari, ac patri offerre posse confidat. Neque enim illi audiendi sunt qui aquam sine vino in calice offerunt, contra quos etiam partem capituli de libro prædicti martyris Cypriani, in quo de sacramento calicis disputat ponamus. Soluitur quippe ibi quæstio in qua quæritur, vtrum calix dominicus aquā solam, aut eam in vino mixtam debeat habere? Post principium ergo epistolæ idem martyr iam soluere incipiens præpositam quæstionem, ita loquitur: Admonitos autem nos scias inquit, vt in calice offerenda dominica traditio seruetur, neque enim aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix qui in commemorationem eius offertur mixtus vino offeratur. Nam dicit Christus: *Ego sum vitis vera.* Sanguis Christi non aqua est vtique, sed vinum: nec potest videri sanguis eius quo redempti & iustificati sumus esse in calice, quando vinum desit calici quo Christi sanguis ostenditur, qui scripturarum omnium sacramento ac testimonio prædicetur. Inuenimus enim in Genesi circa sacramentum Noe hoc G
idem præcurrisse, & figuram dominicæ passionis illic extitisse, quod vinum bibit, quod inebriatus est, quod in domo sua nudatus est, quod fuit recumbens nudus, & patentibus femoribus, quod nuditas illa patris à medio filio nudata est, à maiore vero & minore contecta, & cætera quæ non est necesse nunc exequi, quia cum satis sit hoc solum complecti, quod Noe typum futuræ veritatis ostendamus, non aquam sed vinum biberit, & sic imaginem dominicæ passionis expresserit. Item in sacerdote Melchisedech, hoc dominici sacramenti præfiguratum videmus mysterium, secundum quod scriptura diuina testatur, & dicit. *Et Melchisedech rex Salem protulit panem &* Gen. 14.
vinum: fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus sanctus ex persona patris ad filium dicens. *Ante luciferum genui te, tu es sacerdos in æternum* Psal. 109
secundum ordinem Melchisedech. Dicunt aliqui, nisi aliquo intercedente peccato, Eucharistiam quotidie accipiendam. H
Hunc enim panem quotidie dari nobis (iubente Domino) postulamus dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* quod quidem benedicunt, si hoc cum Matth. 6.
religione & deuotione & humilitate suscipiunt, ne fidēdo de iustitia, superba præsumptione id faciant. Cæterum si talia sunt crimina, quæ quasi mortuum ab altari remoueant, prius agenda pœnitentia est, ac sic inde salutiferum medicamentum suscipere. Qui enim manducauerit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Hoc enim indigne accipere est, si eo tempore quis accipiat, quo debet à mensa dominici corporis separari, ne dum forte diu absentatus quis prohibetur, à Christi corpore separetur. Manifestum est enim eos viuere, qui corpus eius attingunt, vnde timendum est, ne dum diu quis separatur à Christi corpore, alienus remaneat à salute ipso dicente. *Nisi comederitis carnem filij hominis, & bi[...]* Ioh 6.

eius sanguinem, non habebitis partem mecum, & vitam in vobis. Qui enim iam peccare quieuit, communicare non desinat.

CAPVT XXXII.

De officio Missæ.

DE sacramentis (vt reor) satis superius diximus: nunc de officio missæ, quo ipsa sacramenta corporis & sanguinis Christi conficiuntur, quia ordo postulat, breuiter dicamus. Officiorum autem plurima licet sint genera, tamen illud præcipue quod in sacris diuinisque rebus habetur, officij nomine censebitur esse nuncupandum, quia quanto ipsa res maioris dignitatis est, tanto paratiorem & promptiorem istius ministerij quærit effectum. Officium autem dicitur ab efficiendo, quasi efficium, propter decorem sermonis vna mutata litera. Sacrificium dictum, quasi sacrum factum, quod prece mystica consecratur in memoriam dominicæ passionis, vnde hoc eo iubente, in corpus Christi & sanguinem Domini quod dum fit ex fructibus terræ sanctificatur, & fit sacramentum, operante inuisibiliter spiritu Dei: cuius panis & calicis sacramentum Græci, Eucharistiam, εὐχαριστίαν dicunt, quod Latine bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore & sanguine Christi? Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit, vt aliquid significare intelligatur, quod sancte accipiendum est.

Missa est tempore sacrificij, quando catechumeni foras mittuntur, clamante Leuita. Si quis catechuminus remansit, exeat foras: & inde missa quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur. Missa autem est legatio inter Deum & homines, cuius legationis officio fungitur sacerdos, cum populi vota per preces & supplicationes ad Deum offert. Et bene hoc tempore sacrificij fit, quando illius passionis memoria celebratur: Christi videlicet, mediatoris Dei & hominum, qui semetipsum obtulit patri pro nobis. Hunc autem morem sacrificij primum Dominus noster Iesus Christus & magister instituit, quando commendauit Apostolis suis corpus & sanguinem suum, priusquam traderetur, sicut legitur in euangelio: *Accepit* inquit *panem Iesus & benedicens fregit & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis: & biberunt omnes ex illo.* & reliqua. (Matt. 26.) Cum benedictione enim & gratiarum actione primum Dominus corporis & sanguinis sui sacramenta dedicauit, & apostolis tradidit, quod exinde apostoli imitati fecere & successores suos facere docuerunt, quod & nunc per totum orbem terrarum generaliter tota custodit ecclesia. Sed enim in initio mos iste cantandi non erat, qui nunc in ecclesia ante sacrificium celebratur, sed tamen epistolæ Pauli recitabantur, & sanctum euangelium. Cœlestinus autem XLV. episcopus post Petrum Romanæ ecclesiæ traditur primus statuisse, vt psalmi CL. ante sacrificium psallerentur antiphonatim ex omnibus. Fertur etiam & longe ante Thelesphorus Papa constituisse, id est IX. post Petrum, vt ante sacrificium hymnus gloria in excelsis Deo diceretur, quod tamen modo non semper agitur, sed in diebus tantum dominicis, & in sanctorum festiuitatibus, quod Symmachus Papa LVI. post Petrum ita fieri mandauit. Verum quia de sacrificij celebratione sermonem facere incipiebamus, secundum quam conuenientiam omnis ordo ille institutus sit, persequamur.

CAPVT XXXIII.

De Ordine Missæ.

PRimum autem in celebratione Missæ ad introitum sacerdotis ad altare antiphona cantatur à clero, vt audiatur sonitus quando ingreditur sanctuarium in conspectu Domini, sicut in veteri testamento per tintinnabulorum sonitum ingressus innotuit Pontificis. Bene ergo in ingressu sacerdotis concrepantibus choris auditur modulatio diuinæ laudis, vt dominicæ celebrationis mysteria ministrorum pie præcedat consonantia, & corporis & sanguinis Christi venerabile sacramentum antecedat dignæ laudis sacrificium. Namque chorus est multitudo in sacris collecta: & dictus chorus, quod in initio in modum coronæ circum aras starent, & ita psallerent. Vnde & Ecclesiasticus liber scribit stantem sacerdotem ante aram, & in circuitu coronam fratrum. Alij chorum dixerunt à concordia, quæ in charitate consistat, siue de concinentia soni. Cum autem vnus canit, Græce monodia μονῳδία Latine sicinium dicitur: & cum duo canunt bicinium dicitur, cum autem multi, chorus vocatur. Antiphona ἀντίφωνη Græce, vox reciproca, ex duobus scilicet Choris alternatim psallentibus dicitur. Post introitum autem sacerdotis ad altare letaniæ aguntur à clero, vt generalis oratio præueniat specialem sacerdotis: subsequitur autem oratio sacerdotis, & pacifica primum salutatione populum salutans pacis responsum ab illo accipiat, vt vera concordia & charitatis pura deuotio facilius postulata impetret ab eo qui corda aspicit & interna diiudicat. Tunc lector legit lectionem canonicam vt animus auditorum per hanc instructus ad cætera intensior adsurgat. Post hanc ergo cantor dicit responsorium: ad compunctionem prouocet, & lenos animos audientium faciat. Responsorium ergo inde dicitur, quod alio desinente, id alter respondeat. Inter responsoria & antiphonas hoc differt: quod in responsorijs vnus dicat versum, in antiphonis autem alternent versibus chori. Antiphonas Græci, responsoria vero Itali tradūtur primum inuenisse. Responsorium enim istud quidam gradale vocant, eo quod iuxta gradus pulpiti cantatur. Post responsorium cantatur alleluia, scilicet vt ad cœlestia mente populum subleuet, & ad diuinam contemplationem erigat. Alleluia enim duorum verborum interpretatio est, hoc est laus Dei, & est Hebræum. Ia enim de decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur, vnum est. Similiter & Amen Hebræum est, quod ad omnem sacerdotis orationem seu benedictionem respondet populus fidelium. Interpretari quoque potest amen in Latinum, vere siue fideliter, seu fiat: Hieronymo teste in Psalterio vbi ait: fiat fiat, in Hebraico legitur, amen amen. Hæc duo tamen verba, id est, amen & alleluia: nec Græcis nec Latinis nec Barbaris licet in suam linguam omnino transferre, vel alia lingua annuntiare. Nam quamuis interpretari possunt, propter sanctiorem tamen autoritatem, seruata est ab apostolis in his propriæ linguæ antiquitas. Tantum enim sacra sunt nomina, vt etiam Ioannes in Apocalypsi referat spiritu reuelante se vidisse & audisse vocem cœlestis exercitus, tanquam vocem aquarum multarum, & tonitruum validorum dicentium: amen, & alleluia: ac per hoc sic oportet in terris vtraque dici, sicut in cœlo resonant. (Apoc. 19.) Deinde à diacono cum summa autoritate in auribus populi recitatur euangelium, vt ipsius ibidem audiatur doctrina, ad quem feruet intentio tota, ipsiusque virtus intelligatur per euangelium, cuius tunc corporis sacrosanctum celebratur mysterium. Per hoc oblationes offeruntur à populo, & offertorium cantatur à clero, quod ex ipsa causa vocabulum sumpsit, quasi offerentium canticum: immittiturque super altare corporalis pallium, quod significat linteum quo corpus Saluatoris inuoluebatur, quod ex lino puro textum esse debet, & non ex serico vel purpura, neque ex panno tincto, sicut à Syluestro papa institutum inuenimus, quia in euangelio legitur: Sindone munda inuolutum esse à Ioseph corpus Saluatoris, & sudarium capitis eius post resurrectionem Domini non cum linteaminibus positum, sed seorsum inuolutum inuenitur. Ponuntur quoque tunc vasa sancta (quod calix est & patena) super altare, quæ quodammodo dominici sepulchri typum habent, quia sicut tunc corpus Christi aromatibus vnctum in sepulchro nouo per piorum officium condebatur, ita modo in ecclesia mysticum corpus illius cum vnguentis sacræ orationis conditum in sacris vasis ad percipiendum fidelibus per

ſacerdotum officium adminiſtratur. Poſtea cantatur miſſa à ſacerdote, qui poſtquam loquitur ad populum de eleuatione cordis ad Deum, exhortaturque eos ad gratias agendas Domino, laudibus eos impler, rogatque vt ipſe omnipotens Deus pater, cui deſeruiunt cœleſtes poteſtates, ſua gratia illorum vocibus iubeat humanas aſſociare confeſſiones quam deprecationem mox ſubſequitur laus ex angelicis & humanis cantibus confecta. Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth, pleni ſunt cœli & terra gloria tua &c. Dehinc iam conſecratio corporis & ſanguinis Domini fit, & deprecatio valida ad Deum, inter quæ & dominica oratio decantatur. Poſtquam enim ad communicandum, & ad percipiendum corpus peruentum fuerit, pacis oſculum ſibi inuicē tradunt, cantantes: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis: vt pacifici ſacramentum percipientes, in filiorum Dei numero (remiſſis delictis omnibus) mereantur copulari. Poſt communionem ergo, & poſt eiuſdem nominis canticum, data benedictione à ſacerdote ad plebem, diaconus prædicat miſſæ officium eſſe peractum, dans licentiam abeundi. Iſtum ergo ordinem ab apoſtolis, & ab apoſtolicis viris traditum Romana tenet eccleſia, & per totum pene occidentem, omnes eccleſiæ eandem traditionem ſeruant. Sed quia de ordinibus ſacris, & de iij. ſacramentis, necnon & de officio miſſæ ſermonem explicauimus, huic libro terminum hic ponendum eſſe cenſemus: in ſequentibus, de cæteris officijs atque obſeruationibus (ſi Dominus annuerit) plura relaturi. Additio.

De Miſſa.

ANaſtaſius natione Romanus, ex patre Maximo (vt legitur in geſtis epiſcopalibus) hic conſtituit, vt quotieſcunque ſancta recitarentur euangelia, ſacerdotes & reliquum vulgus non ſederent, ſed ſtarent. Deinde orationem pro ſuis proprijs delictis & plebis remiſſione, vt dignus ſit accedere ad altare, & ad tactum oblatarum, ne fiat illi quod factum eſt Bethſamitis qui temere arcam Domini tangebant. Suſceptis oblationibus reuertitur ſacerdos ad altare, & lauat manus ſuas, & exterget ab actu communium manuum atque terreno pane, ſacerdos facit de oblata duas cruces iuxta calicem, vt doceat Chriſtū depoſitum eſſe de cruce, pro duobus populis & crucifixum. (1.Reg.5.) Eleuatio ſacerdotis & diaconi corporis & ſanguinis Chriſti, eleuationem eius ad crucem innuat pro totius mundi ſalute. Pannus extenſus ſuper altare, corpus Domini monſtrat extenſum in cruce, & ſuper eo corpus & ſanguis Domini conſecratum, quod nos manducamus, aqua & vinum in calice monſtrant ſacramenta, quæ de latere Domini in cruce fluxerunt quibus nos potati ſumus. Immiſſio panis in vinum, varie apud quoſdam habetur, & agitur. Itali quoq; primo mittunt de ſancto pane in calicem, & poſtea dicunt: pax Domini, aliqui vero reſeruant immiſſionem vſque dum pax celebrata ſit & fractio panis. Romani vero cum dicunt: pax Domini ſit ſemper vobiſcum, mittunt corpus Domini in calicem oblatæ particulæ. Ipſum corpus nobis ante oculos oſtendit, quod pro nobis eſt crucifixum. Ideo vero tangit quatuor latera calicis: quia per illud humanum genus per quatuor climata mundi ad vnitatem vnius corporis coniungit, & ad pacem eccleſiæ catholicæ & apoſtolicæ producit, talibus namq; verbis mittit in calicem corpus Domini: Fiat commixtio corporis & ſanguinis Domini accipientibus nobis ad ſalutem mentis & corporis in vitam æternam, tunc populus facit pacem: vt oſtendatur quod nos membra eius ſumus, qui pro nobis crucifixus eſt & reſurrexit, facta pace ſacerdos ſumpat oblatam ex latere dextro vna particula relicta ſuper altari, & reliquas oblationes ponat in patenam tenente eam diacono. Per particulam oblatæ immiſſæ in calicem oſtendit Chriſti corpus, quod iam reſurrexit à mortuis. Per comeſtam à ſacerdote & populo, quod poſt reſurrectionem adhuc cū diſcipulis ambulans in terra, & ſeipſum victum præbens. Per relictam in altari, inſinuat eum iacere in ſepulchro, & à diſcipulis in paſſione derelictum. Quæritur in quo loco inchoatur officium miſſæ, & ſi forte ad totum officium non occurrerit, vbi præſentare debeat in initio miſſæ? Nobis videtur miſſam vocari ab eo loco, vbi incipit ſacerdos ſacrificium Deo offerre vſque ad vltimam benedictionem qua clamante Leuita, dicit: Ite miſſa eſt.

PRIMI LIBRI FINIS.

HRABANI MAVRI MOGVNTINENSIS ARCHIEPISCOPI, de Inſtitutione clericorum,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De officijs & orationibus Canonicarum horarum.

OFficium ergo Miſſæ, quod in ſuperiori libro contexuimus, maxima ex parte ad ſolum pertinet ſacerdotem, cui ſacrificandi data licentia eſt, & veneranda myſteria conſecrare. Sed quia iſtud pro ſua reuerentia & dignitate primo loco poſitum eſt, de cæteris officijs diurnalium ſiue nocturnalium horarum, quibus certis ſpatiorum terminis, preces & orationes generaliter ſine differentia vniuerſæ Domino offerre decet eccleſiæ, conſequenter exponamus. Oratio enim petitio dicitur, nam orare eſt petere, ſicut exorare impetrare. Conſtat autem oratio loco & tempore. Loco, quoniam vbiq; & in publico ſiue in plateis more Phariſæorum orare à Chriſto prohibemur, ſed vbi opportunitas dederit, aut neceſſitas importauerit. Neque enim huic illud Apoſtoli contrarium eſt, quod dicit ad Timotheum ſcribens. (1.Tim. 2.) *Volo* inquit *viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione.* & reliqua. Et neque illud Pſalmiſtæ quod dicit: *In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Dominum.* (Pſal. 102.) Sed hæc ad interna reſpectant, quibus ſemper Deum orare & benedicere oportet. Ille ergo in omni loco orat Deum, qui per charitatis officia & bona opera vbique manus cordis mundas eleuare ad Deum ſatagit. Tempore autem, quoniam canonicas horas ad orandum à patribus conſtitutas inceſſanter ſeruat eccleſia, quas quaſi pro debito exorandi officio ſtatutas nullo modo negligere fas eſt, vt ſunt: Prima, tertia, ſexta, nona, veſpera, & cæteræ quæ ſimiliter obſeruantur. Nec enim illud hanc conſtitutionem confundit, quod Pſalmiſta dicit: *Benedicā Dominum in omni tempore ſemper laus eius in ore meo.* (Pſal. 33.) & Apoſtolus: *Sine intermiſſione* inquit *orate.* (1.Theſſ. 5.) & reliqua. Benedicere enim Deum eſt in omni tempore, ſemper illum digna conuerſatione laudare: & ſine intermiſſione orare, eſt omnia in gloriam Dei agere, ſicut dicit idem Apoſtolus. (1.Cor. 10.) *Siue enim manducatis ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Supradictæ enim horæ ideo ſpecialiter ad orandum diſcretæ ſunt, vt ſi forte aliquo opere fuerimus detenti, ipſum nos ad officium tempus admoneat. Quæ tempora in ſcripturis diuinis præſtituta inueniuntur. Nam in veteri teſtamento præceptum eſt quotidie, mane & veſpere Domino adolere incenſum. Et Dauid dicit: *Veſpere, mane, & meridie, narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Et item: *Septies in die laudem dixi tibi.* (Pſal. 110.) Sed & ſanctus Daniel propheta tertia, & ſexta, & nona hora diei ad deprecandum Dominum aſcendit in ſolarium ſuum, expanſis manibus ad cœlum Deum deprecatur pro ſe & pro populo Iſrael.

CAPVT II.

De Matutina celebratione.

PRimum ergo de matutinorum antiquitate Dauid propheta teſtatus eſt dicens: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* & item: *In matutinis meditabor in te.* & item: P

A *nerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Diluculo autem proinde oratur, vt resurrectio Christi celebretur. In vigilia ergo matutina Dominus Israel ducens per mare rubrum, Pharaonem & Ægyptios in ipso dimersit: & matutina hora Christus à morte resurgens, populum suum saluans, diabolum & satellites eius æterna captiuitate damnauit. Matutina enim luce radiante, Dominus & Saluator noster ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Christo occiderat peccatoribus. Siquidem & eodem tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cum iusti & omnes ab hac temporali morte, quasi à sopore somni resurgentes euigilabunt.

CAPVT III.

De officio primæ horæ.

B PRimæ autem horæ celebratio proinde fit, quia in ortu diei quando sol ab occidente primum apparet, oportet vt solem iustitiæ oriri postulemus: vt in illius lumine ambulantes peccatorum tenebras & laqueos mortis euadamus. Iuxta illud, quod ipsa veritas

Ioan. 12. nos admonet, dicens: *Ambulate dum lucem habetis, ne forte*

Ioan. 10. *tenebræ vos comprehendant.* Et item: *Qui ambulat in die non offendit.*

CAPVT IV.

De tertiæ horæ celebratione.

TErtiæ horæ officium ideo fit, quia tertia hora Christi passio cœpit, cum per Iudæorum linguas iam tunc Dominus crucifixus est, & post resurrectionem eius in die Pentecostes, tertia hora Spiritus sanctus super apostolos descendit. Suo vtrique loco & numero ad probationem venerabilis trinitatis, spiritus paracletus descendit ad terras, impleturus gratiam quam Christus promisit.

C

CAPVT V.

De officio sextæ horæ.

SExta autem hora Christus in aram crucis ascendit, æterno patri seipsum offerens, vt nos à potestate inimici & à perpetua morte liberaret: atque ideo conuenit, vt ea nos hora orantes & deprecantes in laudibus eius inueniat, qua ipse nos per suam passionem ad vitam æternam restaurauit.

CAPVT VI.

De Officio nonæ horæ.

NOna vtique hora inde consecratur, quia in ea Dominus pro inimicis postulans in manus patris spiritum commendauit, qua videlicet fideles quosque oportet vt se Deo commendent cum deuota oratione, qua

D caput suum cognoscunt propriam animam patri suo commendasse, vt in eius corpus coadunati cum ipso regnum possint intrare perpetuum. Hocque consideratione dignum est, quod per cuncta hæc temporum spatia ternarius numerus satis venerabilis emicat, nos admonens vt post trium horarum curricula vnumquodque horum officiorum peragentes, sanctam trinitatem sacris laudibus celebremus. Horum quoque officiorum statuta obseruasse ipsi apostoli leguntur, sicut in Actibus apostolorum legitur, quod Petrus qua die visionem communica-

Act. 10. tionis in illo vasculo expertus est, sexta hora orandi gratia ascenderit. Et item, *Petrus inquit & Ioannes ascen-*

Act. 3. *debant in templum ad horam orationis nonam.*

CAPVT VII.

De Vespertina celebratione.

E VEspertinum officium in diurnæ lucis occasu est, cuius ex veteri testamento solennis est celebratio. Denique hoc tempore veterum sacrificia offerri adolerique altario aromata & thura (sicut supra diximus) mos erat, cuius rei testis est hymnidicus ille, regio ac sacerdotali functus officio, dicens: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. In nouo quoque testamento eo tempore Dominus & Saluator noster cœnantibus apostolis mysterium sui corporis & sanguinis in initio tradidit, vt tempus ipsum sacrificij vesperum ostenderet seculi. Proinde in honorem ac memoriam tantorum sacramentorum in his temporibus adesse nos decet Dei conspectibus, & personare in eius cultibus orationum nostrarum illi sacrificium offerentes, atque in eius laudibus pariter exultantes. Vesperum autem nominatur à sydere, quod vesper vocatur, & decidente sole F

exoritur, de quo Propheta dicit. *Et vesperum super filios* Psal. 6.

hominum producere facit.

CAPVT VIII.

De Completorio.

DE completis autem celebrandis etiam in patrum inuenimus exemplis, Dauid propheta dicente: *Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, &* Iob 8.

palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Quis non stupeat tantam in amore Dei deuotionem animi, ni somnum sibi, sine quo vtique corpora humana deficiunt penitus interdixerit, donec locum ac templum Domino fabricandum, in pectore suo rex & propheta reperiret? Quæ res nos debet fortiter admonere, vt si ipsi locus Domini esse volumus, & tabernaculum eius, ac templum cupimus haberi, in quantum possumus exempla G

sanctorum imitemur, ne de nobis dicatur quod legitur: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt. & reliqua. Circa vndecimam autem horam, id est in fine diei, quando huius officij tempus est, credimus Saluatoris corpus positum esse in sepulchro, ac perinde istius quoque cursus solennis debet esse celebratio: atque magnopere postulare debemus, vt ipse qui hac hora quietem sepulchri intrauit nobis æternam requiem in cœlis concedere dignetur.

CAPVT IX.

De Nocturna vigiliarum celebratione.

DE vigiliarum quoque nocturnalium celebratione antiqua est institutio, vigiliarum deuotio familiare bonum est omnibus sanctis. Esaias quoque exclamat ad Deum dicens: De nocte vigilat spiritus meus ad te Domine: quia lux præcepta tua sunt super terram. Item Da- H

uid & regio & prophetico sanctificatus vnguento ita canit. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iusti-* Psal. 118.

tiæ tuæ. Hanc namq; tempore vastator angelus transiens, primogenita Ægyptiorum percussit. Vnde & nos euigilare oportet, ne periculo Ægyptiorum admisceamur. Eisdem etiam horis venturum se esse in euangelio Saluator astruxit, vnde & ad vigilandum auditores suos excitans dixit: *Beati serui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigi-* Luc. 12.

lantes. Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus veniat, sero, an media nocte, an gallicantu, an mane, ne cum venerit inueniat vos dormientes. Et ne solis apostolis illud præceptum esse crederetur, mox subiunxit: *Quod autem, inquit, vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Siquidem nec verbis solum docuit vigilias sed etiam confirmauit exemplo, namque testatur euangelium, *quia erat Iesus pernoctans in oratione Dei.* Paulus

A Act. 19. quoque & Silas in custodia publica circa medium noctis orantes, hymnum (audientibus cunctis) vincti dixisse memorantur, vbi terræ motu repente facto, & concussis carceris fundamentis, & ianuæ sponte apertæ, & omnium vincula sunt soluta. Vnde oportet his horis psallendi orandique frequentiam nos in sanctis habere officijs, finemque nostrum, vel si aduenerit sub tali actu expectate securos. Est autem quoddam genus hæreticorum, superfluas existimantium sacras vigilias, & spiritali opere infructuosas, dicentes: iura temerari diuina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem. Qui hæretici Græco sermone nystages νυσταγές, hoc est somnicolosi vocantur. Ille autem est catholicus ordo diuinarum celebrationum, qui ab vniuersa ecclesia Christi incommutabiliter seruatur.

CAPVT X.

De cæteris legitimis orationibus.

B SVnt & aliæ orationes legitimæ, quæ sine vlla admonitione debentur, vt est illa quam dicimus ante inceptionem alicuius operis, Domini adiutorium postulantes. Nec enim decet Christianum aliquod opus sua præsumptione incipere, antequam studeat Dominum in auxilium aduocare, quia ipse dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. Humiliter ergo aduocatus dignatur nos adiuuare, sicut de ipso scriptum est: *Inuocauit me, inquit, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum*, & reliqua. Psal. 90. Sed & cibum non prius sumere licet quã interposita oratione, priora enim habenda sunt spiritus refrigeria quam carnis, quia priora sunt cœlestia quam terrena. Similiter autem & post cibum orare conuenit, vt Domino pro suis donis gratiæ referantur, vt illud in hoc compleatur Psalmistæ quod dicit: *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Psal. 21.

CAPVT XI.

De Peculiaribus orationibus.

C PEculiares autem orationes pure frequenter facere, & bonum & laudabile est, quia multorum patrum exempla id nos facere suadent, ipse Dominus etiam suo magisterio hoc docere nos dignatus est dicens: *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum, & clauso ostio ora patrem tuum, & pater tuus qui videt te in abscondito reddet tibi.* Matth. 6. Sed & hoc non in clamosa voce faciendum est, sed cum intentione cordis, & compunctione lachrymarum, quia hoc modo nos exaudiri à Domino credimus dicente Psalmista: *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* & reliqua. Psal. 6. Et item: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Psal. 5. Nam assidue & instanter orare ipsa veritas nos docuit cum dixit: *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Matth. 7. Et vt exemplo aliquo eandem rem magis suaderet parabolam de homine in medium, qui amicum suum in conclaui positum de tribus panibus postulauit, & panis & lapis, piscis & serpentis, oui & scorpionis comparationem faciens, nouissime ita narrationem conclusit: *Si ergo vos, inquit, cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* Ibidem.

D

CAPVT XII.

De Quadripartita specie orationum.

ORationum ergo speciem Apostolus quadripartita ratione distinxit, dicens: *Deprecor itaque primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones*, quæ non inaniter ab Apostolo ita fuisse diuisa minime dubitandum est. 1. Tim. 8. Non enim credendum est aliquid transitorie ac sine ratione Spiritum sanctum per Apostolum protulisse, ac ideo primitus indagandum est quid obsecratione, quid oratione, quid postulatione, quid gratiarum actione signetur: deinde perquirendum vtrum hæ quatuor species ab vnoquoque orante sint pariter assumendæ, an alius quidem obsecrationes, alius orationes, alius vero postulationes, aliusque gratiarum actiones Deo debeat exhibere. E Sed mensuram scilicet ætatis suæ, in qua vnaquæq; mens per intentionem proficit, & industriam vnumquemque oportet intendere. Obsecrationes itaque sunt, implorationes seu petitiones pro peccatis, quibus vel præsentibus vel præteritis admissis suis vnusquisque compunctus veniam deprecatur. Orationes sunt, quibus aliquid offerimus seu vouemus Deo, verbi gratia: Oramus cum renuntiantes huic mundo & actibus, atque conuersationi mundanæ spondemus nos tanta intentione cordis Domino seruituros. Oramus, cum promittimus nos purissimam corporis castitatem, seu immobilem patientiam exhibituros esse perpetuo, vel cum de corde nostro radices iræ, siue tristitiæ mortem operãtis vouemus nos funditus eruere. Tertio loco ponuntur postulationes, quas pro alijs quoque dum sumus in feruore spiritus constituti solemus emittere, vel caris scilicet nostris, vel pro totius mundi pace poscentes, vt ipsius Apostoli verbis eloquar, cum pro omnibus hominibus, pro regibus, & pro his qui in sublimitate sunt supplicamus. F Quarto deinde loco, gratiarum actiones ponuntur, quas mens vel cum præterita Dei recolit beneficia, vel cum præsentia complectitur, seu cum in futurum quæ & quanta præparauerit Deus his qui diligunt eum prospicit, per ineffabiles excessus Domino refert. Qui intentione nonnunquam preces vberiores emitti solent, dum illa quæ posita sunt in futuro præmia, purissimis oculis intuendo, gratias cum immenso gaudio spiritus noster instigatur infundere.

CAPVT XIII.

Quomodo ex his speciebus compunctio nascatur.

EX his quoque quatuor speciebus solent occasiones supplicationum pinguium generari. G Nam & de obsecrationis specie quæ de compunctione nascitur peccatorum, & de orationis statu, quæ de fiducia oblationum, & consumatione futurorum pro conscientiæ profluit puritate, & de postulatione, quę de charitatis ardore procedit, & de gratiarum actione, quæ beneficiorum ac magnitudinis ac pietatis eius consideratione generatur, feruentissimas sæpissime vouimus preces ignotasq; prodire. Ita & constat omnes has quas prædiximus species omnibus hominibus vtiles ac necessarias inueniri, vt in vno eodemque viro, nunc quidem obsecrationum, nunc autem orationum, nunc postulationum, & nunc gratiarum actionum puros ac feruentissimos supplicationis variatos emittat affectus. Prima ad illos peculiarius videtur pertinere, qui adhuc vitiorum suorum aculeis ac memoria remordentur. Secunda ad illos qui in profectu iam spiritali appetitu virtutum quadam mentis sublimitate consistunt. Tertia ad eos qui perfectionem votorũ suorum operibus adimplentes, intercedere pro alijs quoque consideratione fragilitatis eorum charitatis studio prouocantur. H Quarta ad illos qui iam pœnali conscientiæ spina de cordibus pulsa, singulares iam munificentias Domini ac miserationes, quas vel in præterito tribuit, vel in præsenti largitur, vel præparat in futuro mente purissima retractantes ad illam ignitam, & quæ ore hominum nec comprehendi nec exprimi potest orationem feruentissimo corde raptantur. Nonnunquam tamen mens quę in illum verum puritatis proficit affectum, atque in eo cœperit radicari, solet hæc omnia simul pariterq; concipiens, atq; in modum cuiusdam incomprehensibilis, ac rapacissimæ flammæ cuncta peruolitans, ineffabiles ad Deum tanta scilicet in illius horæ momento concipiens, & effabiliter in supplicatione profundens, quanta non dicam ore percurrere, sed ne ipsa quidem mente valeat alio tempore recordari.

A

CAPVT XIV.

De Exomologesi, id est, confessione.

EXomologesis ἐξομολόγησις, Græco vocabulo dicitur, quod Latine confessio interpretatur. Cuius nominis duplex significatio est: aut enim in laude intelligitur confessio, sicut est: *Confiteor tibi Domine pater cæli & terræ*, aut denudatione peccatorum, cum quisque Deo confitetur sua peccata ab eo indulgenda, cuius indeficiens est misericordia. Ex hoc igitur Græco vocabulo exprimitur & frequentatur Exomologesis, quod delictum nostrum Domino confitemur, non quidem vt ignaro, cuius cognitioni nihil occultum est. Vnde per sapientiam
Prou. 28. dicitur: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Confessio est: rei scilicet eius quæ ignoratur præfessa cognitio. Vtile enim ac iucundum quisquam esse existimauerat rapere, adulterari, furari, si tibi hæc æternæ damnationis obnoxia cognouit, cognitis his, confitetur errorem.
B Confessio autem erroris, professio est desinendi. Desinendum ergo est à peccatis dum confessio est, confessio autem antecedit, remissio sequitur. Cæterum autem extra viam est qui peccatum cognoscit, nec cognitũ confitetur, de quo instruxit nos Psalmista dicens: *Reuela*
Psal. 36. *Domino viam tuam*, &c. Nam idem & se fecisse testatur dicens: *Dixi pronuntiabo aduersum me iniustitias meas Domino*,
Iacob. 5. & cætera. Apostolus vero Iacobus idem nos facere exhortatur, dicens: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem*, &c. Itaque exomologesis, prosterni & humile faciendi hominibus disciplina est, habitu vili atque victu gracili, sacco & cinere corpus incuruare, ac sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quę peccauit tristi tractatione mutare.

CAPVT XV.

De Litaniis.

C LItaniæ λιτανεῖαι autem Græco nomine appellantur quæ Latine dicuntur rogationes. Inter litanias vero & exomologesin hoc differt, quod exomologesis ex sola confessione peccatorum agitur, litaniæ vero quæ indicuntur propter rogandum Dominum, & impetrandam aliquam eius misericordiam. Supplicationis nomen quodammodo nunc ex gentilitate retinetur. Nam feriæ, aut legitimæ erant apud eos, aut indictæ. Indictæ autem quia paupertas antiqua Romanorum ex collatione sacrificabat, aut certi de bonis damnatorum. Vnde supplicia dicuntur supplicationes, quæ fiebant de bonis ex passorum supplicio. Sacræ enim res, de rebus execrandorum fiebant.

CAPVT XVI.

De discretione orationis dominicæ.

APud euangelistam Matthæum septem petitiones dominica continere videtur oratio, quarum tribus æterna poscuntur, reliquis quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria. Nam
D quod dicimus: *Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*: quod non absurde quidem intellexerunt, in spiritu & corpore omnino sine fine retinenda sunt, quæ hic quidem inchoantur, & quantumcunque proficimus augentur in nobis: perfecte vero quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. Quod vero dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; & ne inferas nos in tentationem, sed libera nos a malo*: quis non videat ad præsentis vitæ indigentiam pertinere? In illa vtique vita æterna, vbi nos speramus semper futuros, & nominis Dei sanctificatio, & regnum eius & voluntas eius in
E nostro spiritu & corpore perfecte atque immortaliter permanebunt. Panis vero quotidianus ideo dictus, quia hic est necessarius quantus animæ carnique tribuendus est, siue spiritualiter, siue corporaliter, siue vtroque intelligatur modo. Hic est etiam quam poscimus remissio, vbi est omnis commissio peccatorum. Hic tentationes quæ nos ad peccandum vel alliciunt vel impellunt: hic denique malum vnde cupimus liberari, illic autem nihil horum est. Euangelista vero Lucas in oratione dominica petitiones non septem, sed quinq; complexus est, nec ab ipso vtique discrepauit, sed quomodo ista septem sunt intelligenda, ipse sua breuitate commonuit. Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu, Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodo repetitionem, magis eam prętermittendo fecit intelligi: deinde tres alias adiungit de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. At vero quod ille in vltimo posuit: *sed libera nos à malo*, iste non posuit, vt intelligeremus ad illud superius quod de tentatione dictum est pertinere. Ideo quippe
F ait, *sed libera*: non ait *& libera*, tanquam petitionem esse demonstrans, noli hoc, sed hoc: vt sciat vnusquisque in eo se liberari à malo, quo non infertur in tentationem. Hæc ergo oratio licet omnem videatur perfectionis plenitudinem continere, vtpote quæ ipsius Domini autoritate vel initiata sit vel statuta, prouehit tamen domesticos suos ad illum præcelsiorem quem superius commemorauimus statum, eosque ad illam igneam ac perpaucis cognitam vel expertam, imò (vt prius dixeram) ineffabilem orationem gradu eminentiore perducit, quem statum Dominus quoque noster illorum supplicationum formula, quas vel solus in monte secedens, vel tacite fudisse describitur, similiter figurauit, cum in orationis agonia constitutus etiam guttas sanguinis, inimitabili intentionis profudit exemplo. Qui enim vult orationem suam ad Dominum volare, faciat illi duas alas, ieiunium & eleemosynam, & ascendet celeriter, & exaudietur. Ieiunium ergo cum oratione omnem virtutem inimici superat, & cunctam proteruitatem eius expellit, quod ostendit in euangelio Dominus, cum apostoli conquesti
G fuerant, quod lunaticum curare non poterant, ita re-
Matt. 17. spondet eis. *Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.* Eleemosynas autem orationem confirmat adiuuare liber Actus apostolorum, cum narrat angelum
Actu. 10. Cornelio Centurioni ita dixisse: *Corneli, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in conspectum Domini.* Sed prius de ieiunio, postea de eleemosynis dicemus. Quis enim parsimoniam non laudet, qui recolit primi hominis lapsum per gulæ appetitum accidisse? quis ieiunium non prædicet, qui noui protoplastum parentem nostrum per esum victum, & Saluatorem per ieiunium diabolum vicisse?

CAPVT XVII.

De Ieiunio.

IEiunium res est sancta, opus cœleste, ianua regni, forma futuri. Quod qui sancte agit, Deo iungitur,
H alienatur mundo, spiritalis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur.

CAPVT XVIII.

Quid sit inter Ieiunium & Stationem.

IEiunium est & parsimonia victus, abstinentiaque ciborum cui nomen inditum est ex quadam parte viscerum tenui semper & vacua, quod vulgo ieiunum vocatur. Vnde ieiunio nomen deriuatum, quod inedia viscera vacua & exinanita existant. Ieiunium autem & statio dicitur: Statio autem de militari exemplo nomen accepit, pro eo quod nulla lætitia obueniens castris

A stationem militum rescindit. Nam lætitia liberius, tristitia sollicitius administrat disciplinam. Discernunt autem quidam inter ieiunium & stationem. Nam ieiunium indifferenter cuiuslibet diei est abstinentia, non per legem, sed secundum propriam voluntatem. Statio obseruatio statutorum dierum vel temporum: dierum, vt quartæ feriæ & sextæ feriæ. Ieiunium ex vetere lege præceptum, de qua statione in euangelio dixit ille: *Ieiuno bis in sabbato*, id est, in quarta & sexta sabbati: temporum autem quæ legalibus aut propheticis institutionibus terminatis temporibus statuta sunt, vt ieiunium quarti, ieiunium quinti, ieiunium septimi, & ieiunium decimi: vel sicut in euangelio dies illi in quibus ablatus est sponsus: vel sicut obseruatio quadragesimæ, quæ in vniuerso orbe institutione apostolica obseruatur circa confinium dominicæ passionis. *Luc. 18.*

CAPUT XIX.

De Ieiunio quarti, quinti, septimi, & decimi mensis.

B Ieiunium ergo quarti est in mense Iulio, septimadecima die mensis eiusdem, quando descendens Moyses de monte tabulas legis confregit, in eo etiam die Nabuchodonosor vrbis Ierusalem primum muros destruxit. Dies ieiunij quinti in mense Augusto est, quando pro speculatoribus ad terram sanctam missis, seditio in castris Hebræorum exorta est, & factum est vt per desertum quadraginta annos discurrerent laboriose, & in annis quadraginta in eremo omnes perirent. Siquidem & in eo mense à Nabuchodonosor, & multo post tempore à Cæsare Tito templum euersum est atque succensum, & in opprobrium gentis perditæ exaratum. Dies ieiunij septimi, in septimo mense est, qui appellatur Septembris, in quo occisus est Golias, & reliqui qui erant in Ierusalem interfecti sunt, iuxta quod loquitur *Hiere. 36.* Ieremias: Dies ieiunij decimi, est in mense decimo, qui apud nos vocatur December, quando cognouerunt cuncti Babylonij capti quinto mense templum fuisse destructum, & fecerunt planctum atque ieiunium. Hæc beatissimus Hieronymus in commentarijs Zachariæ C scripsit. Sed quia hæc ieiunia magis in veteri testamento quam in nouo celebrata sunt, ne penitus illa prætermisisse videremur (quia in propheta Zacharia commemorata sunt) breuiter adnotauimus, ad noui testamenti ieiunia exponenda transeuntes.

CAPUT XX.

De Quadragesimali ieiunio.

Primum enim ieiunium quadragesimæ est, quod à veteribus libris cœpit ex ieiunio Moysi & Heliæ, & ex euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans euangelium non dissentire à lege & prophetis. In persona quippe Moysi lex, in persona Heliæ prophetæ accipiuntur, inter quos in monte Christus gloriosus apparuit, vt euidentius emineret quod de illo dixit Apostolus: testimonium habens à lege & prophetis. D In qua ergo parte anni congruentius obseruatio quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua dominicæ passionis, quia in ea significatur hæc vita laboriosa? Cui etiam opus est continentia, vt ab ipsius mundi illecebris ieiunemus, viuentes in sola manna, id est in cœlestibus spiritualibusque præceptis. Numero autem quadragenario vita ista propterea figuratur: quia denarius est perfectio beatitudinis nostræ. Creatura autem septenario figuratur, quæ adhæret creatori, in quo declaratur vnitas trinitatis per vniuersum mundum temporaliter annuntiata. Et quia mundus quatuor ventis describitur, & à quatuor elementis erigitur, & à quatuor anni temporum vicibus variatur, decem quater ducta in quadraginta consummantur: quo numero ostenditur ab omni temporum delectatione abstinendum & ieiunandum esse, & caste continenterque viuendum, licet & aliud sacramenti mysterium exprimitur E in hoc, quod quadraginta diebus eadem ieiunia celebrantur. Lege enim Mosaica generaliter vniuerso populo est præceptum, decimas & primitias offerre Domino Deo. Itaque cum in hac sententia principia voluptatum, consummationesque operum nostrorum referre ad Dei gratiam admonemur, in supputatione tamen quadragesimæ summa ista legalium decimarum expletur. Totum enim anni tempus triginta sex dierum numero decimatur, subtractis enim quadragesima diebus dominicis, quibus ieiunia resoluuntur, his diebus quasi pro totius anni decimis ad ecclesiam concurrimus, actuumque nostrorum operationem Deo in hostiam iubilationis offerimus, cuius quidem quadragesimæ lege (sicut ait noster Cassianus) quiq; perfecti sunt non tenentur, nec exigui huius canonis subiectione contenti sunt. Quem profecto illis qui per totum anni spatium delicijs ac negocijs secularibus implicantur ecclesiarum principes statuerunt, vt vel hoc legali quodam modo dierum vitę suę, quos totos quasi fructus quosdam fuerant voraturi, vel ut decimas Domino dedicarent. F

CAPUT XXI.

De Ieiunio Pentecostes.

Secundum ieiunium est, quod iuxta canones post Pentecosten alia die inchoatur, secundum quod & Moyses ait: *In initio mensis ordinarie facietis vobis ebdomadas septem.* *Exod. 34.* Hoc ieiunium à plerisque ex autoritate euangelij post Domini ascensionem completur, testimonium illud dominicum historialiter accipientes vbi dicit: *Numquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* *Matt. 2.* Dicunt enim post resurrectionem Domini quadraginta illis diebus quibus cum discipulis postea legitur conuersatus, non oportere nec ieiunare nec lugere: quia in lætitia sumus. Postea vero quàm tempus illud expletur, quo Christus aduolans ad cœlos, præsentia corporali recessit, tunc indicendum esse ieiunium, vt per cordis humilitatem & abstinentiam carnis, mereamur è cœlis promissum suscipere Spiritum sanctum. G Sed sicut diximus bene & regulariter hoc post Pentecosten à patribus constitutum est inchoare, vt gaudia promissi Spiritus sancti exultantes in laudibus Dei aduentum ipsius expectemus, & tunc per eius gratiam innouati, ac cœlo spirituali inflammati, abstinentiæ & ieiunio operam demus. Cuius rei concordant verba Lucæ, quibus Dominum ascensurum in cœlos discipulis præcepisse narrauit: *Vos autem, inquit, sedete in ciuitate quo adusque induamini virtute ex alto.* *Luc. 24.* Tamen si qui monachorum vel clericorum ieiunare cupiunt non sunt prohibendi, quia & Antonius, & Paulus, & cæteri patres antiqui his diebus in eremo leguntur abstinuisse, nec soluisse abstinentiam, nisi tantum dominico die.

CAPUT XXII.

De Ieiunio ante natiuitatem Domini, quod fit in nono, & decimo mense.

H Tertium ieiunium est quod constat in mense Nouembrio, quod diuina autoritate institutum vel initiatum Hieremiæ prophetæ testimonio declaratur, dicente ad eum Domino: *Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba quæ locutus sum tibi aduersus Israel & Iudam, & aduersus omnem gentem, si forte reuertatur vnusquisque à via sua pessima: propitius ero iniquitati eorum.* *Hiere. 36.* *Vocauit ergo Hieremias Baruch filium Neriæ, & scripsit Baruch ex ore Hieremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum in volumine libri. Et præcepit Ieremias Baruch dicens: Ingredere & lege de volumine quod scripsisti ex ore meo, verba Domini audiente populo in domo Domini in die ieiunij legis, si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini, & reuertatur vnusquisq; à via sua mala, quoniam magnus furor & indignatio, quā locutus est Dominus aduersū* *Iere. 4.*

populu

A populum hunc. *Et fecit Baruch filius Neriæ iuxta omnia quæ præceperat Ieremias Propheta, legens ex volumine sermones in domo Domini. Et factum est in mense nono, prædicauerunt ieiunium in conspectu Domini omni populo in Ierusalem.* Hac ergo authoritate diuinæ scripturæ Ecclesia morem obtinuit, & vniuersale ieiunium hac obseruatione celebrat: quod tamen ieiunium incipiens in nono mense in decimum extenditur, id est, vsque ad diem natalis Domini pertingit. Congrua itaque dispositione à magistris Ecclesiæ hoc loco ieiunium quadragesimale fieri constitutum est, vt ante diem natalis Domini ieiunio & abstinentia nosmetipsos castigemus, quatenus venientem redemptorem digna conuersatione suscipere possimus, sicut ante tempus resurrectionis eius carnem nostram affligimus, vt resurrectionis gratiam, quæ per ipsum fit, consequi mereamur. Sed hæc de tribus quadragesimis dicta sufficiant.

B

CAPVT XXIII.

De cæteris legitimis ieiunijs.

PRæter hæc autem & legitima tempora ieiuniorum sunt, sicut est omnis sexta feria, in qua propter passionem Domini à fidelibus ieiunatur, & sabbati dies, qui à plerisque propter quod in eo Christus iacuit in sepulchro ieiunio consecratus habetur, sicut in decretis Innocentij Papæ constitutum inuenimus: scilicet ne Iudæis exultando præbeatur quod Christus sustulit moriendo. Nam vtique constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse, quod vtique non dubium est: & ieiunasse eos biduo memorato, quæ forma vtique per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio illius diei semper est celebranda. Quod si putant vno tamen sabbato ieiunandum, ergo & Dominicum, & sexta feria semel in Pascha erit vtique celebrandum.

C

CAPVT XXIIII.

De ieiunio quatuor sabbatorum, in quibus duodecim lectiones fiunt, & sacra ordinationes.

SVnt quoque & quatuor sabbata, in quatuor mensibus, singula per singulos, in quibus specialia ieiunia sunt constituta: & officia his diebus maiora orationum & lectionum in Ecclesia celebrantur, id est, in Marcio mense, primo sabbato, Quarti mensis, id est ieiunij. In septimi quoque mensis, id est, Septembris, tertio sabbato & in quarto sabbato decimi mensis, id est, Decembris. Quorum primum iuxta obseruationem quadragesimæ verno tempore celebratur, quando mensis nouorum apud Iudæos habebatur. Secundum autem in ieiunio post Pentecosten æstatis tempore, quando apud Iudæos dies primitiarum ex legis præcepto custodiebantur, id est, de frugibus primi panes Deo offerebantur: & otium legitimum ipsius diei celebratur. Tertium est in septimo mense, Autumni videlicet tempore, qui totus in lege varijs solennitatibus Deo dicatus erat, in quo dies expiationum

D erat, dicente Domino ad Moysen: *Decima die mensis huius septimi, dies expiationum erit ac celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisq; animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Omne opus non facietis in tempore diei huius, quia dies propitiationis est, vt propitietur vobis Dominus Deus vester,* & cætera. In quo & dies decem scenopegiæ fuerant, id est, tabernaculorum. Nam quintadecima die mensis huius veteres solennitates tabernaculorum celebrabant, septem diebus eandem solennitatem exigentes, quo quidem ieiunio vsos fuisse antiquos Esdræ liber meminit. *Postquam enim redierunt filij Israel in Ierusalem & fecerunt sibi tabernaculorum lætitiam magnam, debinc conuenerunt in ieiunio in sacco, & humum super eos, & steterunt, & confitebantur peccata sua & iniquitates patrum suorum, & consurrexerunt ad standum, & legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, & quater in nocte confitebantur, & adorabant Dominum Deum* Leu. 29.

E suum. Quartum vero est ieiunium sabbati in decimo mense ante diem natalis Domini, quando venturi Saluatoris salubris in sacris lectionibus prædicatur aduentus, vt fideles quique hac religione instructi, & medicamine sanctarum orationum simul cum sacro ieiunio confirmati natiuitatem redemptoris læti expectant. Ante hæc videlicet quatuor sabbata in eadem hebdomada, semper quarta & sexta feria legitima ieiunia fieri & canon orationum & lectionum in eisdem ferijs ad missarum solennia constitutus indicat, & exempla præcedentium patrum confirmant. Sacras autem ordinationes his diebus oportere fieri, decreta Gelasij Papæ testantur, in quibus ita scriptum continetur: *Ordinationes autem presbyterorum Diaconorumque nisi certis temporibus & diebus exercere non debeant,* id est, in quarti mensis ieiunio, septimi & decimi, *sed etiam quadragesimalis ac mediana initio quadragesima die sabbati ieiunio circa vesperam nouerint celebrandas.* Officia autem horum quatuor sabbatorum, vulgo duodecim lectiones vocantur, eo quod cum lectionibus quæ leguntur, & cum Psalmis qui leguntur, duodenarius numerus adimpletur, qui benedictiones possunt vocari, eo quod inter Canonicas scripturas annumerantur.

F

CAPVT XXV.

De priuatis ieiunijs.

PRæterea vnicuique licet vt liberi ieiuniorum modum habere, seu mediam extendere, seruata præ omnibus constitutione legitimorum ieiuniorum quas supra memorauimus, quæ generaliter sancta & Apostolica seruat Ecclesia. Necnon & illa omnimodo custodire oportet vnumquemque, quæ communiter omnibus facere siue pro tribulatione, siue pro gratiarum actione proprius Ecclesiæ mandat Episcopus: quia qui constituta atque demandata ieiunia seruare neglexerit peccat, qui autem expletis legitimis priuata super expenderit, propriam mercedem habebit. Nam leguntur aliqui sanctorum per biduanas, siue per triduanas, siue etiam per totam hebdomadam ieiunium extendere: plerique quod nec vinum neque siceram biberunt, nec aliquid manducauerint præter partem siccum & olera: alij quod ab omni carne se abstinuerint, alij quod in tantum se abstinuerint, quod nec pane in cibo vsi sunt, sed paucis caricis corpus suum sustentauerint. Et alia plurima sunt genera abstinentiæ, sed ante omnia cauere debet qui se abstinere vult ab aliquo cibo vel potu, ne mens eius occulta cogitatione polluatur, ita vt aliquam creaturam Dei damnet iudiciaria superstitione seductus, dicens hoc licere, illud autem non: hoc mundum, illud autem immundum esse cogitet. Quem huius mundi cogitatio pulsat, videat Apostolum dixisse. *Omnis creatura Dei munda est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur, & malum est homini qui per offendiculum manducat.* 1.Tim. 4. Rom. 14.

G

CAPVT XXVI.

De Origine biduana siue triduana.

H BIduanum autem morem ieiunij reor inde sumptum, quod Apostoli ieiunauerunt illo biduo quo Dominus passus ac sepultus est. Triduanis ergo ieiunare ab exemplo ductum est Niniuitarum, qui damnatis pristinis vitijs totos se tribus diebus ieiunio ac pœnitentiæ contulerunt. Sed illius solummodo ieiunium Deo acceptabile est, qui sic ieiunat à cibis, vt abstineat à peccatis, cæterum qui ventre tantum ieiunat, reprobatum erit eius ieiuniũ coram Deo, qui dixit per Prophetam. *Ecce in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sic vsq; ad hanc diẽ, vt audiatur in excelsis clamor vester. Nunquid tale est ieiuniũ quod elegi, per diẽ affligere hominẽ animã suam.* Et deinde: *Nõne hoc est magis ieiuniũ quod elegi. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimẽtes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus disrũpe. Frãge esurienti panem tuũ, & egenos vagosq; induc in domum tuam. Cum videris* Esa. 58. Ibid.

A stationem militum rescindit. Nam lætitia liberius, tristitia sollicitius administrat disciplinam. Discernunt autem quidam inter ieiunium & stationem. Nam ieiunium indifferenter cuiuslibet diei est abstinentia, non per legem, sed secundum propriam voluntatem. Statio obseruatio statutorum dierum vel temporum: dierum, vt quartæ feriæ & sextæ feriæ. Ieiunium ex vetere lege
Luc. 18. præceptum, de qua statione in euangelio dixit ille: *Ieiuno bis in sabbato*, id est, in quarta & sexta sabbati: temporum autem quæ legalibus aut propheticis institutionibus terminatis temporibus statuta sunt, vt ieiunium quarti, ieiunium quinti, ieiunium septimi, & ieiunium decimi: vel sicut in euangelio dies illi in quibus ablatus est sponsus: vel sicut obseruatio quadragesimæ, quæ in vniuerso orbe institutione apostolica obseruatur circa confinium dominicæ passionis.

CAPVT XIX.

De Ieiunio quarti, quinti, septimi, & decimi mensis.

B IEiunium ergo quarti est in mense Iulio, septimadecima die mensis eiusdem, quando descendens Moyses de monte tabulas legis confregit, in eo etiam die Nabuchodonosor vrbis Ierusalem primum muros destruxit. Dies ieiunij quinti in mense Augusto est, quando pro speculatoribus ad terram sanctam missis, seditio in castris Hebræorum exorta est, & factum est vt per desertum quadraginta annos discurrerent laboriose, & in annis quadraginta in eremo omnes perirent. Siquidem & in eo mense à Nabuchodonosor, & multo post tempore à Cæsare Tito templum euersum est atque succensum, & in opprobrium gentis perditæ exaratum. Dies ieiunij septimi, in septimo mense est, qui appellatur Septembris, in quo occisus est Golias, & reliqui qui erant in Ierusalem interfecti sunt, iuxta quod loquitur
Hiere. 36. Ieremias: Dies ieiunij decimi, est in mense decimo, qui apud nos vocatur December, quando cognouerunt cuncti Babylonij capti quinto mense templum fuisse destructum, & fecerunt planctum atque ieiunium. Hæc
C beatissimus Hieronymus in commentarijs Zachariæ scripsit. Sed quia hæc ieiunia magis in veteri testamento quam in nouo celebrata sunt, ne penitus illa prætermisisse videremur (quia in propheta Zacharia commemorata sunt) breuiter adnotauimus, ad noui testamenti ieiunia exponenda transeuntes.

CAPVT XX.

De Quadragesimali ieiunio.

PRimum enim ieiunium quadragesimæ est, quod à veteribus libris cœpit ex ieiunio Moysi & Heliæ, & ex euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans euangelium non dissentire à lege & prophetis. In persona quippe Moysi lex, in persona Heliæ prophetæ accipiuntur, inter quos in monte Christus gloriosus apparuit, vt euidentius emineret quod de illo dicit Apostolus: testimonium habens à lege & prophetis.
D In qua ergo parte anni congruentius obseruatio quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua dominicæ passionis, quia in ea significatur hæc vita laboriosa? Cui etiam opus est continentia, vt ab ipsius mundi illecebris ieiunemus, viuentes in sola manna, id est in cœlestibus spiritualibusque præceptis. Numero autem quadragenario vita ista propterea figuratur: quia denarius est perfectio beatitudinis nostræ. Creatura autem septenario figuratur, quæ adhæret creatori, in quo declaratur vnitas trinitatis per vniuersum mundum temporaliter annuntiata. Et quia mundus quatuor ventis describitur, & à quatuor elementis erigitur, & à quatuor anni temporum vicibus variatur, decem quater ducta in quadraginta consummantur: quo numero ostenditur ab omni temporum delectatione abstinendum & ieiunandum esse, & caste continenterque viuen-
E dum, licet & aliud sacramenti mysterium exprimitur in hoc, quod quadraginta diebus eadem ieiunia celebrantur. Lege enim Mosaica generaliter vniuerso populo est præceptum, decimas & primitias offerre Domino Deo. Itaque cum in hac sententia principia voluptatum, consummationesque operum nostrorum referre ad Dei gratiam admonemur, in supputatione tamen quadragesimæ summa ista legalium decimarum expletur. Totum enim anni tempus triginta sex dierum numero decimatur, subtractis enim quadragesima diebus dominicis, quibus ieiunia resoluuntur, his diebus quasi pro totius anni decimis ad ecclesiam concurrimus, actuumque nostrorum operationem Deo in hostiam iubilationis offerimus, cuius quidem quadragesimæ lege (sicut ait noster Cassianus) quiq; perfecti sunt non tenentur, nec exigui huius canonis subiectione contenti sunt. Quem profecto illis qui per totum anni spatium delicijs ac negocijs secularibus implicantur ecclesiarum principes statuerunt, vt vel hoc legali quodam modo dierum vitę suę, quos totos quasi fructus quosdam fuerant voraturi, vel ut decimas Domino dedicarent.

F

CAPVT XXI.

De Ieiunio Pentecostes.

SEcundum ieiunium est, quod iuxta canones post Pentecosten alia die inchoatur, secundum quod & Moyses ait: *In initio mensis ordinarie facietis vobis ebdomadas septem.* Exod. 34.
Hoc ieiunium à plerisque ex autoritate euangelij post Domini ascensionem completur, testimonium illud dominicum historialiter accipientes vbi dicit: *Nunquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Marc. 2.
Dicunt enim post resurrectionem Domini quadraginta illis diebus quibus cum discipulis postea legitur conuersatus, non oportere nec ieiunare nec lugere: quia in lætitia sumus. Postea vero quàm tempus illud expletur, quo Christus aduolans ad cœlos, præsentia corporali recessit, tunc indicendum esse ieiunium, vt per cordis humilitatem & abstinentiam carnis, mereamur è cœlis promissum suscipere Spiritum sanctum. G Sed sicut diximus bene & regulariter hoc post Pentecosten à patribus constitutum est inchoare, vt gaudia promissi Spiritus sancti exultantes in laudibus Dei aduentum ipsius expectemus, & tunc per eius gratiam innouati, ac cœlo spirituali inflammati, abstinentiæ & ieiunio operam demus. Cuius rei concordant verba Lucæ, quibus Dominum ascensurum in cœlos discipulis præcepisse narrauit: *Vos autem*, inquit, *sedete in ciuitate quo adusque induamini virtute ex alto.* Luc. 24.
Tamen si qui monachorum vel clericorum ieiunare cupiunt non sunt prohibendi, quia & Antonius, & Paulus, & cæteri patres antiqui his diebus in eremo leguntur abstinuisse, nec soluisse abstinentiam, nisi tantum dominico die.

CAPVT XXII.

De Ieiunio ante natiuitatem Domini, quod fit in nono, & decimo mense.

H TErtium ieiunium est quod constat in mense Nouembrio, quod diuina autoritate institutum vel initiatum Hieremiæ prophetæ testimonio declaratur, dicente ad eum Domino: *Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba quæ locutus sum tibi aduersus Israel & Iudam, & aduersus omnem gentem, si forte reuertatur vnusquisque à via sua pessima: propitius ero iniquitati eorum.* Hiere. 36.
Vocauit ergo Hieremias Baruch filium Neriæ, & scripsit Baruch ex ore Hieremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum in volumine libri. Et præcepit Ieremias Baruch dicens: Ingredere & lege de volumine quod scripsisti ex ore meo, verba Domini audiente populo Iere. 4.
in domo Domini in die ieiunij legis, si forte cadat oratio eorum in conspectum Domini, & reuertatur vnusquisq; à via sua mala, quoniam magnus furor & indignatio, quã locutus est Dominus aduersũ

populu

A

populum hunc. Et fecit Baruch filius Neriæ iuxta omnia quæ præceperat Ieremias Propheta, legens ex volumine sermones in domo Domini. Et factum est in mense nono, prædicauerunt ieiunium in conspectu Domini omni populo in Ierusalem. Hac ergo authoritate diuinæ scripturæ Ecclesia morem obtinuit, & vniuersale ieiunium hac obseruatione celebrat: quod tamen ieiunium incipiens in nono mense in decimum extenditur, id est, vsque ad diem natalis Domini pertingit. Congrua itaque dispositione à magistris Ecclesiæ hoc loco ieiunium quadragesimale fieri constitutum est, vt ante diem natalis Domini ieiunio & abstinentia nosmetipsos castigemus, quatenus venientem redemptorem digna conuersatione suscipere possimus, sicut ante tempus resurrectionis eius carnem nostram affligimus, vt resurrectionis gratiam, quæ per ipsum fit, consequi mereamur. Sed hæc de tribus quadragesimis dicta sufficiant.

B

CAPVT XXIII.

De cæteris legitimis ieiunijs.

PRæter hæc autem & legitima tempora ieiuniorum sunt, sicut est omnis sexta feria, in qua propter passionem Domini à fidelibus ieiunatur, & sabbati dies, qui à plerisque propter quod in eo Christus iacuit in sepulchro ieiunio consecratus habetur, sicut in decretis Innocentij Papæ constitutum inuenimus: scilicet ne Iudæis exultando præbeatur quod Christus sustulit moriendo. Nam vtique constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse, quod vtique non dubium est: & ieiunasse eos biduo memorato, quæ forma vtique per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio illius diei semper est celebranda. Quod si putant vno tamen sabbato ieiunandum, ergo & Dominicum, & sexta feria semel in Pascha erit vtique celebrandum.

CAPVT XXIIII.

C

De Ieiunio quatuor sabbatorum, in quibus duodecim lectiones fiunt, & sacra ordinationes.

SVnt quoque & quatuor sabbata, in quatuor mensibus, singula per singulos, in quibus specialia ieiunia sunt constituta: & officia his diebus maiora orationum & lectionum in Ecclesia celebrantur, id est, in Martio mense, primo sabbato, Quarti mensis, id est ieiunij. In septimi quoque mensis, id est, Septembris, tertio sabbato & in quarto sabbato decimi mensis, id est, Decembris. Quorum primum iuxta obseruationem quadragesimæ verno tempore celebratur, quando mensis nouorum apud Iudæos habebatur. Secundum autem in ieiunio post Pentecosten æstatis tempore, quando apud Iudæos dies primitiarum ex legis præcepto custodiebantur, id est, de frugibus primi panes Deo offerebantur: & otium legitimum ipsius diei celebratur. Tertium est in septimo mense, Autumni videlicet tempore, qui totus in lege varijs solennitatibus Deo dicatus erat, in quo dies expiationum

D

Leu. 29. erat, dicente Domino ad Moysen: *Decima die mensis huius septimi, dies expiationum erit ac celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisq; animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Omne opus non facietis in tempore diei huius, quia dies propitiationis est, vt propitietur vobis Dominus Deus vester*, & cætera. In quo & dies decem scenopegiæ fuerant, id est, tabernaculorum. Nam quintadecima die mensis huius veteres solennitates tabernaculorum celebrabant, septem diebus eandem solennitatem exigentes, quo quidem ieiunio vsos fuisse antiquos Esdræ liber meminit. *Postquam enim redierunt filij Israel in Ierusalem & fecerunt sibi tabernaculorum lætitiam magnam, debinc conuenerunt in ieiunio in saccis, & humus super eos, & steterunt, & confitebantur peccata sua & iniquitates patrum suorum, & consurrexerunt ad standum, & legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, & quater in nocte confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.* Quartum vero est ieiunium sabbati in decimo mense ante diem natalis Domini, quando venturi Saluatoris salubris in sacris lectionibus prædicatur aduentus, vt fideles quique hac religione instructi, & medicamine sanctarum orationum simul cum sacro ieiunio confirmati natiuitatem redemptoris læti expectant. Ante hæc videlicet quatuor sabbata in eadem hebdomada, semper quarta & sexta feria legitima ieiunia fieri & canon orationum & lectionum in eisdem ferijs ad missarum solennia constitutus indicat, & exempla præcedentium patrum confirmant. Sacras autem ordinationes his diebus oportere fieri, decreta Gelasij Papæ testantur, in quibus ita scriptum continetur: *Ordinationes autem presbyterorum Diaconorumque nisi certis temporibus & diebus exercere non debeant*, id est, in quarti mensis ieiunio, septimi & decimi, *sed etiam quadragesimalis ac mediana initio quadragesima die sabbati ieiunio circa vesperam nouerint celebrandas.* Officia autem horum quatuor sabbatorum, vulgo duodecim lectiones vocantur, eo quod cum lectionibus quæ leguntur, & cum Psalmis qui leguntur, duodenarius numerus adimpletur, qui benedictiones possunt vocari, eo quod inter Canonicas scripturas annumerantur.

E

F

CAPVT XXV.

De priuatis ieiunijs.

PRæterea vnicuique licet vt libet ieiuniorum modum habere, seu mediam extendere, seruata præ omnibus constitutione legitimorum ieiuniorum quas supra memorauimus, quæ generaliter sancta & Apostolica seruat Ecclesia. Necnon & illa omnimodo custodire oportet vnumquemque, quæ communiter omnibus facere siue pro tribulatione, siue pro gratiarum actione proprius Ecclesiæ mandat Episcopus: quia qui constituta atque demandata ieiunia seruare neglexerit peccat, qui autem expletis legitimis priuata super expenderit, propriam mercedem habebit. Nam leguntur aliqui sanctorum per biduanas, siue per triduanas, siue etiam per totam hebdomadam ieiunium extendere: plerique quod nec vinum neq; siceram biberunt, nec aliquid manducauerunt præter partem siccum & olera: alij quod ab omni carne se abstinuerint, alij quod in tantum se abstinuerint, quod nec pane in cibo vsi sunt, sed paucis caricis corpus suum sustentauerint. Et alia plurima sunt genera abstinentiæ, sed ante omnia cauere debet qui se abstinere vult ab aliquo cibo vel potu, ne mens eius occulta cogitatione polluatur, ita vt aliquam creaturam Dei damnet iudiciaria superstitione seductus, dicens hoc licere, illud autem non: hoc mundum, illud autem immundum esse cogitet. Quem huius mundi cogitatio pulsat, videat Apostolum dixisse. *Omnis creatura Dei munda est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur, & malum est homini qui per offendiculum manducat.* 1. Tim. 4. Rom. 14.

G

CAPVT XXVI.

De Origine biduana siue triduana.

H

BIduanum autem morem ieiunij reor inde sumptum, quod Apostoli ieiunauerunt illo biduo quo Dominus passus ac sepultus est. Triduanas ergo ieiunare ab exemplo ductum est Niniuitarum, qui damnatis pristinis vitijs totos se tribus diebus ieiunio ac pœnitentiæ contulerunt. Sed illius solummodo ieiunium Deo acceptabile est, qui sic ieiunat à cibis, vt abstineat à peccatis, cæterum qui ventre tantum ieiunat, reprobatum erit eius ieiuniū coram Deo, qui dixit per Prophetam. *Ecce in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sic vsq; ad hanc diē, vt audiatur in excelsis clamor vester. Nunquid tale est ieiuniū quod elegi, per diē affligere hominē animā suam.* Et deinde: *Nōne hoc est magis ieiuniū q̄ elegi. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimētes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirūpe. Frāge esurienti panem tuū, & egenos vagosq; induc in domum tuam. Cum videris* Esa. 58. ibid.

A nudum operi eum, *& carnem tuam ne despexeris, tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur*, &c.

CAPVT XXVII.

De Esu carnium, & potione vini.

CArnes autem & vinum post diluuium sunt hominibus in vsum concessa, nam in initio permissum non fuerat, nisi tantum illud. vt scriptum est: *Lignum fructiferum & herbam seminabilem dedi vobis in escam.* Postea vero per Noe data sunt in esum cuncta animalia vinique ad tributa licentia est. Sed postquam CHRISTVS (qui est principium & finis) apparuit, hoc quod in principio suspenderat, etiam in temporum fine retraxit, loquens per

Rom. 14. Apostolum suum. *Bonum est non manducare carnem, & non*

Ibid. *bibere vinum.* Et iterum: *Qui infirmus est, olera manducet.* Non ergo quia carnes malæ sunt ideo prohibentur, sed quia earum epulæ carnis luxuriam gignunt. *Fomes enim ac nutrimentum est omnium vitiorum esca ventri & venter escis, Deus autem* (vt scriptum est) *& hunc & hanc destruet.* Piscem sane (quia eum post resurrectionem accepit Dominus) possumus manducare. Hoc enim nec Saluator nec Apo-

B stoli vetuerunt. Auium quoque esum credo inde à patribus permissum esse, eo quod ex eodem elemento de quo & pisces creatæ sunt. Nam in regula Monachorum non inuenimus aliarum carnium esum eis contradictum esse, nisi quadrupedium.

Additio.

Sola quadrupedia non volatilia Monachis interdicta. Hoc autem tempore Pij Ludouici sic immutatum esse dicitur, vt in omni eorum pulmento sanguine vti liceat, propter nimiam & alijs damnosam consumptionem volatilium quam faciebant.

CAPVT XXVIII.

De Eleemosynarum differentia.

C ELeemosyna ἐλεημοσύνη ergo Græcum vocabulum, Latine interpretatur opus misericordiæ, inde vt reor dicta, quod miseria humanæ infirmitatis cor, siue animum pulset. Sed hæc apud homines, quibus varij animo accidunt affectus, cæterum apud Deum, qui secundum naturam semper est benignus & misericors, non est huiuscemodi credenda affectio. Neque enim temporaliter illic aliquid accidere valet, vbi æternitas sine vlla sui mutatione fixa manet, sed cum dicitur misericors intelligi debet esse pius & clemens, quæ magis nomina proprietatem ipsius naturæ videntur ostendere. Sunt & eleemosynarum species plurimæ, quanquam in dispensationibus pauperum hoc vocabulum quidam haberi debere arbitrentur. Eleemosynam facit, qui peccantem & prauis operibus insistentem aliquo modo, siue per admonitionem, siue per disciplinam corrigit. Nec enim sine misericordia esse credendus est, qui regulariter, siue per excom-

D municationem, seu per verbera hominem à peccatis & vitijs coercere studet, quia non secundum eius voluntatem, sed secundum vtilitatem ipsius miseretur. Eleemosynam facit, qui errantem in viam veritatis deducit. Eleemosynam facit, qui indoctum docet, qui verbum Dei proximis suis prædicat. Eleemosynam facit, qui bona temporalia cum fratribus suis, id est, cæteris hominibus participare non desinit. Eleemosynam facit, qui victum & vestitum indigentibus præbet, qui hospitio suscipit, qui infirmos visitat, qui in carcere & in tribulationibus constitutis, de bonis suis subministrat, qui ad mortem & ad supplicia destinatos eruere non cessat. Omnia enim bona quæ in hac præsenti vita iustus quisque operatur hoc vno nomine comprehendi possunt. nec solum vtique in alijs hominibus, sed etiam in nobismetipsis elee-

Eccl. 30. mosynas facere possumus, sicut scriptum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Cum ergo nos à peccatis ad bona opera conuertimus, à superbia ad humilitatem, à luxuria ad continentiam, à liuore & inuidia ad charitatem & dilectionem, ab ira & disceptatione ad mansuetudinem & patientiam, à gula ad sobrietatem, ab auaritia ad largitatem, à tristitia sæculari ad spiritualem lætitiam, ab accidia temporali ad studium bonum. Quid aliud facimus quam eleemosynas in nosmetipsos impendimus, cum nostrimet miseremur, ne per inobedientiam mandatorum Dei supplicijs æternis deputemur? *Quid enim* (ait ipse Mar. 8.

Saluator) *proderit homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* & cætera. Bene ergo & ordinate artem misericordiæ exercet, qui primum semetipsum bonis operibus & sancta conuersatione, ac virtutum fructibus egere non finit, & deinde in quocunque potest, siue in spiritualibus rebus, siue in corporalibus proximos suos adiuuare non desistit.

CAPVT XXIX.

De Pœnitentia.

POenitentibus exemplum Iob primus exhibuit: quando post funera vel flagella adhuc in sui redargutione, etiam in cilicio & cinere lamenta pœnitudinis sumpsit dicens: *Idcirco ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* G

Post hunc Dauid nobis pœnitentiæ magisterium præbuit, quando graui vulnere lapsus, dum audisset à Propheta, peccatum suum confestim pœnituit, & culpam suæ pœnitentiæ confessione sanauit. Sic Niniuitæ & alij multa peccata sua confessi sunt, pœnitentiam egerunt displicuere sibi quales fuerunt, & quales per Deum facti sunt, illi placuerunt. Est autem pœnitentia medicamentum vulneris, spes salutis, per quam peccatores saluantur, per quam Dominus ad misericordiam prouocatur, quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus & lachrymarum. Pœnitentia autem nomen sumpsit à pœna, qua anima cruciatur & mortificatur caro. Dicta est autem pœnitentia quasi punientia, eo quod ipse homo puniendo puniat, quod male admisit. Illi vero qui pœnitentiam gerunt, proinde capillos & barbam nutriunt, vt demonstrent abundantiam criminum, quibus caput G

peccatoris grauatur. Capilli enim pro vitijs accipiuntur, sicut scriptum est: *Et criminibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Vir quippe si comam nutriat*, vt ait Apostolus, *ignominia est illi.* Ipsam ergo ignominiam suscipiunt pœnitentes pro merito peccatorum. Quod vero in 1. Cor. 11.

cilicio prosternuntur, memoriam peccatorum suorum eos habere significat. Per cilicium quippe est recordatio peccatorum, propter hœdos ad sinistram futuros. Inde ergo pœnitentes in cilicio prosternimur tanquam dicentes, *& peccatum meum coram me est semper.* Quod autem cinere asperguntur, vel vt sint memores, quia cinis & puluis sunt, vel quia puluis facti sunt, id est impij facti sunt, vnde & illi præuaricatores, primi hominis recedentes à Deo, malisque factis offendentes creatorem, in puluerem vnde sumpti sunt redierunt. Bene ergo in cilicio & in cinere pœnitens deplorat peccatum, quia in cilicio asperitas & punctio peccatorum, in cinere autem puluis ostenditur mortuorum, & idcirco in vtroque pœnitentiam agimus, vt & in punctione cilicij, cognoscamus vitia quæ per culpam commisimus, H

& per fauillam cineris perpendamus mortis sententiam, ad quam peccando peruenimus. Pœnitentiæ autem remedium Ecclesia Catholica in spe indulgentiæ fideliter alligat exercendum, & post vnum baptismi sacramentum, quod singulari traditione commendatum, sollicite prohibet iterandum, medicinali remedio pœnitentiæ subrogat adiumentum, cuius remedio egere se cuncti agnoscere debent, pro quotidianis humanæ fragilitatis excessibus; sine quibus in hac vita esse non possumus, horum duntaxat dignitate seruata, ita vt à sacerdotibus & Leuitis Deo teste fiat, à cæteris vero astante coram Deo solenniter sacerdote, vt hic tegat fructuosa confessio, quod temerarius appetitus, aut ignorantiæ notatur contraxisse neglectus, aut sicut in baptismo omnes iniquitates remitti; vel per

marty-

martyrium nulli peccatum credimus imputari: ita pœnitentiæ compunctione fructuosa, vniuersa fateamur deleri peccata. Lachrymæ enim pœnitentium apud Deum pro baptismo reputantur: vnde & quamlibet sint magna delicta, quamuis grauia, non est tamen in illis Dei misericordia desperanda. In actione autem pœnitudinis (vt supra dictum est) non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. *Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit.* Veruntamen quanta in peccato fuit ad malum abruptæ mentis intentio, tanta necesse est in intentione deuotio. Duplex autem est pœnitentiæ gemitus, vel dum plangimus quod male gessimus, vel dum non agimus quod agere debebamus. Ille autem vere pœnitentiam agit, qui nec pœnitere præterita negligit, nec adhuc pœnitenda committit. Qui vero lachrymas indesinenter fundit, & tamen peccare non desinit, hic lamentum habet, sed mundationem non habet. Si qui autem per gratiam Dei ad pœnitentiam conuertuntur, perturbari non debent, si rursus post emendationem relicta vitia cor pulsent, dum non possunt boni conuersationi nocere, si talis cogitatio non erumpat in consensu vel opere. Ferre enim sine perfectione vitiorum cogitationes, non est ad damnationem sed ad probationem, nec est occasio subeundi discriminis, sed potius augendæ virtutis. Nã & si quis circa finem suum per pœnitentiã desinet esse malus, non ideo debet desperare, quia in termino est vltimo vitæ, quoniam non Deus respicit quales antea fuimus, sed quales circa finem vitæ existimus. Ex fine enim suo vnumquemque aut iustificat aut condemnat sicut scriptum est: *Ipse iudicat extrema terræ.* Et alibi: *Vniuersorum finem ipse considerat.* (Ier. 12.) Proinde non dubitamus circa finem iustificari hominem per pœnitentiæ compunctionem: sed quia raro id fieri solet, metuendum est, ne dum ad finem differtur confessio sperata, anticipet mors quam veniat pœnitentia. Pro qua re & si bona est ad extremum conuersio, melior tamen est quæ longe ante finem agitur, vt ab hac vita securius transeamus.

CAPVT XXX.

De satisfactione & reconciliatione.

Satisfactio autem est, causas peccatorum & suggestionum excludere: & vltra peccatum non iterare. Reconciliatio vero est, quæ post complementum pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo, quando primum à gentilitate conuertimur, ita reconciliamur, quando post peccatum pœnitendo regredimur. Quorum autem peccata in publico sunt, in publico debet esse pœnitentia, per tempora quæ Episcopi arbitrio, pœnitentibus secundum differentiam peccatorum decernuntur: eorumque reconciliatio in publico esse debet ab Episcopo, siue à presbyteris, iussu tamen Episcoporum: sicut canones Aphricani concilij testantur: Vbi ita scriptum est: Cuiuscunque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod vniuersam Ecclesiam commouerit, ante absidam manus ei imponatur. Quorum ergo peccata occulta sunt, & spontanea confessione soli tantummodo presbytero, siue Episcopo ab eis fuerint reuelata, horum occulta debet esse pœnitentia, secundum iudicium presbyteri, siue Episcopi cui confessi sunt: ne infirmi in Ecclesia scandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant causas. Quali autem tempore post pœnitentiam reconciliatio fieri debeat, ostendunt decreta Innocentiam reconciliatio fieri debeat, ostendunt decreta Innocentij Papæ, vbi ita scriptum reperitur: *De pœnitentibus autem qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interuenit ægritudo, quinta feria ante pascha eis remittendum, Romana Ecclesia consuetudo demonstrat.* Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque ad lacrymas corrigendas: ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis ægritudinem inciderit, atque vsque ad desperationem deuenerit, ei est ante tempus paschæ relaxandum, ne de seculo absque communione discedat. Hoc ergo ante omnia cauendum est, ne in extremis pœnitentia & reconciliatio denegetur, ne in desperatione pereat quia pietas omnipotentis Dei ad se quouis tempore concurrenti, succurrere valet: & periclitantem sub onere peccatorum potest subleuare. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum vnius horæ pœnitentia non iuuisset, cum esset in pœna pœnituit, & per vnius sermonis professionem, habitaculum paradisi (Deo promittente) promeruit. Vera ergo ad Deum conuersio in vltimis positorum, mente potius est æstimanda quam tempore: Propheta hoc taliter asserente: Cum conuersus inquit ingemueris, tunc saluus eris.

CAPVT XXXI.

De Natiuitate Domini.

Natalis Domini dies ea de causa à patribus votiuæ solemnitatis institutus est, quia in eo Christus pro redemptione mundi nasci corporaliter voluit, prodiens ex virginis vtero, qui erat in patris imperio: cuius susceptæ carnis causa hæc est: Postquam enim inuidia Diaboli parens ille primus spe seductus inani cecidit, confestim exul & perditus in omni genere suo, radicem mali tæ & peccati transduxit: crescebatque in malum vehementius omne genus mortalium, diffusis vbique sceleribus: & quod est nequius, omnium cultibus idolorum. Volens ergo Deus terminare peccatum, consuluit verbo, lege, Prophetis, signis, plagis, prodigijs. Sed cum nec sic quidem errores suos admonitus agnosceret mundus, misit Deus filium suum, vt carnem indueret, & omnibus appareret: & peccatores sanaret. Qui ideo in homine venit, quia per seipsum ab hominibus cognosci non potuit. Vt autem videretur, *Verbum caro factum est*, assumendo carnem, non mutatum in carnem. Assumpsit enim humanitatem, non amisit diuinitatem: ita idem Deus & idem homo, in natura Dei æqualis patri: in natura hominis factus mortalis, in nobis, pro nobis, de nobis: manens quod erat: suscipiens quod non erat, vt liberaret quod fecerat. Hæc est ergo Dominicæ Natiuitatis magna solemnitas. Hæc est diei huius noua & gloriosa festiuitas, aduentus Dei factus ad homines. Itaque dies iste pro eo quod in eo Christus natus est, natalis dicitur: quemque ideo obseruare per reuolutum circulum anni festiua solemnitate solemus, vt in memoriam reuocetur Christus quod natus est. In Bethlehem quoque Christus natus est, & in Nazareth nutritus: vt ex locorum vocabulis, rerum ipsarum appareret euentus. Ergo quod in Bethlehem nasceretur, oportuit: quia cibus cælestis, de cælis ad terras venit. Bethlehem quippe domus panis dicitur. Et Saluator de se ipso dixit: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* (Ioan. 6.) Ergo Bethlehem vere domus panis est, quia Christus homo in ea nasci dignatus est: panis videlicet vitæ: de quo qui manducauerit, viuet in æternum. Ex hac etiam causa credimus in Ecclesia hunc morem inoleuisse, vt in ea nocte qua Christus creditur esse natus, sacra missarum solemnia celebrantur: vt ea hora fideles quique sacramentum corporis & sanguinis Christi perciperent, qua eum inter homines misericorditer natum scirent. Cuius tamen celebrationis, Telesphorus Papa apud Romanos primus author legitur extitisse. Nam quod in Nazareth nutritus erat, ea causa fuit: vt quia Nazareth flos siue munditia interpretatur, æternæ puritatis eius index existeret, cum floret floris ipsius nutrix: qui de virga radicis Iesse ascendens, septiformem spiritum haberet, & perpetua puritate insignis, merito Nazaræus, quod est mundus, vocaretur.

C APVT

A

CAPVT XXXII.

De Epiphania Domini.

EPiphaniarum proinde festa solennitati viri Apostolici signauerunt, quia in eo est proditus stella Saluator, quando magi Christum in præsepe iacentem adorauerunt eum, offerentes ei competentia munera trinitatis, aurum, thus, & myrrham: regi Deo atque passuro. Ideo ergo diem hunc annua celebritate sacrauerunt, vt mundus agnoscat Dominum, quem elementa cælitus prodiderunt. Siquidem eodem die idem Iesus etiam Iordanis lauacro tingitur: diuisoque cælo spiritus sancti descendentis testimonio, Dei esse filius declaratur. Cuius diei nomen ex eo quod apparuit gentibus, Epiphania nuncupatur; Epiphania ἐπιφάνεια enim Græce, apparitio vel ostensio dicitur. Tribus ergo ex causis hic dies hoe vocabulum sumpsit. Siue quod tunc in baptismo

B

suo Christus populis fuerit ostensus: siue quod ea die syderis ortu Magis est proditus: siue quod primo signo per aquam in vinum conuersam, multis est manifestatus. Illud tamen sciendum, quod licet ea die baptismus CHRISTI, ab Ioanne fieri credatur, vniuersale tamen baptisma celebrari in ea, canonica contradicit authoritas. Paschæ ergo tempus tantummodo & Pentecostes, ad hoc ab Apostolis & Apostolicis viris decretum, Romana custodit Ecclesia: quæ videlicet duo tempora ad hoc opportuna esse, CHRISTI Domini nostri à mortuis resurrectio, & Spiritus sancti super primitiuam Ecclesiam declarata aduentus. *Quicunque ergo* (ait Apostolus) *baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*, & cætera. Et Saluator ascensurus in cælum, Apostolis dixit: *Ioannes quidem baptizauit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.*

Rom. 6.
Act. 1.

CAPVT XXXIII.

De Purificatione.

C

PVrificationis ergo matris Domini tempus, post dies quadraginta à natiuitate eius celebratur: quia ex legis præcepto hoc tempus statutum est parentibus fœminis, quo purificari deberent. Scriptum est enim in libro Leuitico, quod Dominus per Moysen mandauerit Israel, *vt mulier quæ in suscepto semine pareret masculum, immunda esset septem diebus, & die octaua circuncideretur infantulus: ipsa vero triginta quatuor diebus maneret in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tangeret, nec ingrederetur sanctuarium, donec implerentur dies purgationis eius. Sin autem fœminam pareret, immunda esset duabus hebdomadibus, & quadraginta ac tribus diebus maneret in sanguine purificationis suæ. Cumque impleti essent dies purgationis eius, pro filio siue filia deferret agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato. Quod si non potuerit agnum offerre, sumeret duos turtures vel duos pullos columbæ, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato, oraretque pro ea sacerdos, & sic mundaretur.* Hac ergo de causa statuta in Ecclesia festiuitas hæc, quia matrem

Leu. 12.

D

Domini secundum legem in hac die constabat purgari: sed non ideo, quod aliqua legali purgatione indiguerit, quæ Dominum gestabat legis: sed quia Iesus non venit legem soluere, sed adimplere. Venit ergo mater Domini ad templum secundum legem, ducens secum puerum, ac deferens hostias quæ lex præcepit, vt in nullo patribus fieret dissimilis: ac illud in se primo ostenderet, quod scriptum est: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Obuios habuit grandæuum Simeonem, & Annam multorum annorum viduam: & cæteras personas in hoc sacro ministerio affuisse, quæ benedixerunt & glorificauerunt Deum, & multa de eo vaticinauere, sicut Euangelij textus luculento sermone demonstrat. Ob hanc quippe causam eadem festiuitas Hypante ὑπαντή nuncupatur: quia prædictæ personæ ad templum obuiam Christo aduenerunt, deuoto corde & obsequio Hypantao ὑπαντάω enim Græco sermone dicitur, quod obuio Latine interpretatur. Est quoque festiuitas hæc purificationis incipiente Februario mense, qui à Februo, id est, Plutone, qui lustrationum potens à gentibus credebatur, ita vocatus esse, lustrarique eo mense apud Romanos ciuitatem consuetudo erat, vt iusta dijs manibus soluerentur. Sed hanc lustrandi consuetudinem bene mutauit Christiana religio, cum in mense eodem, die sanctæ Mariæ plebs vniuersa cum sacerdotibus ac ministris, hymnis, modulationibus deuotis, per Ecclesias, perque congrua vrbis loca procedit: datosque à Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentes: non vtique illustrationem terrestris imperij quinquennem, sed in perennem regni cælestis memoriam, quando iuxta parabolam virginum prudentium, omnes electi lucentibus bonorum operum lampadibus, obuiam sponso ac regi suo venientes, mox cum eo ad nuptias supernæ ciuitatis intrabunt.

Eccl. 3.

E

Mat. 25.

F

CAPVT XXXIIII.

De Septuagesima, & Sexagesima, & Quinquagesima.

DE Septuagesima quoque & Sexagesima, Quinquagesima atque Quadragesima, cur Dominici dies ante quadragesimale ieiunium sic appellentur, diuersa multorum opinio est: & ideo maxime, quia ipsa Dominica quæ Septuagesima dicitur, septuagesima dies ante Pascha reperitur: nec ea quæ Sexagesima, sexagenarium numerum plenum habet vsque in Pascha. Nam alij simpliciter narrant hanc Ecclesiæ esse consuetudinem, & Romana authoritate ritum huius religionis esse firmatum. Alij dicunt quod synecdochice totum habendum sit dictum: id est vbi maior de minori numero dierum inuenitur: vt est Septuagesima ac Sexagesima: id est à toto partem intelligi debere. Vbi vero minor, vt est Quadragesima, à parte totum intelligi oportere. Alij quoque nescio quorum ore ducti assueuerant, quod Orientales populi nouem hebdomadas, & Græci octo, & Latini septem ieiunare solea nt: & ob hoc his omnibus Alleluia minime in Ecclesia deberi cantari. Alij etiam quorum ratio præ cæteris laudabilior mihi esse videtur, dicunt Septuagesimam dictam esse propter decem hebdomadas, quæ sunt ab ipso die vsque ad clausum Paschæ: quo die alba tolluntur vestimenta à nuper baptizatis. Igitur in Apostolo legimus: *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen: & sic vsque ad vltima legis quæ per Moysen data, decurrit in Christi Dei nostri tempora.* Porro Sexagesimam inde dici posse, quia sexaginta dies sunt vsque ad medium Paschæ: quod erit feria quarta Paschalis hebdomadis. Quinquagesimam vero rite dictam esse, eo quod tali numero peruenit vsque in diem sanctum resurrectionis. Quadragenarium etiam numerum ita ibi positum, quod cum Dominica sua concurrat ad mysticum Pascha Hebræorum: quod Dominus noster IESVS CHRISTVS cum discipulis suis celebrauit, & nos dicimus Cœnam Domini. Sed hæc omnia nos ita hic posuimus, sicut in aliorum dictis vel scriptis comperimus, lectori viam dantes, si quæ veracius & rationabilius exquisita inuenerit, obtinere. Notandum tamen est, quod à Quinquagesima ieiunium incipere apud Romanos, Telesphorus sæpe memoratus. Papa constituit: vt per septem hebdomadas ante Pascha, corpus ieiunijs castigemus, qui alias septem post Pascha vsque in Pentecosten, in lætitia à ieiunijs relaxare volumus: vt priorem quinquagesimam in plenitudine peccatorum nostrorum exigamus ad promerendam misericordiam: & in secunda laudibus & orationibus operam dantes, studeamus peruenire ad promissam Spiritus sancti gratiam.

G

Rom. 5.

H

A

CAPVT XXXV.

De die Palmarum.

DIes palmarum ideo celebratur, quia in eo Dominus & Saluator noster, sicut Propheta cecinit Ierusalem tendens, super asellum sedisse perhibetur. *Tunc* Mat. 21. *gradiens cum ramis palmarum multitudo plebium obuiam ei, clamauerunt, O Sanna: benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel.* In ramis enim palmarum significabatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus: & tropheo crucis, de Diabolo mortis principe triumphaturus. In asello autem super quem sedendo Ierosolymam venit, indicabat simplicia corda gentilitatis, quam praesidendo atque regendo, perducebat ad visionem pacis. Hoc autem die symbolum competentibus traditur, propter confinem Dominicae Paschae solennitatem: vt qui ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confitentur agnoscant. Vulgus autem ideo eum diem capitilauium vocat, quia tunc moris est lauandi capita infantium qui vngendi sunt: ne forte obseruatione Quadragesimae sordidata, ad vnctionem accederent.

B

CAPVT XXXVI.

De Coena Domini.

COena Domini haec, est feria quinta vltimae hebdomadis Quadragesimae, quando Dominus & Saluator noster post typicum illud Pascha completum, ad verum Pascha transiens, mysterium corporis & sanguinis sui primum Apostolis tradidit: quando post sacramenta caelestia discipulus fallax & proditor pretium à Iudaeis accepit, & Christi sanguinem vendidit. Eo etiam die Saluator surgens à coena, pedes discipulorum lauit, propter humilitatis formam commendandam, quam docendam venerat: sicut & ipse consequenter exposuit: quod etiam decebat potissimum vt facto doceret, quod obseruare discipulos praemoneret. Hinc est quod eodem die altaria

C

templi, parietes & pauimenta lauantur: vasaque purificantur, quae sunt Domino consecrata. Quo die proinde etiam sanctum chrisma conficitur: quia ante biduum Paschae, Maria caput ac pedes Domini vnguento perfudisse perhibetur. Vnde & Dominus discipulis suis dixit: *Scitis* Mat. 26. *quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* Eodem etiam die (sicut supra ostendimus) poenitentes reconciliantur: quia scilicet ipsa die qua sacramenta corporis & sanguinis sui Dominus primum confecit, ac discipulis suis percipienda tradidit, oportebat ad haec resumenda poenitentes restaurentur: eo videlicet tempore, quo sanguinis Christi in remissionem omnium fusus est peccatorum.

CAPVT XXXVII.

De Parasceue.

D

PArasceue id est, sexta sabbati ideo in solennitate habetur, quia in eo die Christus mysterium crucis expleuit, propter quod venerat in hunc mundum: vt qui ligno percussi fueramus in Adam, rursus per ligni mysterium sanaremur. Huius enim causa triumphi, humana pusillitas Christo per omnem mundum celebritatem annuam praebet, pro eo quod dignatus est sanguine passionis suae seculum redimere, & peccatum mundi per crucem morte deuicta absoluere: cuius quidem crucis iniuriam non pertulit illa diuinitatis substantia, sed sola susceptae humanitatis natura. Passio enim corporis fuit: diuinitas vero exors iniuriae mansit. Tripartita autem ratio Dominicae passionis ostenditur. Prima itaque causa est, vt Christus pro reatu mundi redemptio daretur: scilicet vt quos serpens absorbuerat, euomeret: & praedam quam tenebat amitteret: non potentia victus, sed iustitia: non dominatione, sed ratione. Secunda causa est, vt securis hominibus vitae magisterium praeberetur. Ascendit enim in crucem

E

Christus, vt nobis passionis & resurrectionis praeberet exemplum: passionis ad firmandam patientiam: resurrectionis, ad excitandam spem: vt duas vitas nobis ostenderet in carne: vnam laboriosam, alteram beatam. Laboriosam quam tolerare debemus: beatam, quam sperare debemus. Tertia causa est susceptae crucis, vt superba seculi & inflata sapientia, per crucis stultam vt putatur praedicationem humiliata, corrueret: vt pateret id quod stultum Dei est, quanto sit hominibus sapientius: & quod infirmum Dei est, quanto sit fortius tota hominum fortitudine. Docet autem Apostolus Paulus illuminatos nos debere oculos cordis habere, ad intelligendum quae sit latitudo crucis, & longitudo, & altitudo & profundum. Crucis latitudo est transuersum lignum quo extenduntur manus. Longitudo à latitudine deorsum vsque ad terram. Altitudo, à altitudine sursum ad caput. Profundum vero quod terrae infixum absconditur. Dicitur homini: *Tolle crucem tuam & sequere me.* Dum enim cruciatur caro, cum mortificantur membra nostra super terram fornicatio, immunditia, luxuria & caetera, dumque exterior homo corrumpitur, vt interior renouetur de die in diem, passio est crucis. Et haec quidem dum sint bona opera, tamen adhuc laboriosa: quorum merces requies est. Ideoq;

G

dicitur, *Spe gaudentes*: vt cogitantes scilicet requiem futuram, cum hilaritate & laboribus operemur. Hanc hilaritatem significat crucis latitudo in transuerso ligno, vbi figuntur manus: per manus enim opus intelligitur: per latitudinem, hilaritas operantis: quia tristitia facit angustias. Porro per altitudinem crucis cui caput adiungitur, expectatio supernae retributionis de sublimi iustitia Dei sanctificatur: vt & ipsa opera bona non propter beneficia Dei terrena ac temporalia facienda credantur, sed potius propter illud quod desuper sperat fides, quae per dilectionem operatur. Iam vero per longitudinem qua totum corpus extenditur, ipsa tolerantia significatur: vt longanimes permaneamus. Vnde longanimes dicuntur qui tolerant. Per profundum autem, hoc est partem illam ligni quae in terrae abdito defixa latet, sed inde consurget omne quod eminet, inscrutabilia indicantur iudicia Dei: de qui-

G

bus occulta eius voluntate vocatur homo, ad participationem tantae gratiae Dei. Hac ergo Dei Ecclesiae altaria indumentis suis spoliata denudantur: quia in ea Christus suis vestimentis exutus esse legitur: & velum templi scissum esse occiso Christo, per Euangelium praedicatur. Hac die in Ecclesia luminaria non accenduntur, quia in ipso redemptore crucifixo sydera obscurabantur. In hac die sanctarum plebium praesules quia mandata sibimet legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis agunt causam: & tota secum Ecclesia congemiscente, postulant & precantur: primum pro statu totius Ecclesiae Christi: deinde vt infidelibus dominetur fides, & idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus: vt Iudaeis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat: vt haeretici Catholicae fidei receptione resipiscant: vt schismatici spiritum redeuntes charitatis accipiant: vt lapsis poenitentiae remedia conferantur: vt denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, caelestis misericordiae aula reseretur: quia pro horum omnium redemptione, in hac die sanguinis effusus est Christi. Haec autem non inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat affectus: quomodo quidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum, transferat in regnum filij charitatis, ex vasis irae, faciat vasa misericordiae. Quod à Deo totum diuini operis esse sentitur: vt haec efficienti Deo, semper gratiarum actio, laudisq; confessio, pro illuminatione talium vel correctione referatur. Ipsa die à Pontifice & à clero & ab omni populo species crucis salutatur: quia passio redemptoris à fidelibus in hora redemptionis suae digna laude veneratur. In hac die sacramenta penitus non celebrantur, sed Eucharistiam in coena Domini consecratam, peracto officio lectionum & orationum, & sanctae crucis salutatione resumunt: quia vt Innocentius Papa testis est, ex eo quod Apostoli & amatores Christi eo biduo

quo

A quo crucifixus & sepultus Saluator est, in mœrore constituti, ab omni cibo abstinuerunt se, hinc traditio Ecclesiæ habet, biduo memorato sacramenta non celebrati: sed magis sanctam resurrectionis noctem expectari: & in ipsa cum lætitia & gaudio speciali sacrificium offerri. In hac die vespera cum silentio celebratur, vt quieti Dominicæ sepulturæ veneratio exhibeatur.

CAPVT XXXVIII.

De Sabbato sancto Paschæ.

Sabbati Paschalis veneratio hinc celebratur, pro eo quod eadem die Dominus in sepulchro quieuit: vnde & bene in Hebræo sermone sabbatum requies interpretatur: siue quod Deus in eo requieuit die, mundo perfecto: siue quod in eo Dominus & redemptor noster requieuit in sepulchro. Hic autem dies inter mortem Domini & resurrectionem medius est, significans requiem quandam animarum ab omni labore omnium molestiarum post mortem, per quam fit transitus per resurrectionem
B carnis ad illam vitam, quam Dominus noster sua resurrectione præmonstrasse dignatus est. In hac die cum omni silentio & tranquillitate oportet nos manere: & cum oratione & psalmodia sanctam resurrectionis horam expectare: ne nos magis cura secularis infestet, & terrena negotia inquietent, quam spiritualia studia, & cura salutaris animarum nostrarum occupent. Hac autem die inclinante ad vesperam, statuta celebratio noctis Dominicæ in Ecclesia incipitur, & primum secundum institutionem Zosimi Papæ, Archidiacono cereum benedicente, apte quidem fit, vt in consecratione luminis paschalis celebratio incipiat, quæ æternæ lucis nobis contulit claritatem. Deinde lectionum veteris testamenti & orationum ordo peragitur, vt innotescat quanta expectatione
C à primordio mundi, per Patriarchas & Prophetas salus nostra præsagiebatur, quæ in Saluatoris nostri passione & resurrectione completa est. Deinde litaniæ aguntur, vt communicatio & memoria & oratio sanctorum, nos ad ventura gaudia consequenda adiuuet: quas sequitur baptismi sacramentum: & ascendit grex dealbatorum de lauacro. Quicunque autem scire desiderat, quanta authoritate & ratione, baptismum istius temporis nobis commendatur, legat decreta Leonis Papæ, & inueniet. Post baptismum vero & litanias, sequitur sancta missarum celebratio, & communicatio corporis & sanguinis Domini: cuius participatione quicunque fidelium se hac nocte abstinuerit, nescio quomodo dicam illum Christianum, exceptis his qui pro capitalibus criminibus excommunicari, pœnitentiam gerunt. Notandum vero quod apud Hieronymum legimus, quod in orientalibus Ecclesijs mos sit in hac nocte, ante mediam noctem fideles ab Ec-
D Mat. 25. clesia non recedere, horam illam expectantes in sacris vigilijs, de qua scriptum est: *Media nocte clamor factus est*, &c.

CAPVT XXXIX.

De Pascha Domini.

Iam vero Paschale sacramentum quod nunc in Saluatoris nostri mysterium manifestissime celebratur, in veteri testamento figuraliter primum gestum est, quando agno occiso, Pascha celebrauit populus Dei in Ægypto: cuius figura in veritate completa est in Christo: qui sicut ouis ad immolandum ductus est: cuius sanguine illinitis postibus nostris, id est, cuius signo crucis signatis frontibus nostris, à periclitatione huius seculi, tanquam à captiuitate Ægyptia liberamur. Cuius quidem diem Paschalis resurrectionis, non solum pro eo celebramus, quod in eodem à mortuis resurrexit, sed etiam & pro alijs sacramentis quæ per eundem significantur. Quia e-
Rom. 4. nim sicut dicit Apostolus: *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*, transitus quidem de morte ad vitam, in illa passione Domini & resurrectione sacratus est. Nam & vocabulum ipsum quod Pa-
E scha dicitur, non Græcum, sed Hebræum est. Neq; enim à passione, quoniam paschin πάσχειν Græce pati dicitur, sed à transitu Hebræo verbo Pascha appellatum est: quod & maxime Euangelista expressit, cum celebraretur à Domino Pascha cum discipulis: *Cum vidisset*, inquit Iesus, *quia venit hora vt transiret de mundo ad patrem*. Transitus er-
go de hac vita mortali in aliam vitam immortalem, hoc Ioann. 13.
est, de morte ad vitam, in passione & resurrectione Domini commendatur. Hic transitus à nobis modo agitur per fidem, quæ nobis datur in remissionem peccatorum, quando consepelimur cum Christo per baptismum: quasi à mortuis transeuntes de peioribus ad meliora: de corporalibus ad spiritualia: de conuersatione huius vitæ, ad spem futuræ resurrectionis & gloriæ. Propter ipsum ergo initium nouæ vitæ ad quam transimus, & propter nouum hominem quem iubemur induere & exuere veterem, expurgantes vetus fermentum, vt simus noua conspersio,
quoniam Pascha nostrum immolatus est Christus, propter hanc vitæ nouitatem, primus mensis in anni mensibus celebrationi attributus est: nam ipse dicitur & mensis nouorum. F
Quod vero in toto tempore seculi nunc tertium tempus apparuit, ideo resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante legem: secundum sub lege: tertium sub gratia: vbi iam manifestatum est sacramentum, quod erat in Prophetico ænigmate occultum. Hoc ergo & in lunari numero significatur. Quia enim numerus septenarius, solet in scripturis ad quandã perfectionem mysticus apparere, in tertia hebdomada lunæ, Pascha celebratur, id est, qui dies occurrerit à xv. in xxj. sed non solum propter tempus tertium, quia incipit hebdomada tertia, sed etiam propter illam conuersionẽ lunæ. Tunc enim illa ab inferioribus ad superiora cõuertitur: & hæc nobis de luna similitudo assumitur, de visibilibus ad inuisibilia, de corporalibus ad spiritualia sacramenta transire, vt magis magisq; huic sæculo moriamur,
& vita nostra abscondatur cum Christo, omnemq; lucem G
studij nostri quæ ad inferiora vergebat, ad superiora conuertamus, ad illam scilicet æternam contemplationem immutabilis veritatis. Vsque ad vicesimam primam ideo Pascha obseruatur, propter numerum septenarium quo vniuersitatis significatio sæpe figuratur, qui etiam ipsi Ecclesiæ tribuitur, propter instar vniuersitatis: ideoque & Ioannes Apostol. in Apocalypsi septem scribit Ecclesijs. Ecclesia vero adhuc in ista mortalitatis carne constituta, propter istam mutabilitatem, lunæ nomine in scripturis sæpe vocatur. Quod vero anniuersarius dies paschalis nõ ad eundem redit anni diem, sic vt puta dies quo creditur Dominus natus, hoc fit propter Dominicum diem & lunam. Manifestum est enim quo die Dominus crucifixus sit, & in sepulchro fuerit & resurrexerit. Adiuncta est e-
nim ipsorum dierum obseruatio per Nicenum cõcilium, H
& orbi vniuerso Christiano persuasum eo modo Pascha celebrari oportere, vt non solum lunam paschalem, sed & diem Dominicum in quæ resurrexit à mortuis, expectare debeamus. Inde est quod ad eundem anni non reuertetur Pascha. Nam Iudæi tantundem mensem nouorum & lunam obseruant: diem autem addendum patres nostri censuerunt, vt & nostra festiuitas à Iudæorum festiuitate distingueretur. Initium videlicet primi mensis obseruandum est, ab octauo Iduum Martiarum, vsque in Nonatum Aprilium diem. Quartadecima vero luna Paschæ, à duodecima kalen. Aprilis, vsq; in decimamquartam kalendas Maij, quærenda est. Porro dies Paschæ Dominica, ab vndecima kalendis Aprilis, vsq; in septimam kalendas Maij: & hoc à luna quindecima, vsq; ad vicesimam primam. Nunquam ergo contingere potest, vt luna xiv. primi mensis, ante vernale æquinoctium, quod fit in xij. kalendis Aprilis eueniat: quia luminare minus, luminare maius sequi in plenitudine sua nõ præcedere debet. Nam cum in veteri testamento tribus argumentorum indicijs paschale tempus obseruari sit præceptum, videlicet vt post æquinoctium in mense primo, vt tertia eius septimana, id est, à vespera xiiij. lunæ quod est initium xv. vsq; in vesperam, id est, terminus xxj. celebretur, quarta in eiusdem obseruatione regula est nobis à tẽpore Dominicæ

A resurrectionis imposita, vt cum æquinoctio transcenso lunam primi mensis quarta decima vesperæ ortum facere viderimus, non statim ad faciendum Pascha prosiliamus, sed Dominicum expectantes in ipso congrue Pascha celebremus, & si fieri posset, vt eadem omnibus annis sabati die luna quartadecima contigisset, nihil nostræ paschalis obseruantiæ tempus à legali discreparet. Nam & nos ipsi iuxta legis edicta, semper quartadecima luna primi mensis ad vesperam, immolantes & commedentes agni immaculati carnem, sanguinemque illius, ad repellendum exterminatorem nostris postibus aspergentes, id est, baptismi & paschalium celebrantes solennia missarum, spiritalem superaremus Ægyptum, atque illuscente mane in luna XV. mensis eiusdem, primum azymorum diem intraremus, septemque dies eiusdem celebritatis legitimos, à mane XV. diei, vsque in vesperam vicesimi primi mensis ipsius, id est, à Dominico Paschæ, vsq; in Dominicum octauum Paschæ, debita veneratione compleremus. Sed quoniam lunæ dies eodem diuersas septimanæ deuoluuntur in ferias, inde fit, vt qui propter B resurrectionem redemptoris nostri Dominicum diem Paschæ initium seruare docemur, aliquotiens nostra festiuitas septimo post legalium azymorum exordium sumat ingressum, nonnunquam tamen contingat, vt nostra solennitas paschalis, aliquem legalium paschæ dierum, sæpe autem omnes intra se complectatur. Notandum tamen, quod inter Pascha & azyma legis hoc distat, quod illa vna dies qua agnum occidi necesse erat, & nocte sequēti transiens Dominus primogenita Ægyptiorum percussit, liberans domus filiorum Israhel signatas anni sanguine, Pascha dicebatur, sequentes verò dies VII. id est, à XV. vsq; ad vicesimam primam mensis eiusdem, azymorum propriè vocabantur. Quem legalium morem Ecclesia non ignobiliter etiam imitatur, vnam videlicet noctē transitus dominicæ resurrectionis à mortuis, qua impios triumphando, fideles saluare dignatus est, principaliter obseruans, ac deinde alios septem dies in memoriam eiusdem dominicæ resurrectionis congrua festiuitate subiungens, quas VII. dies Albas vocitamus, propter eos qui C in sancta nocte baptizati, albis per totam hebdomadam vtuntur vestibus: & tunc maxime dum alba tolluntur à baptizatis vestimenta, per manus impositionem à pontifice Spiritum sanctum accipere conueniens est, qui in baptismo omnium receperunt remissionem peccatorum: & per VII. dies Euangelico castitatis habitu, & luminibus cœlestis claritatis, sanctis assistere sacrificijs solent. *Exod. 12.*

CAPVT XL.

De Ascensione Domini.

Ascensionis dominicæ solennitas ideo celebratur, quia eodem die post mundi victoriam, post inferni regressum, ascendere CHRISTVS, memoratur ad cælos, sicut scriptum est: *Ascendens in altum, cepit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Quæ festiuitas ideo per reuolutum circulum annorum celebratur, vt humanitas assumptæ carnis ascendens ad dexteram Patris in memoriam reuocetur: cuius corpus ita in cœlo esse credimus, vt erat quando ascendit, quod & vox angelica protestatur dicens: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* D id est, eadem carnis specie atque substantia, cui profecto carni immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Dextera autem Patris ad quam idem filius sedere creditur, non est corporea, quod nefas est de Deo sentire: sed dextera patris, est beatitudo perpetua, quæ sanctis in resurrectione promittitur, id est, vniuersæ Ecclesiæ quæ est corpus CHRISTI: sicut & sinistra eius intelligitur miseria & pœna perpetua, quæ impijs dabitur. Ante hanc ergo diem ascensionis Domini, mos est Ecclesiarum Occidentis, per tres dies proximos ieiunium exercere, & litanias agere, & hoc congrue. Nam si credimus CHRISTVM in hoc tempore ad cœlos ascendisse, dignum est etiam, vt ante ascensionis eius diem operam demus ieiunijs & orationibus, castigantes carnem nostram, & crucem eius in nobismetipsis gestantes, quatenus illum sequi mereamur. *Qui enim,* inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Sicut ergo portamus in manibus nostris speciem crucis eius, ita portemus & in carne nostra similitudinem passionis eius. *Qui autem sunt* CHRISTI: dixit Apostolus, *carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Et ita fiet, vt vbi CHRISTVS post resurrectionem suam cum gloria ascendit, illuc & nos resurgentes à mortuis, in carne incorruptibili per eius gratiam ascendere valeamus, sicut dicit idem Apostolus: *Si enim,* inquit, *complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* *Psal. 67.* *Actu. 1.* E *Luc. 9.* *Gal. 5.* *Rom. 6.*

CAPVT XLI.

De Pentecoste.

Initium sane & causa festiuitatis Pentecostes, id est, quinquagesimæ, paulo altius repetenda est. Pentecostes enim dies hinc cœpit exordium, quando Dei vox in Syna monte desuper intonans audita est, & lex data est Moysi. In nouo autem testamento Pentecostes cœpit, F quando aduentum sancti Spiritus quem CHRISTVS promisit, exhibuit, quem ait non esse venturum, nisi ipse ascendisset in cœlum. Deniq; dum portam cœli CHRISTVS intrasset, decem diebus interpositis, intremuit subito orantibus Apostolis locus, & descendente Spiritu sancto super eos, conflammati sunt, ita vt linguis omnium Gentium, Dei magnalia loquerentur. Aduentus itaque Spiritus sancti de cœlo super Apostolos in varietate linguarum diffusam, solennitatem transmisit in posteros, eaque de causa Pentecoste celebratur, & dies ipse proinde insignis habetur. Concordat autem hæc festiuitas Euangelij, cum festiuitate legis. Illic enim postea quam agnus immolatus est, interpositis quinquaginta diebus, data est lex Moysi scripta digito Dei. Hic postquam occisus est CHRISTVS, qui tanquam ouis ad immolandum ductus est, celebratur verum Pascha, & interpositis quinquaginta diebus, Spiritus sanctus datur, qui est digitus Dei, super CXX. discipulos Mosaicæ ætatis numero constitutos. Siquidem & hæc festiuitas aliud obtinet G sacramentum. Constat enim ex VII. septimanis. Sed dierum quidem septimanæ generant eandem Pentecosten in quo fit peccati remissio per Spiritum sanctum. Annorum vero septimanæ quinquagesimum annum faciunt, qui apud Hebræos iubilæus nominatur, in quo similiter terræ fit remissio, & seruorum libertas, & possessionum restitutio, quæ pretio fuerant comparata. Septem etenim septies multiplicari, quinquagenarium ex se generant numerum, assumpta monade quam ex futuri sæculi figura præsumptam esse, maiorum authoritas tradit. Fit enim ipsa & octaua semper & prima, immo ipsa est semper vna, quæ est omnis dies. Necesse est enim sabbatismum animatum populi illuc occurrere atq; ibi compleri, vbi datur pars his qui octo, sicut quidam differens Salomonis dicta, sapienter exposuit, idcirco autem totitius quinquagesimæ dies post dominicæ resurrectionem resoluta abstinentia in sola lætitia celebrantur, propter figuram futuræ resurrectionis, vbi iam non labor, sed requies erit lætitiæ. Ideo his diebus nec genua in oratione H flectuntur, quia sicut quidam sapientum ait, inflexu genuum, pœnitentiæ & luctus indicium est. Vnde etiam per omnia eandem in illis solennitatem quam dominico die custodimus, in qua maiores nostri nec ieiunium agendum, nec genua esse flectenda, ob reuerentiam dominicæ resurrectionis, tradiderunt. His diebus sanctis Alleluia propter gaudium resurrectionis assiduè esse cantandum in Ecclesia, magistri sanciuerunt Ecclesiæ. Quia vero à dominica Septuagesimæ toto tempore ieiuni, vsque in Pascha quo pœnitentiæ & corporis nostri mortificationi instare debemus, ab ista laude abstinendum est, licet nullo tempore in Ecclesia laus Dei desit, ita in diebus solennitatis paschalis, immo per totam Quinquagesimam vsque in Pentecosten, atque in dominicis diebus, quando lætari nos conuenit, & ieiunio relaxati, sine ces-

sationem illam in cantu frequentare debemus. Ante Pascha ergo tempus ieiunij, præsentis vitæ significationem tenet, quia propter peccata nostra pœnis ærumnisque quotidie affligimur. Tempus vero quinquagesimæ paschalis, futuram resurrectionem corporum nostrorum, id est, æternam in cœlis vitam, eo quod caput nostrum eo tempore resurrexerit, demonstrat, ac ideo cœleste canticum alleluia, quod Iohannes Apostolus in cœlis sanctorum turbam multam canere in Apocalypsi commemorat, eo tempore frequentandum esse, quo immortalitatem nostram desideramus, Saluatoris nostri glorificationem celebrantes, & hoc optandum, vt qui in terra aliena positi, canticum Domini cantare digne non possumus, ad terram viuentium perueniamus, qua sine fine gaudentes, canticum nouum Domino sine cessatione in æternum decantemus. In sabbato autem sancto Pentecostes, sicut in sabbato sancto Paschæ, baptismum celebratur, lectionibus veteris testamenti ante recitatis, & orationibus atque litanijs ante peractis, subsequente sancta missarum celebratione. Bene quoque sabbatum sanctum Pentecostes simili celebratione sabbato sancto Paschæ veneratur, quia ipse vnigenitus Dei filius in fide credentium, & in virtute operum, nullam inter se & Spiritum sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diuersitas in natura, dicens: *Ego rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit vobis, vt vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis.* (Ioh. 14.) Et iterum: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater meus in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vniuersa quæcunque dixero vobis.* (Ibidem.) Et iterum, *Cum venerit ille Spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem.* (Eodem.) Cum vtique veritas CHRISTVS sit, & Spiritus sanctus veritas, nomenque paracleti vtrique sit proprium, non dissimile est festum, vbi semper vnum est sacramentum.

CAPVT XLII.

De die Dominico.

Dominicum diem Apostoli ideo religiosa solennitate sanxerunt, quia in eodem redemptor noster à mortuis resurrexit, ideo dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus vel mundi illecebris abstinentes, tantum diuinis cultibus seruiamus, dantes scilicet diei huic honorem & reuerentiam, propter spem resurrectionis nostræ, quam habemus in illa. Nam sicut ipse Dominus Iesus CHRISTVS & Saluator noster tertia die resurrexit à mortuis, ita & nos resurrecturos in nouissimo die speramus. Vnde etiam in dominico die stantes oramus, quod est signum futuræ resurrectionis. Hoc agit Ecclesia vniuersa, quæ in peregrinatione mortalitatis inuenta est, expectans in fine seculi, quod in Domini nostri Iesu CHRISTI corpore præmonstratum est, qui est primogenitus à mortuis. Sabbatum autem à priore populo in otio corporaliter celebratum legimus, vt figura esset in requiem, vnde & sabbatum requies interpretatur. Dies autem dominicus, non Iudæis sed Christianis per resurrectionem Domini declaratus est, & ex illo cœpit habere festiuitatem suam. Ipse est enim dies primus, qui post septimum repetitur octauus, vnde & in Ecclesiaste ad duorum testamentorum significationem dicitur: Illi septem, idem illi octo. Primo enim solum celebrandum sabbatum traditum est, quia erat antea requies mortuorum, resurrectio autem nullius erat vsque ad CHRISTVM Dominum, qui resurgens à mortuis, non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Iam postquam facta est talis resurrectio in corpore Domini, vt præiret in capite Ecclesiæ, quod corpus Ecclesiæ speraret in fine, dies Dominicus octauus qui & primus in festiuitate, successit. Apparet autem hunc diem etiam in scripturis sanctis esse solennem. Ipse enim est dies primus seculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt Angeli, in ipso quoque à mortuis resurrexit CHRISTVS, in ipso de cœlis Spiritus sanctus super Apostolos descendit, manna in eo die in eremo primo de cœlo datum est. (Exod. 16.) Sic enim dicit Dominus: *Sex diebus colligetis manna, in die autem sexto duplum colligetis.* Sextus enim dies est parasceue, qui ante sabbatum ponitur, sabbatum autem octauus dies est, quem sequitur dominicus, in quo primum manna de cœlo venit. Vnde intelligant Iudæi, iam tunc prælatum esse Iudaico sabbato dominicam nostram, iam tunc indicatum, quod in sabbato ipsorum, gratia DEI de cœlo ad eos nulla descenderit, sed in nostra dominica, in qua primum dominus eam pluit.

CAPVT XLIII.

De Festiuitatibus Sanctorum.

Festiuitates Apostolorum siue in honorem martyrum solennitates, antiqui patres in venerationis mysterio celebrare sanxerunt, vel ad excitandam imitationem, vel vt meritis eorum consociemur, atque orationibus adiuuemur, ita tamen, vt nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamuis in memorijs martyrum constituamus altaria. (August. de Ciui. Dei.) Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit, offerimus tibi Petre aut Paule aut Cypriane? Sed quod offertur, Deo offertur, qui martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit, quod ex ipsorum amore maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possemus, & in illo quo adiuuante possimus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum sentimus, sed illos tanto deuotius, quanto securius post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiori laude prædicamus, iam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At vero illo cultu qui Græce latria λατρεία dicitur, Latine vno verbo dici non potest, cum proprie sit quædam diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificij, vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo aliquid tale offerimus aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ vel cuiquam Angelo, & quisquis in hunc errorem dilabitur, corripiatur per sanam doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur dum etiam ipsi sancti vel homines vel Angeli, exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi norint. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba cum commoti miraculis, quæ per eos facta sunt Lycaonij, tanquam dijs immolare voluerunt. (Act. 14.) Conscissis enim vestimentis suis, confitentes, & persuadentes se Deos non esse, ista sibi vetuerunt. Apparuit & in Angelis sicut & in Apocalypsi legimus, angelum se adorare, prohibentem ac dicentem adoratori suo: *Conseruus tuus sum & fratrum tuorum, Deum adora.* (Apoc. 19.) Recte itaque scribitur homini ab angelo prohibitum esse adorare se, sed vnum Deum sub quo ei esset & ille conseruus. Non ergo sit nobis ille diuinæ religionis cultus in Angelos aut martyres, quia non sic habentur vt tales quærant honores vt Deus, quia nec ipsi volunt se coli pro Deo, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur. Honorandi ergo sunt martyres, propter imitationem, non adorandi propter religionem, honorandi charitate, non seruitute. Notandum vero quod Felix, papa Romanus vigesimus septimus, post sanctum Petrũ legitur constituisse supra memorias martyrum missas celebrari. Attamen beatus Greg. pap. sexagesimus sextus Romanæ vrbis constituit supra corpus missas celebrari. Dicuntur quædam festiuitates natalitia, & merito. Quomodo enim consueti nasci dicitur, cum quis de vtero matris procedens, hanc in lucem egreditur: ita rectissime potest natus dici, quia vinculis carnis solutus, ad lucem sublimatur æternam, & inde mos obtinuit Ecclesiasticus, vt dies beatorum martyrum siue confessorum Christi, quibus de seculo transierunt, natales vocitemus, eorumque solennia, non funebria, sed natalitia dicantur.

A

CAPVT XLIV.

De sacrificijs pro defunctis offerendis.

SAcrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orate, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus, quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim vbique catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum specialibus vel eleemosynam faceret, vel sacrificium offerret. Nam & cum dicit, *qui peccauerit in spiritum sanctum, non remittetur ei in hoc seculo, neque in futuro*, demonstrat quibusdam illic dimittēda peccata, & quosdam purgatorio igne purganda. Ergo vt in libris dialogi sanctus Gregorius narrat, & Beda magister in Gestis Angelorum, frequenter exemplo ostensum seu visione reuelatum est, animabus defunctorum multum prodesse pro eis sacrificia. Et in quodam loco dictum est à sancto Augustino, defunctorum animas sine dubio pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium offertur, vel eleemosynæ fiunt, si tamen aliquod quisque sibi meritum præparauit, dum adhuc in corpore viueret, pro quo ista prosit, quæcunq; pro illo fiunt. Nam non omnibus prosunt, nisi pro differentia vitæ, quæ quisque gessit in corpore. Nam pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde bonis, & non valde malis, propitiationes sunt, pro valde malis, si etiam nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescuuque tamen viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certe vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Matt. 12.

B

CAPVT XLV.

De Encænijs, & vnde omnis ordo ille originem duxerit.

FEstiuitates annuas dedicationis Ecclesiarum, ex more veterum celebrari, in Euangelio legimus, vbi dicitur: *Facta sunt autem encænia Ierosolymis.* Encænia quippe festiuitates erant dedicationes templi. Græcè enim *καινὸν*, dicitur nouum. Quodcunque enim aliquid nouum fuerit dedicatum, encænia vocatur. Illum enim diem quo dedicatum est templum à Salomone, sicut Regum liber & Paralipomenon narrat, Iudæi solenniter celebrabant, & ipse dies apud eos festus habebatur, qui vsus videlicet in illis exoleuit, qui caruerunt & cultu & templo. Christiani autem seruant morem illum patrum, in quibus gloria translata videtur. Nam quod in dedicatione templi in nocte præcedente diem dedicationis, reliquiæ sanctorum feretro conditæ, in tentorio vigilijs custodiuntur, quid aliud demonstrat, quam quod arca testamenti cum sanctis quæ in ea erant, in tabernaculo Mosaico ante ædificationem templi per excubias Leuitarum seruabatur. Et quod in tempore dedicationis multitudine vndique conuocata, feretrum cum reliquijs sanctorum per sacerdotes de tentorio ad templum fertur, quid aliud intimat, quam quod liber Paralipomenon narrat, quod *venerunt omnes viri Israel ad regem Salomonem in die solenni, & portauerunt Leuitæ arcam fœderis Domini cum omni apparatu, tabernaculi, & intulerunt eam sacerdotes in locum suum*, id est, oraculum templi in sancta sanctorum? Quod vero Pontifex simul cum sacerdotibus feretrum portantibus, & omni clero ac cætero populo laudem & litanias canendo antequam ingrediatur in templum, ter foris illud circuit, quid aliud significat, quam quod in aduentu Domini & sanctorum eius, qui fit per inuocationem eius sicut ipse dixit. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum, omnis superbia & virtus diaboli, si qua in domo latitauerit, corruat & dissipetur*, & quod secundum Prophetiam, *exaltabitur Dominus solus in die illa, & vocabitur deinceps nomen loci illius Dominus*, ibidem. Legimus etiam in Iesu Naue, quod sacerdotes & Leuitæ, atque vniuersus Israel simul cum arca domini circumirent vrbem Iericho, *& sacerdotibus clangentibus buccinis & conclamante vniuerso populo, subito corruerunt muri ciuitatis*, quod vtique significat

Ioh. 10.

C

2. Para. 5.

D

Matt. 18.

ad vocem prædicationis & laudis domini post Saluatoris aduentum, superbiam mundanam corruisse: & regnum Diaboli destructum esse. Quod vero duodecim lucernæ intus iuxta parietes templi ponuntur, duodenarium numerum exprimit Apostolorum & Patriarcharum, quem etiam Iohannes Apo. in Apocalypsi commemorat, in ædificio cœlestis Ierusalem esse insignem. Quod vero altare post aspersionem aquæ crismare perungitur, ad imitationem Patriarchæ Iacob factum est: qui *post visionem illam terribilem, erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper, vocans locum, domus Dei.* Legiturque in Exodo, quod Moyses faceret sanctum vnctionis oleum: vngeretque ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum & vtensilia eius, altare thymiamatis & holocausti, & vniuersam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet. Aaron quoque & filios eius, vt sacerdotio Domini fungerentur. Benedicit, vt res sacrificandæ sacro chrismatis liniantur vnguento, vt demonstretur, quod omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto chrismate ad sanctificationem præbendam permixta est. Quod vero tunc incensum à Pontifice super altare ponitur, significat sacerdotis puram super illud orationem esse debere, vt possit dicere Domino cum Propheta. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Quod autem subtus tabulam altaris reliquiæ sanctorum ponuntur, significat sanctos sub throno Dei sedes & requiem habere. Testatur etiam hoc Iohannes in Apocalyp. cum dicit: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Vsquequo Domine sanctus verus, non vindicas & iudicas sanguinem de his qui habitant in terra? Et data sunt his singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleantur conserui eorum & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.* Perfecta vero dedicatione templi & altaris, induit se Pontifex & clerus vestimentis alijs, & celebrant solenniter sanctarum missarum celebrationem. Et hoc ex veteri vsu seruatum est, quia legitur in Paralipomenon, quod *postquam collata sit arca in loco suo*, id est, in sanctis sanctorum, *& egressis sacerdotibus de sanctuario, omnes sacerdotes sanctificati sint, & tam Leuitæ quam cantores, & qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithum, filij & fratres vestiti byssinis, cymbalis & psalterijs, & citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris*, & rel. Et item, *Rex autem & omnis populus, immolabant victimas coram Domino.* Et paulo post: *Et dedicauit domum Dei rex & vniuersus populus. Sacerdotes autem stabant in officijs suis*, &c. In hoc autem istud præstantius est veteri illi dedicationi, quod illic mactabantur boum & ouium multa millia: hic vero immolatur agni illius corpus, qui abstulit peccata mundi, illic concrepabat multitudo tubarum & cymbalorum, & cætera instrumenta musicorum, hic autem iubilus ex deuoto pectore prolatus, suauiter sonat per voces hominum. Quantum autem distat ab vmbra veritas, tantum distat à legali victima nostrum sacrificium, & quantum præstat insensibili sensibile, tantum præstat laus vocis humanæ ex puro corde prolata, inani flatu tubarum, & percussione cymbalorum. Sed quia omnia in figuram contingebant illis, & nos reuelata facie gloriam Domini contemplamur, morem illum veterum translatum in nostra religione, tanto congruentius, quanto verius obseruamus. Omnes autem festiuitates pro varietate religionum, diuersaque in honorem martyrum tempora, ideo à viris prudentibus instituta sunt, ne forte rara congregatio populi fidem minueret in CHRISTO. Propterea ergo dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter conuenirent, & ex conspectu mutuo, & fides crescat, & lætitia maior oriatur.

E

Gene. 28.

F

Psal. 140

Apoc. 6.

2. Par. 5.

G

CAPVT XLVI.

De Festiuitate veterum, & vnde & festa vel feriæ sint dicta.

FEsti autem dies in veteri lege isti fuerunt, dies azymorum & Phase, quando luna plenissima abiecto fermento

mento agnus immolabatur, dies Pentecostes, qua in vertice montis Sina lex data est Moysi, in quo de frugibus primi panes offerebantur propositionis, dies sabbathorum, in quo otia celebrabantur, & in quo manna in deserto non licebat colligere, dies neomeniorum, celebratio nouae lunae. Semper autem Iudaei in mensium principio, hoc est prima luna, diem festum agebant. Sed idcirco in principio mensis hoc faciebant, quia deficiente luna, tempus finitur, & iterum nascente, incipitur. Dies autem tubarum, septimi mensis principium est, quando Iudaei solennitatem agentes amplius tuba canebant, & plura offerebant in eo sacrificia, quam per singulos menses. In hoc mense primo, decimo die mensis huius, dies propitiationum siue expiationum erat, quando Pontifex semel in anno introibat in sancta sanctorum, & populo foris orante, ipse solus intus orabat, tam pro sua quam populi ignorantia offerens incensum Domino super altare thymiamatis. In quo mense & dies erant celeberrimi scenopegiae, id est, tabernaculorum, quando à quintodecimo die mensis huius, per septem dies in vmbraculis habitabant, sumentes sibi spatulas palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & laetabantur coram Domino Deo suo, in commemorationem exitus illorum de Ægypto, quod Dominus eos in tabernaculis habitare fecerit, cum eduxerit eos de terra Ægypti. Dies ieiunij, primi, quarti, septimi & decimi mensis ob eas causas celebres apud eos fuerunt, ob quas supra commemorauimus, cum de ieiunio disputabamus. Festi autem inde vocantur, quod ius in eis fatur, id est, dicitur, & nefasti, quibus non dicitur. Similiter & feriae à fando dicuntur. ob quam causam Syluester Papa primus apud Romanos constituit, vt dierum nomina quae antea secundum nomina deorum suorum vocabant, id est, Solis, Lunae, Martis, Mercurij, Veneris, Saturni, feria deinceps vocarent, id est, prima feria, secunda feria, tertia feria, iv. feria, v. feria, vi. feria, quia in principio Genesis scriptū est, quod Deus per singulos dies dixerit: prima *fiat lux*, secunda, *fiat firmamentum*, tertia, *producat terra herbam virentem*, similiter &c. Sabbatum autem antiqua legis vocabulo vocare praecepit & primam feriam diem dominicam eo quod Dominus in illa resurrexit. Statuit autem idem Papa, vt otium sabbati magis in diem dominicam transferretur, vt ea die à terrenis operibus ad laudandum Deum vacaremus, iuxta illud quod scriptum est: [Psal. 45] *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Secundum hunc autem morem in natalitijs sanctorum vacare, id est, ad laudes Dei celebrandas, sancta nos iubet Ecclesia. Caeterum qui his diebus ad hoc vacare vult ab agri cultura, vt crapulae & ebrietati deseruiat, vel iocis inanibus operam det, agnoscat se magis peccare per tale otium, quam si alicui vtili operi insisteret, Salomone teste, qui ait: [Prov. 23] *Vae illis qui morantur in vino, & student calicibus epotandis*, & item, [Prov. 14] *acceptus, inquit, regi, minister est intelligens, iracundiam inutilis sustinebit.* Sed quia de festiuitatibus celebrioribus, ad instructionem eorum qui in Ecclesia Deo seruiunt, & populo praesunt, secundum sensum maiorum iam supra diximus, de origine quoque cantus, & lectionum, & authoritate symboli, adhuc in praesenti dicamus.

CAPVT XLVII.

De Cantico.

Canticum enim primus omnium Moyses legitur instituisse, quando percussa Ægypto decem plagis, & Pharaone submerso, cum populo per insueta maris itinera, ad desertum gratulabundus egressus est dicens: [Exod. 15] *Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est.* Item, idem author in Deuteronomio canticum praesagium futurorum conscripsit. Deinde quoque Debbora non ignobilis foemina, in libro Iudicum hoc mysteria functa reperitur: postea multos non solum viros, sed etiam foeminas spiritu diuino completas, Dei cecinisse mysteria. Canticum autem, vox humana est: Psalmus autem, qui canitur ad Psalterium.

CAPVT XLVIII.

De Psalmis.

Psallere autem vsum esse primum Moysen, Dauid Prophetam in magno mysterio prodit Ecclesia. Hic enim à pueritia in hoc munus à Domino specialiter electus, & cantorum princeps, psalmorumque thesaurus esse promeruit. Cuius Psalterium idcirco cum melodia cantilenarum suauium ab Ecclesia frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur. Primitiua autem Ecclesia ita psallebat, vt modico flexu vocis faceret resonare psallentem: ita vt pronuncianti vicinior esset quam canenti. Propter carnales autem in Ecclesia non propter spiritales, consuetudo cantandi est instituta, vt quia verbis non compunguntur, suauitate modulaminis moueantur. Sic namque & beatissimus Augustinus in libro Confessionum suarum, consuetudinem canendi approbat in Ecclesia, vt per oblectamenta inquit aurium, infirmior animus ad effectum pietatis exurgat. Nam id ipsis sanctis dictis, religiosius & ardentius mouentur animi nostri ad flammam pietatis cum cantatur, quam si non cantetur. Omnes enim affectus nostri pro sonorum diuersitate vel nouitate, nescio qua occulta familiaritate excitantur magis, cum suaui & artificiosa voce cantatur. Psalmistam autem & voce & arte praeclarum illustremque esse oportet, ita vt oblectamento dulcedinis, animos incitet auditorum. Vox autem eius non aspera vel rauca, vel dissona, sed canora erit, suauis, liquida, atque acuta, habens sonum & melodiam sanctae religionis congruentem, non quae tragicam exclamet artem, sed quae Christianam simplicitatem in ipsa modulatione demonstret, neque quae musico gestu, vel theatrali arte redoleat, sed quae compunctionem magis audientibus faciat. Perfecta autem vox est, alta, clara & suauis: alta, vt in sublime sufficiat: clara, vt aures adimpleat: suauis, vt animis audientium blandiatur. Si autem ex his aliquid defuerit, perfecta vox non erit. Antiqui enim pridie quam cantandum erat, cibis abstinebant: pallentia tantum legumina causa vocis sumebant, vnde & vulgo cantores fabarij dicti sunt. Si ergo hoc apud Gentiles tantum seruandae vocis causa agebatur, quanto magis apud Christianos, quos non tam vocis, quam virtutis ipsius tenet cura, ab omni illecebra voluptatum abstinere oportet.

CAPVT XLVIIII.

De Hymnis.

Hymnos primum eundem Dauid Prophetam condidisse ac cecinisse, manifestum est: deinde & alios Prophetas. Postea quidem & tres pueri in fornace positi, conuocata omnium creatura, creatori omnium hymnum canentes dixerunt. Itaque & in hymnis & psalmis, canendis, non solum Prophetarum, sed etiam ipsius Domini & Apostolorum habemus exemplum: & praecepta de hac re vtilia ad mouendum pie animum, & inflammandum diuinae dilectionis affectum. Sunt autem diuini hymni, sunt & ingenio humano compositi. Hilarius autem Gallus Episcopus, Pictauis genitus, eloquentia conspicuus, hymnorum carmine floruit primus, post quē Ambrosius Episcopus vir magnae gloriae in CHRISTO, & in Ecclesia clarissimus doctor, copiosus in huiusmodi carmine floruisse cognoscitur, atque inde hymni ex eius nomine Ambrosiani vocantur: quia eius tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt, cuius celebritatis deuotio, de hinc per totius Occidentis Ecclesias obseruatur. Carmina autem quaecunque in laudem Dei dicuntur, hymni vocantur.

* * * * *

A

CAPVT L.

De Antiphonis.

ANtiphonas Græci primi composuerunt, duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo Seraphim, duoque testamenta inuicem sibi conclamantia. Apud Latinos autem primus idem beatissimus Ambrosius Antiphonas instituit, Græcorum exemplum imitatus, ex hinc in cunctis occiduis regionibus, earum vsus increbuit.

CAPVT LI.

De Responsoriis.

REsponsoria ab Italis longo tempore ante sunt reperta, & vocata hoc nomine, quod vno canente chorus reconsonando respondeat. Antea autẽ id solus quisque agebat, nunc interdum vnus, interdum duo vel tres

B

communiter canent, choro in plurimis respondente.

CAPVT LII.

De Lectionibus.

LEctiones pronunciare, antiquæ institutionis esse, Iudæorum traditio habet. Nam & ipsi legitimis præfinitisque diebus, ex lege & Prophetis, lectionibus vtuntur, & hoc de veteri patrum institutione seruantes. Est autem lectio non parua audientium ædificatio: vnde oportet vt quando psallitur, psallatur ab omnibus: cum oratur, oretur ab omnibus: cum lectio legitur, facto silentio æque audiatur à cunctis. Nam & si tunc superueniat quisq; cum lectio celebratur, adoret tantum Deum, & præsignata fronte, aurem sollicite accommodet. Patet tempus orandi, cum omnes oramus: patet cum voluerit orare priuatim, obtentu orationis. Ne perdideris lectionem, quia non semper quilibet paratam eam potest habere, cum orandi potestas in promptu sit: nec putes

C

paruam nasci vtilitatem ex lectionis auditu: siquidem oratio ipsa fit pinguior, dum mens recenti lectione signata, per diuinarum rerum (quas nuper audiuit) imagines currit. Nam & Maria soror Marthæ, quæ sedens ad Luc. 10.
pedes Iesu sorore neglecta, verbum intentius audiebat, bonam partem sibi elegisse Domini voce firmatur. Ideo & diaconus clara voce silentium admonet: vt siue dum psallitur, siue dum lectio pronunciatur, ab omnibus vnitas conseruetur, vt quod omnibus prædicatur, æqualiter ab omnibus audiatur. Quicunque enim officium decenter & rite peragere vult, doctrina & libris debet esse imbutus, sensuumque ac verborum scientia perornatus, ita vt in distinctionibus sententiarum intelligat, vbi finiatur iunctura, vbi adhuc pendeat oratio, vsque vbi sententia extrema claudatur, sicque expeditus, vim pronunciationis obtinebit, vt ad intellectum mentes omnium sensusque permoueat: Discernenda genera pronuntiationum, atque exprimendo proprios sententiarum affectus, modo voce indicantis simpliciter, modo dolentis, modo indignantis, modo increpantis, modo exhortantis, modo miserantis, modo percontantis, & his similia secundum genus propriæ pronunciationis, expromenda sunt. Multa sunt enim in scripturis, quæ nisi pro-

D

prio modo pronuntientur, in contrariam recedunt sententiam, sicut est illud Apostoli: *Quis accusabit aduersus electos Dei, Deus qui iustificat.* Quod si quasi infirmatiue Rom. 8.
non seruato genere pronuntiationis suæ dicatur, magna perditas oritur. Sic ergo pronuntiandum est, vt præcedat percunctatio, sequatur interrogatio. Inter percunctationem autem & interrogationem, hoc veteres interesse dixerunt, quod ad percontationem multa responderi possunt, ad interrogationem vero, aut non, aut etiam. Pronuntiabitur ergo ita, vt post percunctationem qua dicimus: *Quis accusabit aduersus electos Dei.* Illud quod sequitur, sono interrogantis enuncietur. *Deus qui iustificat,* vt tacite respondeatur, non. Et per item percontemur:

E

Quis est qui condemnat, rursusque interrogemus, Christus Iesus qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, quæ est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis, vt vbique tacite respondeatur, non. At vero in illo loco vbi ait: *Quid ergo dicemus, quia Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam,* nisi post percunctationem qua dictum est: *Quid ergo dicemus?* item responsio subijciatur, *quia Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam,* textus consequens non cohærebit. Et alia Rom. 9.
multa sunt, quæ propriam similiter vim pronunciationis quærunt. Præterea & accentuum vim oportet lectorem scire, vt nouerit in qua syllaba vox protendatur pronunciantis, quia multæ sunt dictiones, quæ solum modo accentu discerni debent à pronunciante, ne in sensu earum erretur. Sed hæc à Grammaticis discere oportet. Porro vox lectoris simplex esse debet & clara, & ad omne pronunciationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem & subrusticum effugiens sonum, non humilis, nec adeo sublimis: non fracta, non tenera, nihilque fœmineum sonans: non habens inflata vel anhelantia ver-

F

ba, non in faucibus frendentia, nec oris inanitate resonantia, nec aspera frendentibus, non hiantibus labris prolata, sed pressim & æqualiter, & leniter & clare pronunciata, vt suis quæque literæ sonis enuncientur: & vnumquodque verbum legitimo accentu decoretur, nec ostentationis causa, frangatur oratio. Corporis quoque motum impudentem habere non debet, sed grauitatis speciem, auribus enim & cordi consulere debet lector, non oculis: ne potius ex seipso spectatores magis, quam auditores faciat. Vetus opinio est, lectores pronunciandi causa, præcipuam curam vocis habuisse, vt exaudiri in tumultu possint, vnde & dudum lectores præcones vel proclamatores vocabantur.

CAPVT LIII.

De libris duorum testamentorum.

PRonunciantur autem lectiones in CHRISTI Ecclesijs, de scripturis sanctis. Constat autem eadem

G

sacra scriptura ex veteri lege & noua. Vetus lex illa est, quæ data est primum Iudæis per Moysen & Prophetas: quæ dicitur vetus testamentum. Testamentum aũt dicitur, quia idoneis testibus vtique à Prophetis scriptum est atque signatum. Noua vero lex est Euangelium, quod dicitur nouum testamentum, quod per ipsum filium Dei CHRISTVM & suos Apostolos dedit. Illa lex vetus velut radix est: hæc noua velut fructus ex radice. Ex lege enim venitur ad Euangelium. Siquidem CHRISTVS qui hic manifestatus est, ante in lege prædictus est. Immo ipse locutus in Prophetis, sicut scriptum est. *Qui loquebar, ecce assum, legem præmittens velut infantibus pædagogum, Euangelium vero, perfectum vitæ magisterium, iam adultis omnibus præstans.* Ideo in illa operantibus, bona terræ promittebantur, hic vero sub gratia ex fide viuentibus regnum cœleste tribuitur. Euangelium autem dicitur bonum nuncium, & reuera bonum nuncium: vt qui susceperint, filij Dei vocentur.

H

HI SVNT ERGO LIBRI VETERIS TESTAMENTI, QVOS sub amore doctrinæ & pietatis legendos recipiendosque, Ecclesiarum principes tradiderunt.

PRimi namque legis, id est, Moysi, libri, quinque sunt, Genesis, Exodi, Leuitici, Numeri, Deuteronomij. Hos sequuntur historici libri quindecim, Iesu Naue scilicet, & Iudicum libri singuli siue Ruth. Regum etiam libri quatuor. Paralipomenon duo. Tobiæ quoque & Hester, & Iudith singuli. Esdræ duo, & duo Machabæorum. Super hos Prophetici libri sedecim sunt, Esaias, Hieremias, Ezechiel & Daniel, Libri singuli.

A Duodecim quoque Prophetarum libri singuli, & hæc quidem Prophetica sunt. Post hæc verò sunt octo libri habentur, qui diuerso apud Hebræos metro scribuntur: id est, Iob liber, & liber Psalmorum, & Prouerbiorum, & Ecclesiastes, & Cantica Canticorum, Sapientiæ & Ecclesiasticus, Lamentationesque Hieremiæ. Sic complentur libri veteris Testamenti quadraginta quinque. Noui autem Testamenti primum, quatuor Euangelia sunt, Matthæi, Marci, Lucæ, Iohannis. Hos quatuordecim Pauli Apostoli Epistolæ sequuntur: quibus etiam subiunctæ sunt septem canonicæ Epistolæ, Iacobi, Petri, Iohannis & Iudæ. Actus quoque duodecim Apostolorum: quorum omnium signaculum est Apocalypsis Iohannis, quod est reuelatio Iesu CHRISTI, qui omnes libros & tempore concludit & ordine. Hi sunt libri Canonici septuaginta duo, & ob hoc Moyses septuaginta elegit presbyteros qui prophetizarent: Ob hoc & Iesus Dominus noster, septuaginta duos discipulos prædicare mandauit. Et quomodo septuaginta B duæ linguæ in hoc mundo erant diffusæ, congrue prouidit Spiritus sanctus, vt tot libri essent quot nationes, quibus populi & Gentes, ad perficiendam fidei gratiam ædificarentur.

CAPVT LIIII.

De scriptoribus sacrorum librorum.

Veteris autem Testamenti secundum Hebræorum traditionem, hi scriptores habentur. Primum Moyses scripsit Pentateuchum. Iesu Naue edidit librum suum. Iudicum autem & Ruth, & Samuelis primam partem scripsit Samuel: sequentia Samuelis vsque ad calcem, scripsit Dauid. Malachim totum edidit Ieremias: nam ante sparsus erat per singulorum regum historias. Iob librum Hebræi Moysen scripsisse putant, alij vnum ex Prophetis. Psalterium vero scripserunt decem Prophetæ, id est, Moyses, Dauid, Salomon, Asaph, Ethan, Idithun, Eman, & filij Choræ, id est Asir, Elchana, Ephialab. Sunt qui & Esdram, & Aggæum, & Zachariam C scripsisse dicant. Salomon scripsit Prouerbia, & Ecclesiasten, & Cantica canticorum. Esaias scripsit librum suum, similiter & Ieremias cum Lamentationibus eius. Viri Synagogæ sapientes, scripserunt Ezechielem, Danielem, & Paralipomenon, & Esther. Esdra scripsit librum suum. Omnes autem hos libros idem Esdra post post incensam legem à Chaldæis, dum Iudæi ingressi fuissent in Ierusalem, diuino afflatus Spiritu reparauit, cunctaque Prophetarum volumina, quæ fuerant à Gentibus corrupta, correxit: totumque testamentum in viginti duos libros constituit, vt tot libri essent in lege, quot habentur & literæ. Primum post Esdram editionem de Hebræo in Græcum Septuaginta interpretes ediderunt, sub Ptolemæo Ægyptiorum rege, successore Alexandri, qui in legendo studiosus fuit, omniumque libros Gentium congregauit. Iste enim ab Eleazaro qui erat Princeps sacerdotum, multa dona mittens ad templum, petit vt senes de duodecim tribubus Israel transmitterentur, qui interpretarentur omnes libros eorum, & vt fi- D dem interpretationis aduerteret, singulis eorum qui fuerunt destinati, singulas cellulas dedit, & assignans omnibus, omnes scripturas iussit interpretari. Qui cum per LXX. dies istius rei negotium adimplessent, omnium simul interpretationes, quas per diuersas cellas segregati nullo ad nullum propinquante fecerunt, congregauit in vnum, atque ita omnes libri interpretati per Spiritum sanctum inuenti sunt, vt non solum intellectu, verum etiam & in sermonibus consonantes inuenirentur. Hæc fuit prima interpretatio vera ac diuina. Hos libros meditari omnium Gentium Ecclesiæ primum cœperunt: eosdemque de Græco in Latinum interpretantes, primi Ecclesiarum prouisores tradiderunt. Post hæc secundam editionem Aquila, tertiam & quartam Theodotion & Symmachus ediderunt: ambo Iudæi proselythi, quintam vero & sextam editionem Origines reperit: & cum cæteris supradictis editionibus comparauit. Hi E sunt itaque tantum, qui scripturas sacras de Hebræo in Græcum sermonem verterunt, quinque etiam & numerantur. Nam Latinorum interpretum qui de Græco in nostrum eloquium transtulerunt, vt meminit sanctus Augustinus, infinitus numerus est. Sicut enim, inquit, primis fidei temporibus ad manus venit codex Græcus, atque aliquantulum esse sibi vtriusque linguæ peritiam sensit, ausus est statim interpretari, atque inde accidit tam innumerabiles apud Latinos extitisse interpretes. De Hebræo autem in Latinum eloquium, tantummodo Hieronymus presbyter sacras scripturas conuertit: cuius editione generaliter omnes Ecclesiæ vsquequaque vtuntur, proeo quod veracior sit in sententijs, & clarior in verbis. Librum Sapientiæ Salomon scripsisse probatur, testimonijs illis quibus ibi legitur: *Tu me*, inquit, *elegisti regem populo tuo, & dixisti, ædificare templum nomini sancto tuo, in ciuitate sanctæ habitationis tuæ.* Hoc opus Hebræi (vt quidam sapientum meminit,) inter canonicas scripturas recipiebant. Sed postquam comprehendentes CHRISTVM interfecerunt, memorantes in eodem libro tam euidentissima de CHRISTO testimonia quibus dicitur: *Dixerunt inter se impij, Comprehendamus iustum quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat.* Et infra: *Si enim est vere filius Dei, suscipiet illum & liberabit illum de manu contrariorum.* Ac deinde: *Vt sciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam eius, morte turpissima condemnemus eum*, collatione facta, *ne nostri eos pro tam aperto sacrilegio derogarent, à propheticis eum voluminibus reciderunt, legendumque suis prohibuerunt.* Librum autem Ecclesiasticum composuit Iesus filius Syrach Hierosolymitanus, nepos Iesu sacerdotis, de quo meminit Zacharias. Qui liber apud Latinos, propter eloquij similitudinem, Salomonis titulo prænotatur. Præterea Iudith & Tobiæ siue Machabæorum libros, qui authores scripserint, minime constat.

Sap. 9. F Sap. 2. Ibidem.

Nouum autem Testamentum, quatuor libros Euangeliorum, quatuor Euangelistæ singulos scripserunt: G quorum solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri Græco. Paulus Apostolus suas scripsit Epistolas, ex quibus nouem septem Ecclesijs scripsit, reliquas discipulis suis, Timotheo, Tito, & Philemoni. Ad Hebræos autem Epistola plerisque Latinis eius esse incerta est, propter dissonantiam sermonis, eandemque alij Barnabam conscripsisse, alij à Clemente scriptam fuisse suspicantur. Petrus scripsit duas nomine suo Epistolas, quæ Catholicæ nominantur, quarum secunda à quibusdam eius esse non creditur, propter stili sermonisque distantiam. Iacobus suam scripsit Epistolam, quæ & ipsa à nonnullis eius esse negatur, sed sub nomine eius ab alio dictata existimatur. Iohannes Epistolas tres edidit: quarum tantum prima à quibusdam eius esse asseritur, reliquæ duæ Iohannis cuiusdam presbyteri existimantur, cuius iuxta Hieronymi sententiam, alterum sepulchrum apud Ephesum demonstratur. Iudas suam edidit Epistolam. Actus Apostolorum Lucas composuit, sicut audiuit vel vidit. Apocalypsin Ioannes Euangelista scripsit, H eodem tempore quo ob Euangelij prædicationem, in insulam Pathmos traditur relegatus. Hi sunt scriptores sacrorum librorum, diuina inspiratione loquentes, ad eruditionem nostram præcepta cœlestia in Ecclesia dispensantes. Autor autem earundem scripturarum Spiritus sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui per Prophetas suos scribenda dictauit.

CAPVT LV.

De benedictionibus.

Benedictionem autem dari à sacerdotibus populo, antiqua per Moysen benedictio pandit & comprobat: qua benedicere populo suo, sub sacramento trinæ inuocationis iubetur. Ait enim ad Moysen Domi-

Deut.28. minus: *Sic benedices populum meum, & ego benedicam illos. Benedicat te Dominus & custodiat te: illuminet Dominus faciem suam super te, & misereatur tui: conuertatque Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Hinc quoque vsus Ecclesiæ multiplices benedictiones in diuersis rebus habet. Benedicitur oleum ex Apostolica autoritate, ad infirmorum medicamentum: Iacobo Apostolo hoc ita præcipiente: *Infirmatur,* inquit, *quis in vobis, inducat presbyteros* Iacob.5. *Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Benedicitur sal & aqua in diuersos vsus fidelium, ad homines infirmos, contra phantasiam inimici, ad pecorum sanitatem, ad morbos arcendos, &c. sicut legitur Alexander septimus post Petrum Romanæ vrbis Episcopus & Martyr constituisse, aquam spersionis cum sale benedici in habitaculis hominum. Nam nullum est aliud elementum, quod in hoc mundo purget vniuersa quam aqua: quodque viuificet cuncta: ideoque cum baptizamur in Christo, per ipsum renascimur: vt purificati viuificemur, quod in tempore passionis vna cum sanguine de latere Christi profluxit, ad ostendendum vtrique omnis sanctificationis & munditiæ validum se inde habere sacramentum. Quod autem sal B sanctificatum aquæ immiscetur, ex diuina autoritate processit, quia illud per Elisæum in fontem mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquarum Iericho. Ergo natura salis naturæ aquæ vicina & coniunctissima est: quia eiusdem elementi ambo sunt, & idem officium & significationem habent. Nam aqua à sordibus mundat: sal putredinem fugat: aqua nitorem præbet: sal synceritatem adhibet: aqua porum sapientiæ significat, & sal gustum prudentiæ indicat: quod scilicet sacrorum librorum satis testatur autoritas, & multiplicia eorum produnt testimonia. Fit enim hic mirabilis operationis diuinæ effectus, vt per sacerdotum ora Deus ipse benedicat: & per sensibile eorum ministerium, virtus diuina inuisibiliter efficiat sacramentum. Deprecatur quidem pro salute hominum pia sacerdotis intentio, & præstat eam diuinæ pietatis deuotio: sicque fit, vt charitas quæ exhibet in sacerdote deprecationem, ipsa præstet à Domino inte- C gram sanitatem.

CAPVT LVI.

De Symbolo.

SYmbolum tali ratione institutum maiores nostri tradunt, quod post ascensionem Domini & Saluatoris nostri ad patrem, cum post aduentum sancti Spiritus discipuli eius inflammati, linguis omnium gentium loquerentur, vt nulla illis gens extera, nulla lingua barbaris inaccessa vel inuia videretur, præceptum eis est à Domino datum, ad prædicandum Dei verbum, ad singulas quasque nationes adire. Discessuri itaque ab inuicem, normam prius sibi futuræ prædicationis in communi cōstituunt: ne velociter ab inuicem discedentes, diuersum aliquod vel dissonum prædicaretur his, qui ad fidem Christi inuitabantur. Omnes ergo in vno positi, & Spiritu sancto repleti, breue sibi prædicationis indicium conferendo, in vnum quod sentiebant componunt: atque hanc credentibus dandā esse regulam statuunt. Symbolū autē hoc multis & iustissimis causis appellare voluerunt. D Symbolum σύμβολον enim Græce, & indiciū dici potest & collatio: hoc est quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli, in his sermonibus in vnum conferendo vnusquisque quod sensit. Indicium autem vel signum idcirco dicitur, quod illo in tempore sicut Paulus Apostolus dicit, & in Actibus Apostolorum refertur: Multi simulabant se esse Apostolos Christi, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco ergo istud indicium posuere, per quod cognosceretur is, qui Christum verum secundum Apostolicas literas prædicaret. Est autem symbolum signum, per quod agnoscitur Deus: quodque proinde credentes accipiunt, vt nouerint qualiter contra diabolum fidei certamina præparent: in quo quidem pauca sunt verba: sed omnia continentur sacramenta. De totis enim scripturis, hæc breuiatim collata sunt ab Apostolis: E vt quoniam plures credentium literas nesciunt, vel qui sciunt, præ occupatione seculi scripturas legere non possunt, hæc corde retinentes, habeant sufficientē sibi scientiam salutarem. Est enim breue fidei verbum: & olim à Propheta prædictum: *Quoniam verbum breuiatum, faciet* Rom.9. *Dominus super terram.*

CAPVT LVII.

De regula fidei.

HÆc est autem post Apostolicum symbolum certissima fides, quam doctores nostri tradiderunt, vt profiteamur patrem, & filium, & spiritum sanctum vnius essentiæ, eiusdem potestatis & sempiternitatis: vnum inuisibilem: ita vt in singulis personarum proprietate seruata, nec substantialiter trinitas diuidi, nec personaliter debeat omnino confundi: patrem quoque confiteri ingenitum, filium vnigenitum, Spiritum autem sanctū nec genitum nec ingenitum, sed ex patre & filio procedentem. Filium à patre nascendo procedere: Spiritum vero sanctum procedendo non nasci: ipsum quoq; filiū per- F fectum ex virgine, sine peccato hominem suscepisse: vt quem sola bonitate creauerat, sponte lapsum misericorditer repararet: quem veraciter crucifixum, & tertia die resurrexisse, & cum eadem ipsa carne glorificata ascendisse in cælum: in qua & ad iudicium viuorum & mortuorum expectatur venturus: & quod diuinam humanamq; substantiam in vtroque perfectus vna Christus persona gestauerat: quia nec geminauit vtrinsq; substantiæ integritas personam, nec confudit geminam vnitas personæ substantiam: altero quippe neutrum exclusit: quia vtrumque vnusquisq; intemerato iure seruauit. Quod noui & veteris testamenti salubris comendat authoritas: illa per prophetiam: ista per historiam veraciter persoluta: & quod neque de Deo, neq; de creatura seculi sit cum paganis aut cum hæreticis aliquid sentiendum in his rebus, in quibus à veritate dissentiunt. Sed in vtroque testamento diuina protestantur eloquia, hoc tantummodo sentiendū, quod siue hominē siue vniuersa, nulla Deus neces- G sitate creauerit, nec vllā esse omnino visibilem inuisibilemq; substantiam, nisi aut quæ Deus sit, aut à bono Deo bona creata sit: sed Deus summe & incommutabiliter bonus: creatura vero inferius & mutabiliter bona: & quod animæ origo incerta sit: & quod angelorum natura vel animæ, non sit pars diuinæ substantiæ: sed Dei creatura ex nihilo condita: ideoq; incorporea, quia ad imaginem Dei creata est. De pietate morum sine qua fides diuini cultus otiosa torpescit, & cum qua integritas diuini cultus perficitur: & vt vnusquisque Deum propter Deum, & proximum in Deo diligat: vt perficiendo perueniat. Alterum quoque alterius non pollui posse peccato, vbi par voluntatis non tenetur consensio. Legitimas nuptias non credi damnandas, licet ex eis quoque originali peccato obnoxia credatur nasci posteritas: eisq; iure fidelium virginum & continentium præferenda doceatur integritas. Ne vnum baptismum trinitatis (quod nefas est) iteretur: neque pro diuersitate tradentium ministrorum singulis puterur quibusque conferri: sed ab eo singulari potestate donati, de quo dictum legimus: *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat* Ioan.1. *in Spiritu sancto, & ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Et ne pœnitentiæ remedijs non egere putemus, H pro quotidianis humanæ fragilitatis excessibus, sine quibus in hac vita esse nō possumus: ita vt pœnitentiæ, compunctione fructuosa, vniuersa fateamur deleri peccata, sicut scriptum est: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &* Psal.31. *quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatū.* Nullum quoq; suis viribus, sed per diuinā gratiam capiti Christo subiungi, atq; in diruptæ pacis perseuerantia in vnitate Ecclesiæ ipsius solidari. Nec humanæ voluntatis arbitrio boni quiddam deputandum existimant: sed secundum propositum voluntatis Dei, omnem numerum electorum acquiri. Bona quoque temporalia bonis malisq; communia à Deo creatore cuiusq; dispensatione singulis quibusq; vel tribui vel negari: quorū bonorū

in vnoquoque fidelium non habitus, sed vsus aut improbandus aut probandus. Certa vero æternaq; bona, solos posse bonos in futuro consequi: quorum pignore Ecclesiam nunc informatam credimus detineri, hic habentem primitias Spiritus, in futuro perfectionem: hic sustentari in spe, postea pasci in re: hic videri per speculum in ænigmate: in futuro autem facie ad faciem: cum ad speciem fuerit perducta per fidem. Quod donec perficiatur, vt summi Dei bonis fruamur æternis, fruendum, inde non oberimus & proximis. Eam quoque nos spem resurrectionis habere, vt eodem ordine eademque forma qua ipse Dominus resurrexit à mortuis, nos quoque resurrecturos esse credamus, in eodem tempore in quo sumus vel viuimus, non naturam aut sexum mutantes, sed tantũ fragilitatem & vitia deponentes. Ipsum quoq; Sathanam cum angelis suis atque cultoribus æterno incendio condemnandum: neque secundum quorundam sacrilegam dispensationem, ad pristinam, id est angelicam dignitatẽ, ex qua propria malignitate cecidit, reducendum. Hæc est catholicæ traditionis fidei integritas: de qua si vnum quodlibet respuatur, tota fidei credulitas amittitur.

CAPVT LVIII.

De Hæresibus varijs.

Hoc ergo cauendum est omni animæ timenti deum, vt non à fide catholica decidens, & relinquens doctrinam veritatis, in errores hæreticorum cadat: quia hoc certissimum mortis est genus. Sed vt hoc facilius possit præcauere, quascunque sectas deerroribus hæreticorum atque schismaticorum, denotatis à catholicis doctoribus inuenimus, simul cum earum autoribus, siue sectatoribus, in hoc libro determinamus.

Hæresis αἵρεσις Græce ab electione vocatur: quod scilicet vnusquisque id sibi eligat, quod melius illi esse videtur vt Philosophi, Peripatetici, Academici, Epicurei, & Stoici, vel sicut alij, qui peruersum dogma cogitantes, arbitrio suo de Ecclesia recesserunt. Inde ergo hæreses sunt dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, quas quisque arbitrio suo ad instituenda siue ad suscipienda quælibet, ipse elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet: sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Dei habemus authores: qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam, fideliter nationibus assignauerunt. Secta à sectando & tenendo nominata: nam sectas dicimus habitus animorum ac instituta, circa disciplinam fideliter propositam, quæ tenendo sequuntur: longe alia in religionis cultu opinantes quam cæteri. Schisma à scissura animorum nomen accepit: eodem enim cultu, eodemq; ritu credit vt cæteri, solo congregationis delectatur dissidio. Fit autem schisma cum dicunt: Homines nos iusti sumus, nos sactificamus immundos, & cætera similia. Superstitio dicta, eo quod sit superflua aut superinstituta obseruatio. Alij dicunt à senibus, quia multis annis superstites, per ætatem delirant & errant.

Apud Iudæos autem hæ fuerunt hæreses: Pharisæorum, Saducæorum, Essæistarum, Marbonensium, Genistarum, Meristæorum.

Pharisæi ergo & Saducæi inter se contrarij sunt. Nam Pharisæi ex Hebræo in Latinum interpretantur diuisi: eo quod traditionum & obseruationum quas illi deuteras vocant, iustitiam præferunt. Vnde & diuisi vocantur à populo quasi per iustitiam.

Saducæi interpretantur iusti, vendicant enim sibi quod non sunt, corporis resurrectionem negant, & animam interire cum corpore prædicant. Sed nec Spiritus esse, nec angelos credunt. Hi quinque tantum libros legis recipiunt: prophetarum vaticinia respuunt.

Essæi dicunt ipsum esse Christum, qui docuit illos omnem abstinentiam.

Marbonæi dicunt ipsum esse Christum, qui docuit illos in omni re sabbatizare.

Genistæ dicti, eo quod de genere Abrahæ esse glorientur. Nam cum in Babyloniam venisset populus Dei, plerique relinquentes vxores suas, Babylonicis mulieribus adhæserunt: quidam Israeliticis tantum coniugibus contenti vel ex eis geniti, dum reuersi essent de Babylonia, diuiserunt se ab omni populo, & assumpserunt sibi hoc nomen iactantiæ.

Meristæi appellati, eo quod separant scripturas, nõ credentes omnibus Prophetis, dicẽtes alijs & alijs spiritibus prophetasse. Meros μέρος, enim Græce, latine pars dicitur.

Samaritæ dicti, quod legem solam custodiunt: nam Prophetas non recipiunt.

Hemerobaptistæ, eo quod quotidie vestimenta sua & corpora lauent.

Quidam hæretici qui de Ecclesia recesserunt, ex nominibus suorum authorum nuncupantur: quidam vero ex causis quas eligentes instituerunt.

Simoniani dicti à Simone, magicæ disciplinæ perito, cui Petrus in Actibus Apostolorum maledixit, pro eo quod ab Apostolis Spiritus sancti gratiam pecunia emere voluisset. Hi dicunt creaturam non à Deo, sed à virtute quadam superna creatam.

Menandriani à Menandro mago discipulo Simonis nuncupati, qui mundum non à Deo, sed ab angelis factum esse asserunt.

Basilidiani à Basilide appellati, qui inter reliquas blasphemias, passum Iesum abnegauit. *Actor. 10*

Nicolaitæ dicti à Nicolao diacono Ecclesiæ Hierosolymorum, qui cum Stephano & cæteris constitutus est à Petro: qui propter pulchritudinem relinquens vxorem, dixerat vt qui vellet, ea vteretur: Versaque est in stuprum talis consuetudo, vt inuicem coniugia commutarentur.

Gnostici propter excellentiam scientiæ, se ita appellare voluerunt: animam naturam Dei esse dicunt: bonum & malum Deum suis dogmatibus fingunt.

Carpocratiani à Carpocrate quodam vocantur, qui dixit Christum hominem fuisse tantum: & de vtroque sexu progenitum.

Cerinthiani à Cerintho quodam nuncupati. Hi inter cætera circuncisionem obseruant, mille annos post resurrectionem in voluptate carnis futuros prædicant. Vnde & Græce chiliastæ χιλιασταί Latine miliasti sunt appellati.

Nazaræi dicti, qui dum Christum qui à vico Nazaræus est appellatus, filium Dei confiteantur, omnia tamen veteris legis custodiunt.

Ophitæ à colubro nominati sunt. Coluber enim Græce ὄφις dicitur. Colunt enim serpentem, dicentes ipsum in paradiso induxisse virtutis cognitionem.

Valentiani à Valentino quodam Platonico sectatore vocati: qui αἰῶνας, id est secula quædam in originem Dei creatoris induxit. Christum quoque de virgine nihil corporis assumpsisse, sed per eam quasi per fistulam transisse asseruit.

Apellitæ, quoq; Apelles princeps fuit: qui creatorem, angelum nescio quem gloriosum superioris Dei faciens, Deum legis Israel, illum igneum affirmans.* Appellitæ quorum autor Apelles, qui dixit Christum non Deum in veritate, sed hominem in phantasia apparuisse.

Archontiaci à principibus appellantur: qui vniuersitatem quam Deus condidit, opera esse archangelorum defendunt.

Adamiani vocati, quod Adæ imitantur nuditatem, vnde & nudi erant: & nudi in se mares fœminæque conueniunt.

Caiani proinde sic appellati, quoniam Cain adorant.

Sethiani nomen acceperunt à filio Adam, qui vocatus est Seth, dicentes eum esse Christum.

Melchisedechiani vocati pro eo, quod Melchisedech sacerdotem Dei, non hominem fuisse, sed virtutem Dei arbitrantur.

Angeli vocantur qui angelos colunt.

Apostolici hoc sibi nomen ideo sumpserunt, quod nihil possidentes proprium nequaquam recipiunt eos, qui aliquo in hoc mundo vtuntur.

Cerdoniani à cerdone quodam nominati: qui duo contraria principia asseruit.

Marcionistæ à Marcione Stoico Philosopho appellati: qui cerdonis dogma secutus, alterum bonum, alterum iustum Deum asseruit: tanquam duo principia creatoris & bonitatis.

Artotyritæ ab oblatione vocati: panem enim & caseum offerunt dicentes, primis hominibus oblationem à fructibus terræ & à fructibus ouium fuisse celebrata.

Aquarij appellati, eo quod aquam solam offerunt in calice Sacramenti.

Seueriani, à Seuero exorti, vinum non bibunt, & vetus testamentum, & resurrectionem non recipiunt.

Tatiani, à Tatiano quodam vocati, qui & encratitæ dicti, quia carnes abominantur.

Alogij vocantur tanquã sine verbo, λόγος, Logos enim Græce verbum dicitur: Deum enim verbum non credunt, respuentes Ioannis Euangelium & Apocalypsin.

Cataphrygis nomen prouincia Phrygis dedit, quia ibi extiterunt authores eorum.

B Montanus, Prisca & Maximilla fuerunt, ij aduentum Spiritus sancti non in Apostolos, sed in se traditum asserunt.

Cathari propter mundiciam ita se nominauerunt gloriantes enim de suis meritis, negant pœnitentibus veniam peccatorum: viduas si nupserint, tanquam adulteras damnant: mundiores se cæteris prædicant: qui nomen suum si cognoscere vellent, mundanos se potius quam mundos vocarent.

Pauliani, à Paulo Samosateno exorti sunt, qui dixit non semper fuisse Christum, sed à Maria sumpsisse initium.

Hermogeniani, ab Hermogene quodam vocati: qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparauit, matremque elementorum & Deam asseruit, quos Apostolus improbat elementis seruientes.

Manichæi à quodam Persa extiterunt, qui vocatus est Manes. Hic duas naturas & substantias introduxit, id est bonam & malam, & animas ex Deo quasi ex aliquo fonte manare asseruit, vetus testamentum respuit, nouum ex C parte recipit.

Canoniani, id est Latine sine lege dicuntur.

Anthropomorphitæ dicti, pro eo quod simplicitate rustica Deũ humana membra habere, quæ in diuinis scripta sunt arbitrantur: ἄνθρωπος, Anthropos enim Græce, Latine homo interpretatur, ignorantes vocem Domini, qui ait: *Spiritus Deus est*. Incorporeus est enim nec membris distinguitur, nec corporis mole censetur.

Heraclitæ ab Heraclito autore exorti, Monachos tantum recipiunt, coniugia respuunt, regna cælorum paruulos habere non credunt.

Nouatiani à Nouato Romæ vrbis presbytero exorti, qui aduersus Cornelium cathedram sacerdotalem conatus inuadere hæresim instituit, nolens apostatas suscipere, & rebaptizans baptizatos.

Montani hæretici dicti, quod tempore persecutionis in montibus latuerunt, qua occasione se à corpore catholicæ Ecclesiæ diuiserunt.

Ebionitæ ab Ebione dicti, siue à paupertate. Christum enim per prouectum solum iustum putant effectum. Vnde competenter Ebionei pro paupertate intelligentiæ appellati sunt. Hi semiiudæi sunt, & ita tenent Euangelium, vt legem carnaliter seruent, aduersus quos ad Galathas Apostolus scribens inuenitur.

D

Fotiniani à Fotino Gallo Græciæ Syrmiæ Episcopo nuncupati, qui Ebionitarum hæresim suscitans, asseruit Christum à Maria per Ioseph nuptiali coitu fuisse conceptum.

Æriani ab Ærio quodam nuncupati sunt, hi offerre sacrificium pro defunctis spernunt.

Ethiani ab Ethio sunt vocati, idemque Eunomiani ab Eunomio quodam dialectico Ethij discipulo, ex cuius nomine magis innotuerunt, dissimilem patri asserentes filium, & filio Spiritum sanctum, dicunt etiam nullum imputari peccatum in fide manentium.

Origeniani ab Origene autore exorti sunt, dicentes quod non possit filius videre patrem, nec Spiritus sanctus filium, animas quoque in mundi principio dicunt peccasse, & pro diuersitate peccatorum è cælis vsque ad terram diuersa corpora quasi vincula meruisse, eaq; de causa factum fuisse mundum.

Noetiani à quodam Noetio vocati, qui dicebant Christum eundem esse patrem & Spiritum sanctum, ipsamque trinitatem in officiorum nominibus, non in personis accipiunt: vnde & Patripassiani vocantur, quia patrem passum dicunt.

Sabelliani ab eodem Noetio pullulasse dicuntur, cuius discipulum perhibent fuisse Sabellium, ex cuius nomine maxime innotuerunt, vnde & Sabelliani vocati sunt: hi vnam personam patris & filij & Spiritus sancti astruunt.

Arriani ab Arrio Alexandrino presbytero orti sunt, qui coæternum patri filium non agnoscens, diuersas in trinitate substantias asseruit, contra illud quod ait Dominus. *Ego & pater vnum sumus*. *Ioan. 10.*

Macedoniani à Macedonio Constantinopolitano Episcopo dicti sunt, negantes Deum esse Spiritum sanctũ. F

Apollinaristæ ab Apollinari vocati sunt, dicentes Christum corpus tantummodo sine anima suscepisse.

Antidicomaritæ appellati sunt, pro eo quod Mariæ virginitati contradicunt, asserentes eam post Christum natum viro suo fuisse commixtam.

Metangismonitæ ideo tale nomen acceperunt, quia angos ἄγγος, Græce vas dicitur. Asserunt enim sic esse in patre filium, tanquam vas minus intra vas maius.

Patriciani à quodam patricio nuncupati sunt, qui substantiam humanæ carnis à diabolo conditam esse dicunt.

Colinthiani à quodam Colintho nominati, qui dicunt Deum non facere malum, contra illud quod scriptum est. Ego Dominus creans mala.

Floriani à Florino, qui è contrario dicunt Deum creasse mala, contra id quod scriptum est: *Fecit Deus omnia bona*. *Esa. 45.*

Donatistæ à Donato quodam Afro nuncupati, qui de Numidia veniens, totam pene Africam sua persuasione decepit: asserens minorem patre filium, & minorem filio Spiritum sanctum, & rebaptizans catholicos. G

Bonosiaci à Bonoso quodam Episcopo exorti produntur, qui Christum filium Dei adoptiuum, non proprium asserunt.

Circumcelliones, dicti eo quod agrestes sunt, quos Cotopitas vocant, supradictæ hæresis habentes doctrinam, hi amore martyrij semetipsos perimunt, vt violenter de hac vita discedentes, martyres nominentur.

Priscillianistæ à Priscilliano vocati, qui in Hispania ex errore Gnosticorum, & Manichæorum permixtum Dogma composuit.

Luciferiani à Lucifero Syrmiæ Episcopo orti, qui Episcopos catholicos, qui Constantij persecutione perfidiæ Arrianorum consentientes erant, & postea correcti, redire in Ecclesiam catholicam delegerunt, damnantes siue quod crediderant, siue quod credidisse se simulauerant, quos Ecclesia catholica materno recepit sinu, tanquam Petrum post fletum negationis. Hanc illi matris charitatem superbe accipientes, eosq; recipere nolentes, ab Ecclesiæ communione recesserunt, & cum ipso Lucifero authore suo, qui mane oriebatur, cadere meruerunt. H

Iouinianistæ à Iouiniano quodam Monacho dicti, asserentes nullam nuptiarum & virginum esse distantiam, nullumque inter abstinentes & simpliciter epulantes esse discrimen.

Eluidiani ab Eluidio nominati, qui dicunt post natum Christum alios Mariam filios de viro Ioseph peperisse.

Paterniani à Paterno quodam exorti, qui inferiores corporis partes à diabolo factas opinantur.

Arabici nuncupati, eo quod in Arabia exorti sunt, dicentes animam cum corpore mori, atque in nouissimo vtrumque resurgere.

Tertullianistæ dicti à Tertulliano, presbytero Africanæ prouinciæ & ciuitatis Carthaginensis, animam immorta-

A mortalem esse, sed corpoream prædicantes, & animas hominum peccatorum, post mortem in dæmones conuerti putantes.

Tessarodecaditæ dicti, quod quattuordecima luna pascha cum Iudæis obseruandum contendunt: nam tessara quatuor, deca decem significat.

Nyctates à somno nuncupati, quod vigilias noctis respuant, superstitionem esse dicentes, iura temerari diuina, qui noctem ad requiem tribuit.

Pelagiani à Pelagio monacho exorti. Hi liberum arbitrium diuinæ gratiæ anteponunt, dicentes: sufficere voluntatem ad implenda diuina iussa.

Nestoriani à Nestorio Constantinopolitano Episcopo nuncupati, qui beatam virginem Mariam non DEI, sed hominis tantummodo asseruit genitricem, vt aliam personam carnis, aliam faceret deitatis: nec vnum Christum in verbo Dei & carne credidit, sed separatim atque seiunctim: alterum filium Dei, alterum filium hominis prædicauit.

B Euticiani ab Eutice Constantinopolitano abbate, qui Christum post humanam assumptionem negauit existere de duabus naturis, sed solum in eo diuinam asseruit esse naturam.

Acephali dicti id est sine capite, quem sequuntur hæretici, nullus enim eorum reperitur author à quo exorti sint: hi trium Calcedonensium capitulorum impugnatores, duarum in Christo substantiarum proprietatem negant, & vnam in eius persona naturam prædicant.

Theodosiani, & Gaianitæ appellati à Theodosio & Gaiano, qui temporibus Iustiniani principis in Alexandria, populi peruersi electione vno die sunt ordinati Episcopi. Hi errores Euticetis & Dioscori sequentes, Calcedonense concilium respuunt: ex duabus vnam in Christo naturam asserunt, quam Theodosiani corruptam, Gaianitæ incorruptam contendunt.

Gnoitæ & Tritoitæ à Theodosianis exorti sunt, ex quibus Gnoitæ ab ignorantia dicti, quia peruersitati à qua exorti sunt, id adijciunt, quod Christi diuinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora nouissima: non

C
Esa. 63. recordantes Christi personam in Esaia loquentis: *Dies iudicij in corde meo.*

Tritoitæ vero vocati, quod sicut tres personas in trinitate, ita quoque tres astruunt Deos esse, contra illud quod scriptum est: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Sunt & aliæ hæreses sine authore, & sine nominibus, ex quibus aliæ triformem putant Deum esse, aliæ Christi diuinitatem passibilem esse dicunt, aliæ Christi de patre natiuitati initium temporis dant, aliæ liberationem hominum, apud inferos factam, Christi descensione non credunt, aliæ animam imaginem Dei negant, aliæ animas conuerti in dæmones, & in quæcunque animalia existimant: aliæ de mundi statu dissentiunt, aliæ innumerabiles mundos opinantur: aliæ aquam Deo coæternam faciunt: aliæ nudis pedibus ambulant: aliæ cum hominibus non manducant.

Hæ sunt hæreses aduersus catholicam fidem exortæ, & ab Apostolis & sanctis Patribus, vel concilijs prædamnatæ, quædam in multis erroribus diuersæ inuicem sibi dissentiunt, communi tamen nomine aduersus Ecclesiam Dei conspirant. Sed & quicunque aliter scripturam sa-

Hieron.
D cram intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, à quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.

FINIS LIBRI SECVNDI.

HRABANI MAVRI
MOGVNTINENSIS ERCHIEPISCOPI, de Institutione clericorum,

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Quid eos scire & habere conueniat, qui ad sacrum ordinem accedere volunt.

E INstitutio ergo Ecclesiastica, qualiter ad diuinum officium instrui oporteat sanctissimum ordinem clericorũ, multimoda narratione declarat, quia & scientiæ plenitudinem, & vitæ rectitudinem, & eruditionis perfectionem maxime eos habere decet, qui in quodam culmine constituti, gubernaculum regiminis in Ecclesia tenent. Nec enim eis aliqua eorum ignorare licet, cum quibus vel se, vel subiectos instruere debent, id est, scientiam sanctarũ G scripturarum, puram veritatem historiarum, modos tropicarum locutionum, significationem rerum mysticarum, vtilitatem omnium disciplinarum, honestatem vitæ in probitate morum, elegantiam in prolatione sermonum, discretionem in exhibitione dogmatum, differentiam medicaminum, contra varietatem egritudinum. Hæc ergo qui nescit, non dico aliorum, sed nec suam bene potest disponere vtilitatem: ac ideo necesse est, vt futurus populi rector dum vacat, paret sibi antè arma, in quibus post modum hostes fortiter superet, & gregem sibi commissum opportune defendat. Turpe est enim tunc primum quemlibet velle discere, dum debet (pastor constitutus) docere, & periculosum est eum magisterij pondus subire, qui non scientiæ præsidio suffultus, potens est illud sufferre. Nulla ars doceri præsumatur, nisi prius intenta meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium, regimen animarum? Quis autem cogitationum vulnera, occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe, qui nequaquam spiritualia præcepta cognouerunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medi- H ci carnis erubescunt. Nam sunt nonnulli, qui intra sanctam Ecclesiam, sola ambitione honoris culmen appetunt, atque attestante veritate primas salutationes in foro, primos in cœnis recubitus, primas in conuentionibus cathedras quærunt: qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magisterium ex sola elatione peruenerunt. Quos contra Dominus per Prophetam queritur, dicens: Osea 8. *Ipsi regnauerunt & non ex me, principes extiterunt & ego ignoraui.* Ex se namque & non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam diuinitus vocati, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt, prius quam assequuntur, quos tamen internus iudex prouehit, & nescit, quia quos permittendo tolerat, profecto per iudicium reprobationis ignorat. Pastorum ergo imperitia voce veritatis increpatur, cum per Prophetam dicitur: *Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, tenentes legem nescierunt me.* Esa. 56. Nescire ergo se ab eis quæritur veritas, & nescire se principatum nescientium protestatur, quia profecto hi qui ea quæ sunt Domini nesci- F unt, à Domino nesciuntur, Paulo attestante qui ait: *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* 1. Cor. 4. Quę nimium pastorum sæpe imperitia meritis congruit subiectorũ, qui quamuis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant, districto tamen iudicio agitur, vt per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Euangelio per semetipsam veritas dicit: *Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foueam cadunt.* Matt. 15. Et sunt nonnulli qui solerti cura spiritualia præcepta perscrutantur, sed quæ intelligendo penetrant, viuendo conculcant, repente docent, quæ non opere, sed meditatione didicerunt, & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Vnde fit vt cum pastor per abrupta graditur, ad præcipitiũ grex sequatur. Hinc namq; per Prophetam Dominus contra contemptibilem pasto-

rum

A Danie.7 rum sententiam queritur dicens: *Cum ipsi limpidissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis, & oues meæ quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur, & quæ pedes vestri turbauerunt, hæc bibebant.* Aquam quippe limpidissimam pastores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt: sed eandem aquam pedibus turbare, est sanctæ meditationis studia male viuendo corrumpere. Aquam scilicet eorum pedibus turbatam oues bibunt, cum subiecti quique non sectantur verba quæ audiunt, sed ea sola quæ conspiciunt exempla prauitatis, imitantur. Hinc rursus Dominus per prophetam dicit: *Facti sunt Domini Israel in offendiculum iniquitatis.* Nemo quippe
Esa. 44. amplius in Ecclesia nocet, quam qui peruerse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Refugerent autem indigni quique, tanti reatus pondera, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensarent, qui ait: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, melius erat ei vt ligaretur mola asinaria in collo eius, & proijceretur in profundum maris.* Per mo-
Matt.18. lam quippe asinariam, secularis vitæ circuitus, & labor exprimitur, & profundum maris, extrema damnatio designatur. Qui ergo sanctitatis specie deductus, vel verbo,
B vel exemplo cæteros destruit, melius profecto fuerat, vt hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam hunc sacra officia in culpa cæteris imitabilem demonstrarent, quia nimirum si solus caderet, vtcumque hunc tolerabilior inferna pœna cruciaret. Sed quia vtrumque necesse est, vt bonam vitam sapientia illustret, & sapientiam bona vita commendet, vtrumque in hoc libro (si Dominus annuerit) digeremus id est, vt sciant hi qui in sacris ordinibus Ecclesiæ, aut iam Domino deseruiunt, aut deseruituri erunt, quantæ eruditionis eis opus sit in animo, & quam sobriæ vitæ exemplo, quantæq; virtutis & discretionis in docendo, vt nec discordet vita prudentiæ, neque sermo dissentiat disciplinæ.

CAPVT II.

De eminentia sacrarum scripturarum, & ad quid omnis scientia referenda sit.

C FVndamentum autem, status, & perfectio prudentiæ, scientia est sanctarum scripturarum: quæ ab illa incommutabili æternaque sapientia profluens, quæ ex ore altissimi prodijt, primogenita scilicet omnem creaturam Spiritus sancti distributionibus, per vasa scripturæ lumen indeficiens, quasi per laternas orbi lucet vniuerso, ac si quid aliud est, quod sapientiæ nomine rite censeri possit, ab vno Ecclesiæque sapientiæ fonte deriuatum, ad eius respectat originem. Quicquid enim veri à quocunque reperitur, à veritate verum esse per ipsam veritatem dinoscitur: & quicquid vbique boni inuenitur, à bonitate bonum esse deprehenditur: sic & quicquid sapientiæ à quoquam inuestigatur, à sapientia sapiens esse intelligitur. Nec enim illa quæ in libris prudentium huius seculi, vera & sapientia reperiuntur, alij quam veritati & sapientiæ attribuenda sunt, quia non ab illis hæc primum statuta sunt, in quorum dictis hæc leguntur, sed ab æterno manentia inuestigata sunt, quantum ipsa doctrix & illuminatrix omnium veritas, & sapientia eis in-
D uestigare posse concessit: ac ideo ad vnum terminum cuncta referenda sunt, & quæ in libris gentilium vtilia, & quæ in scripturis sacris salubria inueniuntur vt ad cognitionem perfectam veritatis, & sapientiæ perueniamus, qua cernitur & tenetur, summum bonum. Summo autem bono assecuto & adepto, vere beatus quisque fit, cum summa sapientia plene & perfecte in æternum perfruitur: quia sine hac sapientia nemo fieri beatus potest, sicut ipsa veritas & sapientia Christus ad pa-
Ioan. 17. trem loquens testatur: *Hæc est autem*, inquit, *vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Consequenter autem hic intelligitur Spiritus sanctus, qui est patris filijque tanquam charitas consubstantialis amborum. Tunc ergo cognitio Dei erit perfecta quando mors erit nulla. Tunc & beatitudo erit plena, quando Dei clarificatio erit summa. Sed prius hic quodammodo clarificatur Deus, dum per fidem creden- E tium, & sanctarum scripturarum manifestationem in tota mundi latitudine prædicatur. Nunc enim videmus eum per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoscimus ex parte, tunc autem cognoscemus sicut & cogniti sumus.

CAPVT III.

Quibus obscuritatibus scriptura sacra sit inuoluta, & quod eam temere alicui legere non liceat.

IGitur scriptura diuina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subuenitur, ab vna lingua perfecta, qua oportune potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longe lateq; diffusa est, vt innotesceret gentibus ad salutem. Quam legentes nihil appetunt aliud, quam cogitationes voluntatemque illorum, à quibus conscripta est inuenire, & per illas volun- F tatem Dei secundum quam tales homines locutos credimus. Sed multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes, quibusdam autem locis quid vel falso suspicentur, non inueniunt, ita obscure dicta quædam, densissimam caliginem obducunt. Quod totum prouisum esse diuinitus non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio renouandum, cui facile inuestigata plerumque vilescunt. Sunt enim in diuinis libris plurima loca tropicis locutionibus difficilia, sunt quoque multa rerum magnitudine eximia, atque ideo necesse est, vt & sensus & ingenij sagacitate inuestigentur, & pro sui dignitate intellecta venerentur. Nemo enim ambigit per similitudines libentius quæq; cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita multo gratius inueniri. Qui enim prorsus non inueniunt quod quærunt, fame laborant, qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidiose permarcescunt. In vtroque autem languor cauendus est. Magnificè ergo & salubriter Spiritus- G sanctus ita scripturas sanctas medicauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil autem fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.

CAPVT IV.

De gradibus sapientiæ, & charitatis.

ANte omnia enim opus est ei qui desiderat ad sapientiæ peruenire culmen, Dei timore conuerti, ad cognoscendum eius voluntatem, quid nobis appetendum fugiendumque præcipiat. Timor autem iste cogitationem de nostra mortalitate, & de futura morte necesse est incutiat, & quasi clauatis carnibus, omnes superbiæ motus ligno crucis affigat. Deinde mitescere opus est pietate, neque contradicere diuinæ scripturæ siue intellectæ si aliqua vitia nostra percutit, siue non intellectæ quasi nos melius sapere, meliusque percipere possimus, sed cogitare potius, & credere id esse melius, & verius, quod ibi scriptum est, etiam si lateat, quam id quod nos per nos ipsos sapere possumus. Post istos duos gradus timoris atque pietatis, ad tertium venitur scientiæ gradum, de quo nunc agere constitui. Nam in eo se exer- H cet omnis diuinarum scripturarum studiosus, nihil in eis aliud inueniturus vsquam diligendum esse Deum propter Deum: & proximum propter Deum, & illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, proximum vero tanquam seipsum id est, vt tam proximi dilectio, sicut etiam nostri referatur in Deum. Quisquis ergo scripturas sacras vel quamlibet partem earum intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei, & proximi, nondum intellexit quemadmodum oportebat eum scire. Itaq; tria hæc sunt, quibus & scientia omnis, & prophetia militat, fides, spes, charitas: sed fidei succedit spes, & spei succedit beatitudo, charitas autem etiam istis decedentibus au-

gebitur

A gebitur potius. Cum ergo quatuor diligenda sunt, vnum quod super nos, id est Deus: alterum quod nos sumus, id est anima ad imaginem Dei creata: tertium quod iuxta nos est, id est alter homo: quartum quod infra nos, id est corpus, de secundo, & quarto nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat à charitate, remanet illi tamen dilectio sui, & dilectio corporis sui, restabat vt de illo quid supra nos est, & de illo quid iuxta nos est, præcepta sumeremus. *Diliges* (inquit) *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Omnis quippe homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus vero propter seipsum. Amplius quisque Deum debet diligere quam seipsum, item amplius alius homo diligendus est quam corpus nostrum, quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam viuit, qua fruimur Deo. Omnes autem homines æque diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possimus, his potissimum consulendum est, qui locorum & temporum vel quarumlibet rerum oportunitatibus constrictius

B nobis, quasi quadam sorte iunguntur. Velle tamen debemus, vt omnes homines nobiscum diligant, & totum quod eos vel adiuuamus, vel adiuuamur ab eis, ad vnum illum finem referendum est. Iure enim continuatur scientiæ charitas, quia solummodo scientiæ fructus in cha-

Cor. 8. ritate consistit. *Scientia* (ait Apostolus) *inflat, charitas vero ædificat.* Si ergo appetendum est quod inflat, multo magis quod ædificat, vt cum scimus voluntatem Dei, diligamus obedire Deo, vt perueniamus ad Deum. Nam ista scientia bonæ spei, hominem se non iactantem sed lamentantem facit, quo affectu impetrat sedulis precibus consolationem diuini adiutorij, ne desperatione frangatur, & esse incipit in quarto gradu, hoc est, fortitudinis. Quæritur & sititur iustitia, hoc enim affectu ab omni mortifera iocunditate rerum transeuntium sæpe extrahitur, & inde se auertens, conuertit ad dilectionem æternorum, immutabilem scilicet vnitatem, eandemq; trini-

C tatem: quam ibi aspexerit, quantum potest, in longinquo radiantē, suiq; aspectus infirmitate sustinere se illam lucē non posse persenserit, in quinto gradu, hoc est, in consilio misericordiæ purgat animam tumultuantem quodammodo, atque obstrepentem sibi de appetitu inferiorum conceptis sordibus. Hic vero se in dilectione proximi non ignauiter exercet, in eaq; perficitur, & spe iam plenus atque integer viribus, cum peruenerit vsque ad amici dilectionem, ascendit in sextum gradum, vbi iam ipsum oculum purgat, quo videri Deus potest ab eis, qui huic seculo moriuntur, nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic seculo, in quantum autem huic viuunt non vident, & ideo quamuis iam certior, & non solum tolerabilior, sed etiam iocundior species lucis illius incipit apparere, in ænigmate adhuc tamen, & per speculum videri dicitur, quia magis per fidem quam per speciem ambulatur, cum in hac vita peregrinamur, quamuis conuersationem habeamus in cælis. In hoc autem gradu ita purgat oculum cordis, vt veritati nec seipsum quidem præferat, vt conferat proximum, ergo nec seipsum, quia nec illum quem diligit sicut seipsum. Erit ergo iste sanctus tam simplici corde, atque mundato, vt neque hominibus, pla-

D cendi studio detorqueatur à vero, nec respectu diuitandorum quorumlibet incommodorum suorum quæ aduersantur huic vitæ. Talis filius ad sapientiam ascendit, quæ vltima & septima est, qua pacatus tranquillusq; perfruitur. Initium enim sapientiæ, timor Domini, ab illo enim vsq; ad ipsam, per hos gradus ascenditur & venitur.

CAPVT V.

Quod is qui ad sapientiæ integritatem peruenit, ad charitatis perfectionem perueniat.

QVicunque igitur ad sapientiæ culmen peruenit, ad fastigium charitatis perueniat necesse est, quia nemo perfecte sapit, nisi is qui recte diligit. Quando enim quis per gradus supra dictos ad sapientiæ plenitudinem

E studet peruenire, nihil aliud agit, nisi vt ad perfectionem charitatis perueniat, & quantum perficit in sapientia, tantum in charitate. Prædiximus enim quod in cogitatione perfecta sapientiæ, beatitudo vera consisteret, hoc idem diximus & de charitate, quia in dilectione perfecta charitatis, beatitudo summa consistit. Nam creator omnium Deus, qui beatitudo nostra est, vtrorumque nomine æqualiter nuncupatur, sicut in libro Sapientiæ de eo scri- Sap. 7.

ptum est: *Omnium, inquit, artifex docuit me sapientia. Est enim illa Spiritus intellectus, sanctus, vnicus*, &c. Et Apostolus 1. Ioan. 4

Ioannes: *Deus, inquit, charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Nam saluator in Euangelio sapientiam & charitatem vnum esse intelligi volens, ad pa- Ioan. 17.

trem dixit. *Pater iuste mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt, quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* Quisquis ergo percipit plenam notitiam Dei, simul habet in se perfectam dilectionem Dei, & his ambobus fruens, æternam beatitudinem adepto summo bono tenebit.

G

CAPVT VI.

De modo legendi sacras scripturas.

SEd nos his ita prælibatis, ad tertium illum gradum, id est, scientiam, considerationem referamus: de qua disserere quod Dominus suggesserit atque tractare instituimus. Erit igitur diuinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, & si nondum intellectu, iam tamen lectione duntaxat eas, quæ appellantur Canonicæ: nam cæteras securus legat, fide veritatis instructus, ne præoccupent imbecillum animum, & periculosis mendacijs, atque phantasmatibus eludentes, præiudicent aliquid sanam intelligentiam. In Canonicis autem scripturis Ecclesiarum catholicarum quam plurium authoritatem sequatur, inter quas sane illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scripturis canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesijs catholicis, præponat eis, quas quidam non accipi- H

unt, in eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures grauioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque authoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quanquam hoc inuenire non possit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto, totus autem canon scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur (vt breuiter dicam) veteris testamenti, xlv. noui autem xxvij. qui sunt lxxij. Quorum omnium nomina & seriem, & authoritatem quia in superiori libro, quantum potui descripsi non necesse credimus iterare.

CAPVT VII.

De Canone Hebræorum, quomodo apud eos tripartitus est ordo diuinarum scripturarum.

NOtandum tamen quod Hebræi vetus testamentum, Hesdra authore iuxta numerum litterarum suarum in xxij. libros accipiunt, diuidentes eos in tres ordines, legis scilicet, prophetarum, & hagiographorum. Primus F

ordo legis in quinque libris accipitur, quorum primus est Bresith, qui est Genesis. Secundus Ellesmot, qui est Exodus. Tertius Vaijcra, qui est Leuiticus. Quartus Vaiedabber, qui est Numerus. Quintus Ellehadabarim, quod est Deuteronomium. Hi sunt quinque libri Moysi, quos Hebræi Thorath, Latini legem appellant, proprie autem lex appellatur, quæ per Moysen data est. Secundus ordo prophetarum, in quo continentur libri octo, quorum primus Iosue bennun, qui Latine Iesu Naue dicitur. Secundus Sophthim, qui est Iudicum. Tertius Samuel, qui est Regum primus. Quartus Malachim, qui est Regum secundus. Quintus Esaias. Sextus Hieremias. Septimus Ezechiel. Octauus Thereasar, qui dicitur duodecim

A Prophetarum, qui libri quia sibi pro paritate adiuncti sunt, pro vno accipiuntur. Tertius ordo hagiographorum, id est, sancta scribentium, in quo sunt libri nouem, quorum primus Iob, secundus Psalterium, qui in quinq; incisionibus diuiditur, tertius Masloth, quod est Prouerbia Salomonis, quartus Coheleth, qui est Ecclesiastes: quintus Sirhasirim, quod ad Canticum canticorũ, sextus Daniel, septimus Dibrehaiomim, quod est verba dierum, id est, Paralipomenon, octauus Esdras, nonus est Hester, qui simul omnes v. & viii. & ix. fiunt xxii. sicut superius sunt comprehensi. Quidam autem Ruth, & Cinoth, quod Latine dicitur lamentatio Hieremiæ, hagiographis adijciunt, & viginti quatuor volumina veteris testamenti faciunt, iuxta xxiv. seniores, qui ante conspectum Dei assistunt. Isti sunt libri qui apud Hebræos canonicam authoritatem habent. Quartus est apud nos ordo veteris testamenti, eorum librorum qui in Canone Hebraico nō sunt, quorum primus sapientiæ liber est, secundus Ecclesiasticus, tertius Tobiæ, quartus Iudith, quintus & sextus
B Machabæorum, quos licet Iudæi inter apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi, inter diuinos libros honorat & prædicat. In nouo autem testamento duo sunt ordines, primus Euangelicus, in quo sunt Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, secundus Apostolicus, in quo sunt Epistolæ Apostolorum Petri, Iacobi, Ioannis, Iudæ & Pauli, & liber actus Apostolorum, & Apocalypsis. In his omnibus libris timentes Deum, & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei, cuius operis & laboris prima obseruatio est, vt diximus nosse istos libros, & si nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa quæ in eis aperte posita sunt, vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi, solertius diligentiusq; inuestiganda sunt, quæ tanto quisque plura inuenit, quanto est intelligentia capacior. In his enim quæ aperte in scripturis posita sunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem, mores viuendi, spem scilicet atque charitatem: cum vero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua diuinarum scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda, & discutienda
C pergendum est, vt ad obscuriores locutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia, dubitationem certis auferant, in qua re memoria valet plurimum, quæ si defuerit, non potest his præceptis dari.

CAPVT VIII.

Vnde fit quod non intelliguntur quæ scripta sunt.

DVabus autem causis non intelliguntur quæ scripta sunt, si aut ignotis, aut ambiguis signis obteguntur. Sunt autem signa propria vel translata, propria dicuntur, cum his rebus significandis adhibentur, propter quas sunt instituta, sicut dicimus bouem cum intelligimus pecus, quod omnes nobiscum Latinæ linguæ homines hoc nomine vocant, translata sunt, cum & ipsæ res quas proprijs verbis significamus, ad aliquid aliud significandum vsurpantur, sicut dicimus bouem. & per has duas syllabas intelligimus pecus, quod isto nomine appellari solet Euangelista quem significauit scriptura, interpretante
1. Cor. 9. Apostolo & dicente: *Bouem triturantem non infrenabis:*
D Ad propria autem signa pertinent verba, quæ prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi, quocunque animo concipiuntur, si ea quisque prodere velit. Sed quia verberato aere statim transeunt, nec diutius manent quam sonant, instituta sunt per literas signa verborum, & ita voces oculis ostenduntur, non per seipsas, sed per signa quædam sua. Ista signa ergo non potuerunt, communia esse omnibus Gentibus, peccato quodam dissentionis humanæ, cum ad se quisque principatum rapit, cuius superbiæ signum est erecta illa turris in cœlum, vbi homines impij non solum animos, sed etiam voces dissonas habere meruerunt. Sed gratia Dei misericorditer prouisum est, vt scriptura diuina quæ in prima illa lingua, qua homines primi locuti sunt primitus conscripta est, ab ipsa per varia interpretum officia ad notitiam hominum deferretur, ne humana miseria fame verbi Dei deficiens, sine remedio in æternum periret, seruato tamen ordine, quem maxime canon inuenit harum scripturarum illis tribus linguis, quæ in cruce redemptoris & Saluatoris nostri dedicatæ sunt, Hebræa videlicet, græca & Latina, ad insinuandam sanctæ Trinitatis fidem, in tribus mundi partibus tripertito humano generi principaliter commendari, vt ex his vnaquæque gens & natio propriæ linguæ adminiculo intellectum sibi salubrem attraheret, interpretando ac colloquendo sensum eundem canonicum proprijs verbis. Sed quia prædiximus, quod aut in ignotis signis, aut in ambiguis hæreret intellectus, vt non facile intelligerentur quæ scripta sunt de ambiguis signis post loquemur, nunc de incognitis agimus. Agere enim decreuimus, vt si Dominus vellet, quæcunque in prædictis duobus signis necessaria essent ad discendum nobis, distributo ordine modoque disposito, quantum possemus conscriberemus, vnde oportebat, vt de ignotis proprijs signis post ageremus, in quibus radix & initium discendi consistit. Deinde de ignotis translatis, F in quibus subtilitas & vtilitas lectionis habetur, postea vero de ambiguis signis, proprijs atq; translatis, quibus ad purum elicitis, & secundum veritatem inuentis, firmitas & integritas lectionis generatur.

CAPVT IX.

De ignotis signis.

IGnotorum autem signorum duæ formæ sunt, quantum ad verba pertinet, namque aut ignotum verbum facit hærere lectorem, aut ignota locutio, quæ si ex alijs linguis veniunt, aut quærenda sunt ab earum linguarum hominibus, aut lingua eadem, si aut otium est, aut ingenium ediscenda, aut plurium interpretum consulenda collatio. Si autem ipsius linguæ nostræ, id est, Latinæ aliqua verba locutionesque ignoramus, legendi consuetudine audiendique innotescunt. Nulla sane sunt magis mandanda memoriæ, quam illa verborum locutionumque genera, quæ ignoramus, vt cum peritior occurrerit, G de eo quæri possit, vel talis lectio, quæ vel præcedentibus, vel consequentibus velocius ostendat, quam vim habeat, quidque significet quod ignoramus, facile adiuuante memoria possimus aduertere & discere. Debet autem studere, is qui propriorum signorum peritus esse vult, id est, quantum ad sermones pertinet, vt & certam cognoscat vim verborum, & proprium sciat modum locutionum, quod à Grammaticis & rhetoribus non mediocriter discere (qui vult) valet.

CAPVT X.

De translatis ignotis.

IN translatis vero signis, si qua forte ignota cogunt hærere lectorem, partim linguarum notitia, partim rerum inuestiganda sunt, aliquid enim ad similitudinem valet, & procul dubio secretum quiddam insinuat. Siloa piscina vbi faciem lauare iussus est, cui oculos Dominus luto de sputo facto iunxerat, quod tamen nomen linguę H incognitæ nisi Euangelista interpretatus esset, tamen magnus intellectus lateret, sic etiam multa quæ ab authoribus eorundem librorum interpretata non sunt nomina Hebræa, non est dubitandum habere non paruam vim atque adiutorium ad soluenda ænigmata scripturarum, si quis ea possit interpretari. Quod nonnulli eiusdem linguæ periti viri, non sane paruum beneficium posteris contulerunt, qui separata de scripturis eadem omnia verba interpretati sunt, & quid sit Adam, quid Eua, quid Abraham, quid Moyses, siue etiam locorum nomina, quid sit Hierusalem, vel Sion, vel Iericho, vel Libanus, vel Iordanis, & quæcunque alia in illa nobis sunt incognita nomina, quibus apertis & interpretatis, multæ in scripturis figuratæ locutiones, cum ignoramus vel animalium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumue rerum,

A rum, quæ plerumque in scripturis similitudinis alicuius gratia ponuntur. Nam & de serpente, quod notum est, totum corpus eum pro capite obijcere ferientibus, quantum illustrat sensum illum, quod Dominus iubet astutos nos esse sicut serpentes, vt scilicet pro capite nostro, quod est CHRISTVS, corpus potius persequentibus offeramus, ne fides Christiana tanquam necetur in nobis, si parcentes corpori, negemus Deum. Vel illud quod per cauernæ angustias coarctatus, deposita veteri tunica, vestes nouas accipere dicitur, quantum concinit ad imitandam ipsam serpentis astutiam, exuendumque veterem hominem sicut Apostolus dicit, *vt induamur nouo, &* (Col 3.) exeundum per angustias dicente Domino, *Intrate per angustam portam.* (Matt. 7.) Vt ergo notitia naturæ serpentis illustrat multas similitudines, quas de hoc animante scriptura dare consueuit, sic ignorantia nonnullorum animalium, quæ non minus per similitudines commemoratur, impedit plurimum intellectorem, sic lapidum, sic herbarũ, vel quæque tenentur radicibus. Nam & carbunculi no- B titia quod lucet in tenebris, multa illuminat, etiam obscura librorum, vbicunque propter similitudinem ponitur, & ignorantia berylli vel adamantis, claudit plerumque intelligentiæ fores, nec aliam ob causam facile est intelligere, pacem perpetuam significari oliuæ ramulo, quem rediens ad arcam columba pertulit, nisi quia nouimus & olei lenem contactum, non facile alieno humore corrumpi, & arborem ipsam frondere perenniter. Multi autem per ignorantiam hysopi dum nesciũt quam vim habeat, vel ad purgandum pulmonem, vel ad saxa radicibus penetranda, cum sit herba breuis atque humilis, omnino inuenire non possunt dictum. (Psal. 50.) *Asperges me hysopo & mundabor.* Numerorum etiam imperitia, & musicarum rerum ignorantiæ, multa facit non intelligi, translate ac musice posita in scripturis, de quibus quando de singulis disciplinis disputabimus, apertius edisseremus, de ambiguis nunc dicturi.

C

CAPVT XI.

De ambiguis signis quomodo constant.

AMbiguitas autem scripturæ, aut in verbis proprijs est, aut in translatis, sed cum verba propria faciunt ambiguam scripturam, primo videndum est, ne male distinxerimus aut pronunciauerimus. Cum ergo adhibita intentio incertum esse præuiderit, quomodo distinguendum aut quomodo pronunciandum sit, consulat regula fidei, quam de scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ authoritate percepit. Quod si ambæ vel etiam omnes si plures fuerint partes ambiguitatis, secundum fidem sonuerint, textus ipse sermonis à præcedentibus & consequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio posuerunt, restat consulendus, vt videamus cui nam sententiæ de pluribus quæ se ostendunt, ferat suffragium, eamque sibi contexi patiatur. Iam nunc exempla considera, (Iohan. 1.) illa hæretica distinctio: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum,* vt alius sit sensus, verbum erat hoc in principio apud Deum, non vult verbum Deum confiteri, sed hæc regula fidei refellendum est, qua nobis de Trinitatis æqualitate præscri- D bitur, vt dicamus, *& Deus erat verbum.* Deinde subiungamus: *Hoc erat in principio apud Deum.* Illa vero distinctionis ambiguitas, neutra parte resistit fidei, & ideo textu ipso sermonis dijudicanda est, vbi ait Apostolus: *Et quid eligam ignoro. Compellor autem ex duobus concupiscentiam habens dissolui, & cum* CHRISTO *esse, multo enim magis optimum: Manere in carne, necessarium propter vos.* (Phil. 1.) Incertum enim, vtrum ex duobus *concupiscentiam habens,* an, *compellor autem ex duobus,* vt illud adiungatur, *concupiscentiam habens dissolui, & esse cum* CHRISTO. Sed quoniam ita sequitur, *multo enim optimum,* apparet eum eius optimi dicere se habere concupiscentiam, vt cum ex duobus compellatur, alterius tamen habeat concupiscentiam, alterius necessitatem, concupiscentiam scilicet esse cum CHRISTO, necessitatem manere in carne. Quæ am-

E biguitas vno consequenti verbo dijudicatur, quod positum est, enim. Quam particulam quia abstulerunt interpretes, illa potius sententia ducti sunt, vt non solum compelli ex duobus, sed etiam duorum habere concupiscentiam videretur. Sic ergo distinguendum est, *& quid eligam ignoro. Compellor autem ex duobus,* quam dictionem sequitur, *concupiscentiam habens dissolui & esse cum* CHRISTO, & tanquam quæreretur, quare huius rei potius habeat concupiscentiam, *multo enim magis optimum* inquit. Cur autem è duobus compellitur, quia manendi est necessitas, quam ita subiecit: *Manere in carne necessarium propter vos.* Vbi neque scripto fidei, neque ipsius sermonis textu, ambiguitas explicari potest, nihil obest secundum quamlibet earum quæ ostenduntur sententiam distinguere curet, veluti est illa ad Corinthios: *Has ergo habentes promissiones charissimi. mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* (2. Cor. 7.) Dubium est quippe, vtrum mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritus, secundum illam sententiam, *vt sit sancta corpore & spiritu,* an mundemus ab omni coinquinatione carnis, vt alius sit sensus, F & spiritus: *perficientes sanctificationem in timore Dei.* Tales ergo distinctionum ambiguitates, in potestate legendis sunt. Quæcunque autem de ambiguis distinctionibus diximus, eadem obseruanda sunt & in ambiguis pronunciationibus, quæ si lectoris perturbantur incuria, aut regulis fidei corriguntur, aut præcedentis vel consequentis contexione sermonis. Quod si neutrum horum adhibetur ad correctionem, nihilominus dubiæ remanebunt, vt quolibet modo lector pronunciauerit, non sit in culpa. Quali autem voce pronuncietur illud quod Nathanael dixit: *A Nazareth potest aliquid boni esse,* siue affirmantis, (Iohan. 1.) vt illud solum ad interrogationem pertineat quod ait *A Nazareth:* siue totum cum dubitatione interrogantis, non video quomodo discernatur. Vterque autem sensus fidem non impedit.

CAPVT XII.

De ambiguis proprijs.

G RArissime ergo & difficilime inueniri potest ambiguitas in proprijs verbis, quantum ad libros diuinarum scripturarum spectat, quam non aut circunstantia ipsa sermonis qua cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ soluat inspectio. Nam quod scriptum est, *non est absconditum os meum quod fecisti in abscondito, non eluceat legenti,* vtrum correpta litera os *pronunciet, an producta.* Si enim corripiat, ab eo quod sunt ossa, si autem producat, ab eo quod sunt ora, intelligitur numerus singularis. Sed talia linguæ præcedentis inspectione dijudicantur. Nam in Græco non στόμα, sed ὀστέον positum est. (2. Cor. 13.) Item illud Apostoli: *Quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Si tantummodo dixisset, *quæ prædico vobis,* neque subiunxisset *prædixi,* dubium esset, vtrum in eo quod dixit, *prædico,* producenda an corripienda esset syllaba media, nunc autem manifestum est producendam esse, non enim ait sicut prædicaui, sed sicut prædixi. Sed quia hæc raro (vt prædiximus) verba inueniuntur, quæ non facilem habeant solutionem, ad verborum translatorum am- H biguitates stilum vertamus, quæ non mediocrem curam industriamque desiderant. Nam in principio cauendum est, ne figuratam locutionem ad literam accipias. Ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus: *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* (2. Cor. 3.) Nulla mors animæ congruentius appellatur, quam cum id etiam quod in ea bestias antecellit, hoc est intelligentia carni subijcitur, sequendo scilicet solam literam, translata verba sicut propria tenet, neque illud quod proprio verbo significatur, refert ad aliam significationem. Et ea est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream, oculum mentis ad hauriendum æternum lumen, leuare non posse. Quæ tamen seruitus in Iudæo populo longe à cæterarum Gentium more distabat, quandoquidem

rebus

A rebus temporalibus ita subiugati erant, vt vnus eis in omnibus commendaretur Deus. Gentes autem simulacra manufacta Deos habebant, & si quando aliqui eorum illa tanquam signa interpretari conabantur, ad creaturam colendam venerandamque referebant. Sed ab hac vtraque seruitute, veniens CHRISTVS veritatis suæ luce illuminans, omnes in se credentes veraciter liberauit.

CAPVT XIII.

Modus inueniendi vtrum locutio propria sit an translata.

HVic autem obseruationi qua cauemus figuratam locutionem, id est, translatam quasi propriam sequi, adiungenda etiam illa est, ne propriam quasi figuratam velimus accipere. Demonstrandus est igitur proprius modus inueniendæ locutionis, propriane an figurata sit,
B & iste omnino modus est, vt quicquid in sermone diuino atque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas, ad diligendum Deum & proximum, fidei veritas, ad cognoscendum Deum & proximum pertinet, spes autem sua cuique est in conscientia propria: quemadmodum se sensit ad dilectionem Dei & proximi cognitionemque proficere. Non enim præcipit scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximum propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum se & proximo, & quolibet corpore non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum, flagitium vocatur, quod autem agit vt alteri noceat, facinus dicitur. Et hæc sunt duo genera omnium peccatorum, sed flagitia priora sunt, quæ cum exinaniuerint animum, & ad quandam egestatem perduxerint, in facinora prosilitur, quibus remoueantur impedimenta flagitiorum, vt adiumenta quærantur. Item quod agit charitas quod
C sibi prosit, vtilitas est, quod autem agit vt prosit proximo, beneficentia nominatur. Et hæc præcedit vtilitas: quia nemo potest ex eo quod non habet, prodesse alteri. Quanto autem magis regnum cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur. Quicquid ergo asperum & quasi sæuum factu dictuque in sanctis scripturis legitur, ex persona Dei vel sanctorum eius, ad cupiditatis regnum destruendum valet. Quod si perspicue sonat, non est ad aliud referendum, quasi figurate dictum sit, sicuti est il-
Rom. 2. lud Apostoli: *Thesaurizasti tibi*, inquit, *iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua*, & reliqua. Ergo in locutionibus figuratis regula sit huiusmodi, vt tam diu versetur diligentis consideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc iam proprie sonat, nulla putetur figurata locutio. Sed præceptiua locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut vtilitatem beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem & beneficentiam ve-
Iohan. 6. tare, figurata est. *Nisi manducaueritis*, inquit, *carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vo-*
D *bis*. Facinus vel flagitium videtur iubere. Figurata ergo est, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recolendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Ait scri-
Rom. 12. ptura: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi*. Hic nullo dubitante beneficentiam præcipit: sed quod sequitur. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius*, maleuolentiæ facinus putes iuberi. Ne igitur putaueris figurate dictum, & cum possit dupliciter interpretari, vno modo ad nocendum, altero ad præstandum, ad beneficentiam te potius charitas reuocet, vt intelligas carbones ignis, esse vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo eius miseriæ subuenitur. Item cum ait
Matt. 10. Dominus, *qui amat animam suam, perdat eam*, non vtilitatem vetare putandus est, qua debet quisque conseruare E animam suam, sed figurate dictum, *perdat animam*, id est, perimat, atque amittat, vsum eius quem nunc habet, peruersum scilicet atque præposterum, quo inclinatur temporalibus, vt æterna non quærat. Scriptum est: *Da misericordiam, & ne suscipias peccatorem*. Posterior pars huius sententiæ videtur vetare beneficentiam. Intelligas ergo figurate positum, pro peccato peccatorem, vt peccatum eius non suscipias.

CAPVT XIV.

De varia significatione verborum, quæ constat in contrarietate & diuersitate.

SEd quoniam multis modis res similes apparent, non putemus ita esse scriptum, vt quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc eam semper significare credamus. Nam & in vituperatione posuit fermentum Dominus cum diceret: *Cauete à fermento* F
Pharisæorum, & in laude cum diceret, *Simile est regnum cæ-* Luc. 12.
lorum mulieri, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris fari- Luc. 13.
næ, donec totum fermentaret. Huius igitur varietatis obseruatio, duas habet formas, sic enim aliud atque aliud res quæ significatur, vt aut contraria, aut diuersa significent. Contraria scilicet, cum alias in bono, alias in malo res eadem per similitudinem ponitur, sicut hoc est, quod de fermento supra diximus. Tale est etiam, quod leo significat CHRISTVM, vbi dicitur: *Vicit leo de tribu Iu-* Apoc. 5.
da. Significat & Diabolum, vbi scriptum est, *Aduersarius* 1. Petr. 5.
vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Serpens in bono: *Estote astuti vt serpentes*. In malo Mat. 10.
autem: *Serpens Euam seduxit astutia sua*. In bono, panis: 2. Cor. 11.
Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. In malo, panis: *Pa-* Iohan. 6.
nis occultus libenter editur. Sic & alia plurima. Et hæc qui- Prou. 9.
dem quæ commemoraui, minime dubiam significationem gerunt: quia exempli gratia, non nisi manifesta commemorari debuerunt. Sunt autem, quæ incertum est in quam partem accipi debeant: sicut, *Calix in manu Domi-* Psal. 74.
ni vini meri plenus est mixto, incertum est enim vtrum iram G
Domini significet non vsque ad nouissimam pœnam, id est, vsque ad fecem, an potius gratiam scripturarum à Iudæis ad Gentem transeuntem, quia inclinauit ex hoc in hoc, remanentibus apud Iudæos obseruationibus quas carnaliter sapiunt, quia fex eius non est exinanita. Cum vero res eadem non in contraria sed tamen in significatione ponitur aduersa, illud est in exemplo, quod aqua & populum significat, sicut in Apocalypsi legimus, & Spiritum sanctum, vnde est illud: *Flumina de ventre eius* Iohan. 7.
fluent aqua viua, & si quid aliud atque aliud pro locis in quibus ponitur aqua, significare intelligitur. Vbi autem apertius ponuntur, ibi discendum est, quomodo in locis intelligatur obscuris. Neque enim melius potest intelligi quod dictum est Deo, *apprehende arma & scutum, & ex-* Psal. 34.
urge in adiutorium mihi, quam ex hoc loco vbi legitur, *Do-* Psal. 5.
mine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

CAPVT XV.

Quod non sit periculum varius intellectus in eisdem scripturæ verbis, si sensus ipse congruat veritati. H

QVando autem ex eisdem scripturę verbis non vnum aliquid sed duo vel plura sentiuntur, etiam si lateat quid senserit ille qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum cõgruere veritati, ex alijs locis sanctarum scripturarum doceri potest, id tamen eo conante, qui diuina scrutatur eloquia, vt ad voluntatem perueniatur authoris, per quem scripturam illam sanctus operatus est spiritus, siue hoc assequatur, siue aliam sententiam de illis verbis quæ fidei rectæ non refragatur exculpat, testimonium habens à quocunque alio loco diuinorum eloquiorum. Ille quippe author in eisdem verbis quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam forsitan vidit, & certe Dei spiritus qui hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lecto-

ri vel auditori sine dubitatione prævidit, immo vt occurreret quia ex ipsa veritate subnixa, prævidit. Nam quid in diuinis eloquijs largius & vberius potuit diuinitus prouideri, quam vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus diuina contestantia faciant approbari. Vbi autem talis sensus eruitur, cuius incertum certis sanctarum scripturarum testimonijs non possit aperiri, restat vt ratione reddita manifestus appareat, etiã si ille cuius verba intelligere quærimus, eum forte non sensit. Sed hæc consuetudo periculosa est. Per scripturas enim diuinas ita multo tutius ambulatur, si hoc exhibemus, vt cum aliqua verbis translatis opaca scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controuersiam, aut si habeat, ex eadem scriptura vbicumque eis inuentis atque adhibitis testibus, terminetur. Sed hæc in præsenti de signis dicta sufficiant. Cæterum qui plenius de his scire desiderat, in libris sancti Augustini de doctrina Christiana, vnde hæc excerpsimus, quærat & inueniet. Hinc de his quæ in gentilibus doctrinis exercentur, & quæ liberales dicuntur artes, quid conferant vtilitatis, si perscrutentur his qui Canonicas scripturas legunt, quantum valeo, explicabo.

CAPVT XVI.

De duobus generibus doctrinarum gentilium, & quæ sint illa quæ instituerunt homines.

DVo sunt genera doctrinarum, quæ in gentilibus etiam moribus exercentur, vnum earum rerum, quas instituerunt homines, alterum earum, quas animaduerterunt iam peractas, aut diuinitus institutas. Illud quod est secundum institutiones hominum, partim superstitiosum est, partim non est. Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominibus, ad facienda & colenda idola pertinens, vel ad colendum sicut Deum creaturam: vel partem vllã creaturæ, vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artiũ, quæ quidem commemorare potius, quam docere assolent poetę, ex quo genere sunt. Sed quasi licentiore vanitate, aruspicum & augurum libri ad hoc genus pertinent, omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoq; disciplina contemnit, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant, siue in quibusdã rebus suspendendis atq; illigandis, non propter vim naturæ quodammodo ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes occultas aut manifestas. Neq; illi ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt, qui genethliaci propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgo mathematici vocantur. Nam & ipsi quamuis veram stellarum positionem cum quisq; nascitur consectentur, & aliquando etiam peruestigent, tamen quod inde conantur, vel actiones nostras, vel actionum euenta prædicere, nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miserabilem seruitutem. Commoda vero & necessaria hominum cum hominib. instituta sunt, quæcunque in habitu & cultu corporis ad sexus vel honores discernendos differentia placuit, & innumerabilia genera significationum, sine quibus humana societas, aut non omnino, aut minus commode geritur, quæq; in ponderibus atq; mensuris, & nummorum impressibus & æstimationibus, sua cuiq; ciuitati & populo sunt propria, & cætera huiusmodi, quæ nisi hominũ instituta essent, non per diuersos populos variæ essent, nec in ipsis populis singulis, pro arbitrio suorum principum mutarentur, sed hæc tota pars humanorum institutorum, quæ ad vsum vitæ necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda Christiano, imo etiam quantum satis est intuenda, memoriaque retinenda. Ad hanc partem etiam pertinent literarum figuræ, quæ pro libitu hominum constitutæ sunt, nec tamen omnibus Gentibus communes, sed alias Hebræa, alias Græca, alias Latina gens habet, & cæteræ quædam Gentes, similiter ad proprietatem linguæ suæ, literas sibi secundum placitum formauerunt.

CAPVT XVII.

Quæ diuinitus instituta inuestigauerunt.

IAm vero illa quæ non instituendo, sed aut transacta temporibus, aut diuinitus instituta inuestigando homines prodiderunt, vbicunque discantur, non sunt hominum instituta existimanda, quorum sunt alia ad sensus corporis, alia vero ad rationem animi pertinentia. Sed illa quæ ad sensus corporis attingunt, vel narrata credimus, vel demonstrata sentimus, vel experta conijcimus. Quicquid ergo de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur historia, plurimum nos adiuuat ad libros sanctos intelligendos, etiam si præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam & per Olympiadas, & per consulum nomina, multa sæpe quæruntur à nobis. Et ignorantia consulatus quo natus est Dominus, & quando passus est, nonnullos coegit errare, vt putarent quadragesima sexta annorum ætate passum esse Dominum, quia per tot annos ædificatum templum esse, dictum à Iudæis: quod imaginem Dominici corporis habebat. Sed annorum fere triginta baptizatum esse retinemus authoritate Euangelica, sed postea quot annos in hac vita egerit, quanquam textu ipso actionum eius animaduertere possis, tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia Gentium collata cum Euangelio, liquidius certiusque colligitur. Tunc enim videbitur non frustra esse dictum, quod quadraginta annis templum ædificatum sit, vt cum referri iste numerus ad ætatem Domini non poterit, ad secretiorem instructionem humani corporis referatur, quod indui propter nos non dedignatus est vnicus Dei filius, per quem facta sunt omnia. Aliud est enim facta narrare, aliud docere facienda. Historia facta narrat fideliter atque vtiliter, libri autem aruspicum & quæque similes literæ, facienda vel obseruare intendunt docere, monitoris audacia, non indicis fide. Est etiam narratio similis demonstrationi, qua non præterita, sed præsentia indicantur, ignaris in quo genere sunt, quæ de locorum situ, naturisque animalium, lignorum, herbarum, lapidum, aliorumue corporum scripta sunt, de quo genere superius egimus, eamque cognitionem valere ad ænigmata scripturarum soluenda, docuimus, non vt pro quibusdam signis adhibeantur tanquam ad remedia, vel machinamenta superstitionis alicuius. Syderum autem cognoscendorum non narratio, sed demonstratio est: quorum perpauca scriptura commemorat. Habet autem præter demonstrationem præsentium, etiam præteritorum narrationi simile aliquid, quod à præsenti positione, motuque syderum, ad præterita eorum vestigia regulariter licet recurrere. Habet etiam futurorum regulares coniecturas non suspiciosas & otiosas, sed ratas & certas, non vt ex eis aliquid trahere in nostra fata & euenta tentemus, qualia genethliacorum deliramenta sunt, sed quantum ad ipsa pertinet sydera. Nam sicut is qui computat lunam cum hodie inspexerit quota sit, & ante quoslibet annos quota fuerit, & post quoslibet annos quota futura sit, potest dicere, sic de vnoquoque syderum, qui ea perite computant, respondere consueuerunt. Artium enim cæterarum quibus aliquid fabricatur, vel quid remaneat post operationem artificis ab illo effectum, sicut domus & scamnum, vel quæ ministerium quoddam exhibent operanti Deo, sicut medicina & agricultura & gubernatio. Harum ergo cunctarum artium de præteritis faciunt experimenta, etiam futura conijcienda. Nullus earum artium artifex membra mouet in operando, nisi præteritorum memoriam cum futurorum expectatione contexat. Sed hæc non ob aliud commemorauimus, nisi vt non omnino nesciamus, quid scriptura velit insinuare, cum de his artibus aliquas figuratas locutiones inserit. Restant ea quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem animi pertinent, vbi disciplina regnat disputationis & numeri. Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum quæ in literis sanctis sunt penetranda & dissoluenda, plurimum valet, tantum ibi cauenda est

libido rixandi, & puerilis quædam ostensio decipiendi aduersarium. Sed de hoc plenius dicemus cum de dialectica atq; rhetorica disputabimus. Iam vero numeri disciplina cuilibet tardissimo clarum est, quod non sit ab hominibus instituta, sed potius indagata & inuenta. Nõ enim sicut primam syllabam Italiæ quam breuem pronũciauerunt veteres, voluit Virgilius, & longa facta est, ita quisquam potest efficere cum voluerit, vt ter terna aut non sint nouem, aut non possint efficere quadratam figuram, aut non ad ternarium numerum tripla sint, ad senarium sescupla, ad nullum dupla, quia intelligibiles numeri semissem non habent. Siue ergo in seipsis considerentur, siue ad figuram, aut ad sonorum aliorum vel motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent, neque vllo modo ab hominibus institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas. Quæ tamen omnia quisquis ita dilexerit, vt iactare se inter imperitos velit, & non potius quærere vnde sint vera, quæ tantummodo vera esse persenserit, & vnde quædam non solum vera, sed etiam incommutabilia, quæ incommutabilia esse comprehenderit, ac sic ab specie corporum vsq; ad humanam mentem perueniens, cum & ipsam mutabilem inuenerit, quod nunc docta nunc indocta sit, constituta tamen inter commutabilem supra se veritatem, & mutabilia infra se cætera, ad vnius Dei laudem atq; dilectioné cuncta conuertere, à quo cuncta esse cognoscit, doctus videri potest, esse autem sapiens nullo modo. Hucusq; generaliter atq; permixtim dixi de disciplinis gentilium, deinceps seorsum de singulis dicturus.

CAPVT XVIII.

De arte Grammatica, & speciebus eius.

PRima ergo liberalium artium est Grammatica, secunda Rhetorica, tertia Dialectica, quarta Arithmetica, quinta Geometria, sexta Musica, septima Astronomia. Grammatica enim à literis nomen accepit, sicut vocabuli illius deriuatus sonus ostendit. Diffinitio autem eius talis est, Grammatica est scientia interpretandi poetas atque historicos, & recte scribendi loquendiq; ratio. Hæc & origo & fundamentum est artium liberalium. Hanc itaque scholam dominicam legere conuenit, quia scientia recte loquendi, & scribendi ratio, in ipsa consistit. Quomodo quis vim vocis articulatæ seu literarum & syllabarum potestatem cognoscit, si non prius per eam id didicit, aut quomodo pedum, accentuum & positiuarum discretionem scit, si non per hanc disciplinam eius scientiam ante percepit. Aut quomodo partium orationis iura, schematum decorem, troporum virtutem, etymologiarum rationem, & orthographiæ rectitudinem nouit, si non grammaticam artem ante sibi notam fecit. Inculpabiliter enim, immo laudabiliter hanc artem discit, quisquis in ea nõ inanem pugnã verborũ facere diligit, sed rectæ locutionis scientiam & scribendi peritiam habere appetit. Ipsa est enim omnium iudex librariorum, quia vbicunq; errorem perspexerit, reprehendit, & vbi bene dicta sunt, suo iudicio comprobabit. Schemata autem omnia quotquot secularis disciplina conscripsit, in sanctis libris sæpius posita reperiuntur. Necnon tropis authores nostros vsos fuisse, & multiplicius atque copiosius quam possit existimari vel credi, quisquis libros diuinos diligenter legit, inueniet. Istorum autem troporum non solum exempla sicut omnium, sed quorundam etiam nomina in diuinis libris leguntur, sicut allegoria, ænigma, parabola. Quorum omnium cognitio propterea scripturarum ambiguitate dissoluendis est necessaria, quia sensus ad proprietatem verborum si accipiatur, absurdus est. Quærendum est vtiq;, ne forte illo vel illo tropo dictum sit quod non intelligimus, & sic pleraq; inuenta sunt quæ latebãt. Metricam autem rationem quæ per artem Grammaticam discitur, non ignobile est scire. quia apud Hebræos Psalterium (vt beatus Hieronymus testatur) nunc iambo currit, nunc alchaico personat, nunc sapphico tumet, nunc semipede ingreditur. Deuteronomium vero, & Esaiæ canticum, necnon & Salomon & Iob, hexametris & pen-thametris versibus (vt Iosephus & Origines scribunt) apud suos composita decurrunt. Quamobrem non est spernenda hæc, quamuis gentilibus communis ratio, sed quantum satis est perdiscenda, quia vtiq; multi Euangelici viri, insignes libros hac arte condiderunt, & Deo placere per id satagerunt, vt fuit Iuuencus, Sedulius, Arator, Alcimus, Clemens, Paulinus & Fortunatus, & cæteri multi. Poemata autem & libros gentilium si velimus propter florem eloquentiæ legere, typus mulieris captiuæ tenendus est, quam Deut. describit: & Dominum ita præcepisse comemorat, vt si Israelites eam habere vellet vxorem, caluitium ei faciat, vngues præsecet, pilos auferat, & cum munda fuerit effecta, tunc transeat in victoris amplexus. Hæc si secundum literam intelligimus nõne ridicula sunt. Itaque & nos hoc facere solemus, hocque facere debemus, quando poetas gentiles legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis, si quid in eis vtile reperimus, ad nostrum dogma conuertimus, si quid vero superfluum de idolis, de amore, de cura secularium rerum, hæc radamus, his caluitium inducamus, hæc in vnguium more ferro acutissimo desecemus. Hoc tamen præ omnibus cauere debemus, ne hæc licentia nostra offendiculum fiat infirmis: ne pereat qui infirmus est in scientia nostra frater, propter quem Christus mortuus est, si viderit in idolio nos recumbentes.

CAPVT XIX.

De Rhetorica.

RHetorica est (sicut magistri tradunt) secularium literarum bene dicendi scientia, in ciuilibus quæstionibus. Sed hæc diffinitio licet ad mundanam sapientiam videatur pertinere, tamen non est extranea ab Ecclesiastica disciplina. Quicquid enim Orator & prædicator diuinæ legis, diserte & decenter profert in docendo, vel quicquid apte & eleganter depromit in dictando, ad huius artis congruit peritiam, nec vtique peccare debet arbitrari, qui hanc artem in congrua ætate legit, quiq; eius præcepta seruat in dictando, ac proloquendo sermonem, imo bonum opus facit, qui eam ad pleniter discit, vt ad prædicandum verbum Dei idoneus sit. Nam cum per artem Rhetoricam & vera suadeantur & falsa, quis audeat dicere aduersus mendacium, in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem, vt videlicet illi qui res falsas suadere conantur, nouerint auditorem vel beniuolum, vel intentum, vel facere docilem procemio, isti autem non nouerint. Illi falsa breuiter, aperte, verisimiliter, & isti vera sic narrent vt audire tædeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat, illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem, isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare, illi animos audientium in errorem mouentes, impellentesq; dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardenter, isti pro veritate lenti, frigidi dormitent. Quis ita desipiat, vt hoc sapiat? Cum ergo sit in medio posita facultas eloquij, quæ ad persuadenda seu praua seu recta valeat plurimum, cur non bonorum studio comparatur, vt militet veritati, si eam mali ad obtinendas peruersas vanasq; causas in vsus iniquitatis erroris vsurpant. Sed quæcunq; sunt de hac re obseruationes atq; præcepta, quibus cum accedit in pluribus verbis ornamentisq; verborum, quia exercitationis linguæ solertissima consuetudo fit illa, quæ facundia vel eloquentia nominatur, hæcq; reposito ad hoc congruo temporis spatio, apta & conueniente ætate discenda sunt eis, qui hoc celeriter possunt. Nã & ipsos Romanæ principes eloquentiæ non piguit dicere, quod hanc artem nisi qui cito possit perdiscere, nunquam omnino possit. Sed nos non ea tanti pendimus, vt eis discendis iam maturas, vel etiam graues hominum ætates velimus impendi. Satis est vt adolescentulorum ista sit cura, nec ipsorum omnium quos vtilitati Ecclesiasticæ cupimus erudiri, sed eorum quos nondum magis vrgens, & huic rei sine dubio præponenda necessitas occupauit, quoniam si acutum & feruens absit ingenium, facilius adhæret eloquentia legentibus, & audientibus elo-

A eloquentes, quam eloquentiæ præcepta sectantibus. Nec desint Ecclesiasticæ literæ etiam præter Canonem in authoritatis arce salubriter collocatæ, quas legendo homo capiat, & si id non agat, sed tantummodo rebus quæ ibi dicuntur, intentus sit etiam eloquio quo dicuntur, dum in his versatur, imbuitur accedente vel maxime exercitatione siue scribendi, siue dictandi, postremo etiam dicendi, quæ secundum pietatis ac fidei regulam sentis. Sed hæc de Rhetorica nunc dicta sufficiant, cum reseruamus paulo post iura eiusdem in dicendi genere planius demonstranda.

CAPVT XX.

De Dialectica.

Dialectica est disciplina rationalis quærendi, diffiniendi & differendi, etiam vera & à falsis discernendi potens. Hæc ergo disciplina disciplinarum est: hæc **B** docet docere, hæc docet discere, in hac seipsa ratio demonstrat atque aperit quæ sit, quid velit, quid videat. Scit scire sola, & scientes facere non solum vult, sed etiam potest. In hac ratiocinantes cognoscimus quid sumus & vnde sumus, per hanc intelligimus quid sit faciens bonum, & quid factum bonum, quid creator, & quid creatura, per hanc inuestigamus veritatem, & deprehendimus falsitatem, per hanc argumentamur & inuenimus quid sit consequens, quid non consequens, & quid repugnans in rerum natura, quid verum, quid verisimile, & quid penitus falsum in disputationibus. In hac enim disciplina vnamquamque rem quærimus sagaciter, & diffinimus veraciter, & differimus prudenter. Quapropter oportet clericos hanc artem nobilissimam scire, eiusque iura in assiduis meditationibus habere, vt subtiliter hæreticorum versutiam hac possint dignoscere, eorumque dicta veneficatis syllogismorum conclusionibus confutare. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerumq; ita veras imitantes, vt non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligentes, attentos decipiant. **C** Proposuit enim quidam dicens ei cum quo loquebatur: Quod ego sum, tu non es. At ille consensit. Verum enim erat ex parte, vel eo ipso, quod iste insidiosius, ille simplex erat. Tum iste addidit. Ego autem homo sum. Hoc quoque cum ab illo accepisset, conclusit dicens: Tu igitur non es homo. Quod genus captiosarum conclusionum, scriptura quantum existimo detestatur, illo loco vbi dictum est, **Eccl. 37.** *qui sophistice loquitur, odibilis est.* Quanquam etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantius quam grauitatem decet, verborum ornamenta consectans, sophisticus dicatur. Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis, falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius cum quo agitur. Quæ tamen ad hoc inferuntur à bono & docto homine, vt his erubescens, ille cuius errorem sequitur, eundem relinquat errorem, qui si in eodem manere voluerit, necesse est vt etiam illa quæ damnat, tenere cogatur. Nõ **1. Cor. 15.** enim vera inferebat Apostolus cum diceret: *Neq;* CHRISTVS *resurrexit.* **Ibidem.** Et illa alia: *Inanis est fides nostra, inanis est & prædicatio nostra.* Quæ omnino falsa sunt, quia & Christus resurrexit, & non erat inanis prædicatio eorum, qui **D** hoc crediderant. At quia falsum est quod sequitur, necesse est, vt falsum sit quod præcedit. Præcedit enim non esse resurrectionem mortuorum, quod dicebant illi, quorum errorem destruere voluit Apostolus. Porro illam sententiam præcedentem, qua dicebant, non esse resurrectionem mortuorum, necessario sequitur. *Neq;* CHRISTVS *resurrexit.* Hoc autem quod sequitur, falsum est. CHRISTVS enim resurrexit. Falsum est ergo quod præcedit. Præcedit autem non esse resurrectionem mortuorum. Est igitur resurrectio mortuorum. Quod totum breuiter ita dicitur, si non est resurrectio mortuorũ, neq; CHRISTVS resurrexit. CHRISTVS autem resurrexit, est igitur resurrectio mortuorum. Cum ergo sint veræ connexiones, non solum verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum etiam in **E** scholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt, sententiarum autem veritates in sanctis libris Ecclesiasticis inuestigandæ sunt. Ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animaduersa est ab hominibus & notata, vt eam possint vel discere vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua & diuinitus instituta, quæ à Deo authore sunt facta. Sed quia de Logica iam diximus, de mathematica consequenter dicemus.

CAPVT XXI.

De Mathematica.

Mathematica est quam Latine possumus dicere doctrinalem scientiam, quæ abstractam considerat quantitatem. Abstracta enim quantitas dicitur, quam intellectu à materia separantes, vel ab alijs accidentibus, vt est par, impar, vel ab alijs huiuscemodi quæ in sola ratiocinatione tractamus. Hæc diuiditur in Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astronomiam, de quibus singulis secundum ordinem differemus. **F**

CAPVT XXII.

De Arithmetica.

Arithmetica est disciplina quantitatis numerabilis secundum seipsam. Est enim disciplina numerorũ. Græci enim numerum ἀριθμὸν arithmon vocant, quem scriptores literarum secularium, inter disciplinas mathematicas ideo primam esse voluerunt, quoniam ipsa vt sit, nulla alia indicat disciplina. Musica autem & Geometria & Astronomia quæ sequuntur, vt sint atq; subsistant, istius egent auxilio. Scire autem debemus Iosephum Hebræorum doctissimum in primo libro antiquitatum titulo nono dicere, Arithmeticam & Astronomiã Abrahã primum Ægyptijs tradidisse, vnde semina suscipientes, vt sunt homines acerrimi ingenij, excoluisse sibi reliquas latius disciplinas. Quas merito, sancti patres nostri legendas studiosissimis persuadent, quoniam ex magna parte per eas à carnalibus rebus appetitus abstrahitur, & faciunt desiderare, quæ præstante Domino, solo possim' **G** corde respicere. Vnde ratio numeri contemnenda non est, quæ in multis sanctarum scripturarum locis quã magni existimanda sit, lucet diligenter intuentibus. Nec frustra in laudibus Dei dictum est: *Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti.* **Sap. 11.** Ita vero suis quisq; numerus proprietatibus terminatur, vt nullus eorum par esse cuiq̃ alteri possit. Ergo & dispares inter se atq; diuersi sunt, & singuli quiq; diuersi sunt, & singuli quiq; finiti sunt, & omnes infiniti sunt. Nec audebunt isti contemnere numeros, & eos ad scientiam Dei non pertinere, apud quos Plato Deum magna authoritate commendat, mundum numeris fabricantem. Et apud nos Propheta de Deo dicit: *Qui profert numerose seculum.* Et Saluator in Euangelio: **Matt. 10.** *Capilli*, inquit, *vestri omnes numerati sunt.* Quamuis enim se oblectent aspectui, quasi corpusculorum quædã simulachra, cum senarij numeri composito vel ordo vel partitio cogitatur, tamen validior & præpotentior desuper ratio, non eis annuit interius quæ vim numeri continet, per quem circuitum fideliter dicit id quod dicitur vnum in numeris, in nullas partes diuidi posse, nulla **H** autem corpora nisi in partes innumerabiles diuidi, & facilius cœlum & terram transire, quæ secundum senarium numerum fabricata sunt, quam effici posse, vt senarius numerus non suis partibus compleatur. Quamobrem non possumus dicere propterea senarium numerum esse perfectum, quod sex diebus perfecit Deus omnia opera sua, sed propterea Deum sex diebus perfecisse opera sua, quia senarius numerus perfectus est. Itaque etiam si ista non essent, perfectus ille esset: nisi autem ille perfectus esset, ista secundum eum perfecta non essent. Numerorum etiam imperitia multa facit non intelligi, translate ac mystice posita in scripturis. Ingenium quippe vt ita dixerim ingenium non potest, nisi nouerit quid sibi velit, quod & Moyses & Esaias, & ipse Dominus xl.

A diebus ieiunauerunt: cuius actionis figuratus quidam sine huius numeri cognitione & consideratione non soluitur. Habet enim denarium quater, tanquam cognitionem omnium rerum intextam temporibus. Quaternario namque numero, & diurna & annua curricula peraguntur: diurna matutinis, meridianis, vespertinis, nocturnisq; horarum spatijs. Annua vernis, æstiuis, autumnalibus, hyemalibusq; mensibus. A temporum autem delectatione dum in temporibus viuimus, propter æternitatem in qua viuere volumus, abstinendum & ieiunandum est: quamuis temporum cursibus ipsa insinuetur nobis doctrina contemnendorum temporum, & appetendorum æternorum. Porro autem denarius numerus, creatoris atq; creaturæ significat scientiam: nam trinitas creatoris est: septenarius autem numerus creaturam indicat, propter vitam & corpus. Nam in illa tria sunt: vnde etiam toto corde, tota anima, tota mente diligendus est Deus: in corpore autem manifestissima quatuor apparent, quibus constant elementa. Hoc ergo denario dum temporaliter nobis insinuatur, id est, quater ducatur, caste & continenter à temporum delectatione viuere,
B hoc est quadraginta diebus ieiunare, hoc est lex cuius persona est in Moyse, hoc est prophetia, cuius personam gerit Helias: hoc ipse Dominus monet, qui tanquam testimonium habens à lege & Prophetis, medius inter illos in monte tribus discipulis videntibus atque stupentibus, claruit. Deinde ita quæritur, quomodo quinquagenarius de quadragenario numero existat, qui non mediocriter in nostra religione sacratus est propter pentecosten: & quomodo ter ductus propter tria tempora ante legem, sub lege, sub gratia: vel propter nomen patris, & filij, & Spiritus sancti, adiuncta eminentius ipsa trinitate ad purgatissimæ
Ioh. vlti. Ecclesiæ mysterium referatur, perueniatq; ad centum vel tres pisces, quos retia post resurrectionem Domini in dexteram partem missa ceperunt. Ita multis alijs atq; alijs numerorum formis, quædam propter similitudinem in sanctis libris secreta ponuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus clausa sunt. Quapropter necesse
C est eis qui volunt ad sacræ scripturæ notitiam peruenire, vt hanc artem intente discant: & cum didicerint, mysticos numeros in diuinis libris facilius hinc intelligant.

CAPVT XXIII.

De Geometria.

Nunc ad Geometriam veniamus, quæ est descriptio contemplatiua formarum: documentum etiam visuale Philosophorum: quod vt præconijs celeberrimis referant Iouem suum, in operibus proprijs geometriare testantur. Quod nescio vtrum laudibus an vituperationibus applicetur: quando quod illi pingunt in puluere coloreo, Iouem facere mentiuntur in cælo. Quod si vero creatori & omnipotenti Deo salubriter applicetur, potest ex sententiæ forsitan conuenire veritate. Geometria enim si fas est dicere, sancta diuinitas, quoniam creaturæ suæ, quam vsq; hodie facit existere, diuersas species formulasq; concedit: quando cursus stellarum potentia venerandà distribuit, & statutis lineis fecit currere quæ mouentur: certaq; sede quæ sunt, fixa constituit. Quic-
D quid enim bene disponitur atq; componitur, potest disciplinæ huius qualitatibus applicari. Geometria Latine dicitur terræ dimensio: sicq; diffinitur. Geometria est disciplina magnitudinis immobilis & formarum, quod per diuersas formas ipsius disciplinæ vt nonnulli dicunt, primum Ægyptijs Dominis proprijs fertur esse partitus. Cuius disciplinæ magistri, mensores antè dicebantur: sed Varro peritissimus Latinorum, huius nominis causam sic extitisse commemorat, dicens, prius quidem homines per dimensiones terrarum terminis positis, vagantibus populis pacis vtilia præstitisse: deinde totius anni circulum menstruali numero fuisse partitos: vnde & ipsi menses quod annum metiantur, edicti sunt. Verum postquam ita reperta sunt, prouocati studiosi ad illa inuisibilia cognoscenda, cæperunt quærere, quanto spatio à terra luna, à luna sol ipse distaret: & vsq; ad verticem cæli quanta se mensura distenderet, quod peritissimos geometras
E assecutos commemorat. Tunc & dimensionem vniuersæ terræ probabili refert ratione collectam: ideoque factum, vt disciplina ipsa Geometricæ nomen acciperet, quod per secula longa custodit. Hæc igitur disciplina in tabernaculi templique ædificatione seruata est: vbi linealis mensuræ vnius & circuli ac sphæræ atq; hemisphærio, quadrangulæ quoque formæ, & cæterarum figurarum dispositio habita est: quorum omnium notitia, ad spiritalem intellectum non parum adiuuat tractatorem.

CAPVT XXIV.

De Musica.

Mvsica est disciplina quæ de numeris loquitur qui ad aliquid sunt: id est, his qui inueniantur in sonis: vt duplum, triplum, quadruplum, & his similia quæ dicuntur ad aliquid. Hæc ergo disciplina tam nobilis est, tamque vtilis, vt qui ea caruerit, Ecclesiasticum officium congrue implere non possit. Quicquid enim in le-
ctionibus decenter pronunciatur, ac quicquid de Psalmis suauiter in Ecclesia modulatur, huius disciplinæ scientia ita temperatur, & non solum per hanc legimus & psallimus in Ecclesia, immo omne seruitium Dei rite implemus. Musica ergo disciplina per omnes actus vitæ nostræ hac ratione diffunditur: primùm si creatoris mandata faciamus & puris mentibus, statutis ab eo regulis, seruiamus. Quicquid enim loquimur, vel intrinsecus venarum pulsibus commouemur, per musicos rithmos harmoniæ virtutibus probatur esse sociatum. Musica quippe, scientia est bene modulandi. Quod si nos bona conuersatione tractamus, tali disciplinæ probamur semper esse sociati: quando vero iniquitates gerimus, musicam non habemus. Cælum quoque & terra, vel omnia quæ in eis superna dispensatione peraguntur, non sunt nisi musica disciplina: cum Pithagoras hunc mundum per musicam conditum, & per eam gubernari posse, testatur. Hæc & in ipsa quoque religione Christiana valde permixta est: ac inde fit, vt non pauca etiam claudat atque obtegat nonnullarum rerum musicarum
G ignorantia. Nam & de psalterij & citharæ differentia, quidam non inconcinne aliquas rerum figuras aperuit: & decem chordarum psalterium non importune inter doctos quæritur, vtrum habeat aliquam Musicæ legem, quę ad tantum neruorum numerum cogat: an vero si non habet, eo ipso magis sacrate accipiendus sit ipse numerus, vel propter decalogũ legis. De quo item numero si quæratur, non nisi ad creatorem creaturamque referendus est: vel propter expositum ipsum denarium. Et ille numerus ædificationis templi qui commemoratur in Euangelio, xl. scilicet: & vi. annorum, nescio quid musicum sonat: & relatus ad fabricam dominici corporis, propter quam templi mentio facta est, cogit nonnullos hæreticos confiteri filium Dei, non falso sed vero, & humano corpore indutum. Itaque & numerum & musicam plerisque locis in sanctis scripturis honorabiliter posita, inuenimus. Non enim audiendi sunt errores gentilium superstitionum, qui nouem musas, & Iouis & Memoriæ filias esse finxerunt. Refellit eos Varro: quo nescio vtrum H
apud eos quisquam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. Dicit enim ciuitatem nescio quam (non enim nomen recolo) locasse apud tres artifices terna simulacra Vattonis laus.
musarum, quod in templo Apollinis donum poneret: vt quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum electa emeret: ita contigisse, vt opera sua illi quoque artifices æque pulchre explicarent, & placuisse ciuitati omnes nouē: atq; omnes esse emptas, vt in Apollinis templo dedicarentur: quibus postea dicit Hesiodum poetam imposuisse vocabula. Hic ergo Iupiter nouem musas genuit: sed tres fabri ternas creauerunt. Tres antē non propterea illa ciuitas locauerat: quidam in somnis eas videat, aut tot se cuiusquam illorum oculis demonstrauerant: sed quia facile erat animaduertere, omnem sonum quę materies cantilenarum est, triformem esse natura. Aut enim voce editur, sicuti eorum est qui faucibus

A siue organo canunt: aut flatu, sicut tubarum & tibiarum: aut pulsu, sicut in citharis & tympanis, & quibuslibet alijs, quæ percutiendo canora sunt. Sed siue se ita habeat quod Varro retulit, siue non ita, nos tamen non debemus (propter superstitionem profanorum) musicam fugere, si quid inde vtile ad intelligendas sanctas scripturas rapere poterimus: nec ad illorum theatricas nugas conuerti, si aliquid de citharis & de organis (quod ad spiritalia capienda valeat) disputemus. Neque enim & literas discere non debuimus, quia eorum Deum dicunt esse Mercurium: aut quia Iustitiæ virtutique templa dedicarunt: & quæ corde gestanda sunt, in lapidibus adorare maluerunt: propterea nobis iustitia virtusque fugienda est. Immo vero, quisquis bonus verusque Christianus est, Deũ suum esse intelligat, vbicunq; inuenerit veritatẽ.

CAPVT XXV.

De Astronomia.

B ASTronomia ergo superest, quæ (vt quidam dixit) dignum est religiosis argumentum, magnumque curiosis tormentum. Hanc ergo si casta ac moderata mente perquirimus, sensus quoque nostros (vt & veteres dicunt) magna claritate perfundit. Quale est enim ad cælos animo subire, totamque illam machinam supernam indagabili ratione discutere, & inspectiua mentis sublimitate ex aliqua parte colligere, quod tantæ magnitudinis arcana velauerunt? Nam mundus ipse (vt quidam dicunt) sphærica fertur rotunditate collectus: vt diuersas rerum formas, ambitus sui circuitione concluderet. Vnde librum Seneca consentaneè Philosophis disputatione formauit, cui titulus est, De forma mundi. Astronomia itaque dicitur (vnde nobis sermo) astrorum lex: quia nesciunt vllo modo aliter, quam à suo creatore disposita sunt, vel consistere, vel moueri: nisi forte quando aliquo miraculo facto, diuinitatis arbitrio commutantur: sicuti Iesu Naue soli in Gabaon vt staret, legitur

Iosu. 10. imperasse: & temporibus Ezechiæ regis, retrorsum de-
4.Re.20. cem gradibus reuersum fuisse: & in passione Domini tri-
C *Luc.23.* bus horis sol tenebrosus effectus est, & his similia. Ideo enim miracula dicuntur, quoniam contra consuetudinem rerum admiranda contingunt. Feruntur enim (sicut dicunt astronomi) quæ cælo fixa sunt: mouentur vero planetæ, id est erraticæ, quæ cursus suos certa tamen diffinitione conficiunt. Astronomia est itaque (sicut iam dictum est) disciplina, quæ cursus cælestium syderum & figuras contemplatur: omnes & habitudines stellarum circa se & circa terram, indagabili ratione percurrit. Inter astronomiam autem & astrologiam aliquid differt, licet ad vnam disciplinam ambæ pertineant. Nam astronomia cæli conuersionem, ortus, obitus, motusque syderum continet: vel ex qua causa ita vocentur: astrologia

D vero partim naturalis, partim superstitiosa est. Naturalis, dum exequitur solis lunæque cursus vel stellarum, certas temporum quæstiones. Superstitiosa vero est illa, quam mathematici sequuntur, qui stellis augurantur: quique etiam duodecim cæli signa per singula animæ vel corporis membra disponunt: syderumque cursus natiuitatis hominum & mores prædicare conantur. Hanc quidem partem astrologiæ quæ naturali inquisitione exequitur, solis lunæque cursus atque stellarum, & certas temporum distinctiones caute rimatur, oportet à clero Domini solerti medicamine disci: vt per certas regularum coniecturas, & ratas ac veras argumentorum æstimationes, non solum præterita annorum curricula veraciter inuestiget, sed & de futuris nouerit fideliter ratiocinari temporibus: vtq; paschalis festi exordia, & certa loca omnium solennitatum atque celebrationum, sibi sciat intimare obseruanda: & populo Dei rite valeat indicare celebranda.

CAPVT XXVI.

De Philosophorum libris.

E ECce de septem liberalibus artibus philosophorum, ad quam vtilitatem discendæ sint catholicis, satis (vt reor) superius diximus: illud adhuc adijcimus, quod philosophi ipsi qui vocantur, si qua forte vera & fidei nostræ accommodata in dispensationibus suis seu scriptis dixerunt, maxime Platonici non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim Ægyptij in tantum idola habebant, & onera grauia quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atq; ornamenta de auro & argento & veste, quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi tanquam ad vsum meliorem clanculo vendicauit, non authoritate propria, sed præcepto & mandato, ipsis Ægyptijs nescienter commodantibus ea, quibus

F vt bene vtebantur: sic doctrinæ omnes gentilium, non solum simulata & superstitiosa figmenta, grauesque sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrum duce Christo societatem gentilium exiens, debet abominari atque deuitare, sed etiam liberales disciplinæ, de quibus paulo antè egimus, vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continentur: de quibus ipso vno colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum & argentum quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infusa est, eruerunt: & quo peruerse atque iniuriose ad obsequia dæmonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus, ad vsum iustum prædicandi Euangelij: vestem quoque illorum, id est hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, quibus in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in vsum conuertenda Christianum. Nam quid aliud fecerunt boni multi fideles nostri? Nonne quanto auro & argento & veste suffarcinati exierunt de Ægypto, Cyprianus & doctor suauissimus, & martyr beatissimus: quanto Lactantius: quanto Victorinus: Optatus: Hilarius: quanto innumerabiles grammatici. Quod prior ipse fidelissimus Dei famu-

G lus Moyses fecerat: de quo scriptum est, quod *eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum.* Quibus omnibus viris su- *Actor. 7.*
perstitiosa gentium consuetudo, & maxime illis temporibus cum Christi recutiens iugum, Christianos persequebatur, disciplinas quas vtiles habebat, nunquam commodaret, si eas in vsum colendi vnius Dei, quo vanus idolorum cultus excinderetur, conuersas suspicaretur. Sed dederunt aurum & argentum & vestem suam, exeunte de Ægypto populo Dei, nescientes quemadmodum illa quæ dabant, in Christi obsequium redderentur. Illud enim in Exodo factum sine dubio figuratum est, vt hoc præfiguraret, quia sine præiudicio alterius aut paris aut melioris intelligentiæ dixerim: sed hoc modo instructus diuinarum scripturarum studiosus, cum ad eas scrutandas accedere cœperit, illud Apostolicum cogitare non cesset: *Scientia inflat, charitas ædificat.* Ita enim sentit quam- *1. Cor. 8.*
H uis de Ægypto diues exeat, tamen nisi pascha egerit, saluum se esse non posse. *Pascha autem nostrum immolatus est Christus:* nihilque magis immolatio Christianos docet, quam illud, quod ipse clamat, tanquam ad eos quos in Ægypto sub Pharaone iubet laborare: *Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum* *Matt. 11.*
super vos, & discite quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est.

CAPVT XXVII.

De acquisitione & exercitio virtutum.

INterea quippe dum intenta meditatione scientiam spiritualem optat adipisci, necesse est vt iugi exercitio, virtutum sibi quærat opulentiam: ne dum in vno diues esse cupit, & alterius opes quærere negligit, veræ opulentiæ

A lentiæ fructus perdat: ac non solum ipsi eueniat, quia quæsitarum rerum vtilitatem non habeat, immo pœnas iniustus possessor pro eis Domino soluat. Ait enim ipsa veritas seruis: *Qui scit voluntatem Domini sui & non facit, vapulabit multis: qui autem nescit & non facit, vapulabit paucis.* (Luc. 12.) Quid ergo proderit hominibus ingentes diuitias congregare, & earum vsum minime habere, cum multo melior sit ille, qui paupertate sua contentus est, & lætabitur de labore suo, ei qui totam vitam suam diuitias habens, in egestate consumit, Salomone attestante qui ait: *Melior est pauper & sufficiens sibi, quam gloriosus & indigens pane.* (Prov. 12.) (Hieronymus.) Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito, tantum nocet, si non & valet contradicentibus resistere. Sed ex duobus imperfectis, magis eligo sanctam rusticitatem, quam eloquentiam peccatricem: quia sapientia dicit: *Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam diues prauus itineribus: qui autem custodit legem, filius sapiens est.* (Prov. 19.) Oportet quidem eum qui sapientiæ studet, virtuti studere: vt id quod sapienter intelligit in mente, vtiliter exerceat in opere: & quodcumque boni verbis alijs facere præcipit, suis operibus faciendum esse (B) prius doceat: vt faciens & docens mandata Dei, maior vocetur in regno cælorum: non minimus, si docuerit & soluerit actione vnum de mandatis Dei minimis. *Omnis enim* (inquit) *Saluator qui venit ad me & audit sermones meos, & facit eos, similis est homini ædificanti domum: qui fodit in altum, & posuit fundamenta supra petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat super petram. Qui autem audit & non facit, similis est homini ædificanti domum suam supra arenam sine fundamento in quam illisus est fluuius, & continuo cecidit: & facta est ruina domus illius magna.* (Luc. 6.) Debet autem vnusquisque catholicus vniuersis virtutibus æqualiter operam dare: vt & intus & foris nobiliter ornatus, æterni regis conuiuio dignus existat: & quadriga spiritali vectus, ad æternam patriam conscendat. Debet autem prudentiæ intendere, vt prudenter prouideat, veraciter intelligat, intellectaque memoriter retineat. Debet iustitiæ vt religiosus, pius, humilisque fiat: vt gratiam & vindicationem, obseruantiam & veritatem conseruet: pactumque & pariudicatum & legem custodiat. (C) Debet fortitudini studium impendere, vt magnificentiam & fidentiam, patientiam & perseuerentiam habeat. Debet temperantiæ vt continens, clemens & moderatus fiat; & super hæc omnia, vt pacis & charitatis fidus executor existat: quæ scilicet est vinculum perfectionis. His autem speciebus virtutum perfecte adornatus, & sapientiæ lumine illustratus homo Dei, rite & congrue seruitium potest agere: atque oratoris officium digne potest in Ecclesia implere: quem antiqua diffinitio affirmat, virum bonum & dicendi peritum esse debere. (Oratoris finitio.) Si ergo hæc diffinitio in Oratoribus gentilium obseruabatur, multo magis in oratoribus Christi obseruari conuenit: quorum non solum sermo, immo etiam tota vita, doctrina virtutum debet esse. Sed quia de modo inueniendi ea quæ intelligenda sunt in scripturis multa iam diximus, adiuuante Domino de proferendo ea quæ intellecta sunt pauca dicemus, vt hoc nouissimo libro totum opus claudamus.

CAPVT XXVIII.

Quid debeat doctor catholicus in dicendo agere.

(D) Debet igitur diuinarum scripturarum tractator & doctor, defensor rectæ fidei ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere: atque in hoc opere, sermone conciliare auersos, remissos erigere, nescientibus quid agere, quid expetere debeant, intimare: vbi aut beneuolos, intentos, dociles, aut inuenerunt aut ipsi fecerunt, cætera peragenda sunt sicut postulat causa. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est: si tamen indigeat, vt res de qua agitur, innotescat: vt autem quæ dubia sunt, certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est. Qui vero audiunt, monendi sunt potius quam docendi, vt in eo quod iam sciunt, agendo non torpeant, & rebus quas veras esse fatentur, assensum accommodent. (E) Maioribus dicendi viribus opus est, vbi obsecrationes & increpationes, concitationes & coercitationes, & quæcunque alia valent ad commouendos animos, sunt necessaria. Et hæc quidem cuncta quæ dixi, omnes fere homines in his quæ loquendo agunt, facere non quiescunt, sed cum alij faciant obtuse, deformiter, frigide, alij acute, ornate, vehementer illum adhoc opus vnde agimus oportet accedere iam, qui potest disputare vel dicere sapienter, etiam si non potest eloquenter, vt prosit audientibus etiam sapienter, si minus quam prodesset, eloquenter posset dicere. Qui vero affluit insipienti eloquentia, tanto magis cauendus est, quanto magis ab eo in his quæ audire inutile est, delectatur auditor, & eum quem diserte dicere audit, etiam vere dicere existimat. Hæc autem scientia nec illos fugit, qui artem Rhetoricam docendam putauerunt. Fassi sunt enim sapientiam sine eloquentia parum prodesse ciuitatibus: eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque prodesse nunquam. Sapienter (G) autem dicit homo tanto magis vel minus, quanto in scripturis sanctis maius minusue proficit: non dico in eis multum legendis memoriæque mandandis, sed bene intelligendis, & diligenter earum sensibus indagandis. Sunt enim qui eas legunt vt teneant, negligunt ne intelligant: quibus longe sine dubio præferendi sunt, qui verba eorum minus tenent, & cor eorum sui cordis oculis vident, sed vtrisque qui & cum volet eas dicit, & sicut oportet, intelligit. Huic ergo qui sapienter debet dicere, etiam quod non potest eloquenter verba scripturarum tenere, maxime necessarium est. Quanto enim se pauperiorem cernit in suis, tantum in istis oportet eum esse ditiorem, vt quod dixerit suis verbis, præbeat & illis. Porro qui non solum sapienter, verum etiam eloquenter vult dicere, quo profecto plus proderit, si vtrumque potuerit, ad legendos vel audiendos & exercitatione imitandos eloquenter, eum multo magis quam magistris artis Rhetoricæ vacare præcipio, si tunc hi qui legunt & audiuntur, non solum eloquenter, sed etiam sapienter dixisse, vel dicere veraci prædicatione laudantur. Qui enim eloquenter dicunt, suauiter: qui sapienter, salubriter audiuntur. (H) Sunt ergo Ecclesiastici viri, qui diuina eloquia non solum sapienter, sed & eloquenter tractauerunt, quibus legendis magis non sufficit tempus, quam deesse ipsi studentibus & vacantibus possunt.

CAPVT XXIX.

Quod authores canonicorum librorum, & sapientes & eloquentes fuerunt.

Hic aliquis forsitan quærit, vtrum authores nostri (quorum scripta diuinitus inspirata) canonem nobis saluberrima authoritate fecerunt, sapientes tantummodo, an eloquentes nuncupandi sint. Quæ quidem quæstio apud meipsum, & apud eos qui mecum quod dico sentiunt, facillime soluitur. Videri potest & audeo dicere, omnes qui recte intelligunt, quod illi loquuntur simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse. Sicut autem est quædam eloquentia quæ magis ætatem iuuenilem decet, est quæ senilem, nec iam dicenda eloquentia, si personæ non congruat eloquentis. (F) Vbi vero non eos intelligo, minus quidem apparet mihi eorum eloquentia: sed eam non dubito esse talem, qualis est vbi intelligo. Sic quippe illi locuti sunt, vt posteriores qui eos recte intelligerent & exponerent, alteram gratiam dispatem quidem, verum tamen subsequentem in Dei Ecclesia reperirent. Non ergo expositores eorum ita loqui debent, tanquã seipsos exponendos simili authoritate proponant, sed in omnibus sermonibus suis, primitus ac maxime vt intelligantur elaborent; ea quantum possunt perspicuitate dicendi, vt aut multũ tardus sit qui non intelligit, aut in rerum (quas explicare atque ostendere volumus) difficultate ac subtilitate, non in nostra locutione sit causa, quo minus tardiusue quæ dicimus, possint intelligi. Sunt enim quædam,

A quæ aut non intelliguntur, aut vix intelliguntur, quamuis planissime dicentis versentur eloquio, quæ in populi audientiam vel raro si aliquid vrget, vel nunquam omnino mittenda sunt.

CAPVT XXX.

Quod facili locutione vti in vulgus debeat.

QVamuis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit vel esse debeat, vt verbum quod nimis obscurum sit vel ambiguum, Latinum esse non possit: vulgi autem more sic dicatur, vt ambiguitas obscuritasque vitetur, non sic dicatur, vt à doctis, sed potius vt ab indoctis dici solet. *August.* Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum non intelligunt, propter quos vt intelligant, loquimur? Qui ergo docet, vitabit verba omnia quæ non docent: & si pro eis aliqua quæ intelligantur integra potest dicere, id magis eliget: B si autem non potest, siue quia non sunt, siue quia in præsentia non occurrunt, vtetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur atque discatur integre: & hoc quidem non solum in collocutionibus, siue fiant cum aliquo vno, siue cum pluribus, verumetiam multo magis in populis, quando sermo promittitur, vt intelligamur instandum est. Quia in collocutionibus, est cuique interrogandi potestas: vbi autem omnes tacent vt audiatur vnus, & in eum intenta ora conuertunt, ibi vt requirat vnusquisque quæ non intellexerit, nec moris est nec decoris: ac per hoc debet maxime tacenti subuenire, cura dicentis. Solet autem motu suo significare, vtrum intellexerit cognoscendi auida multitudo, quæ donec significet, versandum est quod agitur multimoda varietate dicendi, quæ in potestate non habent, qui præparata, & ad verbum memoriter retenta, pronuntiant. Mox autem vt intellectum esse constiterit, aut sermo finiendus est, aut in alia transeundum. Sicut enim gratus est qui agnoscenda enubilat, sic onerosus, qui cognita inculcat. C

CAPVT XXXI.

De optimo modo dicendi, & quid oporteat prædicatorem in dicendo obseruare.

EST autem optimus modus dicendi, qui fit vt qui audit, verum audiat: & quæ audit, intelligat, bonorumque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. *Augusti.* Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quæ volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi vt pateat quod clausum est? Dixit ergo quidam eloquens, & verum dixit, ita debere eloquentem loqui, vt doceat, vt delectet, vt flectat. Deinde addidit: Docere necessitatis est, delectare suauitatis, & flectere victoriæ. Horum trium quod primo loco positum est, hoc est dicendi necessitas, in rebus est constituta, quas dicimus: reliqua duo, in modo quo dicimus. Prorsus hæc sit in docendo eloquentia, non vt libeat quod horrebat, aut vt fiat quod pigeat, sed vt appareat quod latebat. Quod si etiam delectare vult D eum cui dicit aut flectere, non quocunque modo hoc dixerit, sed interest quomodo dicat vt faciat. Sicut est autem vt teneatur ad audiendum delectandus auditor, ita flectendus, vt moueatur ad agendum: & sicut delectatur si suauiter loqueris, ita flectetur si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas, amplectitur, quod dolendum exaggeras, doleat, cum quid lætandum prædicas, gaudeat, misereatur eorum, quos miserandos ante oculos dicendo constituis, fugiat eos quos cauendos terrendo præponis, & quicquid aliud grandi eloquentia fieri potest, ad commouendos animos auditorum, non quid agendum sit vt sciant, sed quod agant, quæ agenda esse iam sciunt. Oportet ergo eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere vt instruat, & delectare vt veniat, verum etiam flectere vt vincat.

CAPVT XXXII.

E

De triplici genere locutionis, quod Romani doctor eloquij ita distinxit.

AD hæc enim tria, id est, vt doceat, vt delectet, vt flectat, etiam illa tria videtur pertinere voluisse idem ipse Romani author eloquij, cum totidem dicit: Is erit igitur eloquens, qui poterit parua submisse, modica temperate, magna granditer dicere: tanquam si adderet illa etiam tria, & sic explicaret vnam eandemque sententiam dicens: Is erit ergo eloquens, qui vt doceat, poterit parua submisse, vt delectet, modica temperate, vt flectat, magna dicere granditer. Hæc autem tria ab eo dicta, in causis forensibus possunt ostendi: non autem hic, hoc est, in Ecclesiasticis quæstionibus, in quibus huius quem volumus informare, sermo versatur. In illis enim ea parua dicuntur, vbi de rebus pecuniarijs iudicandum est: ea magna, vbi de salute ac capite omnium. Ea vero vbi nihil iudicandum est nihilque agitur, vt agat siue discernat, sed tantummodo vt delectetur auditor inter vtrumque, F quorum media & ob hoc modica, hoc est, moderata dixerit: modicis enim modis nomen posuit: nam modica pro paruis abusiue non proprie dicimus. In istis autem nostris quando quidem omnia maximeque de loco superiore dicimus, populis ad hominem salutem, nec temporariam, sed æternam referre debemus: vbi etiam cauendus est æternus interitus. Omnia sunt magna quæ dicimus: vsque adeo, vt nec de ipsis pecuniarijs rebus vel acquirendis vel amittendis, parua videri debeant, quæ doctor Ecclesiasticus dicit: siue sit illa magna, siue parua pecunia. Neque enim parua est iustitia, quam profecto & parua pecunia custodire debemus, dicente Domino: *Qui in minimo fidelis est, & in magno fidelis est.* *Luc. 16.* Quod ergo minimum est, minimum est, sed in minimo fidelem esse, magnum est.

CAPVT XXXIII.

Quando submisso genere, & quando temperato, quandoque grandi vtendum sit.

G *August.* ATtamen cum doctor iste debeat rerum dictor esse magnarum, non semper eas debet granditer dicere: sed submisse, cum aliquid docetur: temperate, cum aliquid vituperatur siue laudatur. Cum vero aliquid agendum est, & ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer: & ad flectendos animos congruenter: & aliquando de vna eademque re magna & submisse dicitur si docetur: & temperate si prædicatur: & granditer si auersus inde animus vt conuertatur, impellitur. Quid enim Deo ipso maius est? Nunquid ideo dicitur, aut qui docet vnitatem trinitatis, debet nisi submissa disputatione agere, vt res ad dignoscendum difficilis quantum datur, possit intelligi? Nunquid hic ornamenta & non documenta quæruntur? Nunquid vt aliquid agat, est flectendus vel auditor, & non vt discat, potius instruendus? H Porro cum laudatur Deus siue de ipso, siue de operibus suis, quanta facies pulchræ ac splendidæ dictionis suboritur ei, qui potest quantum potest laudare, quem nemo conuenienter laudat, nemo quomodocunque laudat. At si non colatur, aut cum illo vel etiam pro illo colantur idola siue dæmonia, siue quæcumque creatura, quantum hoc malum sit, atque vt ab hoc malo auertantur homines, debet vtique granditer dici.

CAPVT XXXIV.

Exempla in Apostolo, de prædictis generibus tribus.

SVbmissæ dictionis exemplum est apud Apostolum Paulum (vt planius aliquid commemorem) vbi ait ad Galatas: *Augusti.* *Dicite mihi sub lege volentes esse, legem non legistis? Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta.* *Galat. 4.* Hæc enim sunt duo

A [Galat. 3.] duo testamenta, &c. Item vbi ratiocinatur & dicit: *Fratres secundum hominem dico. Tamen hominis confirmatum testamentum, nemo irritum facit aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed tanquam in vno, & semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo, post quadringentos & triginta annos facta lex, non infirmat ad euacuandas promissiones. Si enim ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus.* Et quia occurrere poterat audientis cogitationi, vt quid ergo lex data est, si ex illa non est hæreditas, Ipse sibi hoc obiecit atque ait velut interrogans: *Quid ergo lex?* Deinde respondit: *Transgressionis gratia posita est, donec veniret semen, cui promissum est, disposita per angelos in manu mediatoris,* &c. Pertinet ergo ad docendi curam non solum aperire clausa, & nodos soluere quæstionum, sed etiam dum hoc agitur alijs quæstionibus quæ fortassis inciderint, ne id quod dicimus impugnetur per illas, aut refellatur occurrere: si tamen ipsa eorum solutio pariter occurrerit, ne moueamus quod auferre non possumus. B Fit autem, vt cum incidentes quæstioni, aliæ quæstiones & aliæ rursus incidentibus incidentes pertractantur atque soluuntur, in eam longitudinem ratiocinationis extendatur intentio, vt nisi memoria plurimum valeat atque vigeat, ad caput vnde agebatur, disputator redire non possit. Valde autem bonum est, vt quicquid contradici potest si occurrerit, refutetur: ne ibi occurrat vbi non est qui respondeat, aut præsenti quidem sed tacenti occurrat: & minus sanatus abscedat. In illis autem Apostolicis verbis dictio est temperata. [1. Tim. 5.] *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem: iuniores vt fratres: anus vt matres: adolescentulas vt sorores:* & in illis: [Rom. 12.] *Obsecro autem vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem:* & totus fere ipsius exhortationis locus, temperatum habet locutionis genus: vbi illa pulchriora sunt: vbi propria proprijs tanquam debita reddita, decenter excurrunt, sicuti est: [Ibidem.] *Habentes dona diuersa secundum gratiam quæ data est nobis, siue prophetiam secundum regulam fidei, siue ministerium in* C *ministrando, siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in exhortatione, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate,* &c. Et aliquanto post: *Reddite,* inquit, *omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Quæ membratim fusa clauduntur etiam ipso circuitu, quem [Rom. 13.] duo membra contexunt: *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Grande autem dicendi genus, hoc maxime distat ab isto genere temperato, quod non tam verborum ornatibus comptum est, quam violentum est animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta pene omnia: sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur enim impetu suo, & elocutionis pulchritudinem si occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris assumit. Satis est enim ei propter quod agitur, vt verba congruentia non oris eligantur industria, sed pectoris sequantur ardorem. Nam si aurato gemmatoque ferro vir fortis armetur intentissimus pugnæ, agit quidem illis armis quod agit, non quia pretiosa, sed quia arma sunt. Ait Apostolus, vt pro Euangelico ministerio patienter mala huius temporis cum solatio donorum Dei omnia tolerentur. Magna res est, & granditer agitur, nec desunt ornamenta dicendi. [2. Cor. 6.] *Ecce nunc,* inquit, *tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nullam in* D *quoquam dantes offensionem, vt non reprehendatur ministerium nostrum, sed in omnibus commendantes nosmetipsos vt Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus* &c. quæ persequi longum est. Itemque ad Romanos ait: *Vt persecutiones huius mundi charitate vincantur, spe certa in adiutorio Dei.* [Rom. 8.] Ait autem & granditer & ornate: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti: quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus,* &c. quæ in eodem capitulo sequuntur.

CAPVT XXXV. E

Quomodo debeant inter se hæc tria genera permisceri.

INterest enim, quod genus cui generi interponatur vel adhibeatur, certis & necessarijs locis. [Augusti.] Nam quando prolixa est in vno genere, minus detinet auditorem, cum vero fit in aliud ab alio transitus, etiam si longius erat, decentius procedit oratio. In grandi ergo genere semper aut pene semper, temperata decet esse principia: & in potestate est eloquentis vt dicantur nonnulla: nonnulla etiam quæ possent granditer dici: vt ea quæ dicuntur granditer, ex illorum fiant comparatione grandiora: & eorum tanquam vmbris luminosiora reddantur. In quocunque autem genere aliqua quæstionum vincula soluenda sunt, acumine opus est, quod sibi summissum genus proprie vendicat, ac per hoc eo genere vtendum est: & alijs duobus generibus quando eis ista incidunt, sicut est laudandum aliquid vel vituperandum, vbi nec damnatio cuiusquam, nec liberatio, nec ad actionem quamlibet assensio requiritur. F In quocunque alio genere occurrit, genus adhibendum & interponendum est temperatum. In grandi ergo genere inueniunt locos suos duo cætera: & summisso similiter. Sicut dixi, quæstio cuius nodus soluendus est, incurrat: vel quando nulla quæ ornari possent, ideo non ornantur, vt quibusdam quorum thoris ornamentorum præbeant eminentiorem locum. Summissum genus dicendi silentes docet: & temperatum genus delectatione sua acclamationes audientium excitat: grande autem genus plerumque pondere suo voces premit, sed lachrymas exprimit: & hoc vnde, nisi quia veritas sic demonstrata, sic defensa, sic inuicta delectatur? Iste ergo doctor noster & dictor magnopere curare debet, vt non solum intelligenter, verum etiam libenter & obedienter audiatur: idque verbis agat vt veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat: quoniam nec ipsa quæ præcepti finis & plenitudo legis est charitas, vllo modo recte esse potest, si ea quæ diliguntur, G non vera sed falsa sunt. Sicut autem cuius est pulchrum corpus, & deformis est animus, magis est dolendus, quam si deforme haberet corpus: ita qui eloquenter ea quæ falsa sunt dicunt, magis miserandi sunt, quam si talia deformiter dicerent.

CAPVT XXXVI.

Quid sit sapienter & eloquenter dicere: & quod alienum non dicat, qui ab alio prolata, bene viuendo prædicat.

QVid ergo est non solum eloquenter, verum etiam sapienter dicere, nisi verba in submisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in grandi vehementia, veris tamen rebus quibus audiri oporteat adhibere? Sed qui vtrumq; non potest, dicat sapienter, quod non dicat eloquenter, potius quam dicat eloquenter, quod dicit insipienter. Si autem nec hoc quidem potest, ita conuersetur, vt non solum sibi præmium comparet, sed & præbeat alijs exemplum: & sit eius quasi copia dicendi, forma viuendi. Sunt sane quidam, qui bene pronuntiare possunt: quid autem pronuntient, cogitare non possunt. Quod si ab alijs sumant eloquenter sapienterq; conscriptum, memoriæq; commendent, atq; ad populum proferant, si eam personam gerunt, non improprie faciunt etiã. H Sic enim quod profecto vtile est, multi prædicatores veritatis fiunt: nec multi magistri, si vnius rei magistri, idipsum dicant omnes: & sint in eis schismata, nec deterrendi sunt isti voce Hieremiæ Prophetæ: per quem Deus arguit eos, qui furantur verba eius, vnusquisque à proximo suo. [Ierem. 24] Qui enim furantur, alienum rapiunt: verbum autem Dei non est alienum ab eis, qui obtemperant ei: potiusq; dicit ille aliena, qui cum dicit bene, viuit male. Quæcunq; enim bona dicit, eius videntur excogitari ingenio: sed ab eius moribus aliena sunt. Eos itaque dixit Deus furari verba sua, qui boni volũt videri loquendo quæ Dei sunt, quũ mali sunt, faciendo quæ sua sunt. Cum vero boni fi-

deles

[A] deles bonis fidelibus hanc operam accomodant, vtrique sua dicunt: quod & Deus ipsorũ est, cuius sunt illa quę dicuntur: & ea sua faciunt, quæ non ipsi componere non potuerunt, qui secundum illa composite viuunt.

CAPVT XXXVII.

De discretione dogmatum iuxta qualitatem auditorum.

HOc quoque nosse conuenit vnumquemque catholicum doctorem, quomodo sibi conciliet sui sermonis auditorem, vt dum sciat per supradictam rationem modos locutionum & species, bene dispensando fructus inueniat suæ prædicationis & laudes. Cum enim oratio in se exhibet perfectionem, necesse est vt perpendat auditorum qualitatem: quia vt reuerendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non vna eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque alios offendunt, quæ alijs prosunt, quia plerumque herbæ quæ hæc [B] animalia nutriunt, alia occidunt, & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iniungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate ergo audientium, formari debet sermo doctorum, vt per singula singulis congruat, & à communis ædificationis arte, nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi (vt ita dixerim) quædam in cithara tensiones stratæ chordarum? Quas artifex tangendo, vt non sibimetipsis dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsat, & idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro, sed non vno impulsu feriuntur. Vnde & doctor quisque vt in vna cunctos virtute charitatis ædificet, examinata doctrina non vna eademque exhortatione, corda audientium tangere debet.

(Gregori. pastoralis curæ libro 3.) Aliter namque admonendi sunt viri, aliter fœminæ, quia illis secundum sexum suum grauia, istis vero iniungenda sunt leuiora: vt illos magna exerceant, istas vero leuia demulcendo conuertant. Aliter iuuenes, atque aliter senes: quia illos plerumque seueritas commonitionis ad [C] perfectum dirigit, istos vero ad meliora opera deprecatio blanda componit. Aliter inopes, atque aliter locupletes: illis namque conferre consolationis solatium contra tribulationem, istis vero inferre metum contra elationem debemus. Plerumque tamen habitum personarum permutat qualitas morum, vt sit diues humilis, pauper elatus, vnde mox prædicantis lingua cum audientis debet vita opponi, vt tanto districtius in paupere elationem feriat, quanto eum nec illata paupertas inclinat, & tanto lenius humilitatem diuitum mulceat, quanto eos nec abundantia quæ subleuat, exaltat. Aliter admonendi sunt læti, atque aliter tristes. Lætis videlicet inferenda sunt tristia, quæ sequuntur ex supplicio: tristibus vero inferenda sunt læta, quæ promittuntur ex regno. Aliter subditi atque aliter prælati: illos ne subiectio conterat, istos ne locus superior extollat: illi ne minus impleant quam iubentur, isti ne plus iusto iubeant quam aliter compleantur. Aliter serui atque Domini: serui quidem vt semper humilitatem conditionis aspiciant: Domini vero, vt naturæ suæ quæ qualiter sunt cum seruis conditi, memoriam non amittant. [D] Isti admonendi sunt, vt sciant se seruos esse dominorum: illi admonendi sunt, vt cognoscant se conseruos esse seruorum. Aliter admonendi sunt sapientes huius seculi, atque aliter hebetes. Sapientes quippe admonendi sunt, vt non omittant scire quæ sciunt: hebetes quoque vt appetant scire quæ nesciunt: illi vt stultam sapientiam deserant, & sapientiam Dei non stultam discant: isti vero, vt ab ea quæ putatur stultitia, ad veram sapientiam vicinius currant. Aliter impudentes admonendi sunt, atque aliter verecundi: illos namque ab impudicitiæ vitio non nisi increpatio dura compescit: istos autem plerumq; ad melius exhortatio modesta componit: illi se delinquere nisi etiam à pluribus increpentur, istis plerumque ad conuersionem sufficit, quia eis doctor mala sua saltem leniter ad memoriam reducit. Aliter admonendi sunt proterui, atque aliter pusillanimes. [E] Illi enim dum valde de se præsumunt, exprobrando cæteros dedignantur: isti autem dum nimis infirmitatis suæ sunt conscij, plerumq; in desperationem cadunt. Aliter admonendi sunt impatientes, atque aliter patientes. Dicendũ namq; est impatientibus, quia dum frenare Spiritum negligunt, per multa etiam quæ non appetunt, in iniquitatum abrupta rapiuntur: quia videlicet mentem impellit furor, quo non trahit desiderium, & agit commota velut nesciens, vnde post doleat sciens. Dicendum itaq; est patientibus, vt studeant diligere, quod sibi necesse est tolerare: ne si patientiam dilectio non sequitur, in deteriorem culpam odij virtus ostensa vertatur. Aliter admonendi beneuoli, atq; aliter inuidi. Admonendi namq; sunt beneuoli, vt sic alienis bonis gaudeant, quatenus habere propria concupiscant: sic proximorum facta diligendo laudent, vt ea etiam imitando multiplicent: quia nihil mercedis sibi agunt, si ea quæ diligunt, inquantum possunt non imitantur. Admonendi sunt inuidi, vt [G] perpendant quantæ cæcitatis & infelicitatis sunt, qui alieno profectu deficiunt: aliena exultatione contabescunt: qui melioratione proximi, deteriores sunt. Aliter admonendi sunt simplices, atq; aliter impuri. Laudandi sunt simplices, vt studeant nunquã falsa dicere: sed admonendi sunt, vt nouerint nonnunquam vera reticere, vt simplicitatis bono prudentiam adiungant: quatenus sic securitatẽ de simplicitate possideant, vt circunspectionẽ prudentiæ non amittant. At contrà admonendi sunt puri, vt quàm grauis sit culpa quam sustinent, duplicitatis laborem agnoscant. Dũ enim deprehendi metuunt, semper improbas defensiones quærunt. Aliter admonendi sunt incolumes atque aliter ægri. Admonendi sunt incolumes, ne oportunitatem salutis in perpetuum promerendæ despiciant: ne placere Deo cum possint, noluerint: cum voluerint sero, non possint. At contra admonẽdi sunt ægri, vt & se filios Dei sentiant: quoniam illos disciplinæ flagella castigant. Nisi enim correctis hæreditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret. Aliter admonendi sunt qui flagella metuunt, & propterea innocenter viuunt: aliter qui sic in iniquitatẽ [H] durauerunt, vt neq; per flagella corrigantur. Dicendum namq; est his, qui propterea bona faciunt, quia tormentorum mala metuunt: quia nullam Spiritus libertatem tenent. Namq; nisi pœnam non metuerent, culpam proculdubio perpetrarent. Vnde luce clarius constat, quia coram Deo innocentia amittitur, ante cuius oculos à desiderio peccatur: atque iniquus ab iniquitatibus nec per flagella compescitur: tanto acriore inuectione feriendi sunt, quanto maiore insensibilitate durauerunt. Aliter admonendi sunt nimis taciti, aliter multiloquio vacantes. Insinuari namque nimis tacitis debet, quia dum quædam vitia incaute fugiunt, occulte deterioribus implicentur. Nam sæpe linguam quia immoderatius frenant, in corde grauius multiloquium tolerent. At contrà admonendi sunt multiloquio vacantes, vt vigilanter inspiciant, à quanto rectitudinis depereunt, dum per multiplicia verba dilabuntur. Reliqua vide apud. Gregorium loco quo supradictum est.

CAPVT XXXVIII.

Quæ virtutum species contraria sint singulis speciebus vitiorum.

[F] HÆC igitur tanto congruentius vnusquisque prædicator valet exprimere, quanto veracius species virtutum, & è contra vitiorum nouit discernere: vt cum singula singulis nouit opponere, cuique vulneri aptum possit medicamentum inuenire. Sunt autem in virtutibus quædam species, quæ quodammodo ex alijs speciebus quasi ex arboribus rami procedunt: quæ quia ab vna virtutum radice generantur, in vno eiusdem radicis stipite frondes pulcherrimi gestantur. Sunt & econtrario in vitijs quædam virulenta germina, de quibus omnis illa multitudo pestifera nequitiarum generatur: & sicut in virtutibus aliæ ex alijs procedunt, quasi ex genetricibus proles preciosæ, sic & in istis quædam quasi ne-

quissimæ

A quissimæ soboles, ex spurcissimis matribus prodeunt. Sed quia cum virtutibus vitiorum diuturna sunt bella, vtriusque malitiæ qui sint duces, quique eorum sint comites specialiter quantum possumus exponamus: ita tamen, vt quæ virtus cum quo vitio proprie pugnam gerat, pariter ostendamus. Nec enim aliter possumus ignita vitiorum iacula deuitare, nisi sciamus opportuna virtutum tegmina illis opponere: vt ex ipsis defensi, protervum illum exercitum simul cum eius ducibus, Christo super nos regnante, possimus superare. Tentantia quippe vitia quæ inuisibili contra nos prælio regnanti super se superbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur. Nec enim culpæ omnes pari accessu cor occupant: sed dum maiores & paucæ neglectam mentem præueniunt, minores innumeræ ad illam se catervatim fundunt. Ipsa namque vitiorum regina superbia, cum deuictum cor plene ceperit, mox illud septem principalibus vitijs, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum trahit: quos videlicet duces exercitus sequitur: quia ex eis procul dubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Radix quippe cuncti mali superbia est: de

Eccl. 10. qua Scriptura attestante dicitur: *Initium omnis peccati superbia est.*

B Primæ autem eius soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Nam quia his septem vitijs superbiæ nos captos doluit, idcirco redemptor noster ad spiritale liberationis prælium, spiritu septiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra nos hæc singula exercitum suum. Nam de inani gloria, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ & nouitatum præsumptiones oriuntur. De inuidia odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in proximis nascitur. De ira, rixa, & tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis

C erga illicita nascitur. De auaritia, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluuie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur. De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus sæculi præsentis: horror autem vel desperatio futuri generatur. Sed enumeratis septem superbiæ sordibus, quæ vitiorum exercitum contra nos ducunt, videamus quæ sint virtutum duces & agmina exercitus, quæ humilitatis auctor Christus nobis præstat, ad pugnandum contra vitiorum cohortes: & opponamus singulis ducibus vitiorum, duces contrarios virtutum, exercitibusque exercitus. Duci igitur inani gloriæ contra statuenda est dux humilitas, quæ maxime generat in homine despe-

D ctionem sui, & contemptum caducarum rerum: comitibusque eius comites contrarij, id est, inobedientiæ obedientia: iactantiæ, humilis professio: hypocrisi, simplicitas: contentioni, innocentia: pertinaciæ, subiectio: discordiæ, pax: nouitatum præsumptioni, timor Dei & honoratio patrum. Duci quoque inuidiæ opponenda est dux beneuolentia: comitibus eius contrarij comites, id est odio dilectio vera: susurrationi, locutio vera: detractioni, pia laudatio: exultationi in aduersis proximi, compassio in eius afflictione: in prosperis ipsius lætitia in sospitate eius. Iræ duci, contraria est dux mansuetudo: comitibusque eius illius comites. Istius tumori mentis placiditas animi: contumeliæ, benignitas: clamori grauitas verborum: indignationi, suauitas morum: blasphemiæ, puritas oris. Tristitiæ namque duci, obsistit dux spiritalis lætitia: exercituique eius exercitus istius, id est malitiæ bonitas: rancori, lenitas: pusillanimitati, longanimitas: desperationi, perseuerantia: torpori circa præcepta, studium spiritale: vagationi mentis erga illicita, intentio diuinæ lectionis. Auaritiæ duci, aduersa est dux largitas: agminibusque eius, agmina istius, id est, proditioni, fides non ficta: fraudi, syncceritas:

E fallaciæ, veritas: periurijs, non iurare: inquietudini, tranquillitas: violentiæ, patientia: duritiæ misericordia. Duci quippe gastrimargiæ, id est, horrendæ voracitati, contraria est dux abstinentia: cohortibusque illius, cohortes istius, id est ineptæ lætitiæ, modestia: scurrilitati, ratio sermonum: immunditiæ, sobrietas: multiloquio taciturnitas: hebetudini sensus circa intelligentiam, furor discendi sapientiam: somnolentiæ, vigilantia. Luxuriæque duci ac plebi eius, reluctatur dux castitas cum plebe sua: id est, cæcitati mentis, contemplatio Dei: inconsiderationi, prouisio: inconstantiæ, constantia: præcipitationi, continentia: amori sui, mortificatio desideriorum carnis suæ: odio Dei, charitas perfecta Dei. Ecce hæc sunt quæ præsulem animarum oportet scire: & quæ debet in prædicationis diuersitate custodire: vt sollicitus infirmitates singulorum perpendat: & congrua eorum vulneribus medicamina opponat. Sed cum magni stu-

F dij sit, vt exhortandis singulis seruiatur ad singula, cum valde laboriosum sit, vnumquemque de proprijs sub dispensatione debitæ considerationis instruere, longe tamen est laboriosius, auditores innumeros, ac diuersis passionibus laborantes, vno eodemque tempore, voce vnius & communis exhortationis admonere. Ibi quippe tanta arte vox temperanda est, vt cum diuersa sint auditorum vitia, & singulis inueniantur congrua, & tamen sibimetipsis non sint diuersa, vt inter medias passiones vno quidem ductu transeat, sed more ancipitis gladij, tumores cogitationum carnalium ex diuerso latere incidat, quatenus sic superbis prædicetur humilitas, vt tamen timidis non augeatur metus: sic timidis infundatur austeritas, vt tamen superbis non crescat effrænatio: sic sollicitudo boni operis, vt tamen inquietis immoderatæ licentia non augeatur actionis, sic inquietis ponatur modus, vt tamen otiosis non fiat torpor securus: sic

G ab impatientibus extinguatur ira, vt tamen remissis ac lenibus non crescat negligentia: sic lenes accendantur ad zelum, vt tamen iracundis non addatur incendium: sic tenacibus infundatur tribuendi largitas, vt tamen prodigis effusionis fræna minime laxentur: sic prodigis prædicetur parcitas, vt tamen continentes non reuocentur ad luxum: sic continentibus laudetur virginitas, vt tamen in coniugibus despecta non fiat fœcunditas carnis. Sic prædicanda sunt bona, ne ex latere iubeantur & mala: sic laudanda sunt bona summa, ne desperentur vltima: sic nutrienda sunt vltima, ne dum creduntur sufficere, nequaquam tendatur ad summa. Curandum est itaque prædicatori, quatenus sic tergatur tristitia quæ venit ex tempore, vt non augeatur lætitia, quæ est ex cōspersione: & sic frænetur lætitia quæ ex cōspersione est, vt tamen non crescat tristitia quæ venit ex

H tempore: sic itaque in isto reprimatur subito oborta formido, vt tamen non excrescat enutrita diu præcipitatio: sic in illo reprimatur diu oborta præcipitatio, vt tamen non valescat impressa ex conspersione formido.

CAPVT XXXIX.

Quod oporteat postulari à Domino possibilitas prædicandi.

ET hæc se posse si potuerit, & in quantum potuerit, pietate magis orationum, quam Oratorum facultate non dubitet: vt orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus, sit Orator antequam dictor. Ipsa hora iam vt dicat accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam sitientem: vt ructet quod biberit, vel quod impleuerit, fundat. Cum enim de vnaquaque re quæ secundum fidem dilectionemque tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur ab eis qui hæc sciunt, quis nouit quid ad præsens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? & quis facit, vt quod oportet, & quemadmodum oportet dicatur nobis, nisi in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri? Ac per hoc discat qui docet omnia

quæ docenda sunt, qui & nosse vult & docere facultatem dicendi: quæ vt decet virum Ecclesiasticum, comparet. Ad horam vero ipsius dictionis illud potius bonæ menti cogitet conuenire, quod Dominus ait: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* (Matt. 10.) Si ergo loquitur in eis Spiritus sanctus qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non & in eis, qui tradunt discentibus Christum? Qui autem dicit hominibus non esse præcipiendum, quid vel quemadmodum doceant, si Doctores efficit Spiritus sanctus, potest dicere, nec orandum esse nobis quod Dominus ait: *Scit pater vester, quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo.* (Matt. 5.) Siue autem apud populum vel apud quoslibet iamiamque dicturus, siue quod apud populum dicendum, vel ab eis qui voluerint aut potuerint, legendum est dictaturus, oret vt Deus sermonem bonum det in os eius. Si enim regina orauit Ester pro suæ gentis temporali salute locutura apud regem, vt in os eius Deus congruum sermonem daret, quanto magis orare debet, vt tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in doctrina & verbo laborat. Illi vero qui ea dicturi sunt, quæ ab alijs acceperunt, & antequam accipiant, orent pro ipsis à quibus accipiunt: vt eis detur, quod per eos accipere volunt: & cum acceperint, orent vt bene & ipsi proferant: & illi ad quos proferant sumant: & prospero exitu dictionis, eidem gratias agant, à quo id se accepisse non dubitant: vt qui gloriatur, in illo glorietur, in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri.

HRABANI MAVRI DE INSTITVTIONE CLERICORVM libri tertij & vltimi.

FINIS.

HRABANI MAVRI AD THIOTMARVM

LIBER DE SACRIS ORDINIBVS, SACRAMENTIS DIVINIS, ET VEstimentis sacerdotalibus.

PRAEFATIO.

HRABANVS *seruus Christi Iesu Thiotmaro fratri salutem.* Sicut me rogasti amande frater, vt aliquas quæstiones: de sacramentis diuinis ac sacris ordinibus necnon & de vestimentis sacerdotalibus tibi exponendo absoluerem, feci quantum potui, & quid in se mysterij habeant partim interpretando partimque sensu eas dilucidando explanaui. Et quia mei cooperatorem in sacro ministerio te elegi, hortor vt quod pro infirmitate corporis coram multis exponere non possum, tu qui iunior ætate & validior es corpore, illis qui ad sacerdotium ordinati sunt, & ministerium sacerdotale agere debent, notum facias, & eis persuadeas, immo iubeas, vt diligenter discant quod in hoc opusculo conscriptum est, & ad eorum officium pertinet, quatenus ipsi hoc nouerint quod eos scire conuenit, & plebi sibi commissæ intiment, quid illis in Christiana religione credendum, agendum atque tenendum sit, sic vtrique & prælati atque subditi salui fieri possunt, scilicet si legem Domini intente meditantur, & mandata diuina seruare in omnibus contendunt. Ita enim Apostolus scribens ad discipulum suum in Epistola sua docuit dicens: *Attende lectioni & exhortationi doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi, per Prophetiam cum impositione manus presbyterij, hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens & teipsum saluum facies & eos qui te audiunt.* (1. Tim. 4. 14.) Quod diuina gratia te in mente pura habere & sermone sano, atque bono opere consummare faciat, quatenus hic in eius seruitio satis vtilis fias, & post huius vitæ terminum æterni gaudij in cælesti regno cum electis Dei particeps existas.

ELENCHVS.

CAPVT I.

De vna Dei Ecclesia Catholica.

ECclesia ergo Dei Catholica quæ per totum orbem dilatata diffunditur Christi nomine nobilitata glorificatur. (De Instit. cler. l. 1. c. 1.) Omnis enim homo qui rectæ fidei existit particeps, & sacro baptismate regeneratur à Christo, Christianis vocatur, & Dei patris atque Ecclesiæ matris noscitur esse filius. Ecclesia Græcum vocabulum est quod in Latinum vertitur conuocatio siue conuentus, eo quod omnes conuocat ad se. Catholica autem dicitur, id est, vniuersalis, quia in toto mundo vna est Ecclesia Christi, quæ & sponsa & corporis eius est.

A

CAPVT II.

De tribus ordinibus Ecclesiæ.

Ib.2.c. SVnt tamen tres ordines in Ecclesia conuersantium, id est, laicorum, monachorum, & clericorum, quorum primus, id est, laicus ordo popularis interpretatur. Laos enim Græcè, populus latinè dicitur. Secundus est monachicus, id est, singulariter conuersans, hoc est, à sæculari conuersatione remotus. Monas enim Græcè singularitas dicitur, & monachus singularis vel solitarius. Tertius est ordo clericalis. Cleros quippe Græcè sors, vel hæreditas dicitur. Cleros autem vel clericos hinc appellatos Doctores nostri dicunt, quia Matthias sorte electus est, quem primum ab Apostolis legimus ordinatum. Sic & eos quos illis temporibus Ecclesiarum principes ordinabant, sorte legebant. Nam & hæreditas Græce cleronomia appellatur, & hæres cleronomus.

B

Propterea ergo dicti sunt clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominum partem habent, sicut de eis scriptum est, loquente Domino: *Ego hæreditas eorum.* (Ps. 36.18) Vnde oportet vt qui Deum hæreditate possident absque vllo impedimento seculi Deo seruire studeant, vt congrue illud Psalmistæ dicere possint: *Dominus pars hæreditatis meæ.* (Ps. 15.5) Iste autem ordo iure præponitur in Ecclesia, quia in sanctis deseruit, & sacramenta populis dispensat. Sicut enim in veteri testamento, tribus Leui præ cæteris tribubus peculiariter à Domino electa est, ad seruiendum illi per diuersa officia in tabernaculo: ita & Clericus ordo specialiter modo electus est ad ministrandum Deo in vero Dei tabernaculo quod est Ecclesia præsens, vt seruiant ei die ac nocte in templo sancto eius, vt sint populo in his quæ ad Deum pertinent, vt offerant Deo dona & sacrificia pro sua & pro populi ignorantia, vt iudicent inter iustum & iniustum, & discernant inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceantque populum Dei omnia legitima eius, & præcepta quæ mandauerat ad eos.

CAPVT III.

C

De tonsura Clericorum.

Ib.c.3. TOnsuræ Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis (nisi fallor) exortus est, qui prius crine seruato, denuo post vitæ magnæ continentiam deuotione completa caput radebant & capillos in igne sacrificij ponere iubebantur, scilicet vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Horum exemplis, vsus ab Apostolis introductus est, vt hi qui in diuinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei crine præciso innouentur. Hoc quippe Ezechieli Prophetæ iubetur, dicente Domino: *Tu fili hominis sume tibi gladium acutum & duces per caput tuum & barbam* (Ezec. 5.1.), videlicet quia & ipse & sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis deseruiebat. Hoc & Nazaræos illos Priscillam & Aquilam in Actibus Apostolorum primos fecisse legimus. Paulum quoque Apostolum & quosdam discipulorum Christi, qui in huiuscemodi cultu imitandi extiterunt. Est autem in clericis tonsura signum quoddam, quod in * figuratur, sed in animo agitur. (*for. corpore)

D

Scilicet vt hoc signo in religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atque inde innouatis sensibus vt comis rudibus enitescamus, *expoliantes nos*, iuxta Apostolum *veterem hominem cum actibus eius, & induentes nouum qui renouatur in agnitionem Dei* (Col. 3.9.), quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare. *Quod vero detonso superius capite inferius circuli corona relinquitur*, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Thiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum, hæc ex bysso confecta rotunda erat quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem aurea latitudo est circuli, quæ regum capita cingit, vtrumque itaque signum exprimitur in capite Clericorum, vt impleatur etiam corporis quadam similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo dicente: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* (1. Pet. 2.9)

E

Quæritur autem cur sicut apud antiquos Nazaræos non ante coma nutritur & sic tonditur: sed qui hæc exquirunt, aduertant quid sit inter illud Propheticum velamentum & hanc Euangelij reuelationem, de qua dicit Apostolus: *Cum transierit ad Christum, auferetur velamen.* (2. Cor. 3. 16.) Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysi & aspectum filiorum Israel, hoc significabat illis temporibus coma sanctorum. Nam & Apostolus comam pro velamento esse dicit. Proinde iam non oportet vt velentur crinibus capita eorum qui Domino consecrantur, sed tantum vt reuelentur: quia quod erat occultum in sacramento Prophetiæ, iam in Euangelio declaratum est. Sunt quoque quidam Doctorum qui asserunt diuersas ob causas Petrum Apostolum hunc ritum primum sumpsisse, primitus, vt formam & similitudinem Christi in capite gestaret dum pro redemptione nostra crucis patibulum subiturus à nefanda Iudæorum gente acutis spinarum aculeis crudeliter coronaretur.

F

Deinde, vt sacerdotes veteris & noui testamenti in tonsura & habitu discernerentur. Postremo vt idem Apostolus suique successores & sequipedes ridiculosum gannaturæ ludibrium in populo Romano portarent, quia & eorum barones & hostes exercitus superatos sub corona vendere solebant. Sed de his quid suscipiat lectoris iudicio derelinquimus.

CAPVT IV.

De sacramentis Ecclesiæ.

DE sacramentis autem quæ in Ecclesia fiunt, oportet primum vt huius operis sermo exponat atque declaret ritum sacerdotalem: quia per sacerdotes Christi ministerium Ecclesiasticum debet ordinari, atque Deo adiuuante perfici. (Ibid. c. 2.) Sunt autem sacramenta, baptismus & chrisma, corpus & sanguis, quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus diuina secretius salutem eorundem sacramentorum operatur.

G

Nam à secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur, quæ ideo fructuose penes Ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens spiritus, eundem sacramentorum latenter operatur effectum. Vnde seu per bonos seu per malos ministros intra Ecclesiam Dei dispensentur, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur: Quia *neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* (1. Co. 3.7.) Vnde & Græce mysterium dicitur quod secretam & reconditam habeat repositionem.

CAPVT V.

De Baptismatis sacramento.

PRimum autem sacramentorum est baptismus, quia antequam sancto chrysmate vngatur aliquis, vt corporis & sanguinis Christi particeps existat, sacra regeneratione purgari debet, ac deinde ad cætera rite accedere. (Ibid. c. 25.)

H

Baptismus Græce, Latinè tinctio interpretatur, quæ non tantum ob hoc quod homo in aquam mergitur tinctio dicitur, sed quia spiritu gratiæ ibi in melius immutatur, & longè aliud quam erat efficitur. Primum homines fœdi eramus deformitate peccatorũ in ipsa tinctione pulchri dealbatione virtutum. Vnde & in Canticis Canticorum scribitur: *Quæ est ista quæ ascendit quasi dealbata.* (Can. 3.6.) Cuius mysterium non aliter nisi sub Trinitatis designatione, id est, Patris & Filij & Spiritus sancti cognitione completur, dicente Domino ad Apostolos: *Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* (Matt. 28. 19.) Sicut enim in tribus testibus stat omne verbum: ita sacramentum confirmat ternarius numerus nominum diuinorum. Quod autem per aquam

A aquam baptismus datur, hæc ratio est: voluit enim Dominus vt res illa inuisibilis per * congruentiam & profectum incontrectabile & inuisibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur Spiritus sanctus. Nam sicut oleum naturali pondere superfertur omni liquori: ita in principio superferebatur Spiritus sanctus aquis. Sicut aqua purgat exterius corpus, ita latenter eius mysterio per Spiritum sanctum purificatur & animus, cuius sanctificatio ita est. Inuocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cælis, & medicatis aquis sanctificat eas de semetipso, & accipiunt vim purgationis, vt in eis caro & anima delictis inquinata mundetur, vtrunque enim baptizando necesse est adhiberi, & baptismi lauacrum, & Spiritus sancti purgatio, quia ait Saluator: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* sed ante baptismum catechizandi debet in hominem præuenire officium, vt fidei primum catechumenus accipiat rudimentum. Nam in Euangelio secundum Matthæum legitur, quod post resurrectionem Dominus Apostolis præcepetit, vt in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti docerent & baptizarent omnes gentes, id est prius fidem Dei illius insinuarent, & sic credentes in remissionem peccatorum baptizarent. Hinc est quod secundum Marcum idem Dominus legitur præposuisse fidem baptismati eum ita dixit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit; qui vero non crediderit condemnabitur:* & Ioanne teste, prius ipse Iesus cæci nati oculos luto ex sputo facto superliniuit, & sic ab aquas siloe misit: quia prius debet baptizandus fide incarnationis Christi instrui, & sic ad baptismum iam credulus admitti, vt sciat cuius gratiæ in eo est particeps, & cui iam debitor fiat deinceps.

* *legendū per congruentiam & perfectum incontrectabili & inuisibili impenderetur elemento vel per congruens & perfectum contrectabile & visibile impenderetur elementū. Quod si prior lectio placeat in qua quam minimum mutatur legi forte posset pro per propter quamuis etiam hoc loco pro propter accipiatur.*

B *Mar. 16. 6.*

CAPVT VI.

De Catechumenis.

C *Ib.c.26.* CAtechumenus autem dicitur pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, nec tamen baptismum recepit. Nam catechumenus Græce, Latine auditor interpretatur, &c. *vsque ad finem capitis.*

CAPVT VII.

De catechizandi ordine.

Ib.c.27. CAtechizandi enim ordo hic est, primum interrogatur paganus si abrenuntiat Diabolo, & omnibus damnosis eius operibus, atque fallacibus &c. *vsque ad finem capitis.*

CAPVT VIII.

Quæ sit interpretatio symboli secundum Latinos.

D IGitur symbolum Latine indicium vel signum vel collatio interpretatur, indicium quia per id indicatur fidei integritas, signum quod eo bene retento & intellecto, fideles ab infidelibus discernuntur, collatio, quia in eo Apostoli omnem fidei integritatem contulerunt. Quod omnes pari fidei sinceritate corde retinebant, ore confessi sunt, & singuli proprias sententias conferentes, symbolum, id est, totius fidei collationem ediderunt. Discessuri enim ab inuicem normam futuræ prædicationis in commune statuerunt, ne localiter ab inuicem discedentes diuersum aliquid vel dissonum prædicarent. Decentissimum namque & vtile erat vt quibus erat anima vna & cor vnum in Domino, & quos sancti Spiritus afflatus vegetabat, vnius etiam fidei confessio exornaret, nec enim diuersi in aliquo vel putarant vel debebant, qui vnius fidei vinculo nectebantur. Plerique præterea verbum abbreuiatum per Esaiam prophetatum, in Symbolo & oratione Dominica intelligi volunt. In altero enim fidei: in altero precum continetur integritas, vt & in duodecim verbis, duodecim Apostolorum doctrina, & in septem petitionibus, omne contineatur quicquid ad præsentis & futuræ vitæ pertinet dispensationem, quamuis etiam totius doctrinæ verbum dici possit abbreuiatum, quia quod prius lex & Prophetæ continebant in latitudine præceptorum, veniens Dominus pronuntiauit & dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & proximum tuum tanquam teipsum. In his mandatis duobus tota lex pendet & prophetæ.* In quo euidenter prophetas & legem duobus his sermonibus breuiauit. Hæc de Symbolo & nomine eius dicta sint.

E

Mart.12. 30.

CAPVT IX.

De credulitate quomodo credendum sit in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius natum & passum, & in Spiritum sanctum, Ecclesiam Catholicam &c. quæ sequuntur in eodem Symbolo.

F CÆterum fides quæ in hoc symbolo continetur, ita ab his qui baptizandi sunt intelligi debet, vt credant in Deum patrem omnipotentem creatorem omniū visibilium & inuisibilium, qui solus, quia non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus, & in Iesum Christum filium eius, per quem omnia facta sunt, verum Deum vnigenitum, verumque Dei filium non factum aut adoptiuum sed genitum & vnius cum patre substantiæ, atque ita per omnia æqualem Deo patri, vt nec tempore nec gradu nec potestate esse possit inferior, tantumque esse illum qui est genitus, quantus ille qui genuit. Credunt etiam eum natum de Spiritu sancto ex Maria semper virgine, id est, vt Spiritu sancto cooperante, verum sibi corpus ex virgine, id est, Dei filius assumpserit, vt qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipse factus sit in humanitate hominis matris filius. Credant etiam eum descendisse vltimo tempore pro redemptione mundi à patre, qui nunquam deiijt esse cum patre, & hominem verum factum, vt humanum genus homo liberaret, & ipse qui absque initio æternitatem cum patre & Spiritu sancto possidet in fine seculorum perfectum naturæ nostræ hominem susceperit, & Verbum caro factum sit assumendo humanitatem, non permutando diuinitatem. Credant etiam eum pertulisse passionem & mortem; non in virtute diuinitatis, sed infirmitate humanitatis, mortuum vera carnis morte, resurrexisse vera carnis resurrectione, & resurrectione sua spem nobis resurrectionis contulisse, ita duntaxat vt sicut ille tertia die resurrexit viuus à mortuis: ita & nos in fine sæculorum resurgamus in eadem qua nunc viuimus carne. Credant etiam eum in eodem corpore quod de virgine assumpsit, passionem sustinuit, & resurrexit, ascendisse in cælum & in eodem nunc esse, & ad iudicium venturum esse, & resuscitatis omnibus, dare alijs pro peccatis supplicij æterni sententiam: alijs pro iustitiæ meritis æternæ beatitudinis præmium. Credant & in Spiritum sanctum Deum verum ex patre filioque procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate, potestate, æternitate, substantia. Nec esse in hac sancta Trinitate vllos gradus quibus aliquis inferior superiorve dici possit. Credant etiam sanctam Ecclesiam Catholicam, id est, vniuersalem: Non in sanctam Ecclesiam vt credentes in Trinitatem. Credant eiusdem sanctæ Trinitatis domum esse sanctam Ecclesiam, à cuius communione discedentes Schismatici & Hæretici vocantur, & æterna damnatione puniuntur: in eius vero communione permanentes & membra CHRISTI esse & remissionem peccatorum percipere, & ad vitam æternam pertinere. Quia ergo paruuli necdum ratione vtentes, hæc minimè capere possunt, oportet vt eum ad intelligibilem ætatem peruenerint doceantur, & fidei sacramentis & confessionis suæ mysterijs, vt ea & veraciter credant, & diligenti cura custodiant.

G

H

Confes-

A Confessionem suam plane diximus, quia quamuis illi necdum loqui possint: pro illis & confitentur & loquuntur qui eos de lauacro fontis suscipiunt. Nec immerito dignum est vt qui aliorum peccatis obnoxij sunt, aliorum etiam confessione per mysterium baptismatis remissionem originalium percipiant peccatorum.

CAPVT X.

De scrutinio.

QVi vero illius sunt iam ætatis, vt rationem credulitatis suæ reddere possint, diligenti examine scrutandi sunt, vtrum veraciter credant, an alicuius falsitatis in eis macula celetur. Ne dum aut timore aut fauore terrenarum potestatum aut acquisitione quarundam rerum ad baptismatis sacramentum ignorantibus ministris Ecclesiæ perueniunt, tradatur sanctum canibus, & margaritæ mittantur inter porcos, & lupi ouina pelle vestiantur. Hunc enim morem Ecclesia seruare B consueuit, vt per aliquot dierum spatium, hi qui in solemnitate Paschali baptizandi sunt scrutentur, vt instructis & doctis & simplici corde ad fidem veram venientibus veræ sacramenta impartiantur, quibus vt apriores inueniantur baptismatis sacramento, & eorum fides probabilior sit, quædam fiunt corporaliter, quæ spiritali gustu degustata, mysticum quid & spiritale sapiant.

CAPVT XI.

Quid sit abrenunciatio.

DE abrenunciatione autem & quid sit abrenunciatio, iam dicendum est. Abrenunciare etenim poni solet, pro eo quod est spernere, reijcere contradicere, siue aliud quid, quod hoc verbo in hoc sensu C exprimi potest. Quamuis enim illius verbi quod est nuntio, sensus in promptu sit cum sine præpositione profertur, & accepta præpositione interdum à sua significatione non longe recedat, vt est illud: narrabo & renunciabo. Interdum verò in alium sensum vertatur, vt est illud: *Si ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: Abrenuntiare tamen semper in eo sensu poni consueuit, quem superius diximus. Abrenuntiare etenim se fatetur Sathanæ & omnibus operibus eius & omnibus pompis eius, quam abrenuntiationem recte confessio sanctæ Trinitatis sequitur. † Et vbi abundauit peccatum, superabundet gratia, & vbi computruit iugum Diaboli à facie vnctionis Spiritus sancti, adueniat illius iugum qui dixit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Sathanæ enim qui & Diabolus nuncupatur à fidelibus abrenuntiatur, vt Domino Saluatori liberius seruiatur, quia iuxta eiusdem Domini vocem: *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

Luc. 14. 33.

† fort. vt

Matt. 11. 29.

Mat. 6. 24.

D

CAPVT XII.

De abrenuntiatione Sathanæ & omnibus operibus eius, atque pompis, vel quæ opera Diaboli sint & pompa.

ABrenunciatur etiam operibus eius, quia opera illius contraria sunt operibus Saluatoris. Et quia ille armis suis, id est, vitijs genus humanum sibi subiecit: Dominus armis suis, id est, virtutibus illum debellauit. In illius enim militia, id est, in peccatis nostris seruitus permanens accepit mortem: in istius militia, id est, virtutibus accipimus vitam æternam. Septem itaque principalia vitia, quibus Diabolus genus humanum infestat, non incongrue opera Sathanæ dicere possumus; quibus opponuntur septem principales virtutes, quæ opera sunt proculdubio salutaria, nec minus interea pompis eius abrenuntiatur, quæ vtrique opera sunt E Sathanæ, sed eo quasi discerni videntur à cæteris operibus eius, quia in eis superbia cuius ille author est, & quæ eum deiecit quodammodo designatur. Pompæ igitur eius sunt ambitio, arrogantia, vana gloria, & cætera huiuscemodi, quæ de fonte superbiæ procedere dignoscuntur. Pompam enim, ambitionem siue iactantiam & his similia intelligi debere propheticus sermo demonstrat, cum dicit: *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: Optimates capita populorum ingredientes pompatice domum Israel.* Sed & Clemens Prudentius disertissimus atque christianissimus poeta, in hac significatione pompam posuit, in libro Psichomachiæ, vbi ait.

Amos 6. 1.

Pompa ostentatrix vani splendoris inani. Exuitur nudata peplo. Quamuis ergo omne peccatum superbia dici possit, quia quando quis peccat, Deo, qui peccare prohibuit, contraire videtur, aliud tamen est desidiose, aliud malitiose, aliud scienter, aliud ignoranter, aliud negligenter, aliud arroganter peccare, quolibet autem modo quis peccet, si pœnitere contemnit, in magnum se superbiæ barathrum immergit, de quo non nisi per confessionem peccatorum suorum & emendationem G morum & salutaris pœnitentiæ adminiculum egredi potest. Duobus enim modis homo Deo superbit: cum aut præceptis eius inobediens existens, ea quæ prohibita sunt committit: aut commissa pœnitere negligit, vnde siue hi qui baptizandi sunt, siue nos qui baptismi sacramentum iam percepimus, ante oculos ponere debemus pactum, quod cum Deo in baptismate fit, vbi abrenuntiatur Sathanæ & operibus & pompis eius, quod pactum tunc irritum fit, si aut in fide quis permanendo vitijs, aut à fide exorbitando idolorum cultibus, aut hæresum erroribus subdatur.

CAPVT XIII.

De ordine sacri Baptismatis.

QVia igitur constat, pactiones credentium esse duas, G vnam in qua renuntiatur Diabolo & pompis eius, & omnibus operibus eius, alteram qua se credere confitentur in Patrem & Filium & in Spiritum sanctum, oportet has inconuulsæ mentis intentione teneri, & vt intemeratæ custodiri possint, illius semper adiutorium quærere, qui baptismi sacramentum ad salutem generis humani contulit, cuius mysterium & in veteri testamento per Moysen præfiguratum est, cum populus in nube & in mari baptizatus est, & in nouo nobis per mediatorem Dei & hominum apertissime demonstratum. Ipse enim ait: *quoniam nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non poterit introire in regnum Dei.* Et Ioannes de eo ait: *ecce baptizo in aqua: medius autem vestrum stat, quem vos nescitis. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Per hoc qui nascimur mundo, renascimur Deo, & qui per peccatum eramus filij iræ, per gratiam efficimur filij Dei. Hac enim unctione & hoc lauacro Ecclesia vegetatur, quoniam sicut H ex osse dormientis protoplasti mulier ædificata est, ita ex latere Christi in cruce dormientis Ecclesia formata est, *profluxerunt enim ex eius latere sanguis & aqua*, Duo sanctæ Ecclesiæ præcipua sacramenta, vt in altero consecratio, in altero mundatio, eidem tribueretur Ecclesiæ, regeneramur namque ex lauacro, & consecramur ex sanguine. Vnde & populus mare rubrum transijt; quia baptismus Christi sanguine consecratur. Quia ergo elementum aquæ in hoc mundo omnibus elementis purgandi, viuificandi, recreandi gratiæ aptum est, non immerito ei baptismi dignitas confertur, † qui & regenerandorum hominum efficaciam cum Spiritus Dei in mundi primordio super id ferretur concipiebat, & purgandorum cum ex latere Christi profflueret, dignitatem capiebat. Per hoc etenim visibile elementum, res illa inuisibilis signatur, vt sicut

Ioan. 3. 5. Ioa. 1. 26.

† for. quæ vt referatur ad aquam.

A aqua purgatur exterius corpus, ita latenter eius mysterio per Spiritum sanctum purificetur & animus. Inuocato namque Deo descendit Spiritus sanctus de cælis, & sanctificatis aquis, tribuit eis vim purgationis. Inde homo ad imaginem reparatus sanctæ Trinitatis, ad quam conditus fuerat expurgatur, & qui vetus in eas per peccatum primi hominis intrauerat: nouus ex eis per Christi gratiam egreditur, & Spiritu gratiæ in melius immutatus, longe aliud quam fuerat efficitur, fœdus enim erat deformitate peccatorum, ibi redditur pulcher dealbatione virtutum. Nullatenus itaque baptismi mysterium perfici potest, nisi sub inuocatione sanctæ Trinitatis, quia & Dominus ad Apostolos dixit: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, & idem Dominus hoc sacramentum firmauit, cum in suo baptismate patet declaratus est in voce, filius in corpore, Spiritus S. in columbæ ostensione. O præclarum & admirabile sacramentum, quod de filijs iræ, facit filios Dei: de veteribus nouos, de fœdis pulchros, in quo & regeneramur & purgamur, & exemplum mortis Christi imitamur. Quomodo ergo hoc exemplum imitemur, dicat

B Apostolus: *An ignoratis*, inquit, *quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus illi per baptismum in morte, ut quemadmodum resurrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Morimur ergo peccato, quando abrenunciamus Diabolo, & omnibus quæ eius sunt. Consepelimur Christo, cum sub inuocatione sanctæ Trinitatis sub trina mersione, in fontem lauacri quasi in quoddam sepulchrum descendimus. Consurgimus Christo, cum exuti omnibus peccatis de fonte quasi de sepulchro egredimur. Sed neque mysterium trium dierum ac noctium quibus in sepulchro Dominus fuisse legitur præteritur, cum inuocata sancta Trinitate quæ vtique vera lux est in fontem descendimus. Lux est enim hic Pater, & in lumine eius qui est filius, lumen videmus Spiritum sanctum. Facimus autem non tres noctes: cum tenebrarum & ignorantiæ Patri, vna cum mendacio, quod ex eo natum est, & mendax est sicut & pater eius, & cum loquitur mendacium de suis proprijs loquitur, contradicimus: Sed & tertio loco Spiritum erroris destruimus, qui inspirat pseudoprophetas vt dicant: *Hæc dicit Dominus*, quos Dominus non misit, destruimus enim hæc & conculcamus si consepulti sumus etiam CHRISTO, secundum illud quod ipse dicit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Quæ singula ita sunt contraria sanctæ Trinitati, vt nox diei, vt tenebræ luci, vt mendacium veritati. Fons quoque baptismi similitudinem gerit sepulchri CHRISTI, quod nouum fuisse legitur: quia quicunque in eo consepelitur CHRISTO, & ei consurgit secundum eumdem Apostolum, in nouitate vitæ ambulare debet. Cuius fontis septem gradus: tres in descensu, tres noctes, & tres in ascensu, tres dies significare videntur, de quibus superius dictum est. Septimus vero qui & quartus ille est, de quo quidam ait: *& aspectus quarti similis filio Dei qui fornacem ignis extinguit, qui est stabilimentum pedum, fundamentumque. In quo*, iuxta Apostolum, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Idcirco autem baptismus non iteratur, quia & Christus non amplius quam semel moritur. Peccata enim quæ post baptismum committuntur, pœnitentiæ lachrymis, eleemosynis, & cæteris bonorum operum exhibitionibus, non baptismatis iteratione delentur. Dominico interea corpori sepeliendo, mundissima linteamina & aromata adhibentur: quia & is qui Christo consepeliri desiderat, si iam ætas permittit, quamuis mortuus sit per originale peccatum quod adhuc portat, debet tamen bonorum operum exhibitione flagrare, & mundis indui vestibus. De quibus Propheta sacerdotes indui orat, cum dicit: *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Si ergo antequam renascatur & originali peccato purgetur & Christo consepeliatur, & aromatibus debet flagrare, & mundissimis vestibus indui; quanto magis renatus, purgatus, Christo conuificatus, in

Rom. 6.3

C

Luc. 10. 19.

D

Col. 2. 9.

† erat, id est M. fundamentum aquæ, verum illud meli⁹.

Ps. 131. 9.

E nouitate vitæ ambulans, noua creatura effectus, & odoris flagrantia exuberare, & candidorum vestimentorum clarescere debet nitore. Catechizandi ergo ordine & scrutinio sic ordinabiliter peracto, de baptismatis tinctione & vnctione chrismatis iam sermo habendus est.

CAPVT XIV.

De tinctione Baptismi & Vnctione Chrismatis.

POst hæc igitur consecratur fons, & ad ipsum baptismum catechumenus accedit, & sic in nomine sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur. Et recte homo qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus est, per inuocationem sanctæ Trinitatis ad eandem renouatur imaginem, & qui tertio gradu peccati, id est, consensu cecidit in mortem, tertio eleuatus de fonte, per gratiam resurgat ad vitam. Potest & hæc Trina mersio, triduanam Domini sepulturam significare, sicut supra iam diximus, maxime cum dicat Apostolus: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*, & cætera. Oportet ergo cum inuocatione sanctæ Trinitatis sub trina mersione baptismus confici, vt secundum personarum differentiam, mysterium baptismi celebretur, & secundum vnitatem substantiæ vnum baptisma fiat, vnde dicit Apostolus: *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma* & cætera. Postquam enim ascenderit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro à presbytero cum sacro chrismate, sequente simul & oratione, vt regni CHRISTI particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari. Scriptum est & in Euangelio ita: *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam & venientem super se.* Bene quidem † baptismi continuatur chrismatis vnctio, quia Spiritus sanctus qui per illud chrisma suæ virtutis admixtione sanctificat credentes; baptizato Iesu statim super illum in columbæ specie descendit; cuius videlicet typum præferebat columba illa quæ in diluuio ad arcam reportauit ramum oliuæ virentibus folijs: significans vtique quod Spiritus sanctus per chrismatis vnctionem in baptismate virorem confert fidelibus cælestis gratiæ. Sed de hoc plenius in sequentibus dicemus. Legimus & in gestis patrum quod Syluester Papa in Ecclesia Romana constituerit: vt sicut potestas & priuilegium apud solum Episcopum constat, quod sacrum chrisma ipse conficiat, & baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet, propter hæreticam suasionem: ita presbyter eodem chrismate liniet baptizatum leuatum ex aqua propter occasionem transitus mortis, quia scriptum est in Apostolo: *Vos autem fratres in carne non estis sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius*, & cætera. Ac deinde profecto patet, quia quicunque non est CHRISTI, regni sui particeps fieri nequit, ideoque necessarium est vt statim succurratur baptizato cum chrismatis vnctione, vt Spiritus sancti participationem accipiens, alienus à CHRISTO non existat.

De Instit. cler. l. 1. c. 18.

Rom. 6. 3.

F

Eph. 4. 5.

Mat. 3. 16

† for. baptismo.

G

Rom. 8. 11

H

CAPVT XV.

De indumento baptizati & Eucharistia.

POst baptismum autem traditur Christiano vestis candida designans innocentiam & puritatem Christianam, quam post ablutas, & cætera. *vsque ad finem capitis.*

Ib. c. 29.

A

CAPVT XVI.

De impositione manus episcopalis: & Chrismatis sacramento.

Ibi. c.30. NOuissimè autem à summo sacerdote per impositionem manus paracletus traditur illi Spiritus sanctus, vt roboretur per spiritum &c. *vsq, ad finem capitis.*

CAPVT XVII.

De sacramento corporis & sanguinis Domini.

Ibid. c.31. SEd quia de duobus sacramentis, id est, baptismo & chrismate tam quantum nobis Dominus dedit, supra disseruimus &c. *vsq, ad finem capitis.*

CAPVT XVIII.

B

De officio Missæ.

Ibid. c.32. DE sacramentis, vt reor, satis superius diximus; nunc de officio missæ quo ipsa sacramenta corporis & sanguinis Christi conficiuntur &c. *vsq, ad finem capitis.*

CAPVT XIX.

De ordine missæ.

Ibid. c.33. PRimum autem in celebratione missæ, ad introitum sacerdotis ad altare, antiphona cantatur à clero, vt audiatur sonitus quando ingreditur, sanctuarium in cõspectu Domini, sicut in veteri testamento per tintinabulorum sonitum ingressus pontificis innotuit. Bene ergo in ingressu sacerdotis concrepãtibus choris auditur modulatio diuinæ laudis, vt dominicæ celebrationis mysteria, ministrorum piè præcedat consonantia, & corporis & sanguinis Christi venerabile sacramentum antecedat dignæ laudis sacrificium. Namque chorus est multitudo in sacris collecta, & dictus chorus, quod in initio in modum coronæ circum aras starent & ita psallerent, vnde & Ecclesiasticus liber scribit stantem sacerdotem, ante aram, & in circuitu eius coronam fratrum, Alij chorum dixerunt à concordia, quæ in charitate & vera pace consistit. Siue de concinentia soni: Cum enim vnus canit, græcè monadia, latinè sicinium dicitur, & cum duo canunt bicinium dicitur. Cum autem multi, chorus vocatur. Antiphona græcè vox reciproca ex duobus scilicet choris alternatim psallentibus dicitur. Introitus namq; ab introeundo est dictus. Eo enim cantu ad sanctæ modulationis officia initiatur: vel tunc christianæ religionis congregatio ecclesiam Dei intrans, ad cæteras officiorũ laudes præparat se intenturum Sicut enim inuitatorium dicitur ab inuitando cum inchoatur officium nocturnũ, & dicitur *venite*: ita introitum ab introeundo quando initiatur diurnum. Antiphonam autem ad introitum Cœlestinus natione campanus pontifex Romæ constituit, vt ante sacrificiũ celebraretur, quod ante nõ fiebat nisi tantum epistola Pauli recitabatur & sanctum euangelium. Inde *Kyrie eleison* dicitur, quod ex greco in latinum, *Domine miserere nobis* interpretatur, Sic & *Christe eleison*, hoc est *Christe miserere nobis*. Hymnum vero angelicum, id est *Gloria in excelsis Deo*, tunc angeli cecinerunt quando natus est Dominus, quem etiam Thelesphorus pontifex natione græcus statuit, vt ante sacrificium psalleretur, qui & constituit vt in natali Domini per noctem missæ celebrarentur. Tunc lector legit lectionem canonicam, vt animus auditorum per hanc instructus ad cætera intentior adsurgat. Sæpius tamen in missæ officio legitur lectio ex epistolis D. Pauli. Paulum namque omnib. notum est doctorem gentium esse, & quia à Domino vas electionis fore meruit, idcirco idem dum in corpore maneret ex dogmate quo quasdam epistolas scribendo gentes ad tempus docuit, inde nunc quotidie dum recitatur, omnium mentes fidelium robore firmç fidei solidat. Post lectionem vero cantor dicit responsorium vt ad compunctionem audientes prouocet & lenes animos *auditorum faciat. Responsorium ergo *inde* dicitur, quod alio desinente id alter respõdeat. Inter responsoria quoq; & antiphonas hoc differt, quod in responsorijs vnus dicat versum, in antiphonis autem alternant versibus chori. Antiphonas græci: responsoria vero itali traduntur primi inuenisse. Responsorium enim istud, quidam gradale vocant, eo quod iuxta gradus pulpiti cantatur. Post responsorium cantatur *Alleluia*, scilicet vt ad cœlestia mente populus subleuet, & ad diuinam contemplationem erigat. *Alleluia* enim duorum verborum interpretatio est: hoc est laus Dei, & est hebræum. Ia enim de decem nominibus quibus apud hebræos Deus vocatur, vnum est. Similiter & Amen hebræum est, quod ad omnem sacerdotis orationem seu benedictionem respondet populus fideliter. Interpretari quoq; potest amen in latinum verè siue fideliter, seu, fiat, quia Hieronymo teste, in psalterio vbi habet, fiat fiat, in hebraico legitur amen amen, hæc duo tamen verba id est amẽ & alleluia, nec græcis nec latinis nec barbaris licet in suam linguam omnino transferre, vel alia lingua adnuntiare. Nã quamuis interpretari possint; propter sanctiorem tamen auctoritatem seruata est ab apostolis, in suis propriæ linguæ antiquitas. Tantum n. sacra sunt nomina, vt etiam Ioannes in Apocalypsi referat spiritu reuelante se vidisse & audisse vocem cœlestis exercitus tanquam vocem aquarum multarum & tonitruorũ validorum dicentium Amen & Alleluia, ac per hoc sic oportet in terris vtraque dici, sicut in cœlo resonant. deinde à Diacono cum summa authoritate in auribus populi recitatur euangelium, vt ipsius ibidem audiatur doctrina ad quem fertur intentio tota, ipsiusq; virtus intelligatur per euangelium, cuius tunc corporis & sanguinis sacrosanctũ celebratur mysteriũ Post hæc oblationes offeruntur à populo, & offertorium cantatur à clero, quod ex ipsa causa vocabulũ sumpsit, quasi offerentiũ canticum. Offertoriarũ quippe quæ in sacrificiorũ honore canuntur, ecclesiasticus liber inditium est, dũ dicit veteres cantare solitos quando victimæ immolabantur, vbi ita legitur; *Porrexit*, inquit, *manum suam sacerdos in libationem, & libauit de sanguine vuæ, & fudit in velamẽto altaris odorem diuino & excelso principi, Tunc exclamauerunt filij Aaron in tubis ductilibus, & sonauerunt & auditam fecerunt magnam vocem in memoriam coram Domino.* Non aliter & nunc in sonitu tubæ, i. e. in vocis prædicatione dignè cantum proferimus, nisi vt simul corde & opere laudes Domino declamantes, iubilemus illi in alto sc. verum sacrificium celebrantes cuius sanguine saluatus est mundus. Immittitur q; super altare corporale, h. e. pallium, quod significat illud linteum quo corpus saluatoris inuoluebatur, quod ex lino puro textũ esse debet, & nõ ex serico vel purpura, neq; ex panno tincto, sicut à Siluestro papa constitutum inuenimus. Quia in euangelio, syndone munda inuolutum esse à Ioseph corpus saluatoris legitur, & sudarium capitis eius post resurrectionem Domini nõ cum linteaminibus positum, sed seorsum inuolutum inueniri. Ponuntur quoq; tunc vasa sancta, quod est calix & patena super altare, quę quodammodo dominici sepulchri typum habent, quia sicut tunc corpus Christi aromatibus vnctũ in sepulchro nouo per piorũ officiũ condebatur: ita modo in ecclesia mysticũ corpus illius cũ vnguentis sacræ orationis conditũ in vasis sacris ad percipiendũ fidelibus per sacerdotum officium administratur. Postea missa cantatur à sacerdote. Primum ergo oratione quæ super oblata nominatur, secretè ab ipso sacerdote expleta salutat populum & orat dicens: *Dominus vobiscum*, sc. vt Deus omnipotens sit cum populo suo, cui ipse populus respondet dicens: *& cum spiritu tuo.* Responsio hæc populi atque oratio, communiter profertur, hoc est, vt sicut sacerdos orauit quod Dominus esset cum populo: ita & populus orat quod Dominus sit cum spiritu sacerdotis. Cum autem dicit sacerdos *oremus*, rogat omnes orare, vt oratio eius à Domino exaudiatur. Et quando iuxta finem orationis dicit: *per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum,*

C

D

E

* forte auditorum.

F

Eccli. 50. 16

G

Matt. 27. 59.

H

A ad Deum patrem orat sacerdos, vt per suum fi-
lium qui Dominus noster est æqualiter sicut patet i-
psa oratio perficiatur, Cum dicit: *Qui tecum viuit &*
regnat Deus in vnitate Spiritus sancti; vult populum cre-
dere & intelligere, quod filius cum patre sine initio
ac sine fine viuit & regnat Deus, & sicut pater est
Deus, & filius est Deus: Ita & vna maiestas & v-
na potestas est Spiritus sancti cum patre & filio atque
vna substantia, & in omnibus his tribus vnitas dei-
tatis manet, *per omnia secula seculorum*, id est, vt fi-
lius cum Patre in vnitate Spiritus sancti ante omnia
secula vixit & fuit: ita & in præsenti seculo atque in
futuro, vbi iusti cum angelis sanctis permanebunt,
& iniusti cum diabolis cruciabuntur. Credatur æ-
qualiter viuere cum Patre & Spiritu sancto & nul-
lo fine concludi. Sequitur *Amen*, quod respon-
dens populus concludit antedictam orationem, A-
men ergo vt supra diximus, confirmatio orationis
est, à populo prolata, & in latina lingua inter-
pretatur fiat, Ipsum hic ita sonat, quasi omnes
B dicant, vt ita fiat sicut sacerdos orauit. Dehinc
dicit sacerdos: *Sursum corda*, Admonet vtique po-
pulum vt sursum, id est, supra semetipsum ad
Dominum omnipotentem omnes corda leuent &
fideliter orent quod de sursum eis veniat auxilium
à Deo cœlesti, à quo creati sunt. Cui respon-
det populus: *habemus ad Dominum*, id est, vt si-
cut sacerdos iussit eos sursum corda tenere sic se
habere profitentur. Tunc sacerdos hortatur ple-
bem vt gratias agat conditori suo dicens: *Gratias*
agamus Domino Deo nostro, Cui respondens populus
dicit: *Dignum & iustum est*; Quia iusta & digna ra-
tio est Deo gratias omnes referre, quia ab ipso o-
mnia bona suscepimus, immo suscepturi sumus si
in fide recta & bonis operibus vsque in finem per-
seuerauerimus. Post hæc ergo sic incipit sacerdos
præfationem dicens: *Vere dignum & iustum est æ-*
quum & salutare. Confirmat enim professionem po-
puli & dicit: quod verè dignum est & iustum
Deo gratias pro omnibus referre, & quod æquum
C est, hoc est, rectum & salutare, id est, salute
plenum vt ei gratias referamus, qui nobis salu-
tem dedit æternam. *Nos tibi*, inquit, *semper &*
vbique gratias agere. Conuersus enim sacerdos ad
Dominum post professionem populi quasi ad præ-
sentem loquitur: quia in præsentia Domini sem-
per nos sumus & ipse videt cogitationes nostras,
hoc est, omni tempore & in omni loco, Mox-
que ipsam orationem ad Deum patrem sermonem
conuertendo, sic explet dicens: *Domine sancte pa-*
ter omnipotens æterne Deus per Christum Dominum no-
strum. Dominum eum vocat qui dominator est
omnium, & sub eius dominatione vniuersa con-
sistunt. *Sanctus*: quia sanctus est & per quem o-
mnia sanctificantur, quia ipse omnia sancta & bo-
na creauit, pater græcè dicitur, & latinè genitor:
D quia ipse genuit filium sine vlla coinquinatione
seu corruptione. *Pater*, latine à patrando dicitur:
hoc est, à perpetrando, quod est, à perficiendo
vel adiuuando, quia ipse perfecit omnia, quæ fa-
cta sunt, & adiuuit omnia quæ adiuuata sunt, &
voluit nos fieri filios suos adoptiuos per sanctifica-
tionem qua ille sanctificauit nos. *Omnipotens*: quia
omnia potest, ideo omnipotens dicitur, quia non
est impossibile apud Deum omne verbum, *Æterne*
Deus, hoc interest inter æternum & perpetuum &
temporale. Æternum est, quod initium non habuit,
nec finem habebit, sed semper fuit & est & erit. Per-
petuum est quod esse cœpit & finem non habebit,
temporale est, quod initium habuit & finem habe-
bit, & ideo hic dicitur: *æterne Deus*: quia solus Deus
æternus est, nec cœpit esse nec desinit esse, sed est
semper, Deus à diligendo dicitur, quia omnia dili-
git, & gubernat quæ creauit, & aliter, Deus à di-
uinitate dictus est, quia diuinus est, & omnia scit, &
omnia disponit, prout vult, *Per Christum Dominum no-* E
strum. Christus græcè, vnctus dicitur latine, hic est
Christus qui ante omnia initia à patre inenarrabiliter est
genitus, & postea in tempore quo placuit ei, Spiritus
sanctus venit in Mariam virginem, vnxitque vnctione
diuina vterum eius, vnde conceptus est de Spiritu san-
cto, & natus est de Maria virgine. Nam & in veteri
testamento sacerdotes & reges vngebantur; & ideo
Christi dicebantur, quia vncti erant vnctione tempo-
rali. Iste Christus per quem patri gratias agimus, æter-
naliter Christus est, & cum patre æternus Deus est, &
per ipsum redempti sumus, & ipse Dominus noster est,
quia dominatur nobis. *Per quem maiestatem tuam lau-*
dant angeli, per ipsum Christum per quem nos gratias a-
gimus patri, Maiestatem patris laudant angeli, quia ipse
æqualis est patri in diuinitate. *Maiestas* dicitur quasi
maior potestas; quia maior est potestas Dei quam homi-
num, Dei maiestatem per Christum laudant angeli, quia
Christus simul cũ patre creauit angelos, Angelus enim
græcè, latinè nuntius interpretatur. Angelus, nomen est F
officij non naturæ qui nuntiant. Sed naturaliter Spiritus
sunt. *Adorant dominationes*, maiestatem Dei patris, per filiũ
laudant & adorãt dominationes. *Dominationes* vnus ordo
dicitur, de nouẽ ordinibus angelorũ, nam decem fuerũt
ordines Angelorũ, sed decim⁹ ordo cecidit, & versus est p
superbiam in diabolum. Nouẽ autẽ permanserunt in san-
ctitate sua. Hæc sunt nomina eorum: Angeli: Archange-
li: Virtutes, Principatus, Potestates, Throni, Dominatio-
nes, Cherubin, Seraphin. Istorum duorum ordinum
nomina non sunt latina. Cherubin enim plenitudo
scientiæ interpretatur, Seraphin incendium dicitur. Cæ-
tera nomina supradictorum ordinum latina sunt, nisi
angelorum & archangelorum. Nam angeli nuntij: ar-
changeli verò excelsi nuntij dicuntur. Gregorius Papa
Romanus in homilia sua, quam super lectionem euãge-
licam fecit. vbi ita legitur: *Erant appropinquantes ad Iesum*
publicani & peccatores vt audirent illum, plenissime de prædi- Luc. 15. 1.
ctis ordinibus exposuit. Nos verò ad propositum redea-
mus. *Tremunt potestates*. De supradictis ordinibus dicit: Nõ G
ideo dicit, quod supradicti ordines corporales sint, sed
nostro more dicit: qã nos tremere ac timere, ante Domi-
nos nostros solemus, sed ideo dicit tremere ac timere, vt
nos intelligamus omnia cœlestia, terrestria & infernalia
ante conspectũ diuinæ maiestatis tremere ac timere. *Cœli*
cœlorumque virtutes. Ipsi cœli iussioni diuinæ obediunt,
quia se ostendere serenos vel nebulosos non habent po-
testatem. Cœlorum virtutes sunt supradicti ordines an-
gelorum. Sicut Gregorius in homilia sua super lectionem
euangelicam. vbi ita scriptum est: *Erunt signa in sole & luna* Luc. 21.
& stellis, testatur. *Ac beata Seraphin*. De Seraphin namque 25.
supra dictum est. *Socia exultatione concelebrant*. Omnes
prædicti ordines maiestatem Dei patris per Christum iũ-
cta exultatione æqualiter concelebrant. *Cum quibus &*
nostras voces vt admitti iubeas deprecamur. Cum quibus; hæc
est supplicatio nostra vt ipse cœlestis pater per Christum
filium suum, per quem nos ei gratias de omnibus agimus,
dignetur admittere voces nostras, & iungere vocibus
prædictorum ordinum angelorum. *Supplici confessione di-* H
centes: hoc est, humili confessione. Quid humilius confi-
teri, quam nosmetipsos æterno patri per filium æternum
commendare, & de nostra conscientia vel bonitate nihil
præsumere, & iuxta voces angelicas eum semper sanctum
essentialiter credere & prædicare dicentes. *Sanctus, san-*
ctus, sanctus, Ioannes euangelista in Apocalypsis libro scri-
psit se vidisse *ante thronum Dei & agni viginti quatuor seniores,*
& quatuor animalia astantia & incessanter dicentia: Sanctus, Apoc. 4. 4
Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth &c. Ideo enim tribus
vicibus sanctus dicitur, vt significaretur pater sanctus, fi-
lius sanctus, spiritus patris & filij sanctus. Sed quam-
uis tripliciter dicatur sanctus, non tamen dicitur plura-
li numero sancti: sed singulari numero sanctus, vt vna
sanctitas in his tribus personis & vna æternitas intelliga-
tur. *Dominus Deus Sabaoth*. Sabaoth à multis interpretari so-
let omnipotens: à multis vero exercituũ. Vt ipse sit Dñs
Deus, & ipse omnes exercitus angelorum atque homi-
num dispo-

A num disponat: *Pleni sunt cœli & terra gloria tua* : hoc est, vt
eius gloria cœli ac terra gubernentur, & qui in cœlo sunt
& in terra glorificent nomen sanctum eius. *Osanna in*
excelsis. Quod modo dicitur nunc corruptè Osanna,
ante dicebatur osianna : O si interiectio est laudantis, si-
ne causa, magnificantis, Anna, saluifica: sed corruptè di-
citur osanna, & intelligi potest saluifica, vel saluum fac,
in excelsis, id est, in altis, *Benedictus qui venit in nomine Domi-*
ni. Quando Christus venit ad Hierusalem & descen-
dit de monte oliueti, tunc filij Israel clamauerunt dicen-
Ioan. 12. 13. tes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sed quid signi-
ficauit ille Christi aduentus in Hierusalem, nisi futuram
resurrectionem, quando venturus erit iudicare viuos &
mortuos, & apparuerit nobis in eadem carne, qua pro
nobis passus est. Et tunc *in nomine Domini Iesu omne ge-*
Philip. 2. 10. *nu flectetur cœlestium, terrestrium & infernorum* & cætera.
quæ Apostolus dixit : Post hymnum angelicum quem
concordi voce totus clerus simul cantat, sequitur ora-
tio per quam sacramentum corporis & sanguinis Domi-
B ni conficitur, quæ sic inchoat. *Te igitur clementissime pa-*
ter per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, suppli-
ces rogamus & petimus vti accepta habeas & benedicas hæc dona,
hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Loquitur ergo
ad Deum patrem omnipotentem, clementissimum eum
appellans: quia misericordissimus & pijssimus est, Cle-
mens quippe dicitur, quasi clara mens, siue abundans,
& ideo eum appellat clementissimum, hoc est, clarissi-
ma mente, quia ipse clarissimus est mente & misericor-
dissimus corde, & hoc quod dicimus enim misericor-
dem, non debemus corporaliter intelligere, quod
membris corporeis vel corde aut mente sit composi-
tus sicut homo, sed ideo clementem eum & miseri-
cordem clamamus : quia ille naturaliter pius & mise-
ricors, paratus est semper ad nos saluandos, si ad eum
toto corde, recta fide & bonis operibus conuerti-
mur, *Per Iesum Christum filium tuum.* *Iesus* græcè, la-
tinè saluator siue salutaris dicitur. Saluator, eo quod
saluat populum suum à peccatis eorum. Ideo saluat
à peccatis; quia potestatem habet dimittendi peccata,
Mat. 9. 6. sicut ipse dixit : *Vt autem sciatis quia filius hominis habet*
C *potestatem in terra dimittendi peccata.* Salutaris ideo di-
citur, quia salutem nobis dedit, vt si præcepta eius
seruamus, vitam æternam capere valeamus. *Filium*
tuum Dominum nostrum, filium suum vnigenitum di-
cit, quia ipse est vnigenitus ex substantia patris. Nos
autem filij adoptiui sumus, per ipsum qui vnigenitus
est à patre procedens patri coæternus, & ideo per
eum patrem postulare debemus, humiliter dicentes.
Supplices rogamus & petimus, supplices, id est, humi-
les, vti accepta habeas & benedicas, vti, id est, vt
accipias & benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc
sancta sacrificia illibata, Dona sunt, quæ voluntariè
dantur, munera sunt quæ pro aliquo munere vel mer-
cede offeruntur, sicut nos offerimus Deo vt peccata
nostra dimittantur. Sacrificia sunt quæ etiam cum o-
rationibus consecrantur. Illibata, id est immaculata,
& ab omni liuore malitiæ aliena. Tunc sancta sunt
dona & sacrificia illibata, quando absque scandalo-
rum maculis sunt * offerta, & iusto labore sunt acquisi-
* oblata
D ta. Non vt multi errant, qui dicunt illibata esse non de-
dicata, lege septem collationes patrum : & in secunda
collatione Theonæ, in nono capite, inuenies quæ
sunt illibata. In primis quæ tibi offerimus pro ecclesia
tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adu-
nare & regere digneris toto orbe terrarum, vna cum fa-
mulo tuo papa nostro & antistite nostro. Inprimis, in-
quit, quæ tibi offerimus, quia soli Deo hæc oblatio offe-
renda est, & pro quibus offerenda sit indicat, hoc est in-
primis offerri debent pro ecclesia sancta catholica. Ec-
clesia græcè, latinè congregatio dicitur, Catholica, vni-
uersalis dicitur: quia vniuersi qui in Domino credunt, in
vna debent esse congregatione. Quam pacificare, custo-
dire, adunare & regere digneris toto orbe terrarum. Pro
hac offerimus inprimis, vt supradictam congregationem
tiam per totum orbem terrarum pacificatam & aduna-
tam custodire digneris, vna cum famulo tuo illo: hoc est, E
simul cum illo, qui sedem Apostoli Petri tenet; quia ec-
clesia in qua Petrus princeps apostolorum sedet, caput
est omnium ecclesiarum catholicarum, ideo quia Petro
dixit Christus : *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo* Matt. 16.
ecclesiam meam & cætera. Et propter hanc sententiam de- 18.
bemus omnes pro eo orare, qui eidem præest ecclesiæ.
Et antistite nostro: hoc est, pro Episcopo nostro, in cuius
parrochia sumus pro ipso orare debemus; quia ipse est
pastor ecclesiæ & prædicator noster. *Memento Domine fa-*
mulorum famularumque tuarum & omnium circumadstan-
tium. Sacerdos ante orauit pro apostolico & episcopo
suo, Si episcopus missam celebrat, pro antistite nostro
dicere non debet, quia ipse antistes est. Si presbyter mis-
sam celebrat, ille debet dicere pro antistite nostro. Iam
oratum est pro senioribus, postea orandum est pro po-
pulo quando sacerdos dicit : *Memento Domine famulorum*
famularumq́; tuarum: deprecatur Deum patrem vt memo-
rare dignetur omnium ad officium missæ siue masculo-
rum siue fœminarum aduenientium. Et quod dicit *cir-*
cumadstantium, ipsi sunt masculi & fœminæ, qui circum- F
adstant. Iam sacerdos orauit pro omnibus qui ad audien-
dam missam venerunt. Tunc demum orat pro his qui
oblationes suas adferunt. *Qui tibi offerunt hoc sacrificium*
laudis, Sacrificium dicit laudis, quod pro laude Dei inpri-
mis offerunt, & postea addit : *Pro se suisq; omnibus*, pro re-
demptione animarum suarum, pro spe salutis & incolu-
mitatis suæ tibi reddunt vota sua æterno Deo viuo & ve-
ro. Ideo offerunt, quia viuo & vero Deo omnium fides
circumadstantium & non offerentium cognita est & no-
ta deuotio; omnes reddunt vota sua, vota dicuntur quæ
volenter promittuntur, quia volenter & libenter Deo vo-
uere & reddere debemus. *Communicantes & memoriam ve-*
nerantes, inprimis gloriosæ semper virginis Mariæ genitri-
cis Dei & Domini nostri Iesu Christi. Sed & beatorum a-
postolorum ac martyrum tuorum. Communicare se di-
cit, hoc est communionem cum illis habere, memoriam-
que ipsorum venerari, hoc est, in memoria eos honora-
biliter venerari, sc. quod sancta Maria virgo per aduentū
Spiritus sancti genitrix facta est filij Dei Domini nostri
Iesu Christi, qui Deus & homo est, per quem patrem sup- G
plicamus & fide sana communicando firmiter credimus,
quod Spiritu sancto veniente, filius Dei natus est ex ea,
nec tamen virginitas eius est violata. Sed & beatorum a-
postolorum ac martyrum tuorum. Apostolus namq; di-
citur in nostra lingua missus, Martyr interpretatur testis,
Apostoli ideo dicuntur, quia à Christo missi sunt. Marty-
res vero, quia testes sunt, quod Christus passus est pro i-
psis & omnibus in se rite credentibus, ipsiq; pro Christo;
hoc est, in confessione nominis eius. *Hanc igitur oblationem*
seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus Domine vt
placatus accipias. Sacerdos oblationem suam atq; cunctorū
qui Domino famulantur, id est, seruiunt commendat vt
Domino placeant, & ipse illis propitius fiat. Diesque no-
stros in sua pace disponat, atq; ab æterna damnatione nos
eripiat, & in electorum suorum grege iubeat nos nume-
rari, per Christum Dn̄m nostrū. Pro eo ergo quod sacer-
dos offert, populus debet orare, vt sacerdos exaudiatur.
Atq; omnium nostrorum dies in pace disponantur, sicq;
ab æterna damnatione eripiamur. De qua Dominus no- H
ster in fine mundi dicturus erit impijs : *Ite maledicti in ignē*
æternum &c. Et ad illum gregem electorum suorū per an- Matt. 25. 41.
gelos sanctos numerari mereamur, cui dicturus erit : *Ve-*
nite benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratū est ab Ibi. v. 34.
origine mundi. Sequitur: *Quā oblationē tu Deus in omnib. quæ-*
sumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabi-
lemque facere digneris, vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi
filij tui Domini nostri Iesu Christi, & cætera. Supplicat sacer-
dos vt illam oblationem quam ipse pro se offert & pro
populo, omnipotens pater dignetur accipere benedi-
ctam, & habere adscriptam, hoc est assignatam vt tibi pla-
ceat. Ratam, hoc est, iudicatam, vt dignam illam iudi-
cet in conspectu suo offerri. Rationabilem, id
est, iusta ratione plenam facere dignetur : quia tunc illi
est acceptabilis, si rectè credentes pro iusta ratione offe-

A rimus. Iustum est postulare vt illam oblationem quam nos rationabiliter offerimus, pater omnipotens sanctificando sibi acceptabilem faciat, *Vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi*: Quia patri dilectus est filius, sicut ipse pater testatus est de cœlo dicens; *Hic est filius meus dilectus*, & cætera. *Nos vtique eum diligere debemus, quia ipse prior dilexit nos, & passus est pro nobis. Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas eleuatis oculis in cœlum ad te Deum patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum.* (Mat. 26. 26) *Simili modo postea quam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens benedixit, dedit discipulis suis dicens, accipite & bibite ex hoc omnes: Hic est enim calix sanguinis mei noui & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem omnium peccatorum. Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis.* Quod intermisimus: qui pridie quam pateretur, hoc est, pridie quam

B ipse passus est pro nobis, voluit tradere discipulis suis corporis sui mysterium, vt illi traderent nobis, quis vmquam crederet, quod panis in carnem potuisset conuerti; vel vinum in sanguinem, nisi ipse saluator diceret, qui panem & vinum creauit, & omnia ex nihilo fecit? facilius est aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo creare. Ipse saluator voluit corpus humanum suscipere, & hominem Deo coniungere, vt vnus fieret mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Ipseque voluit per nos panem & vinum offerri sibi & ab ipso diuinitus consecrari, & fidelem populum credere verum esse mysterium quod ipse tradidit discipulis suis dicens, *Accipite & manducate ex eo omnes*: Similiter & de calice dixit: *Accipite & bibite ex hoc omnes.* (Ibid. ibi. v. 27.) Et quando oculos ad cœlum leuauit & patri gratias egit, nos in hoc docuit, quod nos patrem semper supplicare debemus, vt ille tam magnum sacramentum per manus nostras perficere dignetur. Et cum diceret, *hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*: iussit nos illius passionis quam

C pro nobis sustinuit sedulo memores esse, & maximè eo tempore, quando hoc sacramentum celebramus, eiusque misericordiæ atque bonitati nos commendamus. *Vnde & memores sumus Domine nos tui serui, sed & plebs tua sancta, Christi filij tui Domini Dei nostri.* Hoc se sacerdos fecisse profitetur quod sibi à Domino imperatum est. Idem enim ipsi sacerdotes filij Dei Domini videlicet Iesu Christi fideliter memores esse debent: quia ipsi missam celebrant, & sacrificium offerunt Christi exemplo instructi, & scire debent quid celebrant; quia stulta postulatio est si postulat quis quod nescit. Plebs sancta ideo simul meminisse debet: quia Christus non solum pro sacerdotibus passus est, sed & pro plebe, Sancta ideo dicitur: quia fide ac baptismo Christi percepta sanctificata est, Modo indicat quid meminisse debent, id est. Tam beatæ passionis; necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ ascensionis, Christi quidem filij Dei passionis videlicet eius memores esse debemus, quia pati dignatus

D est pro nobis. Resurrectionis eius ab inferis, quia animæ iustæ ab inferis per resurrectionem eius liberatæ sunt, gloriosæq; similiter ascensionis eius memores esse debemus; quia corpus humanum quod assumpserat iunctum diuinitati, sine vllius adiutorio propria maiestate penetrauit in cœlum. Ideo diximus sine vllius adiutorio, vt intelligatur non hominum nec angelorum, nec vllius creaturæ vehiculo ascendisse in cœlum, sed à patris maiestate eleuatus est, de quo ipse dixit in euangelio: *Ego & pater vnum sumus. Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. O Domine omnium memor es supra dictarum bonitatum tuarum offerimus tuæ maiestati hostiam puram*, hoc est corde puro: quia purum est corpus tuum, quod de hoc pane fieri credimus, *Hostiam sanctam*, quia tu sanctificasti corpus tuum quando hominem in Deum assumpsisti, & nunc sanctifica hunc panem vt corpus tuum fiat. *Hostiam immaculatam*, quia tu sine macula peccati passus es pro nobis, *Panem sanctum vitæ æternæ*, quia panis viuus es, qui de cœlo

E descendisti, & corpus tuum in hoc pane à te sanctificato nos accipere voluisti, & per calicem passionis tuæ nos sanguinem tuum sumere voluisti. Tu sanctifica hanc hostiam, vt nobis corpus tuum & sanguis tuus fiat. Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris. Hoc deprecamur vt pater sancte super dona à nobis* offerta, pio (* fort. oblata.) & blando vultu & claro digneris respicere, & accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Accepta habuit Dominus munera Abel, quia quicquid optimum inuenit, Domino obtulit. Et nos iusta munera & munda Deo, mundo corde offerre debemus, Abraham filio suo non pepercit, sed obediens iussioni Domini offerre eum voluit, Melchisedech primus sacerdos Domino panem & vinum obtulit, & ideo scriptum est in psalmo: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: (Ps. 109. 4) Quia sicut Mel-

F chisedech panem & vinum: ita & Christus in passione sua corpus & sanguinem obtulit Deo patri pro nobis. Et in pane & vino passionis suæ mysterium nos imitari voluit, quando discipulis suis dans panem ac calicem dixit: *hoc est corpus meum & hic est calix sanguinis mei.* (Matt. 26. 26) Et nos supplicare debemus vt sicut supradictorum patrum accepta Deo fuerunt munera: ita fiant & nostra. Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum in cōspectu diuinæ maiestatis tuę Humiliter ergo postulamus vt munera nostra super hoc altare quod videri potest oblata, pater iubeat cœlestis per manus sancti angeli sui perferri in illud altum altare quod est ante diuinam maiestatē suam, quod oculis nostris videre nō possumus, quia corporale nō est sed spiritale. Et sicut nos diuinam maiestatem patris inuestigare non possumus; ita nec ea quæ in conspectu eius sunt debemus inuestigare, sed potius credere, vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedi-

G ctione cœlesti & gratia repleamur per Christum Dominum nostrum. Orare quidem debemus patrem cœlestem, vt omnes qui ex ipsius altaris participatione supra quod nos offerimus Deo patri in commemoratione filij sui Domini Dei nostri Iesu Christi, corpus & sanguinem prædicti filij Dei sumpserimus, omnem benedictionem cœlestem accipere mereamur per ipsum Christum Dominum nostrum. Nobis quoq; peccatorib. famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantib. partē aliquam & societatē donare digneris cū tuis sanctis apostolis & martyrib. vel omnibus sanctis. Te quoq; clemētissime poscimus vt peccata nostra non aspicias, sed secundum largitatem bonitatis tuę gaudia æterna nobis tribuere digneris & participationē gaudij in æterna lętitia cum omnib. sanctis tuis perpetualiter cōferre. Intra quorū nos consortiū, non æstimator meriti, sed veniæ quęsumus largitor admitte. Hoc rogamus, vt ipse qui dixit: *In quacunq; die peccator conuersus fuerit & pœnitentiā egerit, omnia peccata eius in obliuione erunt coram me.* Non retributionē peccato-

H rū æstimet, sed ipse sit veniæ largitor, & intra sanctorū societatē nos mittat, per Christū Dn̄m nostrum. Per quem hæc omnia Dn̄e semper bona creas, sanctificas, viuificas benedicis & pręstas nobis, Hoc videlicet precamur vt per ipsum Christū filiū tuum vnigenitū, per quē omnia bona creata sunt sanctificata & viuificata, hæc sacramenta benedicas, & nobis ad remediū sempiternū accipiendū prębeas. Per quē & cū quo & in quo est tibi Deo patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti omnis honor & gloria, p omnia secula seculorū amen. Post hæc ergo ad orationē dominicā, proferendā, sacerdos incitat populū ita dicēs. *Præceptis salutaribus moniti & diuina institutione formati audemus dicere.* Christi n. præcepta salute sunt plena, quia ipse est salus æterna, cuius admonitione & iussione atque institutione diuina formati ausi sumus preces Deo omnipotenti offerre, iuxta exemplar quod ipse saluator discipulos suos docuit in oratione Deo placita habere, & pa-

tiem

tricem omnipotentem pro nobis suppliciter interpellare. *Pater noster qui es in cœlis sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, Et ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos à malo.* In his ergo septem petitionibus poscimus Deum patrem, vt nobis ea quæ salubria sunt conferat, & ea quæ noxia sunt procul à nobis repellat. Cuius petitionis expositionem iuxta sanctorum doctorum sensum breuiter hic adnotare curamus. *Pater,* inquit, *noster qui es in cœlis,* Christus dixit ad discipulos suos post resurrectionem suam: *Ascendo ad patrem meum & ad patrem vestrum.* Aliter enim dixit patrem suum: aliter patrem nostrum, Patrem quippe suum, quia ipse proprius est filius patris ex substantia patris ante omnia tempora genitus, ipsi patri coæternus. Pater noster quoque est ideo quia nos creauit in tempore, vt nos filij eius essemus adoptiui, & hæreditatem cœlestem patris nostri cœlestis possidere sine fine possemus, operibus ante implendo, quod in perceptione fidei nos facturos prius spopondimus. Cœlum à cælando dicitur, eo quod cælat diuina secreta. Aliter cœlum à celsitudine dicitur, eo quod altius est rebus terrenis. Nos autem ideo dicimus: *Pater noster qui es in cœlis,* vt nos credere ostēdamus in patrem cœlestem, & sicut filij deuoti, patris sui præcepta cupiunt implere; ita & nos ipsius mandata perficere, & ad cœlum semper tendere desideremus. *Sanctificetur nomen tuum.* Hoc est, vt nos digni simus nomen sanctum eius tenere in cordibus nostris: vt sicut angeli sancti qui in cœlo sunt sciunt & intelligunt sanctitatem nominis sui: ita & nos qui in terra sumus, ipso adiuuante sanctitatem nominis eius mereamur cognoscere, quatenus sicut in cœlo, ita & in terra sit nomen eius sanctificatum. *Adueniat regnum tuum:* Hoc est, vt nos regnum eius & potentiam eius mereamur cognoscere, & vt iam propter peccata nostra diabolus non regnet super nos; sed ipsius regnum adueniat, sicut in euangelio scriptum est: *Regnum Dei intra vos est, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra:* hoc est, vt eius voluntatem sicut illi, qui in cœlo sunt, faciunt; ita & nos, qui in terra sumus, faciamus. Terra à terendo dicitur, eo quod pedibus teritur. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panis apud græcos in nostra lingua omnis interpretatur, & nos oramus vt omnipotens pater omnem victum spiritalem ac carnalem nobis largire dignetur omni tempore. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Nihil enim iniustè facit, qui sibi debenti debitum requirit: Sed si omnipotens Deus à nobis omnia debita requirit, nullus sine debito inuenietur, & ideo debemus debitoribus nostris debita dimittere, vt nobis omnipotens nostra dimittat: Qui a ipse dixit: *Si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris; nec pater vester cœlestis remittet vobis peccata vestra.* (Matt. 18. 35.) Et alibi: *Auferuntur,* inquit, *de regno eius omnia scandala.* (Matt. 13. 41.) Et iterum: *Sacrificium non recipitur si cum scandalo offertur,* sed ante altare dimitti iubetur vsque dum reconcilietur fratri suo, & tunc offerre mundo corde. *Et ne nos inducas in tentationem;* hoc est, ne intremus in illam tentationem in qua diabolus nos tentat, & ei non consentiamus, sed Dominus ipse nos defendat, ne inducamur in tentationem diabolicam, quod si nos Deus dimittit, statim introducimur in laqueum diaboli, & ideo postulamus, vt ipse nos liberet à malo: hoc est ab omni impugnatione diaboli. *Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris:* Hoc in hac prece postular, vt ipse nos ab omnibus malis liberet, qui nos bonos & mundos creauit, in quo nullum est malum. Præterita sunt, quæ iam ante peccantes commisimus, & ideo flagella sustinemus. Præsentia sunt quæ quotidie committimus, futura sunt quæ adhuc diabolo suadente aduenire possunt. Et ideo oramus vt ab omnibus liberemur: quia ante conspectum Dei nulla sunt præterita nec futura: sed omnia sunt præsentia. Intercedente pro nobis beata & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria & beatis apostolis tuis Petro & Paulo atque Andrea. Inuocamus nobis in adiutorium Dei genitricē, quæ virgo fuit ante partum, virgo in partu, virgo post partum, & beati Apostoli, qui nobis hæc mysteria celebranda tradiderunt, vt intercedant pro nobis, quia nos ipsi digni non sumus. De præteritis ac præsentibus veniam promereri, necnon de futuris cautelam, nisi nobis eorum oratione donetur. Iam orauimus vt liberemur à malis, nunc oramus, vt prædictis sanctis interuenientibus ipse donet pacem. Da propitius pacem in diebus nostris, qui potens es à malo nos liberare, pacem nobis da à malis hominibus, ne patiamur flagella eorum. Vt ope misericordiæ tuę adiuti; hoc est, vt Dei adiutorio adiuti: à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi, hoc est, vt peccatis nostris dimissis, in præsenti seculo non perturbemur iterum peccantes: Nec in die iudicij æternam patiamur perturbationem, per Dominum nostrum. Per ipsum ergo filium Dei patris omnipotentis, si ad vitam æternam peruenire desiderauerimus, regni cœlestis nobis aditus adipiscendus est, quia sine ipso hic prospere, & in futura vita fœliciter cum sanctis angelis eius regnare nequaquam poterimus; quia ipse est initium & perfectio totius boni, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Tunc sacerdos pacem populo postulans dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum.* Christus enim est pax æterna, qui nos reconciliauit patri per passionem suam, ne propter peccatum primi hominis in inferno teneremur, hic orat sacerdos vt illa pax cum populo permaneat, & omnes concordes faciat, vt pacifice cum Christo mereamur in cœlo regnare. Et ideo tunc faciamus pacem antequam corpus & sanguinē Domini sumamus, vt cum concordia corpus & sanguinē Domini nostri Iesu Christi in corpora nostra suscipiamus, quia sine concordia digni non sumus sanctam communionem accipere; quia munera nostra si discordiam habemus cum proximis nostris, antequam reconciliemur, à Deo non recipiuntur. Tunc orat clerus cantando: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis.* *Agnus* dicitur propter innocentiam, quia nulli hominum nec bestiarum nocet, sed occisorem suum post occisionem suam reficit. Ita & Christus nullum læsit, sicut Apostolus dixit: *Quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* (1. Petr. 2. 22.) Sed post passionem suam, conuersos persecutores suos multos per sanctam communionem corporis & sanguinis sui recreauit, & credentes fecit. Ipse tulit peccata mundi, quando remissionem peccatorum nobis dedit: quia ante passionem eius iusti & peccatores in infernum descenderunt. Et in veteri testamento, remissionem peccatorum nusquam legimus, Christus vero per pœnitentiam, non solū veniam peccatorum, sed etiam gaudium nobis promisit angelicum dicens. *Gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* (Luc. 15. 7.) Ipsum Christum, qui est agnus Dei innocens qui passus est pro salute mundi, petimus vt misereatur nostri dicentes: *Miserere nobis.* Nam agnus in veteri testamento pro peccatis populi offerebatur: & in nouo testamento Christus semetipsum obtulit Deo patri, vt genus humanum per passionem suam liberaret à peccato. Et ideo Agnus Dei tunc canitur, quando corpus & sanguis Domini percipitur, vt omnes credamus, quia ipsius agni corpus & sanguis tunc sumitur, qui peccata mundi tulit moriendo. Et vitam æternam nobis donauit resurgendo. Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre in vnitate Spiritus sancti viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum amen. Et post missam finitam, dicit diaconus ad populum. *Ite missa est:* Diaconus græcè, minister latine dicitur. Ille nuntiat populo quod finitæ sunt preces; quia nullus ante exire debet ecclesiam, quam expletum ministerium nuntiatum fuerit à ministro, & omnes respondeant: *Deo gratias.*

Cætera capita in MS. codice Fuldensi desiderantur, fortassis consulto prætermissa, quod ijsdem verbis (vti ex titulis apparet) repeterentur capita libri primi de Institutione Clericorum à IV. vsque ad XXIII. incluliuè.

A

HRABANI MAVRI ABBATIS AD REGINALDVM DE DISCIPLINA

Ecclesiastica Libri tres.

VNORVM PRIMVS DE SACRIS ORDINIBVS, secundus de Catechismo, & Sacramentis diuinis, tertius de agone Christiano.

PRÆFATIO.

QVadam die dum quietus ab omni mundano negotio in cellula mea sederem, & lectioni diuinarum litterarum operam darem, venit mihi in mentem recordatio boni studij tui, Sancte Christi Sacerdos, quod habes in doctrina gregis tibi diuinitus commissi, qualiter extraposiros, & in paganico errore adhuc conuersantes ad fidem Christi percipiendam inuitares, & quomodo B in ecclesiam per baptismum & confessionem veræ fidei iam introductos doctrina & exhortatione catholica corroborares, vt quod professi sunt ore, exercerent in bona operatione: qualiterque deuiantes per præuaricationes diuersas disciplina euangelica coerceres, & in statum pristinum per pœnitentiam restituere certares. Hæc quidem omnia in animo meo pensans cogitaui aliquod opusculum conficere, & tuo nomini illud dicare: vbi iuxta auctoritatem sanctarum scripturarum & doctrinam catholicorum patrum inuenire posses, qualis debeat esse conuocatio adhuc foris positorum ad percipiendam fidem Christi, qualisque fieri accessus post perceptam iam fidem ad accipiendam sacri baptismatis regenerationem, & sacramentorum diuinorum sanctificationem, scireque doctrinæ sacræ rationem, & conseruare veraciter christianam religionem. Vnde primum doctorem ipsum de officio suo, & eruditione instituens, consequẽter de instruendis rudibus in fide Christi sermonem facere statuimus. Deinde quomodo oporteat per prædicationis officium iam conuocatos catechuminos facere, & C baptismate Christi abluere: sacramentisque diuinis confirmare: & in fidei veritate corroborare: post hæc quoq; quomodo ipsos Christianos catholico dogmate erudire, atque ecclesiastica disciplina corrigere: in militiaque Christi constituros qualiter eos cum virtutibus contra vitia pugnare, & vsque ad finem vitæ in studio bonæ cõuersationis perseuerare conueniat, prout Dominus donauerit pandere curabimus. Nosti enim optime, quod Paulus apostolus cum ad Timotheum scriberet qualiter eum admonuerit & instruxerit debere in ecclesia Dei conuersari: qui inter alia ita ait. *Præcipe hæc & doce, nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio attende lectioni, & exhortationi doctrinæ noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manus presbyterij. Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* (1. Timot. 4.12.) Et alibi: *Tu ergo,* inquit, *fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti à me per multos testes. Hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei sunt & alios docere. Labora sicut bonus miles in Christo Iesu.* (2. Tim. 2. 1) D & rursus: *Manus, ait, cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis, teipsum castum custodi.* (1. Tim. 5. 22.) Et sic de singulis ordinibus eum instituturus, quomodo presbyteros atque diaconos, cæterosque gradus ordinare deberet singulasq; personas atque ætates, necnon & sexus docere atque erudire pleniter instruxit. Vnde necesse est, vt eos quos ad diuinum officium promouere concupiscis, diligenter doceas atque eum disciplina erudias, vt sciant qualiter diuini verbi ministri fieri debeant, & quid eos scire, & habere conueniat: vt cum ordinati fuerint, & sacris ordinibus sublimati magis populo Dei prosint quam noceant.

E

De Sacris ordinibus accipiendis.

SEd quia & scientiæ plenitudinem, & vitæ rectitudinem, & eruditionis perfectionem maxime eos habere decet qui in quodam culmine constituti gubernaculum regiminis in ecclesia tenent, &c. *vt supra de Institut. Clericor. lib. 3. cap. 1. vsque ad finem capitis illius.*

De Lectione diuinarum literarum.

FVndamentum autem, status, & præfectio prudentiæ, scientia est sanctarum scripturarum: &c. *vsque ad finem capitis.* Ibid. c. 2.

Quod idem sit ad culmen sapientiæ & caritatis peruenire.

QVicunque igitur ad sapientiæ culmen peruenit, ad fastigium charitatis, &c. *vsque ad finem capitis.* Ibid. c. 5.

F

De acquisitione virtutum.

INterea *quippe* dum intenta meditatione scientiam spiritalem optat adipisci; necesse &c. *vsque fere ad finem capitis ibi ad illa verba.* Sed quia de modo. Ibid. c. 27

Quid Doctor debeat in docendo agere.

DEbet igitur diuinarum scripturarum tractator & doctor, defensor rectæ fidei &c. *vsque ad finem capitis.* Ibid. c. 28

Sed quamuis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit vel esse debeat, vt &c. *vsque ad finem capitis.* Ibid. c. 30

Est autem optimus modus dicendi, quo fit vt qui audit, verum &c. *vsque ad finem capitis.* Ibid. c. 31.

Verum etiam flectere vt vincat. Hæc ergo seruans prædicator euangelicus in prolatione sermonis, adiuuante diuina gratia poterit inuenire fructum laboris sui, & laudem.

G

Quomodo rudes catechizandi sint.

NAm quia de eruditione doctrinæ & institutione morum prædicatores verbi Dei iuxta traditionem maiorum hactenus aliquantum instituimus, nunc consequenter quomodo rudes catechizandi sunt dicamus. Itaque hoc officium faciendum est narratione, exhortatione, atque hilaritate.

Narratio plena est, cum quisque primo catechizatur ab eo quod scriptum est. *in principio fecit Deus cælum & terram* vsque ad præsentia tempora ecclesiæ, non tamen Gen. 1. 1. propterea debemus totum pentateucum totosque Iudicum & regnorum & Ezræ libros, totumque euangelium & actus apostolorum vel si ad verbum edidicimus memoriter reddere: vel nostris verbis omnia quæ his continentur voluminibus narrando euoluere, & explicare: quod nec tempus capit, nec vlla necessitas postulat. Sed cuncta summatim generatimque complecti, ita vt eligantur quædam mirabiliora, quæ suauius audiuntur, atque in ipsis articulis constituta sunt, & ea tanquam inH uolucris ostendere: statimque à conspectu abripere non oportet, sed aliquantum immorando quasi resoluere atque expandere, & inspicienda atque miranda offerre animis auditorum, cætera vero celeri percussione inserendo contexere. Ita & illa, quæ maxime commendari volumus aliorum submissione magis eminent: nec ad ea fatigatus peruenit quem narrando volumus excitare, nec illius memoria confunditur quem docendo debemus instruere. In omnibus sane non tantum nos oportet intueri præcepti finem quod est charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, quo ea quæ loquimur cuncta referamus, sed etiam illius quem loquendo instruimus ad id mouendus atque illuc dirigendus aspectus est. Neque enim ob aliud ante aduentum Domini

scripta

A scripta sunt omnia quæ in scripturis sanctis legimus: nisi vt illius commendaretur aduentus, & futura præsignaretur ecclesia: id est, populus Dei, per omnes gentes, quod est corpus eius adiunctis atque annumeratis omnibus sanctis. Qui etiam ante aduentum eius in hoc seculo vixerunt, ita eum credentes venturum esse, sicut nos venisse. Quæ autem maior causa est aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis commendans eam vehementer: quia cum adhuc inimici essemus Christus pro nobis mortuus est: hoc autem ideo, quia finis præcepti & plenitudo legis charitas est: vt & nos inuicem diligamus, & quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, sic & nos animam pro fratribus ponamus: & ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos, & filio suo vnico non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum. Si amare pigebat saltem redamare non pigeat. Nulla est enim maior ad amorem inuitatio, quam præuenire amando, & nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit & rependere. B Si ergo maxime propterea Christus aduenit, vt cognosceret homo quantum eum diligat Deus, & ideo cognosceret, vt in eius dilectionem qua prior dilectus est inardesceret, proximumque illo iubente & demonstrante diligeret, qui non proximum sed non longe peregrinantem diligendo factus est proximus. Omnisque scriptura diuina quæ ante scripta est ad prænunciandum aduentum Domini, & quicquid postea mandatum est literis & diuina auctoritate firmatum est, Christum narrat & dilectionem mouet. Manifestum est non tantum totam legem & prophetas in illis duobus pendere præceptis dilectionis Dei & proximi, quæ adhuc sola scriptura sancta erat cum hoc Dominus diceret. Sed etiam quæcunque posterius salubriter conscripta sunt, memoriæque mandata diuinarum volumina literarum. Quia ergo charitati nihil aduersius quam inuidentia, mater autem inuidentiæ superbia est, idem Dominus Iesus Christus Deus homo & diuinæ in nos dilectionis indicium & humanæ apud nos humilitatis exemplum, vt magnus tumor noster maiore contraria medicina sanaretur. Magna est enim miseria superbus homo: sed maior misericordia humilis Deus. C Hac ergo dilectione tibi lector tamquam signo proposito quo referas omnia quæ dicis quicquid narras ita narra: vt ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet.

Narratione finita spes resurrectionis intimanda est, & pro capacitate ac viribus audientis, proque ipsius temporis modulo aduersus vanas irrisiones infideliū de corporis resurrectione tractandum, & futuri vltimi iudicij bonitate in bonos, seueritate in malos, veritate in omnes. Cōmemoratisq; cum detestatione & horrore pœnis impiorum, regnum iustorum atq; fidelium superna illa ciuitas eiusq; gaudium cum desiderio prædicandū est. Tum vero instruenda & animanda est infirmitas hominis aduersus tentationes & scandala, siue foris siue in ipsa intus ecclesia: foris aduersus gentiles vel iudæos vel hæreticos, intus autem aduersus areæ dominicæ paleas, non vt contra singula peruersorum genera disputetur, omnesque illorum prauæ opiniones propositis quæstionibus refellantur. D Sed pro tēpore breui demonstrandum est, ita esse prædictum, & quæ sit vtilitas tentationū erudiendis fidelib. & quæ medicina in exēplo patientiæ Dei, qui statuit vsq; in finē ista permittere. Cū vero aduersus eos instruitur, quorū peruersæ turbę corporaliter implent ecclesias: simul ēt præcepta breuiter & decenter commemorantur christianæ atq; honestæ conuersationis, ne ab ebriosis, auaris, fraudatorib. aleatorib. adulteris, fornicatorib. spectaculorū amatorib. remediorū sacrilegorū allegatoribus, præcantatoribus mathematicis, vel quarumlibet artium vanarum & malarum diuinatoribus atq; huiusmodi cæteris ita facile seducatur, & impunitū sibi fore arbitretur: quia videt multos, qui christiani appellātur hæc amare & agere, & defendere, & suadere, & persuadere. Quis n. finis præstitus sit in tali vita perseuerantib. & quam sint in ipsa ecclesia tollerandi ex qua in fine sperandi sunt diuinorū librorū testimonijs edocendū est, prænunciandum ēt inuēturum eum in ecclesia multos christianos bonos, verissimos ciues cœlestis Ierusalē: Si esse ipse cœperit. E Ad extremū ne spes eius in homine ponatur sedulo monendus est, quia neq; facile ab homine iudicari pōt quis homo sit iustus, & si facile posset, non ideo nobis proponi exēpla iustorū vt ab eis iustificemur, sed vt eos imitantes ab eorū iustificatore nos quoq; iustificari sciamus. Hinc n. fiet quod maxime commendandum est, vt cum ille qui nos audit immo per nos audit Deum, morib. & scientia proficere cœperit & viam Christi cū alacritate ingredi, nec nobis id audeat adsignare, nec sibi sed seipsum & nos & quoscunq; alios diligit amicos in illo, & propter illū diligi, qui eum dilexit inimicū vt iustificans faceret amicum.

Illud plane non prætereundū est, vt si ad te quisquam catechizandus venerit liberalib. doctrinis excultus qui iam decreuerit esse christianus, & ideo venerit vt fiat, difficillimū omnino est vt non multa nostrarū scripturarū literarumq; cognouerit, quibus iam instructus ad sacramentorū participationē tantummodo venerit. Tales n. non eadem hora qua christiani fiunt, sed ante solent omnia diligenter inquirere, F & motus animi sui cum quibus possunt communicare atque discutere. Cum his itaque breuiter agendum est, & nō odiose inculcando quæ norunt, sed modeste perstringendo, ita vt dicamus nos credere quod iam nouerint illud atq; illud, atq; hoc modo cursim enumerare omnia quæ rudib. indoctisq; inculcāda sunt vt etsi quid nouit eruditus iste non tanquā à doctore audiat, etsi quid forte adhuc ignorat dū ea cōmemoramus quæ illum nosse iam credimus discat. Sunt itē quidam de scholis vsitatissimis grammaticorū, oratorūque venientes, quos neq; inter idiotas numerare audeas, neq; inter illos doctissimos quorū mens magnarū rerum est exercitata quæstionib. His ergo qui loquendi arte cæteris hominib. excellere videntur cū veniunt vt christiani fiant, hoc amplius quā illis illiteratis impartiri debemus, quod sedulo monendi sunt, vt humilitate induti christiana discant non contēnere, quos cognouerint morū vitia quam verborū amplius deuitare, & cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam ēt præferre cōsueuerunt. Maxime aūt isti docēdi sunt scripturas audire diuinas, G ne sordeat eis solidum eloquium, quia non est inflatum, neq; arbitrentur carnalib. integumentis inuoluta atq; operta dicta vel facta hominū, quæ in illis libris leguntur, non euoluēda atq; operienda vt intelligantur: sed sic accipienda vt literæ sonant, deq; ipsa vtilitate secreti vnde ēt mysteria vocantur quid valeant ænigmatū latebræ ad amorem veritatis acuendum discutiendumq; fastidij torporem, ipsa experientia probandum est, talib. cum aliquid eis quod in promptu positū, nō ita moueat, enodatione allegoriæ alicuius eruitur. His n. maxime vtile est nosse ita esse præponendas verbis sententias vt præponitur animus corpori, ex quo fit, vt ita malle debeant veriores, quam disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores quam formosiores habere amicos: nouerint etiam non esse vocem ad aures Dei nisi affectum animi. Ita n. non irridebunt si aliquos antistites & ministros ecclesiæ forte animaduerterint, vel cum barbarismis & solecismis Dominum inuocare, vel eadē verba quæ pronuntiant non intelligere perturbateq; distinguere: non quia ista minime corrigenda sunt vt populus H ad id quod plana intelligit dicat. Amen. Sed tamen pie tolleranda sunt ab eis, qui didicerint vt sono in foro sic voto in ecclesia benedici.

Hilaritas autem in catechizādi officio plurimū valet, quando deuotum & beneuolū atq; intentum efficit auditorem, quia parum proficit sermo prædicantis, si non adderit intentio delectans auditoris, facit etiam loquendi tædium auditor immobilis, non quia humanę laudis nos esse auidos decet: sed quia ea quæ ministramus, Dei sunt, & quanto magis diligimus eos, quibus loquimur, tanto magis eis cupimus, vt placeant, quæ ad eorum porriguntur salutem, quod si non succedit contristamur: & in ipso cursu debilitamur, & frangimur: quasi frustra operā conteramus. Nonnunquam etiam cum auertimur ab aliqua re quam desideramus agere: & cuius actio aut delectabar

A nos aut magis nobis necessaria videbatur: & cogimur aut iussu eius quem offendere volumus aut aliquorũ ineuitabili instantia catechizare aliquem iam conturbati accedimus ad negotium cui magna tranquillitate opus est, dolentes quod neq; ordinem actionum nobis conceditur tenere quem volumus, nec sufficere omnibus possumus: atq; ita ex ipsa tristitia sermo procedens minus gratus est quod de ariditate mœstitiæ minus exuberat. Aliquando item ex aliquo scandalo mœror pectus obsidet, & tũc nobis dicitur. Veni loquere huic, Christianus vult fieri. Dicitur enim ab ignorantibus quod nos clausum intus exurat, quibus si affectum nostrum aperire non oportet suscipimus ingrati quod volunt: & profecto languidus & insuauis ille sermo erit, per venam cordis æstuantem fumantemq; traiectus. Tot igitur ex causis quælibet earum serenitatem nostræ mentis obnubilet, secundum Dominum sunt quærenda remedia quibus relaxetur illa contractio: & feruore spiritus exultemus & iucũ-

2. Cor. 9. 7. demur in tranquillitate boni operis. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et quia multum dissimiliter exit tædet loqui,

B & libet tacere: cogitemus quid nobis prærogatum sit ab illo qui demonstrauit nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Quantumuis enim differat articulata vox nostra ab intelligentiæ nostræ viuacitate, longe differẽtior est mortalitas carnis ab æqualitate Dei, & tamen cum in

Philip. 2. 7. eadem forma esset *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*, &c. vsque ad mortẽ crucis: quam ob causam nisi quia

1. Cor. 9. 20 *factus est infirmis infirmus vt infirmos lucrifaceret.* Audi eius imitatorem alibi etiam dicentem. *Siue enim mente excessimus*

2. Cor. 5. 13. *Deo siue temperantes sumus, vobis: charitas enim Christi compellit nos iudicantes hoc quia vnus pro omnibus mortuus est.* Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum, si eum pigeret inclinari ad aures eorum? Hinc ergo factus est paruulus in medio nostrum: tanquam nutrix fouens filios suos. Quod si apparuerit sanabilemq; se præbet: auctoritatum rationumq; copia sine vlla dilatione sanãdus est, si aũt tacita & occulta offensio est: Dei medicina opitulari põt. At si resilierit & curari recusauerit, consuletur nos dominicum illud exemplum, qui offensis hominib. ex verbo suo, & tanquam durum refugientibus ẽt his qui

Ioan. 6. 68 remanserant ait. *Nunquid & vos vultis ire?* Satis n. fixum atque immobile debet corde retineri Hierusalem captiuã

C ab huius seculi Babilonia decursis temporibus liberari: nullumq; ex illa esse permittum quia qui perierit non ex illa erat, signum n. fundamentũ Dei stat habẽs signaculũ hoc: nouit Dñs qui sunt eius, & recedet ab omni iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. Illa cogitantes & inuocantes Dominũ in cor nostrũ minus timebimus incertos exitus sermonis nostri propter incertos motus auditorũ: delectabirq; nos ẽt ipsa perpessio molestiarum pro misericordi opere: si non in eo nostram gloriã requiramus. Tunc n. est vere opus bonũ cum à charitate iaculatur agentis intentio: & tanquam ad locum suum rediens rursus in charitate requiescit, quod si nimis tardus est, & ab omni tali suauitate absurdus & auersus, misericorditer sufferendus est, breuiterq; decursis cæteris ea, quæ maxime necessaria sunt, de vnitate catholicæ ecclesiæ, de tẽtationib. de christiana conuersatione propter futurũ iudi-

D ciũ terribiliter inculcanda sunt: magisq; pro illo ad Deum quam illa de Deo multa dicenda. Si vero ex aliquo scandalo perturbatus animus non valet edere se. eiũ, iucundumq; sermonẽ, tantam esse charitatẽ oportet in eos, pro quibus Christus mortuus est, volens eos pretio sanguinis sui ab errorũ secularium morte redimere: vt hoc ipsum, ꝙ nobis tristib. nunciatur præsto esse aliquem qui desideret fieri christianus, ad consolationẽ illius resolutionem que tristitiæ valeri debeat, sicut solent lucrorũ gaudia dolorẽ lenire damnorũ. Non n. scandalũ nos contristat alicuius, nisi quẽ perire, aut per quem perire infirmũ vel credimus vel videmus. His atq; huiusmodi cogitationib. & considerationib. depulsa caligine tædiorũ ad catechizandum aptatur intentio: vt suauiter imbibatur, ꝙ impigre atque hilariter de charitatis vbertate prorumpit. Hæc n. non tã ego tibi quam omnib. nobis dicit ipsa dilectio quæ diffusa est in cordib. nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.

E Si quis aũt ritum catechizandi plenũ nosse voluerit: ex B. Augustini dictis discere poterit qui inter alia ad amicũ

Aug. de catechizandis rudibus. de catechizãdis rudib. scribens ita ait. Nec ẽt illud, quod priusquam promitterẽ non debebã, iam fortasse debitũ flagitas, vt aliquod sermonis exemplũ tanquam si ego aliquẽ catechizem non me pigeat explicare, & intuendũ tibi proponere quod priusquã faciam volo cogites ẽt esse intentionẽ dictantis cũ lector futurus cogitatur, & aliam loquentis cũ præsens auditor attenditur, & in eo ipso aliã in secreto monentis, dum nullus alius qui de nobis iudicet presto est, aliam palã docentis aliquid; vbi dissimiliter opinantiũ circũstat auditus, & in hoc genere aliam cum docetur vnus, cæteri aũt tanquam iudicantes aut attestãtes, quæ sibi nota sunt, audiunt, aliam cũ omnes cõmuniter quid ad eos proferamus expectant: & rursus in eo ipso aliam, cũ quasi priuatim cõsideretur vt sermocinatio cõferatur, aliam cum populus tacens vnũ de loco superiore dicturũ suspensus intuetur, multumq; interest & cum ita dicimus virũ pauci adsint, an multi docti an indocti, an ex vtroq; genere mixti vrbani, an rustici, an hi & illi simul,

F an populus ex omni hominũ genere tẽperatus sit, fieri n. non põt, non aliter atq; aliter afficiant locuturũ atq; dicturũ: & vt sermo, qui profertur affectionis animi à quo profertur quædam quasi vultũ gerat: & pro eadẽ diuersitate diuerse afficiat auditores, cũ & ipsi seipsos diuerse afficiat inuicẽ præsentia sua. Sed quia de rudib. imbuendis nunc agimus de meipso tibi testatus sum aliter atq; aliter me moueri, cũ ante me catechizandũ video, eruditũ, inertem, ciuẽ, peregrinum, diuitẽ, pauperẽ, priuatũ, honoratũ, in potestate aliqua constitutum, illius aut illius generis hominẽ, illius aut illius ætatis, aut sexus, ex illa aut illa secta, ex illo aut illo vulgari errore venientem, ac pro diuersitate motus mei sermo ipse & procedit, & progreditur, & finitur, & quia cum eadẽ omnib. debeatur charitas, non eadẽ est omnib. adhibenda medicina: ipsa item charitas alios parturit, cũ alijs infirmatur, alios curat ædificare, alios cõtremiscit offendere: ad alios se inclinat, ad alios se erigit, alijs blanda, alijs seuera, nulli inimica, omnibus mater: & qui non expertus est eadem charitate quod dico, cũ videat nos quia facultas aliqua nobis do-

G nata delectet laudabiliter innotescere in ore multitudinis, inde nos beatos putat, Deus aũt in cuius aspectũ intrat gemitus cõpeditorum, videat humilitatẽ nostram & laborẽ nostrum, & dimittat omnia peccata nostra. Quãobrẽ si quid tibi in nobis placuit vt aliquam obseruationẽ sermonis nostri à nobis audire quæreres: melius vidẽdo & audiendo nos cum hæc agimus, quam legendo cũ hæc dictamus edisceres, sed tñ faciamus aliquẽ venisse ad nos, qui vult esse christianus, & de genere quidem idiotarum non tamen rusticanorum sed vrbanorum, quales apud cartaginem plures experiri te necesse est, interroga eum etiam virum propter vitæ præsentis aliquod cõmodum, an propter requiem, quæ post hanc vitam speratur christianus esse desideret propter futuram requiẽ: respõdisse: tali fortasse à nobis instrueretur alloquio. Deo gratias frater, valde tibi gratulor, & gaudio de te: quod in tãtis ac tam periculosis huius seculi tempestatib. de aliqua

H vera & certa securitate cogitasti. Nam & in hac vita homines magnis laborib. requiem quærunt, & securitatem: sed prauis cupiditatib. non inueniunt. Volunt n. requiescere in rebus inquietis & non permanentibus, & quia illi tẽpore subtrahuntur & transeunt timorib. & dolorib. eos agitant, nec quietos esse permittunt, siue enim in diuitijs velit homo requiescere: magis superbus efficitur quam securus. An non videmus quam multi eas subito perdiderint, multi ẽt propter illas perierint, aut cum eas habere cupiunt aut vt eis oppressis à cupidioribus auferuntur, quæ si etiam per totam vitam cum homine permanerent, & non desererent dilectorem suum: ipsa illas sua morte desereret. Quanta est n. vita hominis etiamsi senescat: aut cum sibi homines optant senectutem: quid aliud optant nisi longam infirmitatẽ? Sic & honores huius seculi quid sunt, nisi typus, & inanitas, & ruinæ periculum? quia sic sancta scriptura dicit. *Omnis caro fœnũ, & claritas hominis vt* Isa. 40. 6 *flos fœni, fœnum aruit, flos decidit: verbum autem Domini manet*

in æternum

A *in æternum.* Ideo qui veram requiem & veram fœlicita-
tem desiderat, debet tollere spem suam de rebus morta-
libus, & prætereuntibus, & eam collocare in verbo Do-
mini, vt hærens ei quod manet in æternum, etiam ipse
cum illo maneat in æternum.

Sunt etiam homines, qui nec diuites esse queunt, nec
ad vanas honorum pompas ambiunt peruenire, sed gau-
dere, & requiescere volunt in popinis, in fornicationi-
bus, & in theatris, atque spectaculis nugacitatis, quæ in
magnis ciuitatibus gratis habent, sed sic etiam ipsi vt
consumunt per luxuriam paupertatem suam, & ab ege-
state postea in furta, & effracturas, & aliquando etiam
ad latrocinia prosiliunt, & subito multis & magnis timo-
ribus implentur, & qui in popina paulo ante cantabant,
iam planctus carceris somniant. Status autem specta-
culorum fiunt dæmonibus similes: clamoribus suis inci-
tando homines vt se inuicem cædant, secumque habe-
ant contentiosa certamina, qui se non læserunt, dum
placere insano populo cupiunt. Quod si animaduer-
terint esse concordes, tunc eos odiunt & persequuntur,
B & tanquam collusores vt fustibus verberentur excla-
mant: & hanc iniquitatem facere etiam vindicem ini-
quitatum iudicem cogunt. Si autem horrendas aduer-
sus inuicem inimicitias eos exercere cognouerint, siue
sunt, qui equi appellantur, siue scænici & thimelici siue
aurigæ, siue venatores quos miseros non solum homines
cum hominibus, sed etiam homines cum bestijs in cer-
tamen pugnamque committunt: quo maiore aduersus
inuicem discordia furere senserint, eo magis amant, &
delectantur, & incitati fauent, & fauentes incitant plus
aduersus seipsos insanientes, ipsi spectatores alter pro
altero, quam illi, quorum insaniam insaui prouocant,
& insaniendo spectare desiderant. Quomodo ergo
sanitatem pacis tenere animus potest, qui discordijs &
certaminibus pascitur? Qualis enim cibus sumitur, ta-
lis valetudo consequitur. Postremo quamuis insana
gaudia non sint gaudia, tamen qualiacunque sint, &
quantumlibet delectat iactantia diuitiarum, & tumor
honorum, & vorago propinarum, & bella theatrorum,
& immunditia fornicationum, & prurigo thermarum
C aufert omnia ista vna febricula, & adhuc viuentibus to-
tam falsam beatitudinem subtrahit: remaneat inanis,
& saucia conscientia Dominum sensura iudicem, quem
noluit habere custodem, & inuentura asperum Domi-
num, quem dulcem patrem quærere & amare con-
tempsit. Tu autem qui veram requiem, quæ post hanc
vitam Christianis promittitur quæris; etiam hic eam in-
ter amaritissimas vitæ huius molestias suauem iucundam-
que gustabis. Si eius qui eam promisit præcepta dilexe-
ris, cito enim senties dulcioris esse iustitiæ fructus, quam
iniquitatis, & verius atque iucundius gaudere homi-
nem de bona conscientia inter molestias, quam de ma-
la inter delitias, quia non sic venisti coniungi ecclesiæ
Dei, vt ex ea temporalem aliquam vtilitatem requiras.
Sunt enim qui propterea volunt esse Christiani, vt aut
promereantur homines, à quibus temporalia commo-
da expectant: aut quia offendere nolunt quos timent,
sed isti reprobi sunt: etsi ad tempus eos portat ecclesia
sicut area vsque ad tempus ventilationis paleam susti-
nent: si se non correxerint, & propter futuram sempiter-
D nam requiem Christiani esse cœperint in finem supera-
buntur: nec sibi blandiantur quod in area possunt esse
cum frumento Dei, quia in horreo cum illo non erunt,
sed igni debito destinantur. Sunt etiam alij meliori
quidem spe, sed tamen non minore periculo, qui iam
Dominum timent, & non irrident Christianum nouum,
nec simulato corde intrant ecclesiam Dei, sed in ista vita
expectant fælicitatem, vt fæliciores sint in rebus terre-
nis quam illi qui non colunt Dominum: ideoque cum
viderint quosdam sceleratos & impios ista seculari pro-
speritate pollere, & excellere, se autem vel minus habere
ista vel amittere perturbantur, tanquam sine causa Do-
minum colant: & facile à fide deficiunt. Qui autem
propter beatitudinem sempiternam & perpetuam re-
quiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur

vult fieri Christianus vt non eat in ignem æternum cum E
diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo.
Vere ipse est Christianus cautus in omni tentatione, ne
prosperis rebus corrumpatur, & ne frangatur aduersis:
& in abundantia bonorum terrenorum modestus &
temperans in tribulationibus fortis & patiens: qui et-
iam proficiendo peruenit ad talem animum vt plus amet
Dominum, quam timeat gehennam: vt etiam si dicat
illi Deus, vtere delicijs carnalibus non sempiternis &
quantum potes pecca nec morieris, nec in gehennā mit-
teris, sed mecum tantummodo non eris, exhorrescat, &
omnino non peccet, non iam vt in illud quod timebat
non incidat, sed ne illum quem sic amat offendat, in quo
vno est requies *quam oculus non vidit, nec auris audiuit nec* 1. Cor. 2.
in cor hominis ascendit: quam preparauit Deus diligentibus se. 9.
De qua te significat scriptura & non tacet quod ab ini-
tio mundi ex quo fecit Deus cœlum & terram & omnia Gen. 2. 1.
quæ in eis sunt, sex diebus operatus est, & septimo die
requieuit. Poterat enim omnipotens & vno momen-
to temporis omnia facere: non autem laborauerat vt re- F
quiesceret, quando dixit *& facta sunt, mandauit & creata
sunt*, sed vt significaret quia post sex ætates mundi huius
septima ætate tanquam septimo die requieturus in san-
ctis suis, quia ipsi in illo requiescent post omnia bona o-
pera in quibus ei seruierunt, quæ ipse in illis operatur,
qui vocat & præcipit & delicta præterita dimittit: & iu-
stificat eum qui prius erat impius. Sicut autem cum il-
li ex dono eius bene operantur, recte dicitur operari: sic
cum illi requiescunt recte dicitur ipse requiescere. Nam
quod ad ipsum attinet, pausationem non quærit, qui la-
borem non sentit, fecit autem omnia per verbum suum,
& verbum eius Christus, in quo requiescunt angeli, &
omnes cœlestes mundissimi spiritus in sancto silentio:
homo autem peccato lapsus perdidit requiem quam ha-
bebat in eius diuinitate, & recepit eam in eius humani-
tate: ideoque oportuno tempore quo ipse sciebat opor-
tere fieri homo factus, & de fæmina natus est. A carne
quippe contaminari non poterat ipse, carnem potius
mundaturus. Ipsum antiqui venturum in reuelatione
spiritus cognouerunt, & prophetauerunt, & sic salui fa- G
cti sunt credendo quia veniet, sicut nos salui efficimur
credendo quia venit, & diligeremus Dominum qui sic
nos dilexit vt vnicum filium suum mitteret, qui huma-
nitate nostræ mortalitatis indutus & à peccatoribus, &
pro peccatoribus moreretur. Iam enim olim ab ineun-
tibus seculis mysterij huius altitudo præfigurari prænun-
ciarique non cessat; quoniam Deus omnipotens, & bo-
nus & iustus, & misericors, qui fecit omnia bona siue
magna siue parua, siue summa siue infima, siue quæ vi-
dentur sicuti sunt cœlum, & terra, & mare, & in cœlo
sol, & luna & cætera sydera. In terra autem & mari, ar-
bores & frutices, & animalia, siue cuiusque naturæ & o-
mnia corpora vel cœlestia vel terrestria siue quæ non vi-
dentur, sicuti sunt spiritus quibus corpora vegetantur,
& viuificantur: fecit & hominem ad imaginem suam, vt
quemadmodum ipse per omnipotentiam suam præest
vniuersæ creaturæ, sic homo per intelligentiam qua et-
iam creatorem suum cognoscit & colit præ cæteris om-
nibus terrenis animalibus: fecit etiam illi adiutorium H
fœminam non ad carnalem concupiscentiam, quando-
quidem nec corruptibilia corpora tunc habebant ante-
quam eos mortalitas inuaderet, & pœna peccati, sed vt
haberet vir gloriam de fœmina cum ei præiret ad Domi-
num, seque illi præberet imitandum in sanctitate atque
pietate, sicut ipse esset gloria Dei cum eius sapientiam se-
queretur, ita constituit eos in quodam loco perpetuæ
beatitudinis quem appellat scriptura paradisum: præce-
ptumque illis dedit quod si non transgrederentur, in illa
semper immortalitatis beatitudine permanerent: si trās-
grederentur, supplicia mortalitatis expenderent. Præ-
sciebat autem Deus eos transgressuros, sed tamen quia
conditor est, & effector omnis boni magis eos fecit,
quando fecit & bestias, vt impleret terram bonis terre-
nis, & vtique melior est homo etiam peccator quam be-
stia: & præceptum quod non erant seruaturi magis dedit

A vt essent inexcusabiles cum in eos vindicare cœpisset. Quicquid enim homo fecerit, laudabilem in suis factis inuenit Deum, si recte egerit laudabilem inuenit per iustitiam præmiorum, si peccauerit, laudabilem inuenit per iustitiam suppliciorum: si peccata confessus ad recte viuendum redierit, laudabilem inuenit per misericordiam indulgentiarum. Cur ergo non faceret Deus hominem quamuis eum peccaturum prænosceret: cum & stantem coronaret, & cadentem ordinaret, & surgentem adiuuaret, & vbique gloriosus bonitate, iustitia, clementia, maxime quia & illud præsciebat de propagine mortalitatis eius futuros sanctos, qui non sibi quærerent, sed creatori suo gloriam darent: & eum colendo ab omni corruptione liberati cum angelis sanctis viuere semper & beate viuere mererentur. Qui enim hominibus dedit liberum arbitrium, vt non seruili necessitate, sed ingenua voluntate Dominum colerent, dedit etiam angelis: & ideo nec angelus qui cum spiritibus alijs satellitib. suis superbiendo deseruit obedientiam Dei, & diabolus factus
B est, aliquid nocuit Deo, sed sibi. Nouit enim Deus ordinare deserentes se animas, & ex earum iusta miseria inferiores partes creaturæ suæ conuenientissimis, & congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ornare. Itaque nec diabolus aliquid Deo nocuit, quia vel ipse lapsus est vel hominem seduxit ad mortem: nec ipse homo in aliquo minuit veritatem, aut potestatem: aut beatitudinem conditoris sui: quia coniugi suæ seductæ à diabolo ad id quod Deus prohibuerat propria voluntate consensit. Iustissimis enim Dei legibus omnes damnati sunt Deo glorioso per æquitatem vindictæ, ipsi ignominiosi per turpitudinem pœnæ, vt & homo à suo creatore auersus victus diabolo subderetur, & diabolus homini ad creatorem suum conuerso vincendus præponeretur: vt quicunque diabolo vsque in finem consentirent, cum illo irent in æterna supplicia: quicunque autem humiliarent se Deo & per eius gratiam diabolum vincerent æterna præmia mererentur. Neque enim hoc mouere debet, quia multi diabolo consentiunt & pauci Dominum sequuntur: quia & frumentum comparatione palearum valde pauciorem habet numerum: sed sicut agricola no-
C uit quid faciat de ingenti aceruo paleæ: sic nihil est Deo multitudo peccatorum, qui nouit quid de illis agat, vt administratio regni eius ex nulla parte turpetur atque turbetur. Nec ideo putandus est vicisse diabolus: quia secum plures cum quibus à paucis vinceretur attraxit.

De duabus ciuitatibus.

August. DVæ itaque ciuitates vna iniquorum altera sanctorum, ab initio generis humani vsque in finem seculi perducuntur: nunc permixtæ corporibus, sed voluntatibus separatæ, in die vero iudicij etiam separandæ corpore. Omnes enim homines amantes superbiam, & temporalem dominationem cum vano typo & pompa arrogantiæ, omnesque spiritus qui talia diligunt, & gloriam suam subiectione hominum quærunt, simul vna societate deuincti sunt, si sæpe aduersum se pro his rebus dimicant, pari tamen pondere cupiditatis in eandé pro-
D funditatem præcipitantur, & sibi morum & meritorum similitudine coniunguntur: & rursus omnes homines & omnes spiritus humiliter Dei gloriã quærentes nõ suam, & cũ pietate sectantes, ad vnam pertinent societatem: & tamen Deus misericordissimus & super impios homines patiens est: & præbet eis pœnitentiæ atq; correctionis locum. Nam & quod omnes diluuio deleuit excepto vno iusto cum suis quos in arca seruare voluit, nouerat quidem quod non se correcturi essent: veruntamen cum per centum annos arca fabricata est prædicabatur vtique eis ira Dei ventura super eos: & si conuerterentur ad Dominum parceret eis, sicut pepercit postea Niniuæ ciuitati agenti pœnitentiam, cum ei per prophetam venturum interitum prænunciasset: hoc autem facit Deus etiam illis quos nouit in malitia perseueraturos, dans pœnitendi spacium vt nostram patientiam exerceat & informet exemplo suo quo nouerimus quantum nos oporteat tole-

E rabiliter malos sustinere, cum ignoremus quales postea futuri sint, quando ille parcit & sinit eos viuere quem nihil futurum latet prænuntiabatur tamen etiam diluuij sacramento quod per lignum iusti liberati sunt futura ecclesia, quam rex eius & Deus Christus mysterio suæ crucis ab huius seculi submersione suspendit. Neque enim Deus ignorabat quod etiam ex illis qui fuerant in arca seruati nascituri erant mali, qui faciem terræ iniquitate implerent: sed tamen exemplum futuri iudicij dedit sanctorum liberationem ligni mysterio prænunciauit, nam & posthæc non cessauit repullulare malitia per superbiam, & libidines, & illicitas impietates: cum homines deserto creatore suo non solum ad creaturam quam Deus condidit lapsi sunt vt pro Deo colerent quod fecit Deus, sed etiam ad opera manuum hominum & ad fabrorum artificia curuauerũt animas suas, vbi de illis turpius diabolus & dæmonia triumpharent: quæ si in talibus figmentis adorari venerariq; lætantur. Dum errores suos humanis erroribus pascunt. Neque tunc sane defu-
F erunt iusti, qui Dominum pie quærerent, & superbiam diaboli vincerent ciues illius sanctæ ciuitatis quos regis sui Christi ventura humilitas per spiritum reuelata sanauit, ex quibus Abhraham pius & fidelis Dei seruus electus est, cui demonstraretur sacramentum filij Dei vt propter imitationem fidei omnes fideles omnium gentium filij eius futuri dicerentur. Ex illo natus est populus à quo vnus Deus verus coleretur qui fecit cœlum & terram: cum cæteræ gentes simulachris & dæmonijs seruirent, in eo plane populo multo euidentius futura ecclesia figurata est: erat enim ibi multitudo carnalis, quæ propter visibilia beneficia colebant Dominum. Erant autem ibi pauci futuram requiem cogitantes, & cœlestem patriam requirentes, quibus prophetando reuelabatur futura humilitas Dei regis & Domini nostri Iesu Christi: vt per eam fidem ab omni superbia & tumore sanarentur, horum sanctorum qui præcesserunt tempore natiuitatem Domini, non solum sermo, sed etiam vita, & coniugia, & filij, & facta, prophetia fuit huius temporis, quo per fidem passionis Christi ex gentibus congregatur ecclesia, per illos sanctos patriarchas, & prophetas carnali populo Israel, qui postea Iudæi appellati sunt, & visibilia
G beneficia ministrabantur, quæ carnaliter à Domino desiderabantur, & coercitationes pœnarum corporalium, quibus pro tempore mererentur, sicut eorum duritiei congruebat, & in his tamen omnibus mysteria spiritalia significabantur, quæ ad Christum & ecclesiam pertinerent: cuius ecclesiæ membra erant etiam isti sancti, quamuis in hac vita fuerint antequam secundum carnem Christus Dominus nasceretur. Ipse enim vnigenitus Dei filius verbum Dei patris, æquale & coæternum patri per quod facta sunt omnia, homo propter nos factus est, vt totius ecclesiæ tamquam totius corporis caput esset, sed velut totus homo dum nascitur etiamsi manum in nascendo præmittat, tamen vniuerso corpori sub capite coniuncta atque compacta est: quemadmodum etiam nonnulli in ipsis patriarchis ad huius ipsius rei signũ manu præmissa nati sunt: Ita omnes sancti qui ante Domini nostri Iesu Christi natiuitatem in terris fuerunt, quamuis ante nati sint, tamen vniuerso corpori cuiusq; ille caput
H est sub capite cohæserunt. Populus ergo ille in ægyptum delatus seruiuit regi durissimo: & grauissimis laboribus eruditus, quæsiuit liberatorem Dominum, & missus est eis vnus de ipso populo sanctus Dei seruus Moyses qui in virtute Dei magnis miraculis terrens tunc impiam gentem ægyptiorum eduxit inde populum Dei per mare rubrum vbi descendens aqua viam præbuit transeuntibus: ægyptij autem cum eos persequerentur, redeuntibus in se fluctibus demersi extincti sunt. Ita quemadmodum per diluuium aquis terra purgata est à nequitia peccatorum. Qui tunc in illa inundatione deleti sunt & iusti euaserunt per lignum. Sic ex ægypto exiens populus Dei per aquas iter inuenit, quibus ipsorum hostes consumpti sunt, nec ibi defuit ligni sacramentum. Nam virga percussit Moyses, vt illud miraculum fieret, vtrumque signum sancti baptismi, per quod fideles in nouam vitam

transeant: peccata vero eorum tamquam inimici deleantur atque moriantur. Apertius autem Christi passio in illo populo figurata est, cum iussi sunt ouem occidere, & manducare, & de sanguine eius postes suos signare: & hoc celebrare omni anno & appellare pascha Domini. Manifestissimè quippe Propheta de Domino Iesu Christo dicit, quia *tamquam ouis ad immolandum ductus est*. (Isa. 53. 7.) Cuius passionis & crucis signo in fronte hodie tamquam in poste signandus est christianus, omnesque christiani signantur. Inde per desertum populus ille ductus est per XL. annos, accepit etiam legem digito Dei scriptam. Quo nomine significatur Spiritus sanctus, sicut in euangelio manifestissime declaratur. Neq; enim Deus forma corporis diffinitus est, nec sic in illo membra & digiti cogitandi sunt quemadmodum videmus in nobis: sed quia per Spiritum sanctum dona Dei sanctis diuiduntur, vt cũ diuersa possint non tamen discedant à charitate charitatis. In digitis aũt maxime apparet quædam diuisio: nec tamen ab vnitate præcisio, siue propterea, siue propter aliã quamcunq; causam Spiritus S. appellatus est digitus Dei, non tamen cum hoc audimus humani corporis forma cogitanda est. Accepit ergo ille populus legem digito Dei scriptam: in tabulis sane lapideis ad significandam duritiam cordis eorum quod legem nouerant non impleturi: corporalia quippe dona desiderantes à Domino: magis carnali timore, quam spiritali charitate tenebãtur. legem autem non implet nou charitas. Ideo multis sacramentis visibilibus onerati sunt, quo seruili iugo premerentur in obseruationibus ciborum, & in sacrificijs animalium, & alijs innumerabilibus: quæ tamen signa erant rerum spiritalium ad Dominum Iesum Christum & ad ecclesiam pertinentium: quæ tunc à paucis sanctis & intelligebantur ad fructum salutis, & obseruabantur ad congruentiam temporis. A multitudine vero carnalium tantummodo obseruabantur nõ intelligebantur: per multa itaq; & varia signa rerum futurarum quas longum est omnes cõmemorare, & eas nunc in ecclesia videmus impleri, perductus est ille populus ad terrã promissionis vbi temporaliter, carnaliterq; regnaret, pro modo desiderij sui, quod tamen regnum terrenũ regni spiritalis imaginẽ gessit. Ibi Ierusalem condita est famosissima ciuitas Dei, seruiens in signo liberæ ciuitati quæ cœlestis Hierusalem dicitur quod verbum est hebræum, & interpretatur visio pacis, cuius ciues sunt omnes sanctificati homines, qui fuerunt, & qui sunt, & qui futuri sunt, & omnes sanctificati spiritus etiam quicunque in excelsis cœlorum partibus pia deuotione obtemperant Deo, nec imitantur impiam diaboli superbiam, & angelorum eius. Huius ciuitatis est rex Dominus Iesus Christus verbum Dei patris quo reguntur summi angeli, & verbum hominem assumens, vt eo regenerentur & homines qui simul omnes cum illo in æterna pace gaudebunt. Ad huius rei præfigurationem in illo terreni regni populo Israel, maxime emicuit Rex Dauid de cuius semine secundũ carnẽ venit verissimus rex noster Dominus Iesus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Multa in illa terra promissionis gesta sunt, in figuram venturi Christi & ecclesiæ, quæ in sanctis libris paulatim poteris discere. Post aliquot tñ generationes ostẽdit alium typũ ad rẽ maxime pertinentem. Nam captiuata est illa ciuitas & multa pars eius ducta in babyloniam. Sicut aũt Hierusalẽ significat ciuitatem societatemq; sanctorũ, sic babylonia significat ciuitatẽ societatemq; iniquorũ, quomodo dicitur interpretari confusio. De quibus duabus ciuitatib. ab exordio generis humani vsq; in finẽ seculi, permixta temporũ varietate currentib. & vltimo iudicio separandis paulo ante iam diximus. Illa ergo captiuitas Hierusalem ciuitatis, & ille populus in babyloniam ductus ad seruiturẽ ire iubetur à Dño per Ieremiam illius tẽporis prophetã: & extiterunt reges babyloniæ, sub quibus ille seruiebat. Qui ex eorum occasione commoti quibusdam miraculis cognoscerent, & colerent, & coli iuberent vnũ verũ Deum, qui condidit vniuersam creaturam. Iussi sunt aũt & orare pro eis à quibus captiui tenebantur: vt in eorũ pace pacẽ sperare ad gignẽdos filios, & domos ædificandas & plantandos hortos & vineas. Post septuaginta aũt annos promittitur eis ab illa captiuitate liberatio. Hoc aũt totũ figurate significat ecclesiam Christi in omnib. eius, qui sũt ciues Hierusalẽ cœlestis seruituram sub regib. huius seculi. Dicit n. & apostolica doctrina vt *omnis anima sublimiorib. potestatib. subdita sit*: (Rom. 13. 1) & vt reddantur *omnib. omnia, cui tributum tributũ, cui vectigal vectigal* &c. (Ibid. 7.) quæ saluo Dñi nostri cultu, constitutionis humanæ principib. reddimus, quãdo & ipse Dñs vt nobis huius sanæ doctrinæ præberet exemplũ pro ea parte hominis quo erat indutꝰ tributũ soluere non dedignatus est. Iubentur aũt ẽt serui christiani & boni fideles dominis suis temporalib. æquanimiter fideliterq; seruire quos iudicaturi sunt si vsq; in finẽ iniquos inuenerint, aut cũ quibus æqualiter regnaturi sunt; si & illi ad verũ Dominũ conuersi fuerint: omnib. tamen præcipitur seruire humanis potestatib. atq; terrenis quo vsq; post tẽpus præfinitũ quod significant LXX. anni ab istius seculi confusione tanquã de captiuitate babyloniæ sicut Hierusalem liberetur ecclesia. Ex cuius captiuitatis occasione ipsi ẽt terreni reges desertis idolis pro quib. persequebantur christianos vnum verũ Deum cognouerũt & colunt: pro quibus apostolus Paulus iubet orare ẽt cũ persequerentur ecclesiam. Sic enim dicit. *Obsecro itaq; primum fieri deprecationes, interpellationes gratiarum actiones, pro regibus, pro omnib. hominib. & omnibus qui in sublimitate sunt, vt securam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & charitate.* (1. Timot. 2. 1.) Itaque per ipsos data est pax ecclesiæ quamuis temporalis tranquillitas temporis ad ædificandas spiritaliter domos & plantandos hortos & vineas.

Nam & te modo per istum sermonem ædificamus, atq; plantamus: & hoc fit per totum orbem terrarum cum pace regũ christianorum, sicut idem dicit Apostolus, *Dei agricultura, Dei ædificatio estis*. (1. Cor. 3. 9.) Et post annos quidem LXX. quos mystice prophetauerat Hieremias vt finem temporum præfiguraret, tamen vt ipsa figura integraretur facta est in Ierusalem restitutio ædificationis templi Dei, sed quia totum figurate agebatur non erat firma pax ac libertas reddita Iudæis. Itaque à Romanis postea victi sunt & tributarij facti, ex illo sane tempore ex quo terram promissionis acceperunt, & reges habere ceperunt: ne in aliquo regum suorum completum esse arbitrarentur quod eis liberator Christus promittebatur. Apertius per multas prophetias prophetatus est Christus, non solum ab ipso Dauid in libro psalmorum, sed etiam à cæteris & magnis & sanctis prophetis vsque ad tempus captiuitatis in babyloniam, & in ipsa captiuitate fuerunt prophetæ, qui venturum Dominum Iesum Christum liberatorem omnium prophetarent, & postea quam templum translactis LXX. annis restiturum est; tantas pressuras & calamitates à regibus gentium iudæi perpessi sunt, vt intelligerent nondum venisse liberatorem, quem non spiritaliter liberaturum intelligebant, sed pro liberatione carnali desiderabant. Peractis ergo quinque ætatibus seculi, quarum prima est ab initio generis humani, id est, ab Adam qui primus homo factus est, vsq; ad Noe, qui fecit arcam in diluuio. Inde secunda est vsque ad Abraham qui pater electus est omniũ quidẽ gentiũ, quæ fidẽ ipsius imitarentur, sed tamen ex propagine carnis suæ futura populi Iudæorũ ante fidẽ christianam gentium vnus inter omnes omnium terrarũ populos vnũ verũ Deum coluit, ex quo populo saluator Christus secundum carnẽ veniret. Isti n. articuli duarũ ætatũ eminent in veterib. libris. Reliquarum aũt trium ẽ euangelio declarantur, cum carnalis origo Domini Iesu Christi commemoratur. Nam tertia est ab Abraham vsq; ad Dauid regem: quarta à Dauid vsq; ad illam captiuitatem qua populus Dei in babyloniã transmigrauerat: quinta ab illa transmigratione vsq; ad aduẽtum Domini nostri Iesu Christi. Ex cuius aduentu sexta ætas agitur, vt ẽt spiritalis gratia quæ paucis tunc patriarchis & prophetis nota erat manifestaretur omnibus gentibus, ne quisquam Dominum nisi gratis coleret, non visibilia præmia seruitutis suæ & præsentis vitæ fœlicitatẽ, sed solam vitam æternam, in quo ipso Deo frueretur ab illo desiderans, vt hac sexta ætate mens humana renouetur ad imaginem Dei, tunc enim & lex impletur, dum nõ cupidi-

A cupiditate rerum temporalium, sed charitate illius qui præcepit fiunt quæcunque præcepit. Quis autem non redamare affectet iustissimum, & misericordissimum Dominum, qui prior sic amauit iustissimos & superbissimos homines, vt propter eos mitteret vnicum filium per quẽ fecit omnia: qui non sui mutatione, sed hominis assumptione homo factus non solum cum eis viuere sed etiam pro eis & ab eis posset occidi. Itaque nouum testamentum hæreditatis sempiternæ manifestabat, in quo renouatus homo per gratiam Dei ageret nouam vitam, hoc est, spiritalem vitam, vt vetus ostenderet primum in quo carnalis populus agens hominem veterem exceptis paucis intelligentib. patriarchis, & prophetis, & nonnullis latentib. sanctis carnaliter viuens carnalia præmia desiderabat à Domino Deo, & in figura spiritaliũ bonorũ accipiebat. Omnia ergo bona terrena contempsit homo factus Dñs Christus, vt contẽnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinẽda præcipiebat: vt neq; in illis quæreretur fælicitas, neq; in istis infælicitas timeretur. Natus n. de matre est quæ quamuis à viro intacta conceperit semperq; intacta permanserit, Virgo cõcipiens, virgo pariens, virgo moriens, tñ fabro desponsata erat, omnem typũ carnalis nobilitatis extinxit, natus ẽt in

B ciuitate Bethleem, quæ inter omnes Iudeæ ciuitates ita erat exigua vt hodieq; villa appelletur: noluit quicquã de cuiusquam terrenæ ciuitatis sublimitate gloriari. Pauper ẽt factus est, cuius sunt omnia & p quẽ creata sunt: ne quisquam cũ in eũ crederet de terrenis diuitijs auderet extolli. Noluit rex ab hominib. fieri: quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separauerat, quãuis sempiternũ ei⁹ regnũ vniuersa creatura testetur. Esuriuit, qui omnes pascit: sitiuit per quẽ creatur omnis potus, & qui spiritaliter panis est esurientium fonsq; sitientiũ: ab itinere terrestri fatigatus est, qui seipsum nobis fecit viam in cœlũ. Velut obmutuit & obsurduit coram conuitiantib. per quẽ mutus loquutus est, & surdus audiuit. Vinct⁹ est qui de infirmitatũ vinculis soluit, flagellatus est qui omniũ dolorũ flagella de hominũ corporib. expulit. Crucifixus est, qui cruciatus nostros finiuit. Mortuus est qui mortuos suscitauit, sed & resurrexit nunquã moriturus,

C ne ab illo quisquã sic disceret mortẽ contemnere, quasi nunquã moriturus. Inde confirmatis discipulis cõuersatus cũ eis XL. diebus eisdẽ spectantib. ascendit in cœlũ: & cõpletis à resurrectione L. diebus misit eis Spiritum S. Promiserat n. per quẽ diffusa charitas in cordib. eorum, non solũ sine onere, sed ẽt cũ iucunditate posset implere legẽ, quæ data est Iudæis in decẽ præceptis, quod appellant decalogum, quæ rursus ad duo rediguntur vt diligamus Dominum *ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, & diligamus proximum sicut nosmetipsos.* Nam in his duobus præceptis totam legem pendere & prophetas ipse Dominus & dixit in euangelio, & suo manifestauit exemplo. Nam & populus Israel ex die quo primum pascha in imagine celebrarunt, ouem occidẽtes & manducantes, cuius sanguine postes eorũ ad salutis tutelã iã signati sunt. Ex ipso ergo die L. dies impletus est, & legẽ acceperunt scriptam digito Dei. Quo nomine iam diximus significari Spiritũ S. sicut post Domini passionẽ & resurrectionẽ quod est verũ pascha quinquagesimo die ipse Spiritus S. discipulis missus est non iã lapideis tabulis corda dura significans,

D sed cũ essent vno in loco congregati in ipsa Hierusalem,

Act.2.2. *factus est subito de cælo sonus quasi ferretur flatus vehemens, & visa sunt illis linguæ diuisæ quasi ignis & cœperunt linguis loqui, ita vt omnes qui ad illos venerant suam linguam quisq; cognosceret.* Ad illam n. ciuitatem ex omnib. terris conueniebant Iudæi quacunq; dispersi erant, & diuersas linguas gentium diuersarum didicerant. Deinde cum tota fiducia Christũ prædicantes in eius nomine multa signa faciebant ita vt quendam mortuum transeunte Petro vmbra eius tetigerit & resurrexerit. Sed cũ viderent Iudæi tanta signa fieri in eius nomine partim per inuidiam, partim per errorẽ crucifixerunt: alij irritati sunt ad persequendos prædicatores eius apostolos, alij vero idipsũ amplius admirantes quod eius nomine quẽ veluti à se oppressum & vinctũ riserant tanta miracula fierent pœnitendo conuersi crediderunt in eum millia Iudæorũ: Non erant illi temporalia

E beneficia terrenumq; regnũ desiderantes à Deo, nec promissum regẽ Christũ carnaliter expectantes, sed immortaliter intelligentes & diligentes eũ qui pro ipsis ab ipsis tanta mortaliter pertulit: & eis vsque ad sui sanguinis effusionẽ peccata donauit, & immortalitatem à se sperandam & desiderandam exẽplo suæ resurrectionis ostẽdit. Itaq; iã veteris hominis terrena desideria mortificantes, & spiritalis vitæ nouitate flagrantes, sicut præceperat in euangelio Dominus. Vendebant omnia quæ habebant, Act.4.34

& pretia rerũ suarũ ante pedes apostolorũ ponebant, vt ipsi distribuerent vnicuiq; sicut cuiq; opus erat, viuentesq; in christiana dilectione concorditer, non dicebant aliquid suum sed erant illis omnia cõmunia, & cor vnũ in Dominũ. Deinde ẽt ipsi à iudæis carnalib. ciuibus carnis suæ persecutionẽ passi atq; dispersi sũt: vt latius Christus per eorũ dispersionẽ prædicaretur, & imitarentur ẽt ipsi passionẽ Domini sui: quia qui eos mansuetus passus fuerat mansuefactos pro se iubebat pati: Ex ipsis sanctorum persecutorib. fuerat ẽt apostolus Paulus, & in christianos

F maxime sæuiebat, sed postea credens & apostolus factus missus est vt gentib. euangelium prædicaret: grauiora perpessus pro nomine Christi quã fecerat contra nomẽ Christi. Ecclesias aũt constituens per omnes gentes quo euangeliũ seminabat, impense præcipiebat vt quoniam ipsi ex idolorũ cultu vehementes ad vnũ Dominũ colendũ rudes non facile poterant rebus suis venditis & distributis seruire Deo: oblationes facerent in pauperes sanctorum qui erant in ecclesijs iudæ, qui Christo crediderant. Ita illos tanquã milites, illos aũt tanquam stipendiarios prouinciales apostolica doctrina cõstituit inserens eis Christũ velut lapidẽ angularem sicut per prophetam prænunciatus erat, in quo ambo quasi parietes de diuerso veniẽtes, de Iudæis videlicet atq; gentibus germana charitate copularentur. Sed postea grauiores & crebriores persecutiones ex incredulis gentib. aduersus Christi ecclesiam surrexerunt, & implebatur in dies singulos verbũ Domini prædicentis. *Ecce ego mitto vos velut oues in medio luporum.* Matt.10.16.

S. d illa vitis quæ per orbẽ terrarũ sicut de illa prophetatũ & ab ipso Domino prænunciatũ erat, fructuosos palmites diffundebat, tanto pullulabat amplius, quanto v-

G beriore martyrũ sanguine rigabatur. Quibus per omnes terras innumerabiliter pro fidei veritate morientib. etiã ipsa persequentia regna cesserunt, & ad Christũ cognoscendũ atq; venerandũ fracta superbiæ ceruice conuersa sunt. Oportebat aũt vt eadẽ vitis sicut à Dño identidem prædictũ erat putaretur: & ex ea præciderentur infructuosa sarmenta, quibus hæreses & schismata p loca facta sunt, sub Christi nomine non ipsius gloriã sed suam quærentiũ per quorũ aduersitates magis magisq; exerceretur ecclesia, & probaretur atq; illustraretur & doctrina eius & patientia. Omnia ergo hæc sicut tanto ante prædicta legimus, sic & facta cognoscimus, & quẽadmodũ primi christiani, qui nondum ista prouenisse videbantur miraculis monebantur vt crederent. Sic nos quia omnia ista ita cõpleta sunt, sicut ea in libris legimus qui longe antequam hæc implerentur conscripti sunt. Vbi omnia futura dicebantur, & præsentia iam videntur ædificamur ad fidẽ, vt ẽt illa quæ restant sustinentes & perseuerantes in Domino sine dubitatione ventura credamus, si quæ adhuc tri-

H bulationes futuræ in eisdẽ scriptis leguntur, & ipsi vltimus iudicij dies vbi omnes ciues ambarũ illarũ ciuitatũ receptis corporib. surrecturi sunt, & rationẽ vitæ suæ ante tribunal Christi iudicis reddituri. Veniet n. ẽt in claritate potestatis qui prius in humilitate humanitatis venire dignatus est, & omnes pios ab impijs segregabit, non tantum eis qui in eum credere omnino noluerunt: sed etiam eis qui frustra & infructuose crediderunt in eum illis daturus regnum secum æternum: illis autem pœnam æternam cum diabolo, sed sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inueniri gaudio vitæ æternæ, quam sancti accepturi sunt: ita nullus cruciatus temporalium pœnarum potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari.

Itaque frater confirma teipsum in eius nomine atque

adiutorio

A adiutorio cui credis aduersus linguas eorum, qui fidem nostram irrident, de quibus Diabolus seductoria verba loquitur, maxime volens irridere fidem resurrectionis: sed ex te ipso crede futurũ te esse cum futuris, quando cũ ante non fueris nunc esse te vides. Vbi enim erat ista moles corporis tui, & ista forma membrorũ quæ cõpago ante paucos annos priusquã natus vel etiã priusquã in matris vtero conceptus esses, vbi erat hæc moles & hæc statura corporis tui? Nõne de occultis huius creaturæ secretis Dño Deo inuisibiliter formante processit in lucẽ? certisq; ætatum incrementis in istam magnitudinem formãque surrexit? Nunquid ergo difficile est Deo, qui etiã aggeres nubiũ ex occulto in momento contrahit, & cõtegit cælũ in ictu temporis reddere istã quantitatem corporis tui sicut erat, qui eam facere potuit sicut non erat? Crede ergo fortiter & incõcusse quia omnia quæ videntur quasi pereundo humanis oculis subtrahi, salua & integra sunt omnipotentiæ Dei, qui ea cum voluerit sine vlla mora & & difficultate reparabit, ea duntaxat quæ iustitiæ ius reparanda esse iudicat, vt in his corporibus reddant homi-
B nes factorũ suorum rationẽ: in quibus ea fecerunt, & in his mereantur, aut cõmutationem cælestis incorruptionis pro meritis pietatis, aut corruptibilem corporis cõditionẽ, pro meritis iniquitatis: non quę morte saluatur: sed quæ materiam doloribus sempiternis præbeat. Fuge ergo per immobilẽ fidem, & mores bonos: fuge frater, illa tormenta, vbi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur, quibus sine fine mors est nõ posse in cruciatibus mori, & exardesce amore atq; desiderio sempiternæ vitæ Sanctorũ, vbi nec operosa erit actio, nec requies desidiosa. Laus erit Dei sine fastidio, sine defectu, nullũ in animo tædiũ, nullus labor in corpore nulla indigentia: nec tu alicui subuenire desideres, nec proximus erit cui subuenire festines, oẽs deliciæ Deus erit: & societas sanctæ ciuitatis, in illo, & de illo sapienter beateq; viuentes. Efficiemur enim sicut ab illo ꝓmissum speramus & expectamus æquales Ange-
C lis Dei: & cũ eis pariter illa Trinitate perfruemur iam per speciẽ, in qua nunc per fidẽ ambulamus. Credimus enim quod nõ videm⁹, vt ipsis meritis fidei etiã videre ꝙ credimus & inhærere mereamur, vt æqualitatẽ Patris & Filij, & Spiritus S. & ipsius Trinitatis vnitatẽ. Quomodo sint hæc tria vnus Deus, non iã verbis fidei & strepentib. syllabis personemus: sed contemplatione purissima & ardentissima in illo silentio sorbeamus. Hæc tene fixa in corde tuo, & inuoca Dñm cui credis vt tueatur te aduersus tẽtationes Diaboli, & esto cautus ne tibi aliũde hostis ille subrepat, qui ad solatiũ violentissimũ damnationis suæ cum quib. damnetur inquirit. Non .n. per eos solos qui Christianũ nomẽ oderunt, & dolẽt eo nomine occupatũ esse orbẽ terrarũ, & adhuc simulachris & dæmoniorũ curiositatibus seruire desiderant, audet ille tentare Christianos, sed etiã per eos quos paulo ante cõmemorauimus, de vnitate Ecclesiæ, velut putata vite precisos qui hæretici vel schismatici dicuntur, conatur etiã id quidẽ interdũ, sed tñ id etiam aliquando conatur & per Iudæos tentare atque
D seducere. Sed maxime cauendum est, ne per homines qui sunt in ipsa Catholica Ecclesia, quos velut paleã vsque ad tempus ventilationis suæ sustinet vnusquisq; tentetur & decipiatur. Propterea .n. Deus patiens est in illis, vt & suorum electorum fidẽ atq; prudentiã per illorũ peruersitatẽ exercendo confirmet. Et quia de numero eorũ multi ꝓficiũt, & ad placendũ Deo miserati animas suas magno impetu cõuertuntur. Nõ enim oẽs sibi per patientiã Dei thesaurizant iram in die iræ iusti iudicij eius. Sed multos eadẽ omnipotẽtis patiẽtia perducit ad saluberrimũ pœnitẽtiæ dolorẽ: quod donec fiat exercetur per eos illorum qui iam rectã viam tenẽt nõ solum tolerantia, sed etiã misericordia. Multos ergo visurus es ebriosos, auaros, fraudatores, aleatores, adulteros, fornicatores, remedia sacrilega sibi alligãtes, pręcãtatorib. & mathematicis vel quarũlibet impiarũ artiũ diuinatoribus deditos, animaduersurus etiã ꝙ illæ turbę implẽt Ecclesias per dies festos Christianorũ, q̃ implẽt & theatra per dies solẽnes paganorũ: & hæc videndo ad imitandũ tentaberis. Et quid dicã? Videbis q. etiam nunc iã vtiq; nosti: nõ .n. nescis multos qui
E appellãtur Christiani, hæc omnia mala operari q̃ breuiter cõmemoraui, & aliquãdo fortasse grauiora facere homines nõ ignotas quos nosti appellari Christianos, sed si hoc animo venisti vt quasi secur⁹ talia facias, multũ erras: nec tibi ꝓderit nomẽ Christi cum cęperit ille seuerissime iudicare qui prius dignatus est misericordissime subuenire. Prædixit enim ista & ait in Euangelio, *nõ omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnũ calorũ, sed is qui facit voluntatem patris mei. Multi dicent mihi in illa die Domine Domine in nomine tuo manducauimus & bibimus.* Omnibus ergo qui in talibus operib. perseuerant damnatio finis est. Cum ergo videris multos nõ solũ hæc facere: sed etiã defendere atq; suadere, tenere ad legẽ Dei & nõ sequaris ꝑuaricatores eius. Non .n. secundũ illorũ sensum sed secundũ illius veritatẽ iudicaberis. Cõiungere bonis quos vides amare tecũ regem tuũ. Multos .n. inuenturus es: si & tu talis esse cęperis. Nã si in spectaculis cũ illis esse cupiebas, & eis inhærere, qui tecũ vel aurigã, vel venatorẽ, vel aliquẽ histrionem simul amabant: quanto magis te delectare debet eorum coniunctio qui tecũ amant Dñm, de quo numquã erubescet amator eius: quia non solũ ipse nõ potest vinci, sed eti-
F am dilectores suos reddet inuictos, nec tamẽ etiã in ipsis bonis, qui te vel ꝑcedunt vel tibi comitãtur ad Dñm collocare spẽ tuam debes: quia nec in teipso debes quãtumcunq; profeceris, sed in illo qui eos & te iustificando tales facit. Securus es .n. de Deo quia non mutatur: de homine autem nemo prudenter securus est. Sed si illos qui nondũ iusti sunt, amare debemus, vt sint: quanto ardentius qui iã sunt amandi sunt. Sed aliud est diligere hominẽ aliud spẽ ponere in homine: tãtumq; interest vt illud Deus iubeat, hoc prohibeat, si aũt aliquas vel insultationes, vel tribulationes ꝓ nomine Christi passus fueris non defeceris à fide; nec à bona vita si deuiaueris maiorẽ mercedem accepturus es. Qui autẽ in his cesserint diabolo: etiam minorẽ perdunt: sed humilis esto Deo: vt non te permittat tentari vltra vires tuas.

His dictis interrogandus est an hæc credat, atq; obseruare desideret. Quod cum responderit, solenniter vtique
G signandus est: & Ecclesiæ more tractãdus. De sacramento sane ꝙ accepit, cũ ei bene cõmendatum fuerit. Signacula quidẽ rerũ diuinarũ esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari: nec sibi habendam esse illa specie benedictionẽ sanctificatã, quẽadmodum habetur in vsu quolibet: dicendũ etiã quid significet & sermo ille quẽ audiuit, quid in illo cõdiat, cuius illa res similitudinẽ gerit. Deinde monendus est ex hac occasione, vt si quid etiã in Scripturis audiat quod carnaliter sonat, etiam si nõ intelligit credat tñ spiritale aliquid significari quod ad sanctos mores futuramq; vitã pertineat. Hoc aũt ita breuiter discit vt quicquid audierit ex libris Canonicis ꝙ ad dilectionẽ æternitatis, & veritatis, & sanctitatis, & dilectionem proximi referre nõ possit figurate dictum vel gestum esse credat: atq; ita conetur intelligere vt ad illã geminã referat dilectionẽ, ita sane, vt ꝓximum carnaliter non intelligat,
H sed omnẽ qui cũ eo in illa sancta ciuitate potest esse siue iã siue nondũ appareat & vt de nulli⁹ hominis correctione desperet, quem patientia Dei videt viuere: nõ ob aliud sicut Apostolus ait, nisi vt adducatur ad pœnitentiam. Rom. 2. 4

Quomodo quis breuiter catechizandus sit.

Aug. SI autem longus tibi videtur iste sermo, quo tanquam præsentem rudem hominem instruxi, licet ea tibi dicere breuius longiorem tamẽ esse debere non puto quãquam multum interest, quid res ipsa cum agitur moneat, & quid auditorum præsentia non solum ferre: sed etiã desiderare se ostendat. Cum autem celeritate opus est; vide quam facile explicare tota res possit. Fac rursus adesse aliquem qui velit esse Christianus ergo & interroga eum de illo quod superius respõdisse ostensus est: quia & si nõ hoc respõdet. Hoc eũ respõdere debuisse dicendũ est. Deinde hoc modo cætera cõtexenda. Vere frater illa magna & vera beatitudo est, quæ in futuro sæculo sanctis ꝓmittũtur, omnia vero visibilia trãseunt & omnis huius seculi põpa & deliciæ & curiositas interibunt, & secum ad interitum trahunt amatores suos, à quo interitu, hoc est,

Matt. 7. 21.

pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare si sibi ipsi non sint inimici & non resistant misericordiæ creatoris sui. Misit vnigenitum filium suum, hoc est, verbum suum æquale sibi per quod condidit omnia: & manens quidem in diuinitate sua & nō recedens à patre. Nec in aliquo mutatus, assumendo tamen hominem & in carne mortali hominibus apparēdo venit ad homines: vt quemadmodum per vnum hominem, qui primus factus est, id est, Adam mors intrauit in genus humanum. Quia consensit mulieri suæ seductæ à Diabolo, vt præceptum Dei transgrederentur: sic per vnum hominem qui etiam Deus est Dei filius Iesum Christum deletis omnib. peccatis præteritis credētes in eum omnes in vitam æternam ingrederentur. Omnia enim quæ nunc vides in Ecclesia Dei & sub Christi nomine pro totum orbem terrarum geri ante secula iam prædicta sunt, sicut ea legimus ita & videmus, & inde ædificamur in fidem, factum est aliquando diluuium per totam terram vt peccatores delerentur, & tamen illi qui euaserunt in arca sacramentum futuræ Ecclesiæ demonstrabant, quæ nunc in fluctib. seculi natat: & per lignum crucis Christi à submersione liberamur. Prædictum est Abrahæ fideli seruo Dei vni homini, quod de illo esset populus nasciturus qui coleret vnum Deum inter cæteras gentes, quæ idola colebant, & omnia quæ illi populo ventura prædicta sunt, sic euenerunt vt prædicta sunt. Prophetatus est in illo populo etiā Christus rex omnium sanctorum & Deus venturus ex semine ipsius Abrahæ, secundum carnem quā assumpsit, vt omnes filij essent Abrahæ, qui fidem eius imitarentur: & sic est factum, natus est Christus de Maria virgine quæ ex illo genere fuit, prædictū est per Prophetas quod in cruce passurus esset ab eodem populo Iudæorum, de cuius genere secundum carnem veniebat, & sic est factum, prædictum est quod resurrecturus esset. Resurrexit & secundū ipsa prædicta Prophetarum ascendit in cælum, & discipulis suis spiritum sanctum misit. Prædictum est non solum à Prophetis sed etiam ab ipso Domino Iesu Christo. Quod Ecclesia eius per vniuersum orbem terrarum esset futura per sanctorum martyrum passionesq; disseminata: & tunc prædictum quando adhuc nomen eius & latebat gentes, & vbi notum erat irridebatur, & tamen in virtutibus miraculorum eius siue per se ipse, siue quæ per seruos suos fecit dum annunciantur hæc & creduntur, iam videmus quod prædictum est esse completum, regesque ipsos terrę qui antea persequebantur Christianos iā Christi nomini subiugatos, prædictum est etiam quod schismata & hæreses ex eius Ecclesia essent exituræ, & sub eius nomine per loca vbi possent suam non Christi gloriam quæsituræ, & ista completa sunt. Nunquid ergo illa quæ restant non sunt ventura? Manifestum est quia sicut ista prædicta venerunt, sic etiam venturæ sunt, quæcunq; iustorum tribulationes adhuc restant, & iudicij dies qui separabit omnes impios à iustis in resurrectione mortuorū. Et non solum eos, qui sunt extra Ecclesiam, sed etiā ipsius Ecclesiæ paleas, quas oportet vsque ad nouissimam ventilationem patientissime sufferre ad ignem debitum segregabit. Qui autem irrident resurrectionem putantes quod caro ista quia putrescit resurgere non potest, ad pœnas in ea resurrecturi sunt, & ostendet eis Deus quia qui potuit hæc corpora facere antequam essent postea in momento restituere sicut erant: omnes autem fideles regnaturi cū Christo ita resurgēt in eodem corpore, vt etiam commutari mereantur ad incorruptionē Angelicam, vt fiant æquales Angelis Dei sicut Dñs ipse promisit: & laudent eū sine aliquo defectu. & sine aliquo fastidio semper viuētes cum illo, & de illo eum tali gaudio & beatitudine, quali nec dici, nec cogitari ab homine potest.

Tu itaq; credens caue tentationes, quia Diabolus quęrit qui secum pereant: vt non solum per eos qui extra Ecclesiā sunt siue pagani siue Iudæi, siue hæretici non te hostis ille seducat, sed etiam quos ipse in Ecclesia Catholica male videris viuentes, aut immoderatis voluptatibus ventris, & gutturis aut impudicos, aut vanis curiositatibus vel illicitis deditos, siue spectaculorū, siue remediorū aut diuinationum diabolicarum, siue in pompa & typo auaritiæ, atq; superbiæ, siue in aliqua vita quam lex dānat & punit, non eos imiteris, sed potius coniungaris bonis quos inuenturus es facile, si & tu talis fueris, vt simul colatis & diligatis Dominum gratis: quia totum præmium nostrum ipse erit, vt in illa æterna vita bonitate eius & pulchritudine perfruamur, sed amandus est, non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia, & veritas, & sanctitas, & iustitia, & charitas, & si quid aliud tale dicitur, non quemadmodum sunt ista in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis, & incommutabilis sapientiæ. Quoscunq; ergo videris hæc amare illis coniungere, vt per Christum qui homo factus est vt esset mediator Dei & hominum reconcilieris Deo homines peruersos etiam parietes si intrent Ecclesiæ, non eos arbitreris intraturos in regnum cælorum, quia suo tempore separabuntur, si se in melius non commutauerint homines. Ergo bonos imitare, malos tolera: omnes ama quoniam nescis quid cras futurus sit, qui hodie malus est: nec eorum ames iniustitiam, sed ipsos ideo ama vt apprehendant iustitiam: quia non solum dilectio Dei nobis præcepta est sed etiam dilectio proximi, in quib. duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ: quam non implet nisi qui donum acceperit Spiritum sanctum Patri & filio vtique æqualem: quia ipsa Trinitas Deus est in quo Deo spes omnis ponenda est, in homine non est ponenda qualiscunque ille fuerit: aliud est enim ille à quo iustificamur, aliud illi cum quibus iustificamur, non autē solum per cupiditates Diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum, & dolorum, & ipsius mortis. Quicquid autem homo passus fuerit pro nomine Christi, & pro spe vitæ æternæ & permanens tolerauerit, maior ei merces dabitur. Qui si cesserit Diabolo, cum illo damnabitur, sed opera misericordiæ cum pia humilitate impetrant à Domino: vt non permittat seruos suos tentari plusquam possunt sustinere. Nam quoniam de hoc qui ad fidem Christi se velle venire testatus est, quomodo imbuendus sit in præcedenti sermone, ita vt reor satis dictum est.

Nunc quomodo ipse ad catechismi ordinem introducatur vt catechuminus fiat, & sic ad baptismum Christi & sacramenta diuina percipienda perueniat, sequenti sermone prout Dominus dederit demonstrabimus.

FINIS LIBRI PRIMI.

HRABANI MAVRI

LIBER SECVNDVS.

De Sacramentis Diuinis.

CAtechumenus autem dicitur pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen *&c. vsque ad finem capitis.* *De Inst. cler. l.1.c.26.*

Quia non obsistit omnipotentis Dei gratiæ naturæ infirmitas humanæ.

Quamuis enim paruuli pro ætate non possunt intelligere ipsam conuersionem ad Deum atq; credulitatē: credimus tamen eos ad Deum conuerti propter conuersionis sacramentum, & fidem habere propter fidei sacramētum sicut legimus in Augustini Epist. ad Bonifacium Episcopum de paruulis requirentem vbi dicit, ipsa responsio ad celebrationem sacramēti pertinet sicut de ipso baptismo Apostolus: *consepulti*, inquit, *sumus cum Christo per baptismum in morte.* Non ait sepulturam significabimus sed prorsus ait, *consepulti sumus*, sacramentum ergo tantæ rei non nisi eiusdem rei vocabulo nuncupauit. Itaq; paruulū & si nondum fides illa quæ in credentium voluntate cōsistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondentur, ita etiam fideles vocātur: nō rē ipsam mēte annuēdo, sed ipsius rei sacramentū percipiendo. Cū aūt sapere homo cęperit, nō illud sacramentū repetit sed intelligit, eiusq; volūtati cōsona etiam volūtate coaptabitur, hoc q̄diu nō pōt valebit sacramen- *Rom. 6.4*

tum ad

A tum ad eius tutelam aduersus contrarias potestates, & tantum valebit, vt si ante maioris ætatis vsum ex hac vita emigrauerit, per ipsum sacramentum commendans Ecclesiæ charitatem, ab illa condemnatione, quæ per vnum intrauit in mundum Christiano adiutorio liberetur. In scrutinio quippe faciendum est signum crucis super pueros siue puellas, sicut inuenimus scriptum in Romano ordine, & genuum flexio ad orationem, & insinuanda est oratio Dominica patrinis & matrinis, vt & ipsi similiter faciant his quos suscepturi sunt à sacro baptismate, similiter insinuandum est symbolum, quod in lingua nostra vertitur signum vel cognitio, quando diuidebantur Apostoli per totum orbem prædicationis causa, dederunt illud signum prædicationis, vt si quis talia confiteretur, qualia vbi dicuntur cognitionem daret se à Christi Apostolis siue à successoribus eorum didicisse. Nam in fronte ideo facimus signum quia sedes verecundiæ in fronte solet esse, siquidem Iudæi erubescunt credere in illum quem notunt crucifixum, vt Paulus Apostolus dicit. *Nos*
B
1.Co.1.23 *autem prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum*, &c. sed nos credimus per crucifixum saluari. De cuius nomine Iudæi erubescunt, eius nomine nos credimus muniri, atque ideo in fronte signum facimus vbi sedes verecundiæ est, sicut iam diximus, & non alio signo signamus nisi signo crucis, quia Dominus in carne natus vexillum crucis quo suorum frontes signaret attulit, vt destrueret mortis impetum, & per tale signum recognoscat contraria potestas principatum se perdere in istis quos Deus vocauit ad gratiam baptismi.

Illud etiam signum faciunt in frontibus eorum presbyteri acolyti, patrini, vel matrinæ. Intimandum est ergo atque instantissime prædicandum ipsis patrinis vel matrinis quod fideiussores sunt illorum quos suscipiunt de baptismate, & pro quibus professi sunt, quia de ipsis reddituri sunt Deo rationem, vtrum fidem Christi eis & veram religionem cum ad ætatem intelligibilem peruenerint insinuauerint, an non?
C

De catechizandi ordine.

Catechizandi enim ordo hic est. Primum interrogatur paganus, si abrenuntiat Diabolo, *&c. vsque ad finem capitis.*
De Inst. cler. l.1.c.27.

Vngitur & inter scapulas de eodem oleo vt vndique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.

Ibi. sub finem c.25. Ideo enim ante baptismum catechismi debet præuenire officium: vt fidei primum catechumenus accipiat rudimentum, & sic iam paratus ad baptismi accedat lauacrũ.
Matt.28.19. Nam in Euangelio secundum Matthæum legitur quod post resurrectionem Dñs Apostolis præceperit *vt in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti docerent & baptizarent omnes gentes*, id est prius fidem illis insinuarent, & sic credentes in remissionem peccatorum baptizarent. Hinc est quod
Marc.16.16. secundum Marcum idem Dominus legitur proposuisse fidem baptismati cum ita dixit. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Et Ioã-
Ioan. 9. ne teste prius ipse *Iesu cæci nati oculos luto ex sputo facto superliniuit, & sic ad aquas siloe misit*: quia prius debet baptizandus fide incarnationis Christi instrui, & sic ad baptismum iam credulus admitti: vt sciat cuius gratiæ in eo est particeps & cui iam debitor fiat deinceps.
D

Sed quia hæc vt diximus præuenire debent baptismatis officium: restant vt primum de ipsis sacramentis Ecclesiæ sermonem faciamus.

De sacramentis diuinis.

Ibi. c. 24 paulo post initium Isido. Etymol. l. Agit de sacramẽtis illis dũtaxat, in quib. homo Chri- Sunt autem sacramenta baptismus, & chrisma, corpus & sanguis, quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub regumento corporalium rerum virtus diuina secretius salutem eorundẽ sacramentorum operatur. Vnde & à secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur, quæ ideo fructuose penes Ecclesiam fiunt quia sanctus in ea manẽs spiritus eundem sacramentorum latenter operatur effectum, vnde seu per bonos seu per malos ministros intra Ecclesiam Dei dispensentur nec bonorum meritis dispẽsatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur: *quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*: vnde & Græce mysterium dicitur quod secretam & reconditam habeat repositionem.
E *stianus efficitur, sicuti ipse Author infra testatur initio li.3.* 1.Co. 3.7.

De baptismatis officio.

Primum autem sacramentum est baptismus, quia antequã sancto chrismate vngatur aliquis aut corporis & sanguinis Christi particeps existat, sacra regeneratione purgari debet, ac deinde ad cætera rite accedere. Baptismus Græce, Latine tinctio interpretatur, quæ non tantum ob hoc quod homo in aquam mergitur tinctio dicitur, sed quia spiritu gratiæ ibi in melius immutatur, & longe aliud quam erat efficitur. Primum homines fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipsa tinctione pulchri efficimur dealbatione virtutum. Vnde & in Canticis scribitur Canticorum: *quæ est ista quæ ascendit quasi dealbata?* Cuius mysterium non aliter nisi sub Trinitatis designatione, id est, Patris, & Filij, & Spiritus sancti cognitione completur, dicente Domino ad Apostolos: *Ite, docete oẽs gentes baptizantes eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Sicut enim in tribus testibus stat omne verbum: ita sacramentum confirmat ternarius numerus nominum diuinorum. Quod autem per aquam baptismus datur, hæc ratio est: voluit enim Dominus vt res illa inuisibilis per congruentiam & profectum incontrectabile & inuisibile impenderetur elementum: *super quod etiam in principio ferebatur Spiritus sanctus.* Nam sicut oleum naturali pondere superfertur omni liquori: ita in principio superferebatur Spiritus sanctus aquis. Sicut aqua purgat exterius corpus, ita latenter eius mysterio per Spiritum sanctum purificatur & animus. Cuius sanctificatio ita est, inuocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cælis, & medicatis aquis sanctificat eas de semetipso, & accipiunt vim purgationis, vt in eis caro & anima delictis inquinata mundetur. Vtrumque enim baptizando necesse est adhiberi, & baptismi lauacrum, & Spiritus sancti purgatio: quia ait Saluator: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.*
Ibi.c.25. F Cap.7. iuxta lxx Matt.28.19. Gen.1. G Ioan. 3.

Denique postquam catechismi officium pleniter peragitur: consecratur fons, & ad ipsum baptismum catechumenus accedit, & in nomine sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur, & certe homo, qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus est, per inuocationem sanctæ Trinitatis ad eandem renouatur imaginem, & qui tertio gradu peccati, id est, consensu cecidit in mortem, tertio eleuatus de fonte per gratiam resurget ad vitam. Potest & hæc trina mersio triduanam Domini sepulturam significare: maxime cum dicat Apostolus: quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, &c. Oportet ergo cum Inuocatione sanctæ Trinitatis sub trina mersione baptismum confici, vt secundum personarum differentiam mysterium baptismi celebretur, & secundum vnitatem substantiæ vnum baptisma fiat. Vnde dicit Apostolus: *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, &c. Postquam enim ascenderit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro à presbytero cum sacro chrismate, sequente simul & oratione, vt regni Christi particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari. Scriptum est & in Euangelio ita: *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Bene quidem baptismo continuatur chrismatis vnctio, quia Spiritus sanctus qui per illud chrisma suæ virtutis admixtione sanctificat credentes, baptizato IESV statim super illum in columbæ specie descendit. Cuius videlicet ty um
De Inst. cler.c.28. H Ephe.4. Matt.3.

præte-

A proferebat columba illa quæ in diluuio ad arcam reportauit ramum oliuæ virentibus folijs, significans vtique quod Spiritus S. per chrismatis vnctione, in baptismate virorem conferet fidelibus cælestis gratiæ, sed de hoc plenius in sequentibus dicemus. Legimus & in gestis patrum quod Syluester Papa in Ecclesia Romana constituerit, vt sicut potestas & priuilegium apud solum Episcopũ constat, quod sacrum chrisma ipse conficiat, & baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet propter hæreticam suasionem: ita presbyter eodẽ chrismate liniat baptizatum, lotum ex aqua, propter occasionem transitus mortis, quia scriptum est in Apostolo. Vos autem fratres in carne non estis sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis, si quis autem Spiritũ Christi non habet hic non est eius, &c. Ac deinde profecto pater, quia quicunq; non est Christi, regni sui particeps fieri nequit. Ideo necessarium est vt statim succurratur baptizato cum chrismatis vnctione: vt Spiritus S. participationem accipiens alienus à Christo non existat.

B *Ibi. c. 29.* Post baptismum ergo traditur Christiano vestis candida, quod significat innocentiam, & puritatẽ christianam, quam post ablutas varias veteris vitæ maculas studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet ad præsentandam ante tribunal Christe. Cuncti vero renati albis induuntur vestibus, ad mysterium resurgentis Ecclesiæ, sicut ipse Dñs coram discipulis transfiguratus est, ita vt diceretur. Resplenduit facies eius, sicut sol vestimenta eius facta sunt candida sicut nix. Quo facto splendorem vt dictum est resurgentis in futurum figurauit Ecclesia. Vtuntur igitur albis vestibus; vt quorum primæ natiuitatis infantiam vetusti erroris pannus fuscauerat, habitus secundæ generationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sacram vnctionem caput eius mystico velamine, vt intelligat se diadematis regni & sacerdotalis

1. Petr. 2. dignitatis portitorem iuxta Apostolum: *Vos estis*, inquit, *genus regale & sacerdotale, offerentes vosmetipsos Deo hostiam viuam sanctam, Deo placentem*, &c. Nam sacerdotes in veteri testamento quodam mystico velamine caput semper ornabãt. Deinde corpore & sanguine Dominico omne præ-

C cedens sacramentum in eo confirmatur, quia hęc ideo accipere debet, vt Deum habere mereatur in se habitatorẽ,

Ioan. 6. & illius capitis sit membrum, qui passus est & resurrexit pro nobis. Dicit enim ipsa veritas: *qui manducat meam car-*

Ibid. *nem, & bibit meum sanguinem ipse in me manet & ego in eo.* Et item: *Nisi manducaueritis*, inquit, *carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

De impositione manus Episcopalis.

Ib. c. 30. NOuissimè autem è summo sacerdote per impositionem manus paraclytus *&c. vsq. ad finem capitis.*

Ideo autem Spiritus S. septiformis nuncupatur, propter dona, quæ de diuinitatis eius plenitudine particulatim quique vt digni sunt consequi promerentur.

De sacramento corporis & sanguinis Domini.

Ib. c. 31. SEd quia de duobus sacramentis, id est, baptismo & chrismate iam quantum *&c.*

Qui enim iam peccare quieuit, communicare non desinat.

D Cum autem sacramentis diuinis quis imbutus fuerit, & fidelis effectus Christiani nominis & veræ religionis existit particeps, necesse est, vt fidem quam professione tenet, operibus probet: & toto nisu per sanctæ conuersationis studium contendat placere illi qui eum per suam gratiam ad fidem Catholicam conuocauit, & vnitum corpori suo inserere voluit. Hocque quotidie sacris precibus instanter deposcat, vt ipse qui, enim eum cæteris electis in filiorum numerum asscribi voluit, sua opitulatione faciat eum peruenire ad conspectum gloriæ eius sempiternæ. Vnde necesse est, vt orationem Dominicam pleniter discat quatenus eam non voce tantum proferat sed intelli-

1. Cor. 14. 15. gat, vt fiat quod Apostolus docuit dicens: *orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.* Ipsa enim oratio pleniter omnia continet quæ in præsenti vita necessa-

ria & in futura salubria nobis existunt, ac ideo non est necesse in oratione multum loqui vt exaudiamur, sicut Ethnici faciunt: quia *scit pater noster cælestis*, ipsa veritate attestante, *quid nobis opus sit antequam petamus eum*: non enim verbis agere debemus apud Deum vt impetremus quod volumus, sed rebus quæ animo gerimus & intentione cogitationis cum dilectione pura, & simplici affectu, sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum oportebat, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordaremur. Cuius orationis sensum secundum sanctorum patrum expositionem mixtim cum ipsa oratione placuit nobis hic inserere, vt sciat ipse orator quid oret, & quid eum petere conueniat. Sic ergo inquit vos orabitis. E

De oratione Dominica.

PAter noster, *qui es in cælis.* Magnum ergo donum Dei accepimus, quod sinamur Deo dicere. *Pater noster.* Quod enim iam non det filijs petentibus, cum hoc ipsum ante dederit vt filij essent. Postremo quanta cura animum tãgit, vt qui dicit, *Pater noster*, tanto patre non sit indignus? Deus autem in sordidos mores nunquam cadit, & gratias misericordiæ ipsius, qui hoc à nobis exigit vt sit pater noster quod nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest. *Qui es in cælis*, dicit, id est, in sanctis & iustis. Non enim spatio locorum continetur Deus, sed quemadmodum terra appellatus est peccator, cum ei dictum est. *Terra es & in terram ibis*: sic cælum iustus è contrario dici potest. Iustus enim dicitur: *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos.* Quapropter si in templo suo habitat Deus, & si templum eius sunt, recte dicitur, *qui es in cælis es*: qui es in sanctis. F *1. Cor. 3. 17.*

Sanctificetur nomen tuum. Quod non sic petitur quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctius quod magis offendere timeant. Aliter enim id petimus & rogamus, quod nomen Dei sanctificetur in nobis, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseueremus. G

Adueniat regnum tuum. Adueniat ergo accipiendum est manifestetur hominibus. Quemadmodum enim pręsens lux absens est cæcis & eis, qui oculos claudunt: ita Dei regnum quamuis nunquam discedat de terris, tamen absens est ignorantibus. Nulli autem licebit ignorare regnũ Dei, cum eis vnigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de cælo venerit iudicaturus viuos ac mortuos.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Id est, sicut in Angelis, qui sunt in cælis voluntas tua est, vt omnino tibi adhæreant teque perfruantur nullo errore obnubilante sapientiam eorum nulla miseria impediente beatitudinem eorum. Ita fiat in sanctis tuis, qui in terra sunt, & de terra, quod ad corpus attinet, facta sunt: & quamuis ad cælestem habitationem atque immutationem, tamen de terra assumendi sunt. Item fiat voluntas tua, recte intelligitur obediatur præceptis tuis. Sicut in cælo & in terra, id est, ab Angelis ita ab hominibus. Voluntas autem Dei est, quam Christus fecit & docuit: humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non posse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil præponere debemus, quia nec nobis ille quicquam præposuit, charitati eius inseparabiliter adhærere, cruci eius fortiter & fidenter assistere, quando de eius nomine & honore certamen est exhibere constantiam, qua confitemur, in quæstione fiduciam, qua congredimur, in morte patientiam, qua coronamur: hoc est cohæredem Christi velle esse, hoc est, præceptum Dei facere, hoc est voluntatem patris implere. H

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Panis quotidianus aut pro his omnibus dictus est, quæ huius vitę necessitatem sustentant, de quo cum præcepit ait: *Nolite cogitare de crastino*, & ideo additum sit, *da nobis hodie*, aut pro *Mat. 6. 34.*

sacra-

A sacramento corporis Christi quod quotidie accipimus: aut pro spiritali cibo de quo idem Dominus dicit: *Operamini escam quæ non corrumpitur*, & illud: *Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi*, sed horum quid sit probabilius considerari potest. Nam forte quispiam moueatur cur oremus pro his adipiscendis, quæ huic vitæ sunt necessaria, veluti est victus & tegumentum: cum ipse Dominus dicit: *nolite solliciti esse quid edatis aut quid induamini*. De sacramento autem corporis Domini, vt illi non moueant quæstionem qui plurimi in orientalibus partibus non quotidie cœnæ Dominicę communicant, cum iste panis quotidianus est, restat vt quotidianum panem accipiamus spiritalem, præcepta scilicet diuina, quæ quotidie oportet meditari & operari. Nam de ipsis Dominus dicit. *Operamini escam, quæ non corrumpitur*, quotidianus autem iste cibus nunc Dei: quam diu ista vita temporalis per dies decedentes succedentesque peragitur, & reuera quamdiu nunc in superiora nunc in inferiora, id est, nunc in spiritalia, nunc in carnalia animi affectus alternat: tanquam ei qui aliquando pascitur cibo: aliquando famem patitur, quotidie panis iste necessarius est, quo reficiatur esuriens & relabens erigatur. Quod autem panem supersubstantialem in alijs exemplaribus legimus, vel peculiarem, vel præcipuum illum panem similiter significat qui dicit: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*: qui videlicet est super omnes substantias, & vniuersas superat creaturas.

Ioan. 6. 27. Ibid. v. 51.

B Ibid.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Post subsidium cibi petitur & venia delicti, vt qui à Deo pascitur, in Deo viuat, nec tantum præsenti, & temporali vitæ, sed æternæ consulatur. Ad quam veniri potest si peccata donentur, quæ debita Dominus appellat sicut in Euangelio suo dicit: *Dimisi tibi omne debitum quia me rogasti*: quam necessarie autem, quam prudenter & salubriter admonemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur: qui orare nos pro debitis & peccatis docuit paternam misericordiam promisit & veniam secuturam. Adiunxit plane & addidit legem, certa nos conditione & sponsione constringens, vt sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus: scientes impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa peccatores nostros paria fecerimus.

Matt. 18. 32.

C

Et ne nos inducas in tentationem. Non enim per seipsum inducit Deus: sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo ac meritis. Causis sæpe etiam manifestis dignum iudicat illum quem deserat, & in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem: aliud est tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest. Non ergo hic oratur, vt non tentemur: sed vt non inferamur in tentationem: quia si quispiam cui necesse est igne examinari, non orat vt igne contingatur, sed vt non exuratur.

Sed libera nos à malo. Amen. Quando autem dicimus libera nos à malo: nihil remanet, quod vltra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei aduersus malum petamus: qua impetrata contra omnia, quæ Diabolus & mundus operantur, securi stamus & tuti.

D

De Symbolo.

De Instit. cler. l. 2. c. 56. ex symbolo.

SYmbolum ergo tali ratione institutum maiores nostri tradunt: quod post ascensionem Domini & Saluatoris nostri ad patrem (cum post aduentum S. Spiritus discipuli eius inflammati linguis omnium gentium loquerentur, quo præsagio consecutum est, vt nulla illis gens extera, nulla lingua barbaris inaccessa vel inuia videretur) præceptum eis est à Domino datum ad prædicandum Dei verbum, ad singulas quasq; nationes adire: Discessuri itaque ab inuicem normam prius sibi futuræ prędicationis in communi constituunt: ne localiter ab inuicem discedẽtes diuersum aliquid vel dissonum prædicaretur his qui ad fidem Christi inuitabantur. Oẽs igitur in vnum positi, & Spiritu S. repleti breue sibi prædicationis indicium conferendo in vnum quod sentiebant componunt, atq; hanc credentibus dandam esse regulã statuũt. Symbolum autem hoc multis & iustissimis causis appellari voluerunt. Symbolum enim Græce & indicium dici potest, & collatio, hoc est, quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in vnũ conferendo vnusquisq; quod sensit. Indicium autem vel signum idcirco dicitur, quod in illo tempore sicut Paulus dicit, & in Actibus Apostolorũ refertur, multi simulabant se esse Apostolos Christi, nominantes quidẽ Christum sed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco igitur istud indicium posuere, per quod agnosceretur is, qui Christum vere secundum Apostolicas regulas prædicaret. Est aũt symbolum signum per quod agnoscitur Deus, quodq; proinde credentes accipiunt, vt nouerint qualiter contra Diabolum fidei certamina præparent. In quo quidem pauca sunt verba, sed omnia continentur sacramenta. De totis enim scripturis, hæc breuiatim collecta sunt ab Apostolis; vt quoniam plures credẽtium literas nesciunt, vel qui sciunt pręoccupatione seculi Scripturas legere non possunt, hæc corde retinentes, habeant sufficientem sibi scientiam salutarem. Est enim breue fidei verbum, & olim à Propheta prædictum: *quoniam verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Quod hoc tenore recitatur.

E

G

Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ. Ergo in primo habet credo. Vides quod Dñs noster non nos iubet discutere diuina iudicia sed credere, nec rationem requirere, sed fidem simpliciter & immobiliter exhibere. *In Deum patrem.* Aduertite quod cum Dei patris nomen in confessione coniungit, ostendit quod non ante Deus esse cępit & postea pater, sed sine vllo initio & Deus semper & pater est. Quia ergo semper fuit pater sẽper habuit filium cui pater est. *Omnipotentem* vero ideo dicit quia omnipotens est, cuique nihil impossibile est, qui cælum, terram, mare, homines, atq; omnia animalia & reptilia, nõ aliquo operis actu, sed solo verbi creauit imperio, & ideo nõ nobis veniat in cogitatione, quomodo hoc aut illud potuit fieri, qui omnipotentem præcipimur cõfiteri creatorẽ cæli & terræ. Hoc agitur quod superius dixi, quia *omnia sola verbi potestate perfecit*.

G

Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum. Aduertite quod quomodo in patrem sic & in filium credendum sit & quia cum patre æqualis est maiestate tantũ ipsi quantum & patri honoris, tantum nos debere nouimus seruitutis obsequium. *Iesum Christum* dicit. Iesus Saluator interpretatur. Christus vero à chrismate dicitur, quia sicut antiqui reges à sacerdotibus sacro oleo perungebantur, sic Dominus noster Iesus Christus Spiritus sancti infusione repletus est.

Qui conceptus est de Spiritu sancto. Non poterat aliunde quam de Deo concipere, qui Deum meruit procreare.

Natus ex Maria virgine. Non potuit non talem habere conceptum, quæ virgo erat permansura post partum.

Passus sub Pontio Pilato. Iste Pilatus Iudex erat in illo tẽpore ab imperatore positus in Iudæa sub quo Dñs passus est: cuius mentio ad temporis significationem, non ad personæ illius pertinet dignitatem.

H

Crucifixus mortuus & sepultus. Crucem illam in qua ille crucifixus est in corpore: nos gestamus in fronte. Sepultus est sicut in veritate natus: ita & in veritate mortuus & sepultus.

Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Triduanæ sepulturæ mora euidenter ostendit, quod dum corpus in sepulchro iacuit, anima illa de inferis triumphauit.

Ascendit ad cælos: sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Ideo cõditionem naturæ nostræ quam de homine matre natus assumpsit super cęlos in dexteram Dei patris collocauit. Dextera aũt patris in qua sedere dicitur non est corporea, quod nefas est de Deo sentire, quia diuina maiestas secundum speciem humanã latus non habet, sed gloria atq; beatitudo patris. Dextera eius dicitur in qua filius secundũ humanitatem sedet, id est, in perpetuum regnat.

Inde venturus iudicare viuos & mortuos. In ipso corpore vẽturus est ad iudiciũ, in quo ascẽdit ad cælũ, vt Christianos iudicet & paganos, iustos & peccatores, fideles & impios.

Credo in Spiritum sanctum. Aduertite quod sicut in patrem, ita & in Filium & in Spiritum sanctum sit credendum. Nam qui vel in vnam de Trinitate personam non crediderit, in duabus illi credidisse non prodetit.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Ecclesia Græce, Latine collatio vel vocatio dicitur, eos quod omnes ad se vocet, & in vnum congreget. Sciendum est, quod Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debeamus, quia Ecclesia non Deus, sed domus Dei est. Catholicam dicit, toto orbe diffusam, quia diuersorum hæreticorum Ecclesiæ ideo Catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per suas quasque prouincias continentur. Hæc vero à solis ortu vsque ad occasum vnius fidei splendore diffunditur.

Sanctorum Communionem, id est, cum illis sanctis qui in hac quam suscipimus fide defuncti sunt, societatem & spei communionem teneamus.

Remissionem peccatorum. Prima remissio peccatorum per baptismi gratiam, secunda per martyrium: tertia vero per satisfactionem pœnitentiæ. Quæ tamen remissiones peccatorum extra fidem atque vnitatem Ecclesiæ omnino non fiunt. Sunt enim & aliæ remissiones peccatorum. Hoc est, per indulgentiam inimicorum, per veram charitatem, per opera misericordiæ, per verbum prædicationis, si quis conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ.

Carnis resurrectionem. Carnem quam in hac vita sub mortali conditione portamus resurrecturam esse immortalem, ac rationem reddituram pro animæ consortio credamus.

Vitam æternam, absque vlla dubitatione fateamur nos vitam æternam consecuturos, si hæc sacramenta, quæ vobis exponimus fideliter teneamus, ac bonis actibus consetuemus: hæc enim est Apostolici symboli recta ac vera interpretatio.

De Inst. cler. l. 2. c. 57.

Sed sciendum quod hæc est iuxta Apostolicum symbolum certissima Christianorum fides, quam Doctores nostri tradiderunt: vt profiteamur Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnius esse essentiæ, eiusdemque potestatis, & sempiternitatis, vnum Deum inuisibilem, ita vt in singulis personarum proprietate seruata, nec substantialiter Trinitas diuidi, nec personaliter debeat omnino confundi: Patrem quoque confiteri ingenitum, Filium vnigenitum, Spiritum autem sanctum nec genitum, nec vnigenitum, sed ex patre, & filio procedentem: filium à patre nascendo procedere, Spiritum vero sanctum procedendo non nasci. Ipsum quoque filium, perfectum ex virgine sine peccato hominem suscepisse: vt, quem sola bonitate creauerat, sponte lapsum misericorditer repararet. Quem veraciter crucifixum, & tertia die resurrexisse & cum eadem ipsa carne glorificata ascendisse in cælum, in qua & iudicium viuorum ac mortuorum expectatur venturus. Et quod diuinam humanamque substantiam in vtroque perfectus vna Christus persona gestauerit, quia nec geminauit vtriusque substantiæ integritas personam, nec confudit geminam vnitas personæ substantiam. Altero quippe neutrum exclusit, quia vtrumque vnusquisque intemerato iure seruauit, quod noui & veteris testamenti salubriter commendat auctoritas, illa per prophetiam, ista per historiam veraciter persoluta. Et quod neque de Deo, neque de creatura seculi sit cum paganis, aut cum hæreticis aliquid sentiendum, in his rebus in quibus à veritate dissentiunt, sed quod in vtroque testamento diuina protestantur eloquia, hoc tantummodo sentiendum. Quod siue hominem siue vniuersa, nulla Deus necessitate creauerit. Nec vllam esse omnino visibilem inuisibilemque substantiam, nisi aut quæ Deus sit, aut à Deo bono, bona creata sit, sed Deus summe, & incommutabiliter bonus, creatura vero inferius & mutabiliter bona. Et quod animæ origo incerta sit, & quod Angelorum natura, vel animæ non sit pars diuinæ substantiæ sed Dei creatura ex nihilo condita, ideoque incorporea, quia ad imaginem Dei creata est. De pietate morum vnicuique studendum, sine qua fides diuini cultus otiosa torpescit, & cum qua integritas diuini cultus perficitur, & vt vnusquisque Deum propter Deum, & proximum in Deo diligat, vsque ad dilectionem quoque inimicorum pertendendo proficiat, vt proficiendo perueniat. Alterum quoque alterius non pollui posse peccato, vbi par voluntatis non tenetur consensio. Legitimas nuptias non credi damnandas, licet ex eis quoque originali peccato obnoxia credatur nasci posteritas, eisque iure fidelium virginum vel continentium præferenda doceatur integritas. Ne vnum Trinitatis baptisma, quod nefas est, iteretur, neque pro diuersitate tradentium ministrorum singulis puretur quibusque conferri, sed ab eo singulari potestate donari, de quo dictum legimus: *super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto: & ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* *Ioan. 1.* Et ne pœnitentiæ remedijs nos egere non putemus, pro quotidianis humanæ fragilitatis excessibus sine quibus in hac vita esse non possumus, ita pœnitentiæ compunctione fructuosa vniuersa fateamur deleri peccata, sicut scriptum est: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* *Psal. 31.* Nullum quoque suis viribus, sed per diuinam gratiam capiti Christo subiungi, atq; indisruptæ pacis perseuerantia in vnitate Ecclesiæ ipsius solidari, nec humanæ voluntaris arbitrio boni quiddam deputandum existimari. Sed secundum propositum bonæ voluntatis Dei omnem numerum electorum acquiri. Bona quoque temporalia bonis, malisque communia à Deo creari, eiusque dispensatione singulis quibusque vel tribui vel negari, quorum bonorum in vnoquoque fidelium non habitus, sed vsus, aut improbandus est aut probandus. Cætera vero æternaque bona solos posse bonos in futuro consequi: quorum pignore Ecclesiam nunc informatam credimus detineri, hic habentem primitias spiritus, in futuro perfectionem, hic sustentari in spe, postea pasci in re, hic videri per speculum in ænigmate. In futuro autem facie ad faciem, cum ad speciem fuerit perducta per fidem, quod donec perficiatur vt summi Dei bonis fruamur æternis, fruendum, inde non obsumus & proximis. Eam quoque nos spem resurrectionis habere, vt eodem ordine, eademque forma, qua ipse Dominus resurrexit à mortuis, nos quoque resurrecturos esse credamus, in eodem corpore, in quo sumus, vel viuimus, non naturam aut sexum mutantes, sed tantum fragilitatem & vitia deponentes. Ipsum quoque Satanam cum Angelis suis atque cultoribus æterno incendio condemnandum, neque secundum quorundam sacrilegam disputationem, ad pristinam, id est, Angelicam dignitatem ex qua propria malignitate cecidit, reducendum. Hæc est Catholicæ traditionis fidei vera integritas: de qua si vnum quodlibet respuatur tota fidei credulitas amittitur.

De diuersis hæresibus.

De Inst. cler. l. 2. c. vlt.

Necessario ergo prouidendum & cauendum est omni animæ timenti Deum, vt non à fide Catholica decidens, & relinquens doctrinam veritatis, in errores hæreticorum cadat &c. *vsque ad finem capitis.*

Sed & quicunque aliter Scripturam sacram intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, à quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.

FINIS LIBRI SECVNDI.

A

HRABANI MAVRI

LIBER TERTIVS.

De Agone Christiano.

DEscriptis ergo sacramentis diuinis, in quibus homo Christianus efficitur: & oratione Dominica qua ad Deum preces fundere, symbolo quoque & fidei veritate, & à quibus erroribus ne seducatur cauere debeat; qualiter illi postea in agone Christiano certandum sit consequenter scribendum esse arbitramur. Legitur enim in Euangelio, quod Saluator noster post resurrectionem suam discipulis in Galilaea apparens dixit. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus*
Mat. vlt. *sancti: docentes eos seruare omnia quaecunque mandaui vobis.* In
B quo rectissimus est ordo praedicandi, & modernis quoq; praedicatoribus Ecclesiae sectandus diligentissime, vt primo quidem doceatur auditor, deinde fidei sacramentis imbuatur, post haec ad seruãda Domini mandata extempore liberius instituatur, quia non potest fieri, vt corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem, cum neque quisque indoctus & ignarus Christianae fidei potest eiusdem fidei sacramentis ablui: neque lauacro baptismi à peccatis emundare sufficit, si non post baptisma studeat quisque bonis operibus insistere. Prius ergo docere gentes, id est, scientia veritatis instituere, ac sic baptizare praecipit, quia & sine fide impossibile est placere Deo, & nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non poterit introire in regnum Dei. Ad extremum vero subiungit: docentes eos seruare omnia quaecunque mandaui vobis. Ac ne putemus leuia esse quae iussa sunt & pauca, addidit: omnia quaecunque
C mandaui vobis, vt quicunque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant, quae praecepta sunt, quia sicut corpus sine Spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Quanta huius merces piae conuersationis, quale pignus futurae beatitudinis etiam in praesenti fideles maneat, subsequenter insinuat dicens. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Libet autem conferre: huic testi-
Mar. vlt. monio, quod Marcus ait. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in caelum, & sedit à dextris Dei.* Quia enim ipse DEVS & homo est assumptus in caelum humanitate quam de terra susceperat; manet cum sanctis
† interna † *in aeterna* diuinitate qua terram pariter implet & caelum. Manet autem omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Ex quo intelligitur, quod vsque ad finem seculi non sunt defuturi in mundo, qui diuina man-
D sione & inhabitatione sint digni. Nec dubitandum eos post huius seculi certamina manere cum CHRISTO in regno: qui in seculo certantes Christum in sui cordis hospitio meruerunt habere mansorem. Notandum interea quod praesens vbique diuina maiestas aliter electis suis aliter adest reprobis. Adest enim reprobis potentia naturae incomprehensibilis, qua omnia cognoscit nouissima & antiqua, intelligit cogitationes à longe, & omnes vias singulorum praeuidet, adest electis gratia piae protectionis, qua illos spiritaliter per praesentia dona, vel flagello quasi filios pater erudit: atque ad possessionem futurae beatitudinis erudiendo prouehit: adest electis vt
Ps. 33. 19. scriptum est: *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles Spiritu saluabit.* Adest reprobis vt praemissum
Ibi. v. 17. est: *vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Ergo si oculi Domini speculantur bonos & malos, & Dominus de caelo respicit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Oportet vnumquemque baptismatis vnda purificatum, & Christiani nominis dignitate decoratum, vt in militia aeterni regis diligenter se exercens, non armis corporalibus aduersus carnem, & sanguinem dimicet, sed principaliter aduersus principatus & potestates, aeris huius, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum, contraque spiritales nequitias in caelestibus, in omnibus sumens scutum fidei, galeam salutis, & loricam iustitiae, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, mortificetque desideria carnis suae quotidie iuxta Apostolum dicentem: *Mortificate membra vestra quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam* Col. 3. 5. *malam, & auaritiam, quae est simulacrorum seruitus: propter quae venit ira Dei in filios diffidentiae, in quibus & vos ambulastis aliquando cum viueritis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro non emittatis. Nolite mentiri inuicem: expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creauit eum, vbi non est gentilis, & Iudaeus, circumcisio, & praeputium, barbarus & scitha, seruus & liber:* F *sed omnia, & in omnibus Christus.* Manifestum est enim, quod haec verba beatus Apostolus fidelibus scripserit non paganis: sicut & Ephesios in Epistola sua admonuit dicens: *Renouamini spiritu mentis vestrae: & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia & san-* Eph. 4. 23 *ctitate veritatis.* Qui & alibi ait: *Quicunque baptizati estis,* Gal. 3. 17 *Christum induistis.* Et vt ostenderet quomodo Christus indui debet ait. *Induite ergo vos sicut electi Dei sancti & di-* Col. 3. 12. *lecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & donantes vobisipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & ipse Christus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hac charitatem, habentes, quod est vinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore, & grati estote, & verbum Christi habitet in cordibus vestris abundanter in omni sapientia docentes & commonentes vosmetipsos, Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum.* Hinc ergo manifestum est quod memoratus Doctor gentium disciplinaliter G voluit auditores suos viuere, & recte credendo ac bene operando, spem vitae aeternae habere.

De disciplina Christiana.

DIsciplina custos spei est, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonae indolis, magistra virtutis. Haec facit in Christo manere, semper, ac iugiter Deo viuere: ad promissa caelestia, & diuina praemia peruenire. Hanc & sectari salubre est, & auersari ac negligere laetale. Vnde in Psalmis loquitur Spiritus sanctus. *Continete disciplinam, ne irascatur Domi-* Ps. 2. 12. *nus, & pereatis à via recta, cum exarserit cito ira eius super vos.* Et iterum: *Peccatori autem dicit Deus: ad quid exponis* Ps. 49. 16 *iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum: Tu autem odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retro.* Et denuo legimus: *qui abiecit disciplinam infaelix est.* Et de Salomone mandata sapientiae monentis accipimus, *fi-* *li ne neglexeris disciplinam Dei, & non defeceris ab eo corre-* Sap. 3. 11. *ptus, quem enim diligit Deus corripit.* Si autem quem diligit Deus corripit, & corripit vt emendet. Fratres quoque & maxime sacerdotes non oderunt sed diligunt eos H quos corripiunt vt emendent quando & Deus per Ieremiam ante praedixerat & tempora nostra significauerat dicens. *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos:* pascentes cum disciplina: quid si in Scripturis sanctis frequenter & vbique disciplina praecipitur, & fundamentum omne religionis ac fidei de obseruatione ac timore proficiscitur: quid cupidius appetere quid magis velle ac timere conuenit, quam vt radicibus fixis fortius & domicilijs nostris super petram robusta mole solidatis inconcussi ad procellas & turbines saeculi stemus, ad Dei munera per diuina praecepta veniamus, considerantes pariter ac scientes quod templa Dei sint membra nostra ab omni faece cogitationis antiquae lauacri vitalis sanctificatione purgata: nec violari ea aut pollui fas sit, quando qui violat & ipse violetur. Eorum nos templorum cultores, & antistites sumus, ser-

A uiamus illi cuius esse iam cœpimus. Paulus Apostolus
in Epistolis suis dicit, quibus nos ad curricula viuendi
per diuina magisteria formauit. *Non estis vestri: empti e-*
1. Cor. 6. 20. *nim estis precio magno: clarificate & portate Deum in corpore*
vestro. Clarificemus & portemus Deum puro & mundo
corpore, & obseruatione meliore & qui per sanguinem
CHRISTI redempti sumus, per omnia seruitutis obse-
quia redemptoris imperio pateamus: demusque ope-
tam ne quid immundum & prophanum templo Dei
inferatur, nec offensus sedem, qua inhabitat dereliu-
quat. Sospitantis Domini verba sunt & docentis euan-
Ioa. 5. 14. tis pariter & monentis. *Ecce*, inquit, *sanus factus es: iam*
noli peccare, ne quid deterius tibi fiat. Dat viuendi timorem,
dat innocentiæ legem postquam contulit sanitatem: nec
habenis liberis & solutis vagari quemquam postmo-
dum patitur, sed ipse potius qui sanatus fuerat manci-
pato grauius comminatur, quid scit scilicet minor cul-
pa deliquisse ante cum necdum nosses disciplinam Dei:
nulla sit venia vltra delinquere: postquam Deum nos-
se cœpisti. Et quidem hoc tam viri, quam mulieres,
tam pueri quam puellæ sexus omnis atq; omnis ætas ob-
seruet & curet pro religione & fide quam Deo debet, ne
quod sanctum de Domini dignatione percipitur minus
sollicito timore teneatur. Non enim debent neglige-
B re magistri discipulos, nec parentes filios, sed in omni
disciplina cum discretione tamen erudiant illos, quia
scriptum est, *ne quid nimis*, nedum cupiunt nimis era-
dere rubiginem, frangitur vas. Dicit enim Apostolus.
In disciplina & correptione Domini educate filios vestros. Hinc
Eph. 6. 4. & Sapientia per Salomonem hortatur dicens. *Noli à pue-*
Pr. 23. 14 *ro abstrahere disciplinam. Si autem percusseris eum, animam*
eius liberabis à morte, in virga percuties eum, & non morietur.
Studium enim debent habere omnes prælatæ personæ,
vt subiectos suos per disciplinam custodiant, & regere
non negligant: quia solummodo ita ab eis in diuino iu-
dicio liberabuntur. Vnde nos Sapientia hortatur & di-
Pr. 6. 2. cit, *fili nisi spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extra-*
neum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui: & captus
proprijs sermonibus. Fac ergo fili mi, quod dico tibi, & temeti-
psum libera: qui incidisti in manus proximi tui. Discurre, festi-
na: suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis: nec
dormitent palpebræ tuæ. Hinc & ad Ezechielem Prophe-
tam Dominus loquitur, dicens: *fili hominis, speculato-*
Eze. 33. 7 *rem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & an-*
C *nunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium morte morieris,*
non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via
sua impia & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, san-
guinem autem eius de manu tua requiram. Si enim tu annun-
ciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua,
morietur tu autem animam tuam liberasti: secundum enim
qualitates hominis, sic debet temperari disciplina ma-
2. Ti. 4. 2. gistrorum. Vnde Paulus ad discipulum scribens, ait: *Ar-*
gue, obsecra, increpa, cum omni imperio. Ac si diceret. Di-
rum magistri, pium patris ostende affectum, ita vt in-
disciplinatos & inquietos durius arguas, obedientes au-
tem & mites vt in melius proficiant obsecres: negli-
gentes enim & contemnentes increpes & corripias:
nec ab re est quod Saluator in Euangelio Iudæos du-
ros, & incredulos vendentes & ementes in templo quasi
D flagellum de funiculis faciens legitur eiecisse atq; dixisse:
Matt. 21. 13. *scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur, vos au-*
tem fecistis illam speluncam latronum, nec frustra Petrus A-
postolus Ananiam & Saphiram auaritiæ peste corru-
ptos, mentientes, atque per Hypocrisin Spiritum Dei
tentantes mortis sententia damnauit, sed vt fieret quod
Pr. 19. 25 scriptum est: *Pestilente flagellato stultus sapientior erit:* & per
paucorum validam correptionem multi ab errore corri-
gerentur & emendarentur. Vnde & sancti Patres nostri in
concilijs suis diuersas disciplinas & excommunicationes
delinquentibus constituerunt, vt secundum modum
culpæ excommunicationis extensa mensura, ægris
medelam, & sanis præberet cau-
telam.

E

De meditatione diuinæ legis.

VT autem hæc disciplina diligentius custodiatur, multum adiuuat studium discendi veram sapientiam, & meditatio assidua diuinæ legis, quam mundo corde & casto corpore oportet vnumquemque inuestigare: quia ita ad eius intellectum sobrium poterit peruenire. Ipsa enim cognitionem Dei se fideliter quærentibus & instanter meditantibus tribuit. Cognitione autem Dei nihil melius est, quia nihil beatius est: & ipsa vera beatitudo est. Vnde Saluator ad patrem
ait. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum* Ioan. 17. 3
Deum, & quem misisti Iesum Christum. Vnde primo omnium quærendum est homini quæ sit scientia, veraque sapientia, quia sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Scientia vera est, à Diaboli seruitio, quæ sunt peccata, recedere, & sapientia perfecta est, Deum colere secundum mandatorum illius veritatem, quia in his duobus vita beata acquiritur, sicut Psalmista ait.
Diuerte à malo, & fac bonum. Nec etiam sufficit cuiquam Ps. 33. 15.
mala non facere, nisi etiam & bona faciat: nec bona facere: nisi etiam & mala omittat. Omnis ergo qui sic
sapiens est, procuidubio beatus erit in æternum. Bea- G
ta siquidem vita est cognitio diuinitatis, cognitio diuinitatis virtus boni operis, & virtus boni operis, fructus est æternæ beatitudinis. Ad hoc ergo bonum habemus solatium diuinarum lectionem scripturarum, quia sanctarum lectio scripturarum diuina est præcognitio non parua beatitudinis. In his enim quasi in quodam speculo homo seipsum considerare potest, qualis sit, vel quo tendat, Lectio assidua purificat animam, timorem incutit gehennæ, ad superna gaudia cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, & legere. Nam cum oramus ipsi cum Deo loquimur, cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum, siue quia intellectum mentis erudit seu quod à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est le-
ctionis, & multum ad emendationem animi proficit. G
Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs interior homo nutritur ac pascitur. Sicut Psal-
mista ait. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine,* Psal. 118.
super mel & fauum ori meo. Sed ille beatissimus est, qui 113.
diuinas Scripturas legens, verba vertit in opera. Omnes plane Scripturæ sanctæ, ad animarum salutem scriptæ sunt, vt proficiamus in eis in veritatis agnitione. Sæpius cæcus offendit quam videns, sic ignorans legem Dei, sæpius ignoranter peccat, quam ille qui scit. Sicut cæcus sine ductore: sic homo sine Doctore viam rectam vix graditur: & ideo necesse est, vt quicunque lectiones sacras legere possint in his studium impendant, vt earum frequenter meditatione vtantur. Qui vero sensum locutionis sacræ ex lectione non possunt percipere, attentius audiant interpretantem, vt recipiant saltem in ædificationem. Cum vero magisterio cælesti instructi, quid faciendum, quidue
vitandum sit accipiunt, non sit mora in faciendo, H
quod intus sapiunt intelligendo: quia vt beatus Iaco-
bus Apostolus ait: *non auditores legis iustificabuntur, sed* Ro. 2. 13.
factores legis. Et ipsa veritas, ait. *Seruus qui scit volunta-* Luc. 12.
tem Domini sui & non facit, vapulabit multis, & cætera. 47.
Item alibi scriptum est. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Itaque omni diligentia studendum est, vt cognoscamus voluntatem Dei. Postquam autem cognouerimus eam, summo nisu contendendum est, vt hanc faciamus implentes mandata illius, & instanter deposcamus, vt in hoc perseuerantes peruueniamus ad promissa ipsius.

De Fide, Spe & Charitate.

VNDE necesse est, vt quicunque Christianum nomen tenent, & sacramentis imbutus est religionis Christianæ rationem sciat, & fidei veritatem agnoscat, eius quoque fidei, *quæ vt Apostolus ait, per dilectionem operatur, quæ in præsenti confortat & roborat credentes, ac in futuro perducit ad Dei contemplationem.* Nam ita quædam proposuit animæ nostræ necessaria beatus Apostolus, & egregius gentium Doctor dicens. [1.Cor.13.13.] *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem his est charitas.* Primum ergo fides Catholica Christiano necessaria est: quia in ipsa distinguuntur filij Dei à filijs Diaboli, filij lucis à filijs tenebrarum. Per ipsam renascimur in baptismate, & salutem æternam impertabimus: sicut scriptum est. [Marc.16.16.] *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hæc porta est vitæ, hæc ianua regni. Per ipsam discitur scientia veritatis, & percipitur cognitio diuinitatis, per ipsam gratiam Dei inuenimus, aliter autem Deo placere non possumus, quia sine fide impossibile est Deo placere. Vere enim beatus est, qui & recte credendo bene viuit: & bene viuendo fidem rectam custodit. [B] Igitur sicut otiosa est fides sine operibus bonis, ita nihil proficiunt, opera bona sine fide recta. Vnde & beatus Iacobus Apostolus dixit. [Iac.2.14.] *Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem ipsa non habeat?* Nunquid poterit fides saluare eum? fides sine operibus mortua est. Sicut enim corpus sine spiritu est mortuum, ita & fides sine operibus mortua est: fidem ante omnia rectam & immaculatam necesse est habere: & secundum Apostolicæ institutionis normam symbolum à sanctis patribus constitutum memoriter tenere, & religiose viuere studere, Hæreticorum dogmata pestifera fugere: maleficorum, & incantatorum venena mortifera horrescere: diuinorum & sortilegiorum nefandas traditiones, quæ cum Dæmonibus societatem habent penitus respuere, & nihil aliud quam quod Catholica fides laudat, amat, prædicat in mente siue in professione tenere, seu etiam moribus ostendere. Post hanc ergo fidem, spem firmam habere, discere, quæ animum nostrum ad inuisibilia trahit, & intentionem nostram [C] in cælestia, & æterna inserit, & quodammodo nexibus insolubilibus ligat, quæ non decipit, sed se fideliter obsequentes ad æternam beatitudinem perducit. Nemo igitur quamuis ingenti peccatorum pondere prematur, de bonitate diuinæ pietatis desperare debet, sed spem certæ misericordiæ illius indulgentiæ sibi quotidianis deprecari lachrymis quam recte sperare possunt, si ab actione praui operis cessabunt. Ideo non propter spem veniæ perseueranter peccare debemus, neque quia Deus iuste peccata punit, veniam desperare debemus, sed vtroque periculo euitato & mala declinemus, & de pietate Dei veniam speremus. Similiter & in omni tribulationum angustia spe ad solatia supernæ pietatis currendum est, quia in illo solo omnis spes & salus sine dubio consistit, dicente Propheta: [Ps.41.8.] *In Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est.* Cum enim fidem rectam, & spem firmam persuademus habere. Hoc maxime hortamur vt charitatem in nobis habere, & opere ostendere per omnia [D] satagamus. Per ipsam enim & in ipsa beatitudinem veram habituros nos esse sciamus, quia sine hac nemo videbit Deum. Hæc autem ideo maior fide & spe ab Apostolo esse narratur: quia cæteris recedentibus ipsa sola remanebit, fidei enim succedit spei, & spei beatitudo, charitati autem non transmutatio sed sola restat perfectio. Hæc omnium ars est virtutum, hæc promissio regni, hæc præmium summum sanctorum est in cælo, quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent sancti perfecto amore Dei: quem qui præsentem vident suauius diligunt, & dulcius fruuntur ipso bono.

De Charitate.

OPORTET nos scire quia in omnibus charitas obtinet principatum, sine cuius perfectione nihil Deo placere posse Paulus Apostolus testatur: qui nec martyrium, nec sæculi contemptum nec eleemosynarum largitionem sine charitatis officio quicquam proficere posse ostendit. Vnde & ipse Dominus à quodam Scriba interrogatus quod esset mandatum maximum respondit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* [Matt.22.37.] *& ex tota anima tua, & ex tota mente tua,* addidit quoque secundum simile huic, *diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.* Quod vero ait, *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente*, id est, toto intellectu, tota voluntate & ex omni memoria Deum esse diligendum, Dei vero dilectio in obseruatione mandatorum eius tota consistit, sicut supra dicit. *Si quis diligit me, sermones meos seruat:* Vnde ipsa Veritas alibi ait. [Ioa.14.23] *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.* [Ioa.13.35] Item Apostolus. *Plenitudo legis est dilectio.* [Ro.13.10.] Item Ioannes Euangelista. *Hoc, inquit, mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum diligat & proximum.* Si forte quislibet quærat [F] quis sit proximus, sciat omnem Christianum recte proximum dici, quia omnes in baptismo filij Dei sanctificamur, vt fratres simus, spiritaliter in charitate perfecta. Nobilior est generatio spiritalis quam carnalis. De qua in Euangelio ipsa veritas ait. [Ioan.3.5.] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Qui autem taliter proximum intelligens diligit, sine dubio charitatem veram in semetipso tenebit. Cuius euidens indicium & eminens virtus vera pax est. Per quam filij Dei præcipue dignoscuntur, quia nusquam perfecte pax haberi potest, nisi vbi charitas eius operatrix adest. Hoc etiam tota series Scripturarum sacratum nobis ostendit.

De pace & vnitate.

NAM legimus in Euangelio quod Saluator & Dominus noster cum appropinquaret passioni, & [G] transitum suum de hoc mundo ad patrem discipulis insinuaret: inter alia verba quæ ob sui commemorationem dilectis comitibus suis impenderat maxime pacis bonum, & quasi speciale munus vnitatis illis commendaret dicens. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* [Ioan.14.27.] Ac si diceret, in pace vos dimisi, in pace vos inueniam. Proficiscens voluit dare, quæ desiderabat, rediens in omnibus inuenire. Hanc suis hæreditatem dedit dona omnia suæ pollicitationis & præmia in pacis conuersatione promisit: atque ideo si hæredes Christi esse volumus in eius pace manere debemus. Pacem nobis CHRISTVS dedit concordes atque vnanimes esse præcepit: dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atque inuiolata mandauit: cuius pacis ornamenta mirabiliter alio loco ostendit dicens. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* [Mat.5.9.] En filius Dei incipit vocari qui pacificus esse iam cœpit, non vult filius dici qui pacem noluerit amplecti, negat sibi patrem Deum, qui pacificus esse contemnit. [H] Pacificos ergo oportet esse Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes fideliter sibi vnanimitatis nexibus cohærentes. Sed hæc pax cum bonis & Dei præcepta seruantibus custodienda est: non cum iniquis & sceleratis, qui pacem inter se habent in peccatis suis. Pax CHRISTI ad salutem proficit sempiternam, pax cum bonis, & bellum cum vitijs semper habendum est. Mala siquidem hominum impiorum odio habenda sunt, nam homines ipsi quamuis mali sint amandi sunt, quia creatura Dei sunt. Pax vero quæ in bonis est concordiam fratrum & charitatem copulat proximorum. Pax Spiritum Dei specialiter promeretur. Pax dilectionis mater est. Pax indicium sanctitatis: de qua Dominus per Prophetam ait: *Pacem & veritatem diligite.* Pax

A plebis sanitas, gloria sacerdotis, & patriæ lætitia, & terror hostium siue visibilium siue inuisibilium omnibus viribus pax est custodienda, quæ semper in Deo manet, & quæ in pace sancta manet, cum sanctis Dei societatem habet. Sacerdotis est in pace populum admonere, quid debeat agere, populi est in humilitate audire quæ monet sacerdos: quicquid non licet pastoris est prohibere ne fiat, plebis est audire ne faciat: atque vnitatis vinculum omnes debent simul prælati & subditi in fide & dilectione per omnia seruare, quia sine pace non suscipitur sacerdotis oratio, nec plebis oblatio. Si ergo volumus velociter à Deo exaudiri, & gratanter munera nostra ab eo accipi, debemus vtique in pace conuersari. De quo nos ipsa veritas instruere Mat. 5. 23. dignata est. *Si offers*, inquit, *munus tuum ante Altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante Altare & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Quia ergo vnitatem nostram & concordiam Deus desiderat, B ostendit ipse Saluator in Euangelio ad patrem ita Ioa. 17. 11 loquens. *Pater*, inquit, *sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi vt sint vnum sicut & nos.* Vnde & Apo- 1. Co. 1. 10 stolus fideles hortatur dicens. *Obsecro vos fratres vt idi-* Eph. 4. 31. *psum sapiatis, & vnum dicatis omnes.* Et item: *Non sit*, inquit, *inter vos zelus & contentio, omnis amaritudo, & ira,* Ibi. v. 3. *& indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.* Item alibi ait: *Sustinentes inuicem in charitate solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis: vnum corpus & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Hæc itaque vnanimitas sub Apostolis olim fuit: sicut nouus credentium populus Domini mandata custodiens, charitatem suam tenuit, probat Scriptura quæ dicit. *Turba autem eorum, qui crediderant anima &* Act. 1. 14. *mente vna agebant.* Et iterum: *Et erant perseuerantes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus & Maria quæ fuerat mater Iesu, & fratribus eius.* Et ideo efficacibus precibus orabant, ideo cum fiducia impetrare poterant quodcunque de Dei misericordia postulabant. In nobis vero sic vnanimitas diminuta est, vt & largitas operationis infracta sit, domos tunc & fundos venundabant, & thesauros sibi in cælo reponendos distribuenda in vsus indigentium pretia Apostolis offerebant, at nunc C de patrimonio nec Decimas damus; & cum vendere iubeat Dominus, emimus potius & augemus. Sicut in nobis emarcuit vigor fidei: sic credentium robur elanguit. Et idcirco Dominus tempora nostra respiciens in Luc. 18. 8 Euangelio suo dicens ait: *filius hominis cum venerit putas inueniet fidem in terra?* Videmus fieri quod ille prædixit: in Dei timore, in lege iustitiæ, in dilectione, in opere, fides nulla est. Nemo futurorum metum cogitat diem Domini, & iram Dei, & incredulis ventura supplicia & statuta perfidis æterna tormenta nemo considerat, quæ metueret conscientia nostra si crederet: quia non credit omnino nec metuit. Si autem crederet, & caueret: si caueret, euaderet. Oportet ergo vt excitemus nos, quantum possumus & somno inertiæ veteris abrupto ad obseruanda & gerenda Domini præcepta vigilemus: simus tales: quales esse ipse nobis præcipit dicens. Luc. 12. 35 *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes, & vos similes* D *hominibus expectantibus Dominum suum quando veniat à nu-* Ib. v. 37. *ptijs, & cum venerit & pulsauerit aperiant ei. Et beati serui illi, quos adueniens Dominus inuenerit vigilantes.* Accinctos nos oportet esse, ne cum expeditionis dies venerit, impeditos & implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus desiderium nostrum lumen atque effulgeat, vt ipsum lumen nos ad lucem claritatis æternæ de hac sæculi nocte perducat, quo cum Christo qui est veræ pacis auctor, & cum sanctis Angelis eius æterna pace & perpetua fœlicitate fruamur.

E

De Virtute continentia.

ET vt hoc prompte efficere possimus studendum nobis est, & sacrarum virtutum solatium nobis acquiramus, & viam iustitiæ, & veritatis pergere curemus, quatenus hostium spiritualium insidias & tumultum vitiorum per Dei gratiam illæsi euadentes, ad cælestem beatitudinem perueniamus. Ad quod perficiendum continentia contra concupiscentias carnis, & illecebras voluptatum maxime nobis necessaria est. Vnde nos Scriptura admonet dicens. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auerte. Si præstas animæ tuæ concupiscentiam eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Eccl. 18. 30. Amor enim istius mundi, parit inimicitiam Dei. Vnde scriptum est. *Qui vult esse amicus huius sæculi, inimicus Dei constituetur.* Iac. 4. 4. Hoc enim Apostolus sciens Ioannes, persuadet nobis & dicit. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* 1. Io. 2. 15. F *Si quis dilexerit mundum, non est charitas patris in eo, quia omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Hoc & Coapostolus eius Paulus rursus monet & dicit: *Qui emunt sic sint quasi non possidentes, & qui hoc mundo vtuntur, quasi non vtantur.* 1. Cor. 7. 30. *Præterit enim figura huius mundi.* Vnde & ipse Saluator in parabola sua ostendit, quod diuitiæ & voluptates sæculi suffocant verbum: ita vt non ferat fructum. Et alibi præcipit dicens. *Qui vult venire post me: abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* Matt. 16. 24. Et item, *qui non renuntiauerit*, inquit, *omnibus quæ possidet: non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. 33. Hæc igitur considerantes, bene conuenit vt perpendamus, quantum nobis necessaria sit continentia, per quam Christi disciplinatui condigni ad regnum possimus cum eo venire perpetuum. Continentia vero & sobrietas non in sola integritate carnis consistit. Sed etiam in cultu, & in ornatu, vita pariter & moribus consistit. Debet enim vnusquisque continens abstinere se ab omnibus illicitis, his autem quæ licita sunt debet cum modestia & sobrietate vti. Non enim decet Christianum sæculi lucris inhiare, cui promissum est regnum cæleste: sed suo Domino per continentiam condigne viuere, vt possit cum eo in perpetuum gaudere. Charitatem debet amare, & fornicationem fugere, non auaritiæ studere, sed victu & vestitu contentus esse non superbire, neque sperare in incerto diuitiarum, sed humiliter sentire, & mundi pompam contemnere. G Non debet esse vaniloquax & arrogans, non mendax, neque iniuriosus, non bilinguis, non susurro, non detractor, sed veritatem debet ex ore & corde proferre, linguam suam à multiloquio temperare, quia scriptum est: *In multiloquio non effugies peccatum.* Pr. 10. 9. Oculos contra vanitatem claudere, auditum à scurrilitate, & falsitate immo ab omni eloquio malo auertere, risum excelsum, & excussum non amare, guttur & nasum ad illecebram dulcium ciborum, & suauium odorum non libenter adhibere, sed magis bonum & suauem odorem virtutum appetere. Manus & pedes & omnia membra corporis sollicite custodire, ne fiant arma iniquitatis peccato, sed magis arma potentia Dei ad destruendum spiritalem inimicum. Cor quoque miles Christi debet ante omnia sollicita custodia seruare, ne forte illud iactantia extollat, ira inflammet: inuidia perforet, auaritia infestet, libido exurat, tristitia grauet, torpor & ignauia oneret, & ne illud quod grauius est per nouitatum præsumptiones hæresis scindat. H Qui enim cordis occulta per continentiam quieta seruare contendit: vtique & membra corporis facilius contra prauos actus foris, custodit. Scriptum est enim. *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Pr. 4. 23. Item alibi: *Mors secus introitum delectationis posita est.* Et Saluator in Euangelio: *Bonus*, inquit, *homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum.* Matt. 12. 35. Et item *de corde*, ait, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes*, & cætera. Cum ergo de cordis radice fructus siue boni siue mali exeant, necesse est vt primum cor mundemus, deinde

ipsam

A ipsam carnem nostram per ieiunia, & vigilias & laborem vtilem castigemus: ne carnis libido mentem maculet: difficile est enim vt in delitijs viuentes mundum cor habeant. Vnde dixit Apostolus: *Castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne forte cum alijs prædicem ipse reprobus efficiar.* Et item: *Qui enim,* inquit, *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Sobrie quippe & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis vt nos redimeret, & ab omni iniquitate mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, vt cum venerit in maiestate sua, cum sanctorum Angelorum millibus, pro bonis laboribus, & sancta conuersatione reddat nobis præmia vitæ æternæ, potius quam pro desiderio & voluptate præsentis vitæ, cruciatum retribuat sempiternum.* Vt ergo contra tentamenta Diaboli, & contra carnis desideria ordinate & fortiter pugnare & resistere possimus, primum nos oportet scire octo vitia esse principalia, per quæ Diabolus humanum genus corrumpere & decipere gestit, id est, *superbiam cum vana gloria, iram, inuidiam, auaritiam, gulam, luxuriam, tristitiam, & accidiam.* Ex his vero radicibus propago omnium vitiorum exoritur, atque succrescit, econtrario autem

1. Cor. 9. 27.

B quatuor sunt principales virtutes. Hæ sunt, *prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo,* ex quibus omnis ornatus virtutum procedit, & cum quibus diuina gratia opitulante à Christi milite omnis multitudo vitiorum superatur atque conteritur.

De Superbia.

Primum namque ignitorum telorum hostis antiqui ac præcipuum est superbia: quæ vbicunque subintrauerit omnium vitiorum post se turmas trahit. Cuius soboles prima & quasi consors totius iniquitatis vana gloria. Hanc quoque maxime conditor noster detestatur. Vnde & de ea scriptum est. *Omnis arrogantia abominatio est apud Deum.* Et item. *Odibilis coram Domino & hominibus superbia est.* Et item. *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Primum quippe & maximum diaboli peccatum fuit superbia, & hæc homines primos decepit. Vnde scriptum est. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo fecit, quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius, quoniam initium omnis peccati est superbia, qui tenuerit eam adimplebitur maledictis, & subuertet eos in finem. Propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum, & destruxit eos vsque in finem, sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro illis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. Terras eorum euertit Dominus, & perdidit eas vsque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis, & disperdidit illos, & cessare fecit memoriam eorum à terra. Perdidit Deus memoriam superborum, & reliquit memoriam humilium sensu.* Quapropter omni vitio deterior est superbia: quæ sæpe & de bonis actibus nascitur, dum homo in suis bonis operibus superbit: & hoc perdit per superbiam quod habuit per charitatem. Item omnium vitiorum nouissimum est superbia, quia dum homo virtutibus ornatur, & in his superbire cæperit, de alto ruinam facit. Omnis quoque peccati vt diximus initium superbia, dum anima præceptum contemnit creatoris, mox in cuiuslibet peccati corruit foueam. Nam omnis superbia tanto in imo iacet, quanto se in altum erigit, tantoque profundius labitur, quanto excelsius eleuatur. Qui enim per propriam superbiam attollitur, per Dei iustitiam damnatur. Vnde scriptum est. *Ante ruinam hominis, exaltatur Spiritus eius.* Igitur nihil magis Christiano vitandum est, quam superbia, quæ iram Dei prouocat. Nam superbia ex Angelis Dæmones fecit, humilitas autem homines sanctis Angelis similes reddidit. Superbi cupiunt in se prædicari quod non faciunt humiles refugiunt quicquid boni operantur agnosci. Non eleuetur ergo homo in bono suo, nec laudem sibi quærat quamuis aliquid boni faciat, sed Deum laudari cupiat in donis suis qui nihil boni facit nisi quod Devs donauit ei facere: vnde ad eum cuncta debet referre quæ bene facit, non ad semetipsum.

Pr. 26. 5. Eccl. 10. 7 Iaco. 4. 6.

Eccl. 10. 14. C

D

Pr. 16. 18

E

De Ira.

Dvm ergo miles Christianam gloriam studet cauere quam fons totius mali superbia edidit, necesse habet, vt iræ vitium quod similiter eadem pestis gignit caueat, ne eo in furorem præcipitatus clementiæ & pietati Dei contrarius existat, quia Dominus & Saluator noster suo verbo suoque exemplo ad mansuetudinem & patientiam nos instituens iræ & furoris pertinaciam penitus abdicauit, vt hoc quod legis mandato impleri non valuit, Euangelij consummaretur præcepto. Lex enim homicidium prohibuit: sed quia nasci permisit quod seminarium est homicidij ipsum vitium perfecte non abstulit. Redemptor itaque noster, qui non venit legem soluere, sed adimplere, id quod in lege minus fuit, sua sanctione adimpleuit, iræ occasionem tollens, & non solum non irasci vel non occidere iussit, quin etiam aduersa quæque ab alijs irrogata patientissime nos tolerare præcepit. Ira enim est quædam passio mentis, quæ si ratione non regitur in furorem vertitur: ita vt homo sui animi impotens fiat faciens quod non conuenit. Hæc enim si corde insidet omnem eximit prouidentiam ab eo facti, nec iudicium rectæ discretionis inquirere, nec honestæ contemplationis virtutem nec maturitatem consilij habere poterit, sed omnia per præcipitium quoddam facere videtur. De qua item pullulat tumor mentis, rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, præsumptio, blasphemiæ, sanguinis effusio, homicidia, vlciscendi cupiditas, iniuriarum memoria: quæ vincitur per patientiam & longanimitatem, & per rationem intellectualem, quam Devs inserit mentibus humanis, & per recordationem orationis Dominicæ vbi Deo dicitur, *dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quapropter si illam summam diuini præmij cupimus adipisci, de quo dicitur, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* non solum hæc è nostris cordibus amputanda est, sed etiam de internis animæ radicibus extirpanda. Non enim valde proderit iracundiæ cohibitus furor in verbo, nec in effectum prolatus, si illam arcanis pectoris nostri Devs, quem secreta cordium non latent inesse perspexerit. Quasi vero vniuersa virulenta serpentium genera vel ferarum, cum in solitudine suisque cubilibus immorantur innoxia perseuerent, nec tamen ex eo pronunciari possunt innoxia quia nulli nocent. Hoc enim eis non affectus bonitatis, sed necessitas solitudinis confert. Quæ cum lædendi nacta fuerint copiam: in semetipsis reconditum virus, & animæ feritatem protinus egerunt atque demonstrant. Radices enim vitiorum potius excidi præcipit Euangelicus sermo quam fructus qui procul dubio euulsis fontibus nequaquam vlterius pullulabunt atque ita mens poterit iugiter in omni patientia & sanctitate durare, cum hæc non de superficie operationis & actuum, sed de cogitationum fuerint euulsa penetralibus. Et idcirco ne homicidium perpetretur, ira, odiumque succiditur: sine quibus homicidij vitium nullo modo valebit admitti. *Qui irascitur enim fratri suo, reus erit iudicio. Qui odit fratrem suum homicida est,* in eo scilicet quo eum corde cupiat interire, cuius cruorem propria manu vel telo apud homines minime fudisse cognoscitur. Affectu iræ homicida pronunciatur à Domino, quia non solum pro operationis effectu: sed etiam pro voluntatis ac voti desiderio vnicuique aut præmium reddet aut pœnam. Egregius vero mundi prædicator dicit. *Omnis amaritudo & ira, & indignatio, & clamor & blasphemia tollatur à vobis.* Nec enim ita viri iustitiam Dei operari poterit, quia ira sine temperamento expers est rationis. Responsio mollis mitigat iram, sermo durus suscitat furorem. *Vir iracundus,* vt vt ait Salomon, *prouocat rixas: quia patiens est mitigat suscitatas.* Spiritum vero superbiæ ad irascendum facilem

G

Mat. 5. 8. G

H

Mat. 5. 22

Eph. 4. 31

Pr. 15. 18

A lem quis sustinere poterit? Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor finem vindictæ nouit. Si te ô homo, præoccupauerit ira, mitiga eam. Illa ira mala est, quæ mentem turbat, vt rectum consilium perdat. Illa ira est iusta & necessaria, quando homo contra propria irascitur peccata, & contra seipsum indignatur dum male agit. Hinc dicit & Propheta. *Irascimini & nolite peccare.* Concessit quod naturæ est: tulit
Ps. 4. 5. quod culpæ est. Sed adhuc quod est grauius alius postulat mortem inimici: & eum quem gladio prosequi non potest, persequitur oratione. Et viuet adhuc qui maledicitur, & tamen is, qui maledicit iam de morte illius reus tenetur. Iubet enim Deus vt diligatur inimicus, & tamen rogatur Deus vt occidat inimicum. Quisquis itaq; sic orat impijs suis precibus contra conditorem pugnat. Vnde & sub Iudæ specie dicitur, *fiat oratio eius in peccatum.* Oratio quippe in peccatum est illa petere quæ prohibet ipse qui petitur. Hinc veritas dicit.
Marc. 11. 25. *Cum statis ad orandum remittite si quid habetis in cordibus vestris.* Sed ecce inimicus nobis grauiter deliquit, damna intulit, iuuantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent:
B Aduocatus etenim noster precem nobis in causa nostra composuit, & ipse eiusdem causæ iudex est, qui aduocatus est. Preci autem quam composuit conditionem inseruit dicens. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quia ergo ipse iudex venit, qui aduocatus extitit, ipse precem exaudit, qui fecit. Aut ergo non facientes dicimus, *dimitte nobis debita nostra* & cætera, & nosmetipsos hoc dicendo ligamus: aut fortasse hanc conditionem in oratione intermittimus, & aduocatus noster precem, quam composuit non recognoscit, atque apud se protinus dicit. Scio quod monui, non est ipsa oratio quam feci. Quid ergo nobis faciendum est, nisi vt veræ charitatis affectum impendamus fratribus nostris, & sicut manus nostras foris à cæde, ita & intus corda nostra ab odio seruemus innoxia.

De Inuidia.

C HActenus de ira: nunc de inuidia dicendum est, quoniam illusione Diabolica zelare quod bonum est & inuidere melioribus leue apud quosdam & modicum crimen videtur, dumque existimatur leue esse & modicum non timetur. Dum non timetur contemnitur, dum contemnitur, non facile vitatur, & fit cæca & occulta pernicies, quæ dum minus perspicitur, vt caueri à prouidentibus possit: improuidas mentes latenter affligit. Hinc Diabolus inter initia statim mundi & perijt primus & perdidit. Non est autem quod aliquis existimet malum istud vna specie contineri: aut breuibus terminis & angusto fine concludi. Late patet zeli multiplex, & fœcunda pernicies. Radix est omnium malorum, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit: animositas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat: dum quis suo potest esse contentus, videns alterum ditiorem inuidet, ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem zelo excæcante sen-
D sus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigentem, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, iudicij dies non prouidetur. Inflatur superbia, exacerbatur sæuitia, impatientia concutit, furit discordia, ira feruescit: nec se iam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur: hinc charitas fraterna violatur: hinc adulteratur veritas, vnitas scinditur, ad hæreses & schismata dum obtrectatur sacerdotibus, dum Episcopis inuidetur, dum quis aut conqueritur non se potius ordinatum aut dedignatur alterum ferre propositum: hinc recalcitrat, hinc rebellat, de zelo superbus, de æmulatione peruersus, animositate & liuore non hominis, sed honoris inimicus. Qualis vero illa est anima, & in ea quæ cogitationum tabes pectoris, quanta rubigo zelare in altero, vel virtutem eius vel fœlicitatem: id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia diuina: in malum proprium

E bona aliena conuertere: illustrium prosperitate torqueri: aliorum gloriam facere suam pœnam? Mala quoque cætera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro: in latrone conquiescit scelus, homicidio admisso, & prædoni rapacitatem statuit possessa præda: & fallatio modum ponit impleta fallacia. Zelus terminum non habet permanens iugiter malum, & sine fine peccatum, quantoque ille, cui inuidetur successu meliore profecerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit, hinc vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor: stridor in dentibus, verba rabida, & effrænata conuitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamsi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata. Homicidij namque facinore perstringi eum quisque celauerit & odio habuerit fratrem suum. Declarat Ioannes Apostolus in Epistola sua dicens. *Qui fratrem suum odit homicida est, & scitis quia omnis* 1. Ioa. 3. 15 *homicida non habet vitam in se manentem.* Et iterum. *Qui dicit se esse in luce, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc,* Ibid. 2. 9.
F *& in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quoniam tenebræ excæcauerunt oculos eius. Qui odit,* inquit, *fratrem suum in tenebris ambulat & nescit quo eat.* It enim nescius in gehennam, ignarus & cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet à Christi lumine monentis & docentis. *Ego sum lux* Ioa. 8. 12. *mundi, qui me secutus fuerit non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Cui tunc sine dubio placebimus, si modo ab omni zelo, & liuore inuidiæ alieni existimus, & proximos nostros vera dilectione amamus, quia pacifici filij sunt Dei, & qui diligit fratrem suum ex Deo natus est, & videt Deum. Itaque quoniam inuidiæ & odij malum quantum sit paucis verbis ostendimus.

De Auaritia.

DE auaritiæ peste quam noxia sit non est tacendum. Conuenit ergo bene homini Christiano, qui ad cæ-
G leste regnum tendit & supernas diuitias percipere ambit, vt se à præsentibus rebus temperet, & philargiriæ malum, quod maxime humanum genus captiuat quasi venenum mortiferum fugiat ne per fraudem aliquid adipisci gestiat, vel per rapacitatem possessa ministrare retineat: quia omnis fraus Deo displicet & auaritiæ idololatriæ ab Apostolo comparatur. *Auaro,* autem dicit Scriptura, *nihil est scelestius, quid superbit terra & cinis? nihil est iniquius,* Eccl. 10. 9. *quam amare pecuniam. Hic enim animam suam venalem habet,* auaritia enim quam Græci philargiriam vocant, nimia est cupiditas diuitiarum acquirendi vel tenendi. Quæ pestis inexplebilis est, & hydropi morbo simulatur & comparatur. Sicut enim hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit, sic & auarus, quanto maiorem pecuniam acquirit, tanto maiorem habere appetit, & dum modus ei non est in habendo, modus illi non in desiderando. Hinc nascuntur inuidiæ, furta, latrocinia, homicidia, mendacia, periuria, rapinæ, violentiæ, inquietudo, iniusta iudicia, con-
H temptus veritatis, futuræ beatitudinis obliuio, obduratio cordis, quæ sit contraria misericordiæ & eleemosynæ in pauperes, & totius pietatis æmula. Dominus ergo noster qui nos benignos esse de nostra substantia pauperibus & miseris admonet: ipse nos ab omni auaritia & iniusta pecuniæ acquisitione prohibet. Qui vero ait, *de iustis laboribus tuis fac eleemosynam,* ipse per Apostolum suum hortatur nos dicens. *Nolite fraudem facere inuicem.* Nam qui fraude qualibet aliquid acquisierit: perdit iustitiæ æquitatem. Et 1. Co. 7. 5 ipse Dominus in Euangelio dicit. *Cauete ab omni auaritia,* Marc. 12. 38. *quia non in abundantia cuiusquam vita eius est quæ possidet nunquid non diuites similiter moriuntur sicut & pauperes?* Non prodesse possunt diuitiæ in die vltionis, nec liberabunt male vtentes eis à pœnis sempiternis. Si volumus nosse quam pernitiosus est, quam noxius fomes iste, nisi fuerit diligēter excisus: ad eius interitum qui eū ceperit fructificet, & omnigenis pullulet ramunculis vitiorum. Respiciamus in Iudam Apostolorū numero deputatū, quia non voluit serpētis huius caput lætale conterere, qualiter eū suo veneno peremerit: & concupiscentiæ laqueis irretitum ad tā abrupti præcipitij crimen impegerit, vt redemptorem

mundi

A mundi & humanæ salutis autorem ob triginta argenteos
persuaserit vendere. Qui nequaquam ad tam scelestum
proditionis facinus esset deuolutus, si non philargeriæ
morbo fuisset infectus, nec dominicæ negationis reus ac
sacrilegus extitisset, nisi prius solitus fuisset creditos sibi
loculos compilare. Sed licet multi detestētur scelus Iudæ,
pauci tamen vitare student. Qui ergo reus Dominū vendidit,
reus esse ab omnibus dijudicatur, & qui veritatem
pro mendacio commutat vix à quoquā reprehenditur.
Nam quicunq; propter amorem pecuniæ, vel commodū
terrenum veritatem vendit, Christum perdit: & Iudæ sceleris
est particeps, ait enim ipse Dominus. *Ego sum via, &* Ioa.14.6
veritas & vita. Vitam vtiq; deserit, qui veritatem contra
pecuniam vendit, & inde mercatu infausto non vitā meretur
æternam, sed mendacij debitam mergetur in pœnā.
Hinc nos Paulus Apostolus admonet & dicit. *Tempus breue* 1.Cor.7.29
*est, reliquum est, vt qui habent vxores tamquam non habentes
sint, & qui flent tamquam non flentes, & qui gaudent tamquam
non gaudentes, & qui emunt, tamquam non possidentes, & qui vtuntur
hoc mundo, tamquam non vtantur. Præterit enim figura
huius mundi.* Ille enim vxorem habens quasi non habet,
B qui sic studet placere coniugi, vt non displiceat conditori,
flet quoq; sed tamquam non fleat, qui sic temporalibus
damnis affligitur, vt tamen de æternis lucris semper
animum consoletur. Gaudet vero, sed tamquam nō gaudeat,
qui sic de temporalibus bonis hilarescit, vt semper
perpetua tormenta consideret, & in hoc quod mentem
gaudio subleuat, hanc continuo prouidi timoris pondere
premat. Emit autem sed quasi non possidens, qui & ad
vsum terrena præparat, & tamen cauta cogitatione præuidet,
quod hæc citius relinquat. Mundo quoq; vtitur,
sed quasi non vtatur, qui & necessaria cuncta exterius
ad vitæ suæ ministerium redigit, & tamen hæc eadem nō
sinit menti suę dominari: vt subiecta foris seruiant, & nūquam
intentionē animi ad alta tendentis frangant. Quicunq;
igitur tales sunt, eis profecto terrena omnia non
ad desiderium, sed ad vsum adsunt, quia rebus quidē necessarijs
vtuntur, sed nihil habere cum peccato cupiunt.
De ipsis quoq; rebus habitis quotidie mercedes acquirunt:
& plus gaudent bono opere: quam bona possessione,
C his ergo sic habitis, & secundum veritatem ita perspectis,
nunc considerandum est de corporalibus delictis,
quam grauia sint.

De Gula.

PRimum enim est corporale peccatum gula, id est, intemperans
cibi vel potus, voluptas, per quam primi
parentes humani generis paradisi felicitatē perdiderunt,
& in hanc ærumnosam huius vitæ miseriam deiecti sunt,
vbi omnis homo per peccatū nascitur, per laborem viuit,
per dolorem moritur. Quis n. sufficienter enumeret quæ
& quanta illi protoplasto nostro abstinentiæ contēptus
ademerit, quod intellectualis mentis dignitate donatus
imaginem sui creatoris accepit, quod soli Deo suo subiectus
omnia visibilia sibi subiecta conspexit, quod ei ad
viuendi vsum affatim lignorum omnium, quæ erant in
paradiso, feracitas diuina iussione seruiuit; quod arbor
vitæ misticū cibū, non vnde viueret, sed vnde vitam corporis
non finiret sui creatoris munere ministrauit, qui cibus
quam diu perciperetur: ita percipientē se in vno statu
D sacramenti cuiusdam latentis figurata significatione seruaret,
vt eum nec vlla infirmitate corrūpi, nec ætate mutari,
aut senescere, nec dissolui morte permitteret. Nō inquietabat
molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor
anxius otiosum, non somnus opprimebat inuitū, nō
amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate securū,
habebat facilem victum corpus ex omnibus partibus sanum
tranquillum motū, cor mundū, ignarus pœnalis mali,
habitator paradisi, expers peccati, capax Dei. Postremo
quid eo fælicius sit, cui erat orbis subiectus, nullus infestus,
liber animus, & visibilis Deus? quandoquidem nisi
ante peccatū Deum videre in assumptione visibilis creaturæ
soleret, quomodo se iam peccator effectus à facie
Dei quam nunquam vidisset absconderet? Potuit ergo
ita videre Deum prius, quam peccaret Adam, sicut eum E
sancti patriarchæ viderunt; sed quando ait, *Vocem tuam* Gen.3.10
audiui, & timui, ex illa iam videndi Deum sanctitate ceciderat,
qui per gulam mandatum Dei transgressus fuerat.
Quæ videlicet tribus modis regnare videtur in homine,
i. e. dū homo horam canonicam & statutam gulæ causa
anticipare cupit, aut exquisitiores cibos sibi præparare
iubet, quam necessitas corporis vel suæ qualitas personæ
exigit, vel si plus accipiat in edēdo vel bibēdo propter
desiderium intemperantiæ suæ, quam suæ proficiat saluti.
Sed hoc sciendum est quod nec deliciæ quælibet si absque
desiderio percipiantur, officiunt; & viles cibi plerunque
abstinentiæ profectum si competenter accipiantur
impendunt. Hinc est quod sanctus Dauid aquæ in se
concupiscentiam castigauit: atque eam sibi à suis oblatam,
ne desiderio ex ea satisfacere videretur effudit: &
sancto Heliæ perceptio carnium non concupita non nocuit.
Vnde datur intelligi, quod veraciter abstinentes
escarum non naturas, sed concupiscentias damnent: ac
voluntates suas desiderati cibi vel potius abusione mortificent.
Qui autem non solum à qualitate, sed etiam à
quantitate ciborum cupiunt abstinere, nihil aliud student, F
nisi vt quantum stomacho reficiendo, ac fami
eximendæ satis esse videtur indulgeant, nec expleant
suos appetitus auiditate percipiendi, sed comprimant,
atque eis non satietas edendi finem faciat, sed voluntas,
quia tam à cupiditate pretiosorum ciborum quam
animi à perceptione vilium continebunt. Iam de vino
abstinendo vel percipiendo quid dicam? Vnde sanctus
Apostolus certam fixit regulam dicens. *Nolite inebriari* Eph.5.18.
vino in quo est luxuria. Quasi diceret, luxuriam facit,
& nutrit vini perceptio nimia, non natura, &
propterea non vos vti vino, sed inebriari prohibeo:
quandoquidem infirmum stomachum moderatus vsus
vini confortat, ebrietas animum corpusque debilitat,
illi quoque qui negata sibi perceptione vini diuersorum
poculorum potionibus inundantur, neqnaquam
mihi videntur abstinentiam implere: qui & ad hoc
se fortassis à vino suspendunt, vt mereantur ab hominibus G
laudem, & interdicti sibi vini, compensant
poculis suauioribus voluptatem. Similiter & à quadrupedibus
abstinentes & auibus altilibus aut piscibus
perfruuntur: non mihi videntur resecare delectationes
sui corporis sed mutare. Nam sunt aliqui de
falsorum abstinentium numero: qui in hoc parciores
videri volunt, & gloriam sibi velut de abstinentiæ
distinctione conquirunt, cum sic ab omnibus animalibus
iudicant temperandum, vt peregrinis pomis
ac sorbitiunculis delicatis, cæterisque talibus sui
corporis impleant appetitum, cum spiritualis abstinentiæ
non aliquorum ciborum vsum sed desiderium
suadet compescendum. Et illi magis parsimoniæ seruire
censendi sunt, qui sibi non aliquarum rerum perceptiones,
sed delectationes corporis interdicunt. Hæc
tamen non ita dicimus quasi monachorum regulam quæ
à quadrupedum esu prohibet vituperemus, vel pœnitentes
à carnium esu abstinere prohibeamus, sed vt
quomodo gulæ vitium deuitandum sit doceamus. Oportet
enim vt qui à vino & carnibus se abstinet non sit H
in cæteris cibis vel potibus vltra modum auidus: sed in
omnibus sobrius & moderatus. Quid ergo prodest quod
quis abstineat vino & carne, & cæteros cibos vel potus
vsque ad cruditatem vel vomitum sumat, cum non
genus alimenti, sed solummodo commessatio & ebrietas
in vitio sit. Vnde consideremus, vt diligentius sobrietatis
iura obseruare contendamus in conuiuijs nostris.
Sicut commessationem & ebrietatem caueamus, ita
& à verbo detractionis & stultiloquio, nec non &
à vanis iocis continentes simus: Mimorum & histrionum
lusus & carmina velut venenum mortiferum
respuamus, quia seductio & commenta sunt diaboli?
memores semper illius diuitis euangelici, qui sepultus
in inferno refrigerari sibi linguam ardentem poposcit,
quia in conuiuijs suis gulæ & vaniloquio ante
seruiunt. Audiamus Apostolum, nobis loquentem. *Si-*

A 1. Cor. 10. 31. *ne enim manducemus siue bibamus, siue aliud quid agamus, omnia in gloriam Dei faciamus.*

De fornicatione.

HÆc de gula dicta sufficiant nunc consequenter quid de eius consorte videlicet fornicatione scriptura sancta intimet videamus. Sanctus Paulus Apostolus scribens ad discipulos ita ait. 1. Cor. 6. 18. *Fugite fornicationem, omne peccatum, quod commiserit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat.* Exaggerare voluit fornicationis malum super cætera omnia peccata, quæ etsi corpus comitantur non tamen animum humanum concupiscentiæ carnali ita efficiunt obstrictum & obnoxium, quomodo in solo opere fornicationis corporalis commisceri facit, animum iniungens per libidinem cum ipso corpore, & vnum cum ipso quodammodo adglutinari, & deuinctum esse in tantum vt nihil aliud ipso momento & experimento huius tam magni flagitij cogitare homi- B ni liceat, aut intendere nisi quod sibimet addicit: mentemque captiuam subdit ipsa submersio: & quodammodo absorbitio libidinis & concupiscentiæ carnalis. Ideo tam magnum malum iussit Apostolus fugere, non tam videlicet loco quam affectu, quia difficile est illi resistere, postquam cor captiuauerit per concupiscentiam. Hinc humani generis creator & conditor Deus opificij sui naturam præ omnibus emendationemque cognoscens, illic curam adhibuit medicinæ, vnde causas morbi principaliter nouerat Matth. 5. 28. emanare; *quicunque*, inquiens, *viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Petulantes oculos notans, non tam eos arguit, quam illum interiorem sensum, qui officio eorum male vtitur ad videndum. Cor namque ægrum, & sauciatum libidinis telo, quod ad concupiscendum videt, beneficium inuitus recte sibimet à creatore concessum vitio ad operum prauorum ministeria contorquens: & in semetipso reconditum concupiscentiæ morbum contemplationis occasione producens. Idcirco ergo C huic dedit salutare mandatum: cuius vitium pessimum languor visus occupatione procedit. Non enim dicitur omni custodia serua oculos, quos vtique oportuit principaliter custodiri, si ex ipsis prodiret concupiscentiæ affectus, sed dicitur, omni custodia serua cor tuum. Illi potissimum imposita est medicina: quod vbique abuti potest oculorum ministerio. Vnde cogitationum lasciuos motus in primordio ortus sui antequam fructus germinent peccatorum, studeamus extinguere, & filiæ babylonis paruulos allidamus ad petram, hoc est, fornicationis suggestiones & immunditiæ cogitatus, mandatorum Christi recordatione subito conteramus. Nulla etenim virtute tam proprie carnales homines spiritualibus angelis imitatione conuersationis sequuntur, quam merito & gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent secundum Apostolum municipatum in cœlis, quod deposita corruptela carnali habituros sanctos promittitur in futuro. Hic iam in carne fragili possidentes. Vnde qualiter illam prædictus gemmam Apostolus Thessalonicensibus scribens, virtutibus prætulerit vniuersis audia- D 1. Thess. 4. 3. mus, *Hæc est*, inquiens, *voluntas Dei sanctificatio vestra.* Et ne forte dubium nobis relinqueret vel obscurum, quidnam sanctificationem voluerit appellare: vtrum iustitiam, an charitatem, an humilitatem, an patientiam, in omnibus enim istis virtutibus creditur acquiri sanctificatio: infert & manifeste designat, quid proprie sanctificationem voluerit appellare. Ibid. *Hæc est*, inquit, *voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione: vt sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* Videtis quibus eam laudibus prosequatur honorem, vasis, id est, corporis nostri, & sanctificationem appellans eam. Igitur econtrario qui in passione desiderij est, & in ignominia & immunditia consistit, & alienus à sanctificatione versatur. Tertio quoque post pauca infert, rursus eam E sanctimoniam pronuncians, 1. Thess. 4. 8. *non enim vocauit nos Deus, in ignominiam, sed in sanctimoniam. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum. Qui etiam dedit Spiritum sanctum suum in nobis, auctoritatem præcepto suo inuiolabilem vinxit*, dicens. *Qui hæc spernit*, id est, quæ de sanctimonia præfatus sum, *non hominem spernit*, id est, non me qui hæc præcipio, *sed Deum qui in me loquitur, qui etiam Spiritu suo sancto cor nostrum habitaculum deputauit.*

Hæc ergo nobiscum tractemus, hoc mente sæpius reuoluamus, hoc toto nisu efficere festinemus, vt casti corpore & spiritu habitaculum Spiritus sancti fieri mereamur. Qui ergo matrimonio iuncti sunt, castitatem coniugalem seruent, nec se meretricum vel concubinarum prostibulo coinquinent, sed vir solam coniugem suam legitimam, & mulier solum maritum suum legitimum nouerit. Qui vero hæc transgreditur: sine dubio adulterij crimine reus tenetur, hi autem qui matrimonio nondũ sunt iuncti, & cælibem vitam ducunt castitatem obser- F uent vsq; ad tempus nuptiarum oportunum, nec fornicationis turpitudine se polluant, quia scriptum est, Hebr. 13. 4. *fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Illi autem qui virginitatis propositum tenent, sine vlla reprehensione illud custodiant. ne forte ab æterni regis nuptijs cum fatuis virginib. repellantur, sed magis cum prudentibus lucentib. bonorum operum meritis ornate ad conuiuium sponsi cœlestis intrent. Similiter & qui vidualem continentiam professi sunt, non redeant retro, sed ad supernæ vocationis intendant præmium, vt illud consequantur. Igitur omnes simul fidem catholicam tenentes, audiamus Apostolum nobis dicentem. 2. Cor. 11. 2. *Desponsaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo.*

De tristitia.

NEc minus ergo contra pestem tristitiæ secularis vigilare debemus, quia ipsa certissimæ mortis collatrix est, si non caueatur. Vnde Apostolus admonens nos dicit. Philip. 4. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est, nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Cum ergo Deum quærentibus eiusque promissis credentibus lætari atq; gaudere semper præci- G pitur procul dubio letaliter contristari prohibetur. Est & genus tristitiæ pestiferum ac mortiferũ, quod quasi passim per singulos cursus, ac varios casus obtinẽdi animam nostram habuerit facultatem, ab omni nos per momẽta singula reparat diuinæ contemplationis intuitu, ipsamq; mentem ab vniuerso statu puritatis deiectam funditus labefactat & deprimit. Non orationes eam explere cũ solita cordis alacritate permittit, non sacrarum lectionum sinit remedijs incubare, tranquillam quoq; & mitem fratribus esse non patitur, & ad cuncta operationum vel religionis officia impatientem & asperum reddit, omniq; perdito salubri consilio, & cordis constantia perturbata, velut amentem facit & ebrium. Sẽsum frangit, & obruit, desperatione pœnali, quamobrem non minori prospectu si spiritualis agonis certamina legitime curamus, desudare hic quoq; nobis curandus est morbus. Sicut enim tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia vestra nocet cordi. Satis euidenter ac proprie vim noxij huius & pernici- H osi vitij spiritus diuinus expressit. Vestimentum namque esũ tinearum ad tactum nullius pretij vel honestatis poterit vlterius habere commercium, tantidemq; lignum vermibus exaratum non iam ad ornatũ vel mediocris ædificij, sed ad combustionem ignis merebitur deputari. Est etiam illud detestabilius tristitiæ genus, quod nõ correctionem vitæ, nec emendationem vitiorum, sed perniciosissimam desperationem animæ inijcit delinquenti. Quod nec eam fecit post fratricidiũ pœnitere, nec Iudam post proditionẽ ad satisfactionis remedia festinare, sed ad suspendium laquei se sua desperatione pertraxit. Ideoq; nobis vtilis vna re tantũ tristitia iudicanda est: cũ hãc pœnitudine delictorũ vel desiderio perfectionis accensi vel futuræ beatitudinis contẽplatione capimus. De qua & B. Apostolus, 2. Cor. 7. 10. *quæ secundũ Deũ est tristitia*, inquit, *pœnitentiã ad*

A *salutem stabilem operatur: seculi autem tristi[illegible] mortem operatur.* Sed illa tristitia quæ pœnitentiam operatur ad salutem stabilem obediens est, affab lis, humilis, mansueta, suauis ac patiens, vtpote ex Dei charitate descendens, & ad omnem dolorem corporis ac spiritus contritionem infatigabiliter semetipsam desiderio perfectionis extendens, & quodammodo læta, ac spe prouectus sui vegetata cunctam affabilitatis & longanimitatis retinet suauitatem, habens in semetipsa omnes fructus Spiritus sancti: quos enumerat idem Apostolus. Gal.5.22. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, fides mansuetudo benignitas, continentia.* Hæc vero asperrima, impatiens, infructuosa, plena rancore, & timore, dura ac desperatione pœnali cum quem complexa fuerit ab industria & salutis dolore frangit, ac reuocat vtpote irrationabilis & intercipiens non solum orationum efficaciam, verumetiam vniuersos quos prædiximus fructus spirituales euacuans quos nouit illa conferre. Quapropter absque illa quæ vel pro salutari pœnitentia vel pro studio perfectionis seu pro desiderio suscipietur futurorum. B Omnis tristitia tamquam seculi & quæ mortem inferat æqualiter repellenda est, ac sicut fornicationis spiritus philargitiæ vel iræ, de nostris cordibus penitus extruenda. Hanc igitur perniciosissimam passionem, ita de nobis expellere possumus, si mentem nostram spirituali meditatione iugiter occupatam futura spe & contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus. Hoc enim modo vniuersa tristitiarum genera siue quæ ex præcedenti ira descendunt, siue quæ amissione lucri vel detrimenti illati nobis veniunt, seu vel irrogata generantur iniuria, siue quæ irrationabili mentis confusione procedunt, seu quæ letalem desperationem nobis inducunt, valebimus superare: cum externarum rerum ac futurarum intuitu semper læti atque immobiles perdurantes, nec casibus deiecti præsentibus, nec prosperis fuerimus elati vtraque velut caduca & mox transeuntia contemplantes.

C

De accidia.

OCtauum ergo ac nouissimũ octo principalium vitiorum virus est accidia: per quam tepor mentis & segnicies noxia oritur, quæ hominem inutilem ad omne opus bonum ac procliuem ad interitum reddit. Vnde scriptum est. *Otiositas inimica est animæ*, quam inimicus totius boni diabolus per memoratum accidiæ morbum homini ingerit: ita vt inutiliter faciat eum torpere, & minime in bonis operibus desudare. Accidia enim est pestis, quæ Deo famulantibus multum nocere probatur: dum otiosus homo torpescit in desiderijs carnalibus, nec in opere gaudet spirituali nec in salute animæ suæ lætatur, nec in adiutorio fraterni laboris hilarescit: sed tantum concupiscit & desiderat, otiose tractans, per omnia discurrit. Quæ dum miserabilem obsidet mentem: multis eam inficit miserijs, quæ multa docent mala. De qua nascitur somnolentia, pigritia operis boni, instabilitas loci, peruagatio de loco in locum, tepiditas laborandi, tædium cordis, murmuratio & vaniloquia, D quæ vtique à milite Christi vincitur per studium lectionis, per assiduitatem operis boni, per desiderium præmiorum futuræ beatitudinis, per confessionem tentationis quam in mente habet per stabilitatem loci & propositi sui, atque exercitium cuiuslibet artis & laboris vel orationis, & vigiliarum instantiam: vt nunquam otiosus inueniatur seruus Dei. Difficilius enim inuenit diabolus tentandi locum in homine: quem in opere inuenit bono; quam eum quem otiosum repetit & nihil boni agentem. Quod otiositatis vitium etiam sapientissimus Salomon euidentissime notat in multis, ita dicens. Prou.28.19. *Qui sectatur otium, implebitur paupertate vel visibili vel inuisibili, quia necesse est otiosum quemque & vniuersis vitiis inuolutum teneri, & alienum semper existere contemplatione Dei, vel diuitiis spiri-*

E *tualibus.* De quibus beatus Apostolus, 1.Cor.1.5 *quia in omnibus*, inquit, *diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia.* Multa enim mala docuit otiositas. Quæ euidenter Apostolus enumerauit dicens. 2.Thess.3.11. *Audiuimus*, inquit, *quosdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes.* Huicque vitio subiunxit quoddam statim medicamentum dicens. Ibid. 2.12. *Rogamus vos fratres quod operam detis vt quieti sitis, & vt vestra negotia agentes operemini manibus vestris & honeste ambuletis ad eos qui foris sunt & nullius aliquid desideretis.* Nam quos etiam inordinatos ac rebelles notat, ab his studiosos quosque segregari præcipiens dicit, 2.Thess.3.6. *Denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinate & inquiete ambulante, & non secundum traditionem quam accepistis à nobis.* Et quæ fuerit illa traditio protinus subiunxit dicens. Ibid. v.7. *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque panem gratis ab aliquo manducauimus, sed in labore & in fatigatione nocte & die operantes, ne aliquem vestrum grauaremus, non quasi non haberemus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* F Qualis ergo ille est christianus qui cum mane à lecto ebrietatis suę surrexerit, non aliquo operi vtili insistit: non ad ecclesiam orationis causa vadit, non ad audiendum verbũ Dei concurrit: non eleemosynas agere satagit, non infirmos visitare, vel calumniam patientibus subuenire contendit: sed aut in venatum totas pergit, aut domi lites & contentiones excitat, aut aleæ vel tabulis & iocis se inutilibus impendit, donec edulium suum à seruis laborantibus præparetur. E si aliquid minus per impossibilitatem aliquam paratum à seruitoribus ad suum libitum fuerit: subito exardescit, & ad vindictam agendam statim prosilit: sicque dum ille in conuiuio lætatur: seruus foris excruciatur. Sed hæc vnde faciunt, nisi quia de futuris non cogitant, nec iudicium Dei mente pertractant. Si enim diem mortis suæ rite prouiderent: nunquã tali dementia se irretirent. Nunquid non sapiens similiter moritur vt stultus, diues vt pauper, nobilis vt ignobilis? Numquid non caro diuitis similiter vermibus scatet vt mendici? G Ecce diues cum pompa ad sepulchrum ducitur: sed nemo obsequentium cum eo in sepulchro manere dignatur; sed sicut solus hic natus est, sic solus hinc exiet. Cur hoc? Ante sepulturam sponte à mortalibus non prospicitur, quod post mortem fieri omnibus necessario cogetur. Ecce quotidie volentes nolentesque ad mortem properamus: & quis finis noster sit post mortem non consideramus. Omnes enim præsentari nos oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum siue malum, sed quia nemo contra vitia rite pugnare potest, nisi qui sacratum virtutum opem habere studet.

De quatuor principalibus virtutibus.

SCiendum est quod hæ quatuor species principalium virtutum quas supra enumerauimus, hoc est, H *prudentia, iustitia, fortitudo, & temperantia*, à quibus totus ordo & series virtutum oritur omni homini Christiano necessariæ sunt, quia non aliter superantur morbi pestiferi vitiorum, nisi per remedia spiritualium medicamentorum. Sanctarum enim scripturarum auctoritas valde nobis commendat celsitudinem & nobilitatem earundem sacrarum virtutum, quatenus per earum opulentiam militiæ Christi apti esse studeamus. Quas quidẽ quatuor esse principales & quasi quosdam fontes à quibus cæteræ virtutes profluant, non solũ philosophi sentiunt, sed etiam nostri consentiunt. Quarum quoq; nomina vt iam ostendimus prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam dici voluerunt: quæ tanũ sanctitatis conferunt animo christiano, quod nihil perfectionis vtique sit, quod in istis virtutibus non sit. Nam si facit prudentia prudentem: iustitia iustum: fortitudo fortem, & temperantia temperantem? eo qui prudenter, iuste fortiter ac temperanter agit, nescio quid possit esse perfectius.

Virtus

A Virtus enim est animi habitus, naturæ decus, vitæ ratio, ac morum nobilitas.

Cuius etiam partes principales sunt quatuor, vt sæpe dictum est, quarum prima est prudentia in indagatione veri & in inuentione consistens. Hæc memoriam animo excitat, intelligentiam ingenio præstat, prouidentiam consilio exornat. Hæc spirituales homines à carnalibus vitijs defecatos illustrat, & ab omni delectatione noxiæ curiositatis euersos desiderio contemplandæ veritatis illuminat, vt humanarum rerum diuinatumque scientiam consecuti, prudentes ac sapientes veraciter fiant. Prospiciant imminentia mala, simul & caueant, nec putent vlla esse mala nisi ea quæ malos efficiant: nihil in hoc mundo casu, aut iniuste, sed omnia Deo volente vel permittente fieri prudenter accipiant: aliter intelligentes aut doceant sapienter aut arguant, nec ipsi alijs noceant, nec sibi nocere promittant. Tales Dominus in Euangelio fieri præcepit dicens. *Estote prudentes sicut serpentes: & simplices sicut columbæ*, quia nec simplices circumuenire aliquos possunt, nec prudentes se circumueniri permittunt. Cæterum si in contractu quolibet siue colloquio vel in alia quaque re se decipi quisque non sinat, & alium tamen ipse decipiat; Is non habet prudentiam, quæ salutis magis quam perditionis est causa, sed simulat, quoniam quidem hoc virtus à vitio distat, quod illud corrumpit sana, hæc sanat vitij accensione corrupta. Nam si cogitat de perditione cuiuspiam vel de casu pereuntis exultat: necesse est, vt primus pereat ipse, quam alium perdat, & ab ipso ea perditio quæ petire alium cupit incipiat. Iustitia vero quæ secunda pars principalis virtutis est, ipsa est habitus animi, vnicuique rei propriam tribuens dignitatem. In hac diuinitatis cultus, & humanitatis iura & æquitas totius vitæ conseruatur. Quapropter si in hac vita iustitiam conamur implere: cuius iustitiæ opus est proprium sua cuique tribuere: Deo nos à quo sumus facti, reddamus, nec dominari nobis ea quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus. Dominetur vitijs ratio, subijciatur corpus animo, animus Deo, & impleta est hominis tota perfectio. Duo sunt econtrario iniustitiæ genera, vnum quod iniurias irrogamus, alterum quod ab alijs irrogatas cum possumus propulsare negligimus, quando oppressos defendere cum possimus ab oppressione contemnimus: nec mihi aliquid prodest, quod non circumuenio aliquem neque decipio, si decipi aut circumueniri permitto. Hoc idem de peccatis licet intelligi: quia si peccantem video, & non solum non arguo, sed etiam ei peccanti consentio, participem me damnationis efficio, & in omnibus peccatis pecco, quando eos quos scio peccasse, siue peccare quadam crudelis animi malignitate non increpo: fortitudo ergo quæ tertia est in ordine principalium virtutum, hæc magno animo periculorum & laborum est perpessio, eiusque partes sunt *magnificentia*, *fidentia*, *patientia*, *perseuerantia*. *Magnificentia* ergo est rerum magnarum & excelsarum: cum animi ampla quadam & splendida propositione cogitatio atque administratio. *Fidentia* est, per quam magnis & honoratis in rebus multum animus in se fiduciæ certa cum spe collocauit. *Patientia* est honestatis aut vtilitatis causa rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. *Perseuerantia* est in ratione bene considerata stabilis ac perpetua permansio. Hæc quoque eos maxime habere conuenit, qui honore christiani nominis pollent, vt bene incepta pio & discreto conamine ad bonum finem perducant.

Temperantia quippe quarta species virtutis est rationabilis in libidinem, atque in alios non rectos animi firma & moderata dominatio: eiusque partes sunt *continentia*, *clementia*, *modestia*. *Continentia* enim est per quam omnis mala cupiditas magna concilij gubernatione regitur & deprimitur. *Clementia* est, per quam iurgia & odia miti animo retinentur. *Modestia* est, per quam totius vitæ modus seu animi seu in corporis moribus vbique honesti cura seruatur. *Honor eximius* est coram hominibus hæc seruanti, & laus apud Deum. Quapropter bono studio, & pio labore contendamus: vt hæc obseruantes digne Christi seruitium agamus, & maxime, vt in via iustitiæ & veritatis ambulemus: quia scriptum est. *Iustus Dominus, & iustitiam dilexit æquitatem vidit vultus eius.* Et alibi: *Iustitia liberauit à morte.* Et Psa. 10. 7 Prou. 10. 2.
item: *Qui sequitur iustitiam & veritatem inueniet vitam, & iustitiam, & gloriam.* Habemus ergo ad hoc fortem adiutorem, & pium protectorem: mediatorem videlicet Dei & hominum, de quo scriptum est. *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.* Ps. 84. 12
Quapropter in nullo diffidamus, nihil desperemus, sed in illum totam spem salutis nostræ ponamus, quia de eo scriptum est. *Non derelinquet omnes qui sperant in se. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Ps. 33. 23.
His vero ita veraciter existentibus, iam nunc de fraude antiqui hostis & necessaria vestra cautela contra insidias eius dicendum esse arbitramur. Oportet autem vnumquemque qui in christiana militia constitutus est, vt cautè contra antiqui hostis nequitiam instanter vigilent, ne forte dolosis fictionibus eius reducatur, quia hostis callidus contra cœlestem militem diuersa percussionum vulnera exquirens, modo ex pharetra per insidias eum sagitta vulnerat modo ante eius faciem hastam vibrat: quia videlicet vitia, & alia sub virtutum specie contegit, & alia vt sunt aperta eius oculis opponit. Vbi enim infirmari Dei militem conspicit, illic fraudis velamina non requirit. Vbi autem resistere sibi fortem considerat, illic contra vires proculdubio dolos parat. Nam cum infimum quempiam in carnis illecebra videt, aperte speciem corporis quæ concupisci valeat eius obrutibus obijcit. Si autem fortasse validum contra auaritiam cernit, importunæ eius cogitationibus domesticorum suorum inopiam suggerit, vt dum mens ad prouisionis curam quasi pie flectitur, seducta furtim in rerum ambitu inique rapiatur. Sæpe enim tentationem proponit de libidine: & subito fraudulentius cessans, elationem suggerit de seruata castitate. Et sunt nonnulli, qui dum multos ex castitatis arce, in elationis foueam cecidisse conspiciunt: vitæ suæ custodiam negligentes in immunditiam libidinis demerguntur. Sunt vero è diuerso nonnulli, qui dum libidinis immunditiam fugiunt: per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt. Quasi ergo aperte feriens hasta est culpa de vitio, & quasi ex occulto vulnerans de pharetra sagitta est, culpa de virtute. Sed sanctorum prouida discretio dum sollicite circumquaque conspicit, in altum posita priusquam veniat culpa deprehendit, eamque quo vigilanter prænotat, eo fortiter declinat. Primo enim militiæ Christi prouidendum est, ne mala quælibet agat: secundo vero loco consideret, ne bona incaute faciat, & postquam praua subiecerit: ipsa etiam sibi subijcere recta contendat: ne si mentis dominium transeunt, in elationis culpa vertantur. Quia enim sicut superius dictum est, plerunque ex bonis per incuriæ vitium mala nascuntur, vigilanti studio contemplatur, quomodo ex doctrina arrogantia, ex iustitia crudelitas, ex pietate remissio, ex zelo ira, ex mansuetudine torpor oriatur. Cumque bona hæc agit? quod contra se hostes per hanc exurgere valeant conspicit. Nam cum adipiscendis doctrinæ studijs elaborat, mentem sollicitam contra certamen arrogantiæ præparat. Cum culpas delinquentium iuste vlcisci desiderat: sagacissime euitat ne modum iustitiæ crudelitas vindictæ transcendat. Cum pietate frænare se nititur, solerter prospiciat ne qua disciplinæ dissolutione vincatur. Cum recti zeli stimulos excitat, summopere prouidet, ne plus quam necesse est iræ se flamma succendat. Cum magna mansuetudinis tranquillitate se temperat: vigilantem se

obseruat,

A obiectat, ne torpore frigescat. Quia ergo spiritualis militis cogitatione omne vitium priusquam surripere
Iob 39.25 possit aspicitur, recte de eodem in libro Iob dicitur, *procul oderat bellum.* Induamus nos secundum apostolum loricam iustitiæ, & galea salutis, habentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere: & gladium spiritum, quod est verbum Dei. Contineamus nos à prauis actionibus, custodiamus os nostrum à noxijs & otiosis sermonibus, & sic caueamus ne lædamur à malis cogitationibus, ne victoriam quam acquisiuimus per constantiam, perdamus per elationis vecordiam.

Studeamus quoque vt in omnibus aduersitatibus, quæ nobis adueniunt, patientiam seruemus: quia in nulla alia re melius hostis noster vincitur, qui quotidie quomodo nos perdat machinatur. Ait enim Do-
Luc. 21. 19. minus noster. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Patientia vero est aliena mala æquanimiter perpeti: contra proximum quoque qui mala irrogat nullo dolore morderi. Sciendum tamen est quod tribus modis patientia exerceri solet. Alia namque sunt, quæ à Deo, alia quæ ab antiquo aduersario, alia quæ à pro-
B ximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, & damna, & contumelias, ab antiquo enim aduersario tentamenta, à Deo autem flagella toleramus. Sed in omnibus tribus his modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere: ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali, ne contra tentamenta aduersarij seducatur ad delectationem vel consensum delicti; ne contra flagella opificis ad excessum prorumpat murmurationis. Perfecte enim aduersarius vincitur: quando mens nostra & inter tentamenta eius à delectatione atque consensu, & inter contumelias proximi custoditur ab odio; & inter flagella Dei compescitur à murmuratione.

De confessione & pœnitentia.

Sed tamen militi Christi, si aliquo modo à doloso inimico seducitur, vel carnis fragilitate superatur; non est desperandum sed magis studendum, vt per veram confessionem, condignamque pœnitentiam
C & compunctionem lachrymarum semetipsum recuperet veniamque delictorum à misericorde iudice impetret, perque bonorum actuum, strenuum exercitium ad prioris vitæ statum, & ad præmium promissæ retributionis peruenire mereatur.

De compunctione.

Compunctio igitur cordis ex humilitatis virtute nascitur. De compunctione confessio peccatorum, de confessione pœnitentia, de pœnitentia vero proueniet delictorum indulgentia. Compunctio cordis est humilitas mentis cum lachrymis & recordatione peccatorum, & timore iudicij. Ex genuino fonte compunctionis, solent profluere lachrymæ, id est, dum mens operum suorum diligentius mala considerat, aut dum desiderio æternæ vitæ suspirat. Vnde & prophetia ait.
Ps. 41.3. *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam, & parebo*
D *ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Quatuor item sunt qualitates affectionum, quibus cogitatio iusti tædio salubri compungitur. Hoc est memoria præteritorum facinorum, recordatio futurarum pœnarum, consideratio peregrinationis suæ, in huius vitæ miseria, desiderium supernæ patriæ, quatenus ad eam quantocitius valeat peruenire. Quando ergo ista in corde hominis fiunt, sciendum est tunc esse Deum per gratiam humano cordi præsentem. Vnde & in
Ps. 55. 9. Psalmo dicitur. *Deus vitam meam nunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, sicut in promissione tua.* Promissio indulgentiæ, quam habemus à Deo, lachrymas pœnitentiæ excitat cordi nostro, sed tunc salubris est ipsa compunctio, quando hominem prouocat ad confessionem peccatorum, & ad conuersionem melioris

vitæ. Hortatur itaque nos sæpius sancta scriptura ad medicamenta fugere confessionis, non quod Deus indigeat confessionis nostræ, cui omnia præsto sunt quæ cogitamus, loquimur, & agimus. Sed nos aliter salui fieri non possumus, nisi confiteamur pœnitentes, quod inique gessimus negligentes. Qui seipsum accusat in peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die iudicij, si tamen confitens pœnitendo diluit quæ fecit, nec iterum renouat quæ egit. *Confitemini*, dicit Iacobus Apostolus, *alterutrum peccata vestra: & orate pro inuicem vt saluemini.* Item beatus A- Iaco. 5.16
postolus Paulus. *Ore autem*, inquit, *confessio fit ad salutem.* Sed & Salomon de confessione peccatorum dixit. *Qui abscondit scelera sua, non dirigitur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Rom. 10. 10. Prou. 28. 13.
Magnum est salutis medicamentum non iterare quæ impie gessimus, nec priorem cicatricem vulnerum resauciare. Vnde dicit Ioannes Euangelista. *Si confiteamur peccata nostra: fidelis est Deus & iustus vt remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Similiter & Psalmista ait. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* 1. Io. 1. 9 Psal. 31. 5

F

De non tardando conuerti ad Deum.

Viuens confiteatur peccator quæ fecit, quia non est fructuosa confessio apud inferos, nec pœnitentia ad salutem proficiens. Ecce nunc tempus salutis, ecce nunc tempus acceptabile Deo. Tempus est nunc remissionis pœnitentibus, sed tempus erit post mortem vindictæ negligentibus confiteri scelera sua. Omnes enim impij amaram habent in pœnis pœnitentiam, sed non proficit eis pœnitentia ad remissionem: sed conscientia torquet eos ad augmentum pœnarum quas patiuntur. Potuerunt sibi per confessionem præcauere tormentorum immanitatem & neglexerunt. Ita sicut foras flammis, ita intus conscientia propria torquentur. Quomodo potest medicus sanare quod ægrotus ostendere erubescit? Deus enim desiderat confessionem nostram, vt iustam habeat causam ignoscendi. Qui peccata sua occultat, & erubescit salubriter confiteri: Deum quem testem habet, ite- G
rum habebit eum vltorem. Optime se iudicat homo in hac vita, ne iudicetur à Deo damnatione perpetua. Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator: siue quia per negligentiam bonum non fecit, seu quia malum per audaciam perpetrauit. Quod oportune non gessit, quod non oportuit egit. Nam saluator in Euangelio pœnitentiæ virtutem ostendit dicens. *Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cælorum.* Et Ioannes Baptista. *Facite, ait, fructus dignos pœnitentiæ.* Fructus dignus est pœnitentiæ transacta flere peccata, & eadem iterum non agere, sicut scriptura ait. *Ne adijcias peccatum super peccatum, & dicas miseratio Dei magna est: quoniam misericordia & ira ab illo est.* *Lauamini*, dicit Dominus per Isaiam Prophetam, *& mundi estote.* Lauatur itaque & mundus est; qui & præterita plangit, & iterum flenda non admittit. Lauatur & non est mundus, qui plangit quod gessit, nec deserit: & post lachrymas hæc quæ fleuerat repetit. De his qui post lachrymas ad delicta reuertuntur priora, Beatus Petrus terribiliter ait. *Canis reuersus ad vomitum suum, fili si peccasti*, dicitur in scriptura sancta, *ne adijcias iterum, sed de præteritis deprecare vt remittantur tibi.* Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi. Vnde beatus Petrus mox à Domino indulgentiam recepit, quia amarissime fleuit trinæ negationis culpam. Pœnitentia quamuis sit exigui temporis si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud iudicem iustum Deum, qui cordis secreta considerat. Non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus: quantum affectum sinceritatis pensat pœnitentis. Qui enim in Christum tota mente confidit: etiamsi multis moriatur peccatis, fides sua viuit in æternum: sicut Mat. 3. 2. Ibid. v. 8. Eccli. 5. 5. Isa. 1. 16. H 2. Pet. 2. 21. Eccli. 21. 1

A Ioa. 11.25 ipse Dominus ait in euangelio. *Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum.* De morte animæ dixit, quæ propter peccatorum ægritudinem venit illi. Deus natura misericors est. Paratus est saluare per misericordiam, quos non venit saluare per iustitiam, qui vult omnes homines saluos fieri & neminem perire, qui Ezech. 33 12. per prophetam ait: *In quacunque die conuersus fuerit peccator vita viuet & non morietur.* Quamuis quisque sit peccator, & impius si ad pœnitentiam conuertatur, consequi se posse veniam per Dei misericordiam non dubitet. In hoc seculo pœnitentiam facientibus Dei misericordia subuenit, in futuro autem pœnitentia non proficit, sed rationem nostrorum operum reddituri sumus. In hac vita tantum pœnitentiæ patet libertas; post mortem vero correctionis est licentia. Quapropter festinare debet vnusquisque nostrum ad Deum conuertendo dum potest: ne si dum potest noluerit, omnino cum tarde voluerit non possit. Semper ergo extremum diem debemus B metuere: quemcumque possumus præuidere. Ecce nunc ipsum diem in quo loquimur ad inducias conuersionis accepimus: & tamen mala quæ fecimus flere recusamus. Non solum commissa non plangimus, sed etiam quæ defleantur augemus. At si aliqua nos ægritudo corripiat, si signa ægritudinis vicinam mortem denuncient, inducias viuendi quærimus, vt peccata nostra defleamus, & eas cũ magno æstu desiderij petimus: quæ acceptæ modo pro nihilo habentur. Pensemus nunc super nos diuitias conditoris nostri peccare nos vidit & pertulit. Qui nos ante culpam peccare prohibuit, etiam post culpam expectare ad veniam non desistit. Ecce ipse nos quem despeximus vocat, auersi ab illo sumus & tamen non auertit. Vnde Isa. 30. 20. per Isaiam dicitur. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient vocem post tergum monentis.* Quasi in faciem homo monitus est: quando ad iustitiam conditus, præcepta rectitudinis accepit. Sed cum hæc eadem præcepta contempsit, quasi conditori suo dorsum mentis in faciem dedit. Sed ecce adhuc post tergum sequitur, & monet, quia iam & à nobis contemptus est, & tamen nos adhuc vocare non cessat. Quasi dorsum ei in faciem de- C dimus, cuius verba despicimus, cuius præcepta calcamus. Sed stans post tergum nos auersos reuocat, qui & videt quod despicitur, & tamen per præcepta clamat, per patientiam expectat. Pensemus ergo si cuilibet nostrum loquenti famulus suus subito superbiter, terga in faciem mitteret, nunquid non contemptus Dominus eius superbiam feriret, vulnera districtæ animaduersionis infligeret. Ecce nos peccando auctori nostro terga in faciem dedimus, & tamen sustinemur superbe auersos benigne reuocat: & qui ferire nos auersantes potuit, vt reuertamur munera promittit. Tanta obsecro conditoris nostri misericordia duritiam nostri reatus emolliat: & homo qui malum quod fecit experiri percussus poterat, saltem expectatus erubescat. Habeamus ergo fiduciam de misericordia conditoris nostri: cogitemus quæ facimus, recogitemus quæ fecimus. Largitatem supernæ pietatis aspiciamus, & ad misericordem iudicem dum adhuc expectat cum lachrymis veniamus. Consideremus nam- D que quod iustus sit, peccata nostra non negligamus. Consideremus ergo quod pius sit, non desperemus. Præbet apud Deum homini fiduciam, Deus homo est nobis spes magna pœnitentibus, quia aduocatus noster factus est iudex noster. Vnde necesse est vt audiamus quia misericors est conuertamur à peccatis, recordantes quod iustus est, pertimescamus recedere à iustitia, ne inchoantes bona opera, sine perfectione illa deseramus, ne fiat quod Luc. 14. 29. scriptum est: *Omnes qui viderint incipiãt illudere ei dicentes, hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare,* quia iuxta Pauli vocem, spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus, & in omne quod agimus considerare occultos aduersarios nostros debemus, qui semper nostris operibus insistunt, semper ex nostro defectu gratu- Ps. 24. 2. lantur. Quos propheta intuens ait: *Deus meus in te confido non erubescam, neque irrideant me inimici mei.* In bonis enim operibus intenti nisi contra malignos spiritus sollicite

E vigilemus, ipsos irrisores patimur quos ad malum habemus. Et ideo sollicite considerare debemus, ne per pusillanimitatem pereamus, ne hostes spirituales quos innumerabiles habemus: cum viderint nos de statu iustitiæ corruisse, omnem laborem nostrum in nouissimo in derisum sibi ducant vitam nostram, & nobis in opprobriũ vertant. Quales enim egrediente anima inueniemur profecto ab auctore nostro tales iudicabimur. Vnde scriptum est. *Dominus iudicabit fines terræ.* Nec nos iuuat bene 1. Reg. 2. 10. cœpisse, si contigerit male finire.

De bona perseuerantia.

VT ergo longanimes perseuerare possimus in bono quod cœpimus, imploranda est misericordia diuina, vt misericordia quæ nos præuenit subsequatur nos omnibus diebus vitæ nostræ. Cogitandum quippe valde est, quantum nobis erit terribilis hora nostræ resolutionis, qui pauor mœroris: quanta tunc omnium malorum memoria: quæ obliuio transactæ fœlicitatis, quæ formido & consideratio iudicis. Quid ergo esse nobis de præsenti- F bus ad delectationẽ debet, quando cunctis simul transeuntibus non valet transire quod imminet, quando & hoc funditus finitur, quod diligitur, & illud incipitur vbi dolor nunquam finitur. Tunc maligni spiritus egrediente anima sua opera requirunt, tunc mala quæ suaserũt replicant, vt sociam ad tormenta trahant. Sed cur hoc de peruersa solummodo anima dicimus, cum ad electos quosque egredientes veniant, & suum in illis si præualeant aliquid requirant. Vnus enim in omnibus extitit, qui ante passionem suam libera voce dixit. *Iam non multa lo-* Ioan. 14. 30. *quar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Qua enim hunc mortalem hominem vidit: suum in illo mundi princeps aliquid inuenire posse se credidit. Sed sine vllo peccato à mundi corruptione exiit, qui sine peccato in mundum venit. Hoc de se contra mundi principem nec Petrus dicere præsumpsit, qui audire meruit *quæcunque ligaueris super terram, ligata erunt &* Matt. 16. 19. *in cœlis, & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cœlis.* Hoc nec Paulus dicere præsumpsit qui priusquam mortis debitum solueret ad cœli tertij secreta peruenit, G hoc nec Ioannes dicere ausus est, qui pro amore præcipuo in redemptoris sui pectore in cœna recubuit. Nam cum Propheta dicat. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea,* Ps. 50. 7. sine culpa in mundo esse non potuit, qui in mundum cum culpa venit. hinc namque idem Propheta ait: *Non enim iustificabitur in conspectu* Ps. 142. 2 *tuo omnis viuens.* Hinc Salomon ait: *Non est homo in terra, qui faciat bonum & non peccet.* Hinc Ioannes dicit. *Si dixerimus* 1. Ioan. 1. 8. *quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* Hinc Iacobus ait: *In multis enim offendimus omnes.* Iacob. 3. 2 Constat enim nec negare possumus, sed veraciter fatemur, quia princeps huius mundi habet in nobis multa. Sed tamen mortis nostræ tempore iam nos rapere non valet, quia eius membra sumus in quo non habet quicquam. Sed quid prodest quod eidem redemptori nostro per fidem iungimur: si ab eo moribus disiungamur? Ipse etenim dicit. *Non enim qui dicit mihi in illa die, Domine, Do-* Matth. 7. 21. *mine, intrabit in regnum cœlorum.* Recta ergo opera fidei H recte iungenda sunt. Mala quæ fecimus per quotidiana lamenta defleamus, transactas nostras nequitias surgentia ab amore Dei & proximi recta opera superent nulla quæ possumus fratribus impendere bona recusemus. Neque enim aliter redemptoris nostri membra efficimur, nisi inhærendo Deo, & compatiendo proximo. Ille nimirum aptus est regno cœlorum, qui dilectionem Dei in custodia mandatorum eius ante omnia vsque ad finẽ vitæ habere satagit, & dilectionem proximi in necessitatibus eius quantum præualet consulendo manifeste per opera ostendit. Hæc ergo considerantes bonum certamen certemus, cursum agonis nostri consummare studeamus, fidem seruare curemus. Nullus nostrum de iustitia sua præsumat: sed ea quæ retro sunt obliuiscens in anteriora se semper extendat, sequens supernæ vocationis præmium, quoad vsque illud consequatur. Nemo ergo

scit

A scit quid de se in occultis Dei iudicijs agitur, quia multi vocati, pauci vero electi. Quia igitur nulli de se certum est electum se esse, restat vt omnes trepident, omnes de sua actione formident: omnes in sola diuina misericordia gaudeant, nullus de suis viribus præsumat. Est qui perficiat fiduciam nostram: ille scilicet qui in se dignatus est assumere naturam nostram.

FINIS LIBRI TERTII.

HRABANI MAVRI AD BONOSVM ABBATEM LIBRI TRES.

B *De videndo Deum.*
De puritate cordis.
De modo Pœnitentiæ.

Liber Hrabani de videndo Deum ad Bonosum Abb. conscriptus.

Rom.12.3 APostolica nos admonet sententia vt *non plus velimus sapere quam oportet sapere*, sed sapere ad sobrietatem, & secūdum rationem fidei: & item hortatur nos vt quicquid agamus prudenter & secundum ratione facere stu-

1.Cor.14 40 deamus, ita dicens, *omnia vestra honeste & secundum ordinem fiant*. Vnde miror quod quidam ex nostris non tēpus nec modum obseruantes de secretis Dei & cœlestib. mysterijs in cōuiuijs suis inter pocula disputant, qualiter post hanc vitam electi visuri sunt Dominum in regno cœlesti; quasi idem officium sit cauponis & contemplationis, & quasi poculum vini amatorib. suis hoc vna hora possit conferre quod illi antea longe in scripturis sacris intente noluerūt meditari? præsertim cum Psalmista illos beatos nū cupet,

Ps.118.1. *qui immaculati in via ambulant in lege Domini, & qui scrutantes testimonia eius, in toto corde exquirūt eum*. Et ne subito vel im-

Ps.45.11. prudenter quis de inuisibili & ineffabili Deo præsumat disputare: idem Propheta ex persona Domini dicit. *Vacate & videte quomodo ego sum Deus*. Siquidem qui vacare Deo negligit, suo sibi iudicio lumen eius visionis abscondit, qui autem perturbationibus indiscrete se intermiscet, &

C tumultus rerum tēporaliū intra mentē suam versari permittit, omnino secreta inuisibilis Dei scrutari inhabilis fit, quando qui didicerunt à Dño Deo Iesu Christo mites esse & humiles corde plus cogitando & orando, simplicíq; corde illum quærendo proficiunt, quam superuacuis sermocinationib. disputando atq; decertando. Quod autem sic cautis quæstionibus non sit deseruiēdum, Pau-

2.Tim.2. 23. lus ad discipulum ita inquiens, scribens, ostendit. *Stultas & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites, seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.* Proinde decet vt quicumque de misterijs cœlestibus vult scrutari, vel disputare, studeat prius cor à mundanis desiderijs & vitiorum sordibus expurgare, & sic demum speret se per Dei gratiam spiritalia dona posse plane percipere. Vnde memoratus

D Ephes. 4. 23. Apostolus docet dicens. *Renouamini spiritu mentis vestræ & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iusti-*

Colos.3.5. *tia & sanctitate veritatis.* & item, *mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis, in quibus & vos ambulastis aliquando cum viueretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus eius, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitione secundum imaginem eius, qui creauit eum, vbi non est gentilis & Iudæus, circumcisio, & præputio, barbarus & seruus, & liber, sed omnia & in omnibus Christus*, imago enim Dei qui incorpo-

E reus est non est in corpore humano, quod corrumpitur & grauatur secundum desideria erroris, sed in spiritu & anima, quia spiritus est Deus qui omnia scrutatur, nec possibile est, vt terrenum & fragile aliquid celsitudini eius atque æternitati comparetur, quia ipse est vita, quæ viuificat omnia, qui solus habet immortalitatem & lucem habitat inaccessibilem. Ipse est enim lux vera *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & ideo quisquis illius lucis contemplatione frui desiderat, in æterna beatitudine, necesse est vt mundet cor in huius vitæ peregrinatione, quia non aliter ad eius visio-

nem pertingere poterit, de quo ipsa veritas ait, *beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*. Mat.5.8.

Sed quoniam amicis nostris rogantibus & maxime Ludouico rege exhortante, de futura visione Dei aliquid scribere, coactus sum hoc ipsum non secundum propriam opinionem, sed secundum sanctorum doctorum & Catholicorum Patrum

F traditionem aggredi tentabo, & vel eorum sententias ponendo, siue ipsorum sensum propriis verbis, breuitatis causa explicando, quantum sentio, ostendere curabo. Scripsit enim de hoc beatus Augustinus in plerisque locis, & maxime in epistola ad Paulinam de videndo Deo, vbi quid ipse senserit, vel quid cæteri sancti patres ante eum scripserint non tacet. Dicit enim in eadem epistola, Sic credimus videre Deum, non quia vidimus vel per oculos corporis, sicut videmus hunc solem, vel mentis obtuitu, sicut se quisque internis videt viuentem, videt volentem, videt quærentem, videt scientem, videt nescientem. Tu itaque ipsa lectis his literis, solem quidem vidisse te recolis per oculos corporis, potes etiam statim videre, si est id temporis, & eo loci es, vbi ex ea parte cœlum oculis tuis vsq; ad solem contuendum patet, ad illa vero videnda, quæ mente conspici dixi, id est, quod viuas, quod videre Deum velis, quod id requiras, quod te viuere & velle & quærere scias, quomodo autem Deus videatur

G nescias, adhæc, inquam, omnia videnda, non oculos corporis adhibes, nec interuallum loci, per quod intendatur obtuitus, vt ad ea cernenda perueniat, sentis aut quæris. Sia vides vitam tuam, voluntatem, inquisitionem, scientiam, ignorantiam, quia nec ipsa est contemnenda visio, videre quod nescias, sic inquam vides hæc omnia, vt in te videas, apud te habeas: ac sine vllis figurarum liniamentis, colorumque nitoribus, tanto clarius & certius, quanto simplicius interiusque conspicias. Cum igitur nec oculis corporis, sicut corpora siue cœlestia, siue terrestria, nec mentis aspectu sicut ea sunt quorum nonnulla commemoraui quæ apud temetipsam certissime intueris, nunc videamus Deum, cur credimus eum videri, nisi quia scripturæ accommodamus fidem vbi legitur. *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt*, & si qua alia in hac sententia mea de diuina auctoritate conscripta sunt, cui non credere nefas ducimus, credere autem

H pietatis esse minime dubitamus. Inter videre quoque & credere hoc distare dicamus, quia præsentia videntur, creduntur absentia, plane forsitan satis est, si præsentia illa hoc loco intelligamus dicta, quæ præsto sunt sensibus, siue animi siue corporis, vnde etiam ducto vocabulo præsentia nominantur. Sicut enim hanc lucem corporis sensu, sic & meam voluntatem plane video, quia præsto est animi mei sensibus, atque intus mihi præsens est. Si quis vero mihi indicet voluntatem suam, cuius os & vox mihi præsens est, tamen quia ipsa voluntas quam mihi indicat, latet sensum corporis & animi mei, credo, non video, aut si eum mentiri existimo, non credo; & si forte, vt dicit, ita sit. Creduntur ergo illa quæ absunt à sensibus nostris, si videtur idoneus, qui de eis testimonium perhibet, videntur autem quæ præsto sunt, vnde & præsentia nominantur, vel animi vel corporis sensibus. Constat igitur nostra scientia ex visis rebus & creditis, sed in his quæ vidimus vel videmus, nos ipsi testes sumus, in his autem quæ credimus, alijs testibus mouemur ad fidem, cum earum rerum quas nec vidis-

A se nos recolimus nec vidimus, dantur signa vel in vocibus, vel in literis, vel in quibusque documentis, quibus visis non visa credantur. Non autem immerito scire nos dicimus, non solum ea quæ vidimus aut videmus, verum & illa quæ idoneis ad quamque rem commoti, testimonijs vel testibus credimus: porro si scire non incongruenter dicimur etiam illud quod certissimum credimus, hinc factum est vt etiam recte, & si non adsint sensibus nostris videre mente dicamur. Scientia quippe menti tribuitur, siue per corporis sensus siue per ipsum animum aliquid perceptum cognitumque retineat, & fides ipsa, mente itaque videtur, quamuis hoc fide credatur quod non videtur. Vnde
1.Pet.1.8 Apostolus Petrus dicit, *in quem modo non videntes creditis*, & ipse Dominus. *Beati*, inquit, *qui non viderunt & crediderunt.*
Ioan. 20. 29. Illa enim quæ videt, adsunt sensibus, vel animi vel corporis, quæ autem credit, absunt à sensibus & animi & corporis, quamuis & voluntas eius, à quo audit vt credat, non sit præterita, sed maneat in loquente, quam in seipso idem ipse qui loquitur videt. Ille
B vero qui audit non eam videt, sed credit. Resurrectio autem præterita est, quam nec illi viderunt homines qui tunc fuerunt. Nam qui viderunt viuentem Christum, quem viderant morientem, ipsam tamen resurrectionem, cum fieret, non viderunt, sed eam certissime crediderunt, videndo & tangendo viuum, quem nouerant mortuum, nos totum credimus & quod resurrexerit, & quod ab hominibus tunc visus & tractatus sit, & quod nunc viuat in cœlis, nec iam moriatur & mors illi vltra non dominetur. Res autem ipsa nec corporis nostri sensibus adest, sicut adest hoc cœlum & terra, nec nostræ mentis obtutibus, sicut adest fides ipsa, qua hoc credimus. Veniamus ad causam. Scimus posse Deum videri, quoniam scriptum
Matt.5.8 est; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* An forte non debui dicere, scimus sed credimus, quoniam nec corpore aliquando vidimus sicut hanc lucem, nec mente, sicut ipsam in nobis, qua id, credimus, fidem? sed tantum quia scriptum est, in ea scriptura, cuius fideles sumus, quod verum sit, minime dubitamus:
C Apostolus tamen Ioannes cum tale aliquid diceret,
1.Ioa.3.2. *scimus*, inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, Ecce scite se dixit, quod nondum factum fuerat, nec videndo, sed credendo cognouerat. Recte itaque diximus, scimus posse Deum videri, quamuis eum non viderimus, sed diuinæ auctoritati, quæ sanctis libris continetur credideramus, quid est ergo quod eadem dicit auctoritas, Deum nemo vidit vnquam. An fortasse respondetur, quod illa testimonia de videndo Deo sint, non de viso, ipsi enim Deum videbunt, dictum est. Non viderunt, & non vidimus, sed videbimus eum sicuti est: proinde his sententijs non
Ioa.1.18. est contrarium, *Deum nemo vidit vnquam.* Videbunt enim quem non viderunt, qui mundo corde filij Dei esse voluerunt, quid est igitur, *Vidi Deum facie*
D *ad faciem & salua facta est anima mea?* an & hoc con-
Gen.32. 30. trarium illi, quod dictum est, *Deum nemo vidit vnquam* & illud quod de Moyse scriptum est, *quia loque-*
Exod. 33. 11. *batur cum Deo facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum.* & illud quod Propheta Esaias de seipso lo-
Isa.6.1. quens, ait *Vidi Dominum Sabaoth, sedentem in throno*, & si qua alia solent similia testimonia ex eadem auctoritate proferri, quomodo non sunt contraria sententiæ qua dictum est. *Deum nemo vidit vnquam.*

Ipsum quoque Euangelium potest putari sibi esse contrarium, quomodo enim verum est quod in eo di-
Ioa. 14.9 citur, *qui me vidit, vidit & patrem*, si Dominum nemo vidit vnquam, quomodo verum est, *angeli eorum semper vident faciem patris mei.* Si Deum nemo vidit vnquam? qua igitur regula intelligentiæ ista veluti contraria & repugnantia, non esse contraria nec repugnare probabimus, neq; enim fieri vllo modo potest, vt hæc scripturarũ auctoritas aliqua ex parte mentiatur, Si dicimus in eo quod scriptum est. *Deum nemo vidit vnquam*, homines tantummodo intelligendos. Sic etiam illud dictum
E est. *Nemo scit quid agatur in homine nisi spiritus hominis qui* 1.Io.4.12
in ipso est. Nemo vtique hominum. Neque enim hoc de Deo accipi potest cum de Christo scriptum sit, non opus fuisse vt quisquam illi testimonium perhiberet de homine, quoniam ipse sciebat, quid esset de homine. Nam hoc Apostolus planius explicans, *quem nemo*, inquit, *hominum vidit, nec videre potest.* Si ergo ita dictum Ioa.1.18.
est, *Deum nemo vidit vnquam* ac si diceretur, nemo hominum, hactenus illa quæstio soluta videbitur, vt non sit huic sententiæ contrarium quod Dominus ait, *Angeli eorum semper vident faciem patris mei*, vt scilicet angelos De- Matt.18. 10.
um videre credamus, quem nemo vidit vnquam, subaudiatur; hominum. Quomodo ergo Deum vidit, Abraham, Isaac, & Iacob, Iob, Moyses, Micheas, Esaias, & si qui alij sunt, de quibus veracissima scriptura testatur, quod viderint, si Deum nemo vnquam hominum vidit, nec videre potest? quanquam nonnulli volentes probare etiam impios visuros Deum. A diabolo quoque ipso Deum visum putant. Sic accipientes, quod scriptum est in libro Iob, venisse cum Angelis & Diabolum in
F conspectu Dei, vt iam & illud veniat in quæstionem, quomodo dictum sit. *Beati mundo corde, quia ipsi Deum* Mat.5.8.
videbunt, & illud. *Pacem sectamini cum omnibus & sanctifi-* Hebr. 12. 14.
cationem, sine qua nemo poterit videre Deum. Multum enim miror, si eo vsque progrediuntur, qui existimant impios visuros Deum, & à Diabolo visum Deum, vt eos & mundo esse corde, & pacem ac sanctificationem cum omnibus sectari asseuerent. Nam quod Dominus ait *qui me videt, videt & patrem*, potest paulo atten- Ioa.14.9.
tius consideratum, non videri esse contrarium ei quod dixit. *Deum nemo vidit vnquam.* Neque enim dixit, Ioan.1.8.
qui me vidistis, vidistis & patrem; sed dicendo, *qui me videt, videt & patrem*, ostendere voluit vnitatem substantiæ patris & filij, ne in aliquo inter se putarentur esse dissimiles. Ac per hoc quoniam verum dictum est, *qui me videt, videt & patrem*, profecto quoniam Deum nemo hominum vidit vnquam, nec patrem quisquam putandus est vidisse, nec filium, secundum quod Deus est, & filius cum patre vnus Deus: Nam secundum id quod homo est, vtique in terra visus est, & cum ho-
G minibus conuersatus est. Sed magna quæstio est, quomodo non sit contrarium quia tot antiqui viderunt Deum, si Deum nemo vidit vnquam: quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Vides quam difficilem mihi proposueris quæstionem, vnde me aliquid prolixe copioseque scribere voluisti, ex occasione breuis epistolæ meæ, quæ tibi visa est diligentius & vberius explicanda. Visne ergo attendere quæ apud alios interim comperi diuinarum scripturarum egregios tractatores, quid de visione Dei senserint, ne forte sufficiant desiderio tuo, quamuis ea forsitan noueris, pauca ergo ista attende si placet. Cum Euangelium exponens beatus Ambrosius Mediolanensis Episcopus venisset ad eum locum vbi Angelus apparuit in templo Zachariæ sacerdoti, ex hac occasione, vide quanta & qualia de Dei etiam visione disseruit. Non immerito, inquit, angelus videtur in templo, quia veri sacerdotis iam nunciabatur aduentus, & cœleste sacrificium
H parabatur, in quo angeli ministrarent, & bene apparuisse dicitur ei qui eum repente conspexit hoc specialiter aut de Angelis aut de Deo scriptura diuina tenere consueuit, vt quod non potest prouidere, apparere dicatur. Sic enim habes. *Apparuit Deus Abrahæ ad ilicem* Exod. 6.3
mambre. Nam quia ante non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur. Non enim similiter sensibilia videntur, & is cuius in voluntate situm est videri, & cuius naturæ est non videri, voluntatis videri. Nam si non vult non videtur, si vult, videtur. Apparuit enim Deus Abrahæ quia voluit, alijs quia noluit, non apparuit. Visum est etiam Stephano cum lapidaretur à populo apertum cœlum, visus est etiam Iesus stans ad dexteram Dei, & non est visus à populo. Vidit Esaias Dominum Sabaoth, sed alijs videri non potuit, quia cui placuit apparuit, & quid de

hominibus

A hominibus loquimur, cum etiam de ipsis cœlestibus virtutibus & potestatibus legerimus, *quia Dominum nemo vidit vnquam*: & addit quod vltra cœlestes est potestates, vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse narrauit. Aut adquiescatur igitur necesse est, si Deum Patrem nemo vidit vnquam, filium visum esse in veteri testamento, & desinant hæretici, ex virgine ei principium dare, qui antequam nasceretur ex virgine, videbatur, aut certe refelli non potest, vel patrem vel filium, vel certe Spiritum sanctum, si tamen est sancti Spiritus visio, ea specie videri quam voluntas elegerit, non natura formauerit, quoniam spiritum quoque visum accipimus in columba. Et ideo Deum nemo vidit vnquam, quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem diuinitatis, nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. *Vidit enim*, ad vtrumque referendum est, denique cum auditur, *vnigenitus filius ipse enarrauit*, mentium magis quam oculorum visio declaratur. Species enim videtur, virtus vero narratur, illa oculis, hæc mente comprehenditur: sed quid de trinitate dicam? Seraphim quando voluit, apparuit, & vocem eius Esaias solus audiuit. Apparuit Angelus & nunc præsto est, sed non videtur. Neque enim in potestate nostra est videre, sed in potestate illius apparere, tamen etsi potestas non est videndi, est gratia promerendi vt videre possimus, & ideo qui habuit gratiam, meruit copiam. Nos copiam non meremur, quia Deum videndi gratiam non habemus. Et quid mirum si in præsenti seculo, nisi quando vult Dominus non videtur, in ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre, nisi his qui corde sint mundo, *& ideo Beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt*. Quantos beatos iam numerauerat & tamen videndi his Deum non promiserat facultatem, si ergo hi qui mundo sunt corde Deum videbunt, itaque alij non videbunt, neque enim indigni Deum videbunt, neque is qui Deum videre noluerit, potest Deum videre. Nec in loco Deus videtur, sed mundo corde, nec ipse corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu & cum absens putatur videtur, & cum præsens est non videtur. Denique nec Apostoli omnes Christum videbant & ideo ait. *Tanto tempore vobiscum sum & adhuc me non cognouistis*, qui enim cognouit, quæ sit longitudo & latitudo & altitudo, & profundum, & supereminentem scientiæ caritatem Christi vidit & Christum vidit & patrem. Nos enim iam secundum carnem non nouimus Christum, sed secundum spiritum, spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, qui nos in omnem plenitudinem Dei misericordia sua implere dignetur, vt videri possit à nobis, inuisibilis est igitur natura Deus non tantum pater, sed & ipsa trinitas, vnus Deus, & quia non tantum inuisibilis, verum etiam incommutabilis, sic apparet, quibus voluerit, in qua voluerit specie, vt apud eum integra maneat eius inuisibilis incommutabilisque natura, desiderium autem veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt & inhianter ardescunt, non opinor in eam speciem contuendam, flagrat, qui vt vult apparet, quod ipse non est, sed in eam substantiam, qua ipse est quod est, huius enim desiderij sui flammam, sanctus Moyses fidelis famulus eius ostendit, vbi ait Deo, cum quo vt amicus facie ad faciem loquebatur, *si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum*. Quid ergo? Ille non erat ipse? si non est & ipse non ei diceret *ostende mihi temetipsum*, sed ostende mihi Deum, & tamen si eius naturam substantiamque conspiceret, multo minus diceret, *ostende mihi temetipsum*. Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat. Non autem ipse apparebat in natura propria quam Moyses videre cupiebat, & quæ promittitur sanctis in alia vita. Vnde quod responsum est Moysi verum est, quia *nemo potest faciem Dei videre, & viuere*, id est, nemo potest eum in hac vita viuens videre, sicuti est. Nam multi viderunt sed quod voluntas elegit non quod natura formauit, & illud quod Ioannes ait, si recte intelligitur: *Dilectissimi filij Dei sumus & nondum apparuit, quod erimus, scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, nō sicut eum homines viderunt quando voluit in specie qua voluit non in natura, quæ in semetipso etiam cum videretur, latuit, sed sicuti est, quod ab eo petebatur, cum ei diceretur *ostende mihi temetipsum*, ab eo qui cum illo facie ad faciem loquebatur. Non quia Dei plenitudinem quisque non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit. Aliud est enim videre, aliud est totum videndo comprehendere quandoquidem id videtur quod præsens vtrumque sentitur, totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt, sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circumspici autem potest finis anuli tui. Exempli gratia duo posui, quorum alterum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet, visus enim sicut ille ait ad vtrumque referendus est, id est, ad oculos & ad mentem, porro si propterea Deum nemo vidit vnquam, quia sicut ait disputator, cuius verba consideramus, plenitudinem diuinitatis eius nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Vidit enim ad vtrumque referendum est. Restat inquirere quomodo Angeli Deum videant, propter illud quod ex Euangelio commemorauit: *Angeli eorum semper vident faciem patris mei*, si enim & ipsis, non sicuti est, sed latente sua natura in specie qua voluerit, apparet, magis magisque requirendum est, quomodo cum nos videbimus sicuti est, & sicut Moyses desiderauit cum peteret, vt Deus qui in conspectu eius erat ostenderet illi semetipsum, hoc enim nobis summum præmium in resurrectione promittitur quod erimus æquales Angelis Dei. Ac per hoc si nec ipsi eum vident sicuti est? quomodo nos ita visuri sumus, cum eis æquales in resurrectione facti fuerimus? sed vide quid consequenter dicat noster Ambrosius. Denique inquit, cum additur; *vnigenitus filius ipse narrabit*, mentium magis quam visio oculorum declaratur, Species enim videtur, virtus vero narratur. Illa oculis, hæc mente comprehenditur. Qui paulo ante dixerat visionem ad vtrumque referendam, nunc eam non menti sed oculis dedit, non vt opinor negligenter sua verba respiciens, sed quia vsitatius in loquendo solemus oculis attribuere visionem, sicut speciem corpori. Nam & hæc, mos loquendi crebrius vsurpat in rebus, quæ locis continentur, varianturque coloribus. Sed si nulla species esset mente contuenda non diceretur *ille speciosus forma præ filiis hominum*. Neque enim hoc secundum carnem dictum est, & non secundum speciem spiritalem, proinde narrante vnigenito, qui est in sinu patris narratione ineffabili creatura rationalis munda & sancta, impleretur Dei visione ineffabili, quam tunc consequemur, cum æquales Angelis facti fuerimus, quia sicut videntur ista visibilia corporis sensibus nota, *Deum nemo vidit vnquam*. Quoniam si aliquando eo modo visus est, non sicut ista natura videtur sed voluntate visus est, specie qua voluit apparens, latente natura atque in se incommutabiliter permanente, eo autem modo quo videtur sicuti est, nunc fortasse videtur à quibusdam angelis, A nobis autem non ita videtur, cum eis facti fuerimus æquales. Deinde cum addidisset, *quia nec potestates cælorum sicut Seraphin nisi cum volunt & quemadmodum volunt videntur*: vt hinc etiam conijceretur, quanta sit inuisibilitas trinitatis, tamen inquit, *& si potestas non est videndi, est gratia promerendi*, vt videre possimus, & ideo qui habuit gratiam meruit copiam. Nos copiam non meremur, quia Deum videndi gratiam non habemus. His itaque verbis quibus non sua docet, sed Euangelium exponit, non hoc voluit intelligi quod quidam eorum videbunt Deum, quidam vero non videbunt, quibus credentibus dedit potestatem filios Dei fieri, cum ad eos omnes pertineat quod dictum est, *videbimus eum sicuti est*, Sed dicendo nos copiam non meremur quia Deum videndi gratiam

Marginalia: Ioan. 1. 8. — B — Mat. 8. 5. — C — Ioa. 14. 9. — D — Exod. 33. 13. — Ibid. 20. — E — 1. Ioa. 3. 2. — F — Matt. 18. 10. — Exo. 33. 13. — De promissione summi præmij in resurrectione. — Ambros. — G — Ps. 44. 3. — H — * for: videbitur.

A non habemus de hoc seculo se loqui significauit, vbi quibusdam Deus licet non in sua natura, sed in qua voluit specie dignatus est apparere, sicut Abrahæ, sicut Esaiæ alijsque similibus. Cæteris vero innumerabilibus quamuis ad suum populum & hæreditatem æternam pertinentibus nulla vel tali specie se demonstrat: In futuro autem sæculo, qui regnum accepturi sunt quod eis ab initio præparatum est omnes eum corde mundo videbunt, nec in illo regno nisi tales erunt. Attende itaque id quod adiungit, iam de illo sæculo dicere incipiens, *& quid mirum*, inquit, *si in præsenti sæculo nisi quando vult Dominus non videtur.* In ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre nisi eis qui corde sint mundo, & ideo, *beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt*, quantos beatos iam numerauerat & tamen videndi his Deum non promiserat facultatem; si ergo hi qui mundo sunt corde Deum videbunt, vtique alij non videbunt, neque indigni Deum videbunt, neque is qui Deum videre noluerit potest Deum videre, cernis quod circumspecte loquatur iam de

B ijs qui in futuro sæculo Deum videbunt, neque enim omnes sed qui digni sunt. Resurgent enim & digni & indigni regno illo, vbi videbitur Deus, quoniam omnes qui monumentis sunt audient vocem eius & procedent, sed cum magna differentia. Nam qui bene fecerunt in resurrectionem vitæ, qui autem male egerunt in resurrectionem iudicij, hic iudicium pœnam æternam significat, sicut etiam illud dictum, *qui*

Ioa. 3. 18. *non credit, iam iudicatus est*, quod ergo ait sanctus Ambrosius, *neque is qui Deum videre noluerit potest Deum videre*, quid aliud intelligi voluit nisi quia is qui mundando cordi curam tanta re dignam non vult impendere, non vult Deum videre, vide proinde quid adiungat, *nec in loco*, inquit, *Deus videtur, sed mundo corde.* Quid euidentius, quid expressius dici potuit, ab hac igitur visione Diabolus & Angeli eius & omnes cum ijs impij sine vlla nebula dubitationis exclusi sunt, quoniam mundo corde non sunt, ac per hoc quod scriptum est in libro Iob, venisse angelos in conspectu Dei & venisse cum eis Diabolum, non ideo dia-

C bolus Deum vidisse credendus est. Ipsi enim dicti sunt venisse in conspectu Dei, non Deus in conspectu eorum. Nec opus est hoc loco immorari, vt pro viribus nostris conemur ostendere quomodo & hoc temporaliter fiat, cum in Dei conspectu semper sint omnia. Nunc enim quæritur quomodo videatur Deus non in ea specie, qua & in isto sæculo quibusdam voluit apparere, quando non solum cum Abraham alijsque iustis, verum etiam cum Cain fratricida locutus est, sed quomodo videatur in illo regno, vbi filij eius eum videbunt sicuti est. Tunc quippe satiabitur in bonis desiderium eorum. Quo desiderio flagrabat Moyses, cui loqui ad Deum facie ad fa-

Exod. 33. 13. ciem non sufficiebat & dicebat, *ostende mihi temetipsum manifeste vt videam te*, tanquam diceret quod in Psal-

Psal. 16. 15. mo ex eodem desiderio canitur, *Satiabor dum manifestabitur gloria tua.* Quo desiderio ardebat & Philip-

Ioan. 14. 8. 9. pus, & sic satiari cupiebat dicens. *Ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* De hac visione eius loquens etiam ipse amator & desiderator Ambrosius, non in

D loco inquit Deus videtur & sicut ad ilicem mambre, sicut in monte Sina, sed mundo corde, & sequitur, sciens quid desideret, & quid æstuet & quid speret. Nec corporalibus inquit oculis Deus quæritur, quibus se ostendit Abrahæ, Isaac, Iacob & alijs in hoc sæculo, nec circumscribitur visu, propter illud quod quod dictum est, posteriora mea videbis, nec tactu tenetur, sicut etiam luctatus est cum Iacob, nec auditur affatu, sicut non solum à tot sanctis, verum etiam à Diabolo auditus est, nec sentitur incessu, sicut aliquando cum in paradiso deambularet ad vesperam, vides quemadmodum vir sanctus enitatur mentes nostras ab omnibus carnis sentibus euocare vt aptas faciat ad videndum Deum, & tamen quid agit talis extrinsecus plantator & rigator, nisi intrinsecus operetur qui dat incrementum Deus, quis enim sine adiutorio spiritus Dei cogitare valeat esse aliquid, magisque esse, quam omnia quæ per corpus sentiuntur, quod nec in loco videatur, nec quærendum sit oculis, nec audiatur affatu nec tactu teneatur, nec sentiatur incessu, & videatur tamen, sed corde mundo. Neque enim de hac vita ille loquebatur, cum hoc diceret quandoquidem ab hoc sæculo in quo Deus apparuit, non sicuti est, sed in specie qua voluit, quibus voluit. Satis discreuit sæculi futuri vitam discretione apertissima, vbi ait, & quid mirum si in præsenti sæculo, nisi quando vult Dominus non videtur. In ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre, nisi his qui corde sint mundo. Et ideo, *beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt*, hinc iam de illo sæculo dicere exorsus est vbi Deum videbunt, non omnes qui resurgent, sed qui resurgent ad vitam æternam non indigni de quibus dictum est, *tollatur impius ne videat claritatem Domini*, sed digni de qualibus dixit ipse Do-

Io. 14. 21. minus cum præsens non videretur, *qui diligit me mandata mea custodit, & qui diligit me, diligitur à patre meo*

F *& ego diligam eum & ostendam meipsum illi*, nec hi, qui-

Matt. 25. 41. bus dicetur, *ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius*, sed hi quibus dicetur, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est,* Ibi. v. 34.

ab initio mundi, Illi quippe ibunt in ambustionem æternam, Isti autem in vitam æternam: Et quæ est vita æterna, nisi quod ipsa vita alibi dicit. *Hæc est* Quid sit

autem vita æterna vt cognoscant te vnum Deum verum, & vita æter-

quem misisti Iesum Christum, sed sic quomodo promisit na.

ostensurum seipsum dilectoribus suis cum patre vnum Ioa. 17. 3.

Deum non quomodo in hoc sæculo in corpore visus est à bonis & à malis, in iudicio enim futuro quo sic venturus est, quomodo visus est iens in cœlum, hoc est, in eadem forma filij hominis eandem formam videbunt, quibus dicturus est, *Esuriui & non dedistis* Matt. 25.

mihi manducare, quia & Iudæi videbunt in quem pupu- 42.

gerunt, non illam Dei formam in qua non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. In illa Dei forma tunc videbunt eum, qui videbunt sicuti est. Nec ideo videbunt, quia pauperes spiritu in hac vita fue-

G runt, quia mites, quia lugentes, quia esurientes & sitientes iustitiam, quia misericordes, quia pacifici, quia persecutionem passi propter iustitiam, quamuis & hæc omnia idem ipsi sint, sed quia mundo sunt corde. Ideo quippe inter illas beatitudines cum omnia faciant, qui cor mundum habent, non est tamen alicubi positum: *Deum videbunt*, nisi vbi dictum

Matt. 5. 8. est, *Beati mundo corde, quoniam mundo corde videbitur*, qui nec in loco videtur, nec oculis corporalibus quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu videtur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu., *Deum*

Ioan. 1. 8. *enim nemo vidit vnquam, vel in hac vita*, sicuti ipse est, vel etiam in Angelorum vita, sicut visibilia ista quæ corporali visione cernuntur, quia vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse narrauit. Vnde non ad oculorum corporalium sed ad mentium visionem dictum est pertinere quod narrat, sed rursus ne desiderium nostrum à corporis sensu ad alium corporis sensum migraret, hoc est ad aures ab oculis, ideo cum

H dixisset *nec corporalibus oculis Deus quæritur nec circumscribitur visu: nec tactu tenetur*, addidit etiam, *nec auditur affatu* vt si possimus vnigenitum filium qui est in sinu patris sic intelligamus narrantem quomodo & verbum est non sonus auribus strepens, sed imago mentibus innotescens, vt illic interna & ineffabili luce clarescat, quod dictum est, *qui me videt videt*

Ioa. 14. 9. *& patrem*, quod hic Philippo dicebatur quando videbat & non videbat, sequitur enim huius visionis eximius concupitor Ambrosius dicens, *& cum absens putatur videtur & cum præsens est non videtur.* Non dixit cum absens est, sed cum absens putatur. Nusquam enim est absens qui cœlum & terram implet nec spaciis includitur, paruis magnisue diffunditur, sed vbique totus est, & nullo continetur

loco,

A loco, hoc qui excedente mente intelligit, videt Deum, & cum absens putatur. Qui autem hoc non potest, oret & agat, vt posse mereatur, nec ad hominem disputatorem pulset, vt quod non legit, legat, sed ad Deum saluatorem, vt quod non valet, valeat, potest tamen mouere quomodo iam ipsa Dei substantia videri potuerit à quibusdam in hac vita positis, propter illud quod dictum est ad Moysen, *nemo potest faciem meam videre & viuere*, (Exod. 33. 20.) nisi quia potest humana mens diuinitus rapi ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne soluatur, sic enim raptus est, qui audiuit illic ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, vbi vsque adeo facta est ab huius vitæ sensibus quædam intentionis auersio, vt siue in corpore siue extra corpus fuerit, id est, vtrum sicut solet in vehementiore exstasi mens ab hac vita in illam vitam fuerit alienata manente corporis vinculo, an omnino resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, nesciret se diceret. Ita fit vt & illud verum sit quod dictum est, *Nemo potest faciem meã videre & viuere*, quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, B quando in illius ineffabilitatem visionis adsumitur, & non sit incredibile, quibusdam sanctis nondum ita defunctis vt sepelienda cadauera remanerent, etiam istam excellentiam reuelationis fuisse concessam. Porro quod dicit Apostolus scribens ad Ephesios, (Eph. 3. 14) *huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem, corroborari per spiritum eius in interiore homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris in caritate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum, Scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Ego hæc verba Apostoli Pauli sic intelligere soleo. In latitudine, bona opera charitatis, in longitudine perseuerantiam vsque in finem, in altitudine, spem cœlestium præmiorum, in profundo inscrutibilia iudicia Dei. Vnde ista gratia in homines venit, qui nos in omnem plenitudinem Dei misericordia sua implere dignetur, vt videri possit à C nobis.

Nunc autem quod mihi proposueras & ad explicandum difficile videbatur, vtrum explicatum sit, diligenter attende recolendo quæ dicta sunt. Si enim quæris vtrum possit Deus videri. Respondeo potest, si quæris vnde sciam, Respondeo quia in veracissima scriptura legitur. (Matt. 5. 8) *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* & cætera talia, si quæris quomodo dictus sit inuisibilis si videri potest, respondeo inuisibilem esse naturam, videri autem cum vult, plurimis enim visus est: non sicuti est, sed quali specie illi placuit apparere, si quæris quomodo eum vidit vel Cain sceleratus, quando de suo scelere ab illo interrogatus & iudicatus est, vel etiam ipse diabolus, quando venit cum angelis vt coram illo assisteret, *si beati mundi corde quoniam ipsi Deum videbunt*, respondeo nunquid est esse consequens vt etiam videant Deum, qui voces ab eo factas aliquando audiunt. Neque enim viderunt eum qui audierunt, quando dixit ad filium (Io. 12. 18.) *& clarificaui & iterum clarificabo*. Veruntamen non esse mirandum, D etsi aliqui etiam non mundi corde vident Deum in specie, quam voluntas eius fecerit latente inuisibili & apud se incommutabili manente natura. Si quæris vtrum etiam sicuti est aliquando possit videri, respondeo, filijs hoc esse promissum, de quibus dictum est, (1. Ioa. 3. 2) *scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Si quæris vnde eum videbimus, respondeo, vnde angeli vident, quibus tunc erimus æquales, sicut enim videntur ista quæ visibilia nominantur, (Ioan. 1. 18) *Deum nemo vidit vnquam*, nec videri potest, *quoniam lucem habitat inaccessibilem*, & est natura inuisibilis sicut incorruptibilis quæ contextim Apostolus posuit dicens, (1. Tim. 1. 17.) *Regi autem sæculorum inuisibili incorruptibili*, quia sicut nunc incorruptibilis nec postea corruptibilis, ita non solum nunc sed etiam semper inuisibilis, nec in loco enim videtur sed mundo corde nec corporalibus oculis quæritur nec auditur affatu, nec sentitur E incessu, vnigenitus autem filius qui est in sinu patris deitatis naturam atque substantiam insonabiliter narrat & ideo dignis idoneisque tanto conspectu, oculis etiam inuisibiliter monstrat. Ipsi enim sunt oculi de quibus Apostolus dicit, (Eph. 1. 18) *Illuminatos oculos cordis vestri*, de quibus dicitur, (Psal. 12. 4) *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte*: Dominus enim spiritus est vnde qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Proinde qui potest Deum inuisibiliter videre, ipse Deo potest incorporaliter adhærere. Porro si ea quæ in animo nostro sunt corporalibusque locis, simillima, non tamen locorum spacijs ac finibus continentur, nec interuallis localibus in nostra memoria reponuntur, quanto magis illa, quæ nullam gerunt similitudinem corporum, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, nulla locorum spatia tenent, nulla intercapedine separantur, aut aliqua oculi cordis, qua radios suos mittant, vt ea videant interualla conquirunt. Nonne omnia in vno sunt sine angustia, & suis terminis nota sunt sine circuitu regionum. Aut dic in quo loco videas charitatem, F quæ tamen in tantum tibi cognita est, in quantum eam potes mentis acie contueri. Quam non ideo magnam nosti, quia ingentem aliquam molem conspiciendo lustrasti, nec cum tibi intus loquitur secundum eam viuas, vllis perstrepit sonis, nec vt eam cernas corporalium lumen erigis oculorum, nec vt eam fortiter teneas, corporalium vires præparas lacertorum, nec cum tibi venit in mentem, sentis eius incessum, Ecce etiam charitas quantulacumque in nostra voluntate consistit, nobisque conspicua est, nec in loco videtur, nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu, quanto magis Deus ipse cuius hoc pignus in nobis est, nam si interior homo noster quantulacumque imago eius, non de illo genita, sed ab illo creata, quamuis adhuc renouetur de die in diem, iam tamen in tali luce habitat, quo nullus oculorum corporalium sensus accedit, si ea quæ in illa luce cordis oculis intuemur & discernuntur intra se & nullis locorum spatijs separantur, quanto magis Deus G qui lucem habitat inaccessibilem corporis sensibus, quo nec ipsis nisi mundi potest esse cordis accessus. Cum igitur lucem istam omni corporali luci non solum iudicio rationis sed amoris quoque appetitu proposuerimus, quanto id magis videbimus, tanto melius valebimus, donec sanentur omnes languores animæ nostræ ab illo qui propitius sit omnibus iniquitatibus nostris arbitror iam te concedere his omnib. consideratis recte dictum esse, quod Deus nec in loco videtur, sed mũdo corde, nec corporalib. oculis quæritur, nec circũscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu, & si quid in his minus intelligimus vel aliter sapimus id quoq; nobis Deus reuelabit, si in ꝙ peruenimus in eo ambulemus. Peruenimus aũt vt credamus Deũ nõ corpus esse, sed spiritũ: Peruenimus ẽt vt credamus quod Deum nemo vidit vnquã, & quod Deus lux est, & tenebræ in eo nõ sunt vllæ, & quod apud eũ non est cõmutatio, nec momẽti obumbratio, & quod lucẽ habitat inaccessibilẽ, quẽ nemo hominũ vidit, nec videre potest, & quod pater & filius & spiritus S. vnus Deus est, sine vlla diuersitate & separatione naturæ, & quod mundi corde eum videbunt, & quod similes ei erimus, quoniã videbimus eũ sicuti est & quod Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in illo manet, & quod pacẽ ac sanctificationẽ H sectari debemus, sine qua nemo poterit videre Deum, & quod corruptile hoc mortale corpus nostrum in resurrectione cõmutabimur & inducet incorruptionẽ atq; immortalitatem, & quia seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale transfigurante Domino corpus humilitatis nostræ vt cõforme faciat corpori gloriæ suæ, & quod Deus fecit hominẽ ad imaginẽ suam & quod spiritu mẽtis nostræ renouamur in agnitione Dei, secundũ imaginẽ eius qui creauit nos, in his atq; huiusmodi scripturarum sanctarum auctoritatib. per fidem ambulantes, qui dato vel adiuto diuinitus intellectu spiritaliter profecerunt,

A & ſpiritalia ſpiritalib.comparare potuerunt,viderũt me-
lius videri mente quam corpore,& ea videri mente, quæ
non continerentur locis,nec tn tenentis locorũ interual-
lis ſepararentur,nec minora eſſent in parte quam in toto,
Vnde quia& inuiſibilis in ſcripturis ſanctis eius ſubſtãtia
cõmendatur & viſus eſſe à plurimis per corpus & corpo-
ralib.locis in ijſdẽ auctoritatib.inuenitur,aut ſpiritu quo
corporales cernuntur imagines per aliquã licet incorpo-
ream,tñ ſimilitudinẽ corporis ſicut in ſomnis vel in ex-
ſtaſi,ſecreuit ille vir ſanctus,Dei naturam ab huiuſmodi
viſionib.eaſq; dixit eſſe quas Dei voluntas elegiſſet, non
quas natura formaſſet,facit n.iſta Deus quibus vult , vt
vult,cui vult,quando vult vt appareat ſua latente atque
in ſe incommutabiliter manente ſubſtantia, ſi enim vo-
luntas noſtra apud ſe manens & latens,ſine vlla ſui com-
mutatione,per quas ſe vtcumq; oſtẽdat, exprimit voces,
quanto facilius Deus omnipotens ſua latente atq; incõ-
mutabiliter manẽte natura,in qua voluerit ſpecie poteſt
cui voluerit apparere,qui ex nihilo creauit omnia atq; in
ſe manẽs innouat omnia,ad eam vero viſionẽ, qua vide-
B bimus Deũ ſicut eſt,mundanda corda cõmonuit.Quia n.
corpora cõſuetudine loquendi viſibilia nominãtur,pro-
pterea Deus inuiſibilis dicitur nec corpus eſſe credatur,
nõ quia corda mũda ſuæ ſubſtantiæ contẽplatione frau-
dauit,cũ hæc magna & ſumma merces Deũ colentib. &
diligentib.promittatur, dicente ipſo Dño quando cor-
poralib.oculis viſibiliter apparebat, & inuiſibilẽ ſe cõtu-
Io.14.21. endũ mundis cordib.promittebat, *qui diligit me diligitur à
patre meo & ego diligã eum & oſtendã meipſum illi*,hæc quippe
natura eius æqualiter cũ patre inuiſibilis, ſicut æqualiter
incorruptibilis eſt,quæ ſicut ſupra dictũ eſt continuatim
Apoſtolus poſuit diuinam ſubſtantiã qua potuit homi-
nib.prædicatione cõmendans,quã ſi oculi corporales in
reſurrectione mutata corporũ qualitate conſpicient, vi-
derint qui hoc poſſunt adſtruere , me plus mouet illius
ſententia,qui nec in ipſa reſurrectione hoc corporalibus
oculis ſed mũdis cordib.tribuit,& de ſpiritalis quidẽ cor-
poris qualitate ꝙ reſurrecturis promittitur vel diſcere a-
liquid adhuc vel quærere nõ recuſo, ſi tñ de hac re diſpu-
tantes illis vitijs carere poſſimus, q̃ plerumq; ſtudijs hu-
C manis & concertationib.excitantur,dum ſcriptũ eſt *vnus*
1.Cor.4. *pro altero infletur aduerſus alterũ*,ne dum altercando quæri-
6. mus veſtigare quomodo poſſit videri Deus ipſam pacem
ſanctificationemq; ꝑdamus,ſine qua nemo poterit vide-
re Deũ. Quod ipſe auertat à cordib.noſtris , vt ea ſua cõ-
tẽplationi munda reddat atq; cuſtodiat. Illud tñ quia nõ
dubito , non requiro quod Dei natura nunq̃ videatur in
loco.Iã vtrũ poſſit huius corporis oculis videri alqd ꝙ in
loco nõ videtur ab eis q̃ valent diſſerendo mõſtrare,cum
pace dilectionis audire paratus ſum,& ꝙ me mouet in cõ-
mune conferre. Poſtremo quia id ꝙ ego in illa epiſtola
mea dixi de iſtis noſtrę carnis oculis , q̃ neq; nũc poſſũt,
neq; tunc poterunt Deum videre,ẽt ſic verũ eſt.Nõ n.di-
ctũ eſt,niſi de oculis corporalib. ꝙ tunc nouerint ſi cor-
pus ipſũ ſpiritus erit,ac ꝑ hoc corporei oculi nunquã De-
um videbunt,quia cũ videbitur ſpiritus eum videbit non
corpus. Tota igitur quæſtio iã remanſit de corpore ſpiri-
tali, quãuis indicat incorruptionẽ & immortalitatẽ hoc
corruptile atq; mortale,& quãuis ex animali in ſpiritalem
mutemur, quæ diligentius ſollicitiuſq; tractanda eſt,ma-
xime ꝓpter corpus ipſius Dñi, qui transfigurat corp᷒ hu-
D militatis noſtræ cõforme corpori gloriæ ſuæ,vt poſſit ſibi
ſubijcere omnia.Cũm n &Deus pater videat filiũ&filius
patrẽ.ꝓcul dubio non ſunt audiendi qui viſionẽ nolunt
tribuere niſi corporalib.Neq;n.dici fas eſt,quod filiũ pa-
ter non videat,aut & ipſe vt videat corpore indutus eſt;
ſi non niſi ad corpus pertinet viſus , quid eſt quod in ipſo
mũdi exordio,antequã à filio eſſet vlla forma ſerui ſuſce-
Gen.1.4. pta,*vidit Deus lucem,quia bona eſt,& firmamentum & mare &
aridam & omne fænum atq; omne lignum,ſolem,lunã,ſtellas,re-
ptilia animarũ viuarũ,volatilia cœli,animã viuam. Poſtremo ẽt
vidit Deus omnia quæ fecit & ecce bona valde.* Quapropter do-
nec diligenti inquiſitione ſi Dñs adiuuerit , reperiatur,
quid ſecundũ ſcripturas de ſpiritali corpore, quod in re-
ſurrectione promittitur, ꝓbabilius ſentiendũ ſit,interim

nobis ſufficiat, quod vnigenitus filius idemq; mediator E
Dei & hominũ homo Chriſtus Ieſus ita videt patrẽ,ſicut
videtur à patre.Nos aũt ad illã viſionẽ Dei , quæ nobis in
reſurrectione ꝓmittitur non ex hoc mundo iſtam cõcu-
piſcentiam oculorũ transferre conemur ſed mundandis
cordibus pio ſtudeamus affectu , nec corporalẽ faciẽ co-
gitemus,cũ dicat Apoſtolus,*videmus nunc per ſpeculũ in æni-* 1.Cor.13.
gmate,tunc aũt facie ad faciẽ,præſertim quia Apoſtolus ex- 12.
preſſius dixit,*nunc ſcio ex parte,tunc aũt cognoſcã,ſicut & co-* Ibid.
gnitus ſum,ſi ergo tunc corporali Deũ facie cognoſcamus,
corporali nunc eius facie cogniti ſumus,*tunc n.cognoſcam*,
inquit,*ſicut & cognitus ſũ*. Vnde quis eũ non intelligat eo
loco ẽt noſtram faciẽ illam ſignificare voluiſſe de qua di-
cit alio loco.*Nos aũt reuelata facie gloriã Domini ſpeculantes,in* 2.Cor.3.
eandẽ imaginem transformamur,de gloria in gloriam tanquam à 18
Domini ſpiritu,de gloria ſc.fidei in gloriam contẽplationis
æternæ. Vt n.non tantũ quod B.Ambroſius, verum etiã,
quod S.Hieronymus ſenſit dicam , non ſolũ patris diui-
nitatis,ſed nec filij quidẽ nec Spiritus S. quia vna in trini-
tate natura eſt , poſſunt oculi carnis aſpicere , ſed oculi
mentis,de quibus ipſe ſaluator ait : *beati mundo corde quia* Mat.5.8.
ipſi Deum videbunt. Namq; ſicut alibi idẽ Hieronymus bre- F
uiter ac veraciter definiuit res incorporalis corporalibus
oculis non videtur. Has ſententias de re tanta , virorũ tã-
torum,nõ ob hoc interponere volui vt cuiuſquã homi-
nis ſenſum tanquam ſcripturæ canonicæ auctoritatẽ, ſe-
quendũ arbitreris , ſed vt illi qui aliter ſapiant conentur
mẽte videre,quod verũ eſt,& in ſimplicitate cordis quę-
rere Dñm,ne tam doctos diuinorũ eloquiorũ tractatores
temere reprehendant. Nec te moueat quod à quibuſdã
minus conſiderate dicitur,*quod tunc videbunt oculi corpora-
les.ſi Dominum non videbunt? An forte cæci erunt,vel ſine cauſa e-
runt*,neq; n.attendunt qui hæc loquuntur, quia ſi non e-
runt corpora,profecto illi oculi non erunt corporales, ſi
aũt erunt corpora,erit quod videre poſſint oculi corpo-
rales. Hæc de illa Epiſtola quam B.Auguſtinus ad Pauli-
nam ſcripſit de videndo Deo aſſumpſimus : Nunc aũt ex
eiuſdẽ doctoris Epiſtola quam ad Italicam conſcripſit de
corpore mediatoris ſi corporeis oculis videat ſubſtantiã
Dei pauca ſubnectere cenſemus.Lux vero ipſa, qua illu- G
minabuntur hæc omnia,quæ modo in cordib. recõdun-
tur,qualis aut quanta ſit quis lingua proferat,quis ſaltem
humana mente contingat,profecto lux illa ipſa eſt Deus,
quoniã Deus *lux eſt & tenebræ in eo non ſunt vllæ*; ſed lux Ioan.1.4.
mentium purgatarũ,non iſtorũ corporis oculorum: Erit
ergo tunc idonea mens in eo quo illam lucẽ videat quod
nunc *non dicerẽ.Hoc aũt oculus corporis,neq; nũc põt *iſta cõ-
neq; tunc videre poterit , anne quippe quod oculo cor- pendia
poris conſpici poteſt,in loco aliquo ſit neceſſe eſt,nec v- forte ſic
biq; ſit totũ,ſed minore ſui parte minorẽ locũ occupet & explicã-
maiore maiorem. Non ita eſt Deus inuiſibilis & incorru- tur, ꝙ
ptibilis qui ſolus habet immortalitatẽ & lucẽ habitat in- nunc nõ
acceſſibilem,quẽ nemo hominũ vidit nec videre poteſt. dicitur
Per hoc n. videri ab homine non poteſt , per quod videt eſſe.
homo corpore corpora. Nam ſi & mentib.piorũ eſſet in-
acceſſibilis non diceretur *accedite ad eum & illuminabimini*, Pſal.33.6
etſi mentibus piorum eſſet inuiſibilis,non diceretur , *vi-
debimus eũ ſicuti eſt*. Nam perſpice totam ipſam in Epiſtola
Ioannis ſententiã. *Dilectiſſimi*,inquit,*filij Dei ſumus & non-* 1.Ioa.3.2.
*dum apparuit quod erimus,ſcimus quia cum apparuerit ſimiles illi
erimus,quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. In tantũ ergo vide-
bimus in quantum ſimiles erimus quia & nunc in tantũ
non videmus in quantum diſſimiles ſumus. Inde igitur H
videbimus vnde ſimiles erimus. Quis aũt dementiſſimus
dixerit corpore nos vel eſſe vel futuros eſſe ſimiles Deo.
In interiore itaq; homine iſta ſimilitudo eſt q̃ renouatur
in agnitione Dei,ſecundũ imaginẽ eius qui creauit eũ, &
tãto efficimur ſimiliores illi quãto magis in ei᷒ cognitiõe
ꝓficimus q̃a etſi exterior homo noſter corrũpitur,ſed in-
terior renouatur de die in diẽ.Ita ſane vt in hac vita quãt᷒
cũq; ꝑfectus ſit, lõge abſit ab illa ꝑfectione ſimilitudinis
q̃ idonea erit ad videndũ Deũ ſicut dicit Apoſtol᷒,*facie ad* 1.Cor.13.
faciẽ,In quib.certe verbis ſi corporalẽ faciẽ voluerim᷒ ac- 12.
cipere conſequens erit vt ẽt Deus talẽ habeat faciẽ vt ſit
aliquod interuallum inter noſtram & ipſius , cum eum

videbimus

A videbimus facie ad faciem, & sit interuallū vtriq; , finis & membrorum habitus & terminus &c. absurda dictuq; & cogitatu impia, quibus animalis homo nō percipiens quę sunt Spiritus Dei, fallacissimis vanitatibus illuditur. Dicunt.n. quidam eorum, qui talia garriunt, sicut ad me potuit peruenire, nos Deum videre, nunc mente tunc corpore. Ita vt etiam impios cum pari modo asseuerent esse visuros. Vide quantū peius profecerunt dum sine limite timoris vel pudoris hac atq; hac vagabunda fertur impunita loquacitas. Antea dicebant carni suæ tantū hoc præstitisse Christū vt corporeis oculis videret Deum, deinde addiderunt etiam oēs sanctos receptis in resurrectione corporibus eodem modo Deū esse visuros. Nunc iam istā possibilitatem etiā impijs donauerunt, donent sane quātum volunt, & quibus volunt. Nam quis audeat contradicere hominibus de suo donantibus? qui enim loquitur mendacium de suo loquitur: tu autem cum his qui sanam doctrinam tenent, nihil istorum audeas vsurpare de tuo. [Mat. 5. 8.] Sed cum legis, *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* [1. Cor. 13. 12.] intellige impios non visuros, neque .n. beati mundo corde sunt impij. Item cum legis, *videbimus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,* vnde nunc videmus per [B] speculum in ænigmate, inde tunc videbimus facie ad faciem, hoc autem vtrumq; interioris hominis munus est, siue cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulat in qua vtitur speculo & ænigmate, siue in illa patria cum per speciem cōtemplabitur, pro qua visione positum est, *facie ad faciem.* Audiat caro carnalibus cogitationibus ebria, Spiritus est Deus & ideo qui adorant Deū in Spiritu & veritate adorare oportet, si adorare oportet quāto magis videre? quis.n. audeat affirmare Dei substantiam corporaliter videri? cū eam corporaliter noluit adorari, sed argute sibi videntur dicere & quasi interrogando promete, potuit præstare Christus carni suæ vt oculis corporeis videret patrē, an nō potuit, vt si non potuisse responderimus omnipotentiæ Dei nos derogasse proclament, si aūt potuisse consenserimus argumentationē suā ex nostra responsione cōcludant. Quanto iā tolerabilius desipiunt qui carnē asserunt emersurā in substantiā Dei & hoc futuram [C] esse quod Deus est, vt sic eā saltē videndo faciant idoneā non tanta diuersitate dissimilem, quam vanitatem credo istos habere à fide sua fortasse, & ab auribus, & tn̄ si interrogatione de hoc similiter arguantur, possitne hoc Deus an possit efficere, vtrum eius potestati detrahent, si non posse responderint? An hoc futurum fatebuntur, si posse consenserint, non negent exitū esse de hoc alieno laqueo [† forte deest, (si] † sic exeāt de suo, deinde cur solis oculis corporis Christi hoc donū attributū esse contendunt, nō etiā cæteris sensibus sonus ergo erit Deus, vt possit etiā auribus percipi & halitus erit vt possit olfactu sentiri, & liquor aliquis erit, vt possit & bibi, & moles erit vt possit & tangi, non inquiunt. Quid ergo an illud potest Deus, & hoc nō potest, si non posse dixerint, cur derogant omnipotentiæ Dei, si posse nolle responderint, cur solis oculis fauent. Inuidēt autem cæteris sensibus corporis Christi? Hæc de opusculis S. Augustini, Ambrosij atq; Hieronymi excerpsimus. Nunc quid de visione Dei futura B. Gregorius senserit cōsequenter ponemus, qui in expositione beati Iob libro octauo decimo, dum de visione diuinæ essentiæ tractaret [D] illam sententiam de libro Exodi quam Dn̄s Moysi petēti, vt ei manifestaret semetipsum manifeste ꝓtulit in medium dicens. Huic Dominicæ sententiæ qua ad Moysen [Exod. 33. 20.] dicitur. *Non enim videbit me homo & viuet.* Ioannem audi [Ioan. 1. 8.] concordantem, qui ait. *Deum nemo vidit vnquam.* Sed cum testamenti veteris patres intueor multos horum teste ipsa sacræ lectionis historia Deum vidisse cognosco. Vidit [Ge. 32. 30] quippe Iacob Dn̄m qui ait. *Vidi Dominum facie ad faciem, &* [Exo. 33. 11] *salua facta est anima mea.* Vidit Moyses Dn̄m, de quo scri- [Iob. 42. 5.] ptum est. *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum.* Vidit Iob Dn̄m, qui ait, *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Vidit Esaias [2. Par. 18 18.] Dn̄m qui ait. *In anno quo mortuus est rex Ozias vidi Dominum sedentem super soliū excelsum & eleuatū.* Vidit Micheas Dn̄m, qui ait: *Vidi Dominū sedentē super soliū suū & omnē exercitū cæli assistentē ei à dextris & à sinistris:* qd est ergo ꝙ tot testamenti

[E] veteris Patres Deum se vidisse testati sunt & tamen ipse ait. *Non enim videbit me homo & viuet,* & Ioannes ait. *Deum nemo vidit vnquam:* [Exod. 33. 20. Ioan. 1. 8.] nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia quamdiu hic mortaliter viuitur videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest, vt anima gratia Spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim eius essentiæ nō pertingat. Hinc est enim quod Iacob qui Deum se vidisse testatur, hunc non nisi in Angelo vidit: hinc est quod Moyses qui cum Deo facie ad faciem loquitur, sicut loqui solet homo cum amico suo, ad ipsum verba sua locutionis conuertens dicit: *Si inueni gratiam in conspectu tuo ostēde mihi temetipsum manifeste vt videā te.* [Exo. 33. 13] Certe enim si Deus non erat, cum quo loquebatur, ostende mihi Deum diceret, & non, ostende temetipsum, si aūt Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur se petebat posse videre, quem videbat. Sed in hac eius petitione colligitur, quia eum sitiebat per incircumscriptæ naturæ suæ claritatem cernere, quē iam cœperat per quasdā imagines videre, vt sic superna essentia mentis eius oculis adesset quatenus ei ad æternitatis visionē nulla imago creata temporaliter interesset: & viderūt ergo Patres testamenti veteris Dn̄m, [F] & iuxta Ioannis vocē *nemo vidit vnquā,* & iuxta eiusdē Dn̄i vocem *nemo Deum vidit & vixit,* quia in hac mortali carne consistētibus & videri potuit per quasdā circumscriptas imagines, & videri nō potest per incircumscriptum lumē æternitatis. Sin vero quibusdā potest in hac adhuc corruptibili carne viuētibus sed inæstimabili virtute crescentibus quodā contemplationis acumine æterna Dei claritas videri, hoc quoq; ab eiusdē virtutis sentētia nō abhorret, quia dicitur. *Non. n. videbit me homo & viuet,* [Exod. 33. 20.] quoniam quisquis sapientiā, quæ Deus est, videt, huic vitæ fūditus moritur, ne iam eius amore teneatur. Nullus quippe eam videt, qui adhuc carnaliter viuit, quia nemo potest amplecti Deū & seculum. Qui. n. Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis vel effectu operis ab huius vitæ delectationibus tota mēte separatur. *Nemo ergo Deum vidit & vixit,* ac si aperte diceretur: nullus vnquā Deū spiritaliter vidit & mūdo carnaliter vixit. Videbimus igitur [G] Deū si per cælestē conuersationē supra homines esse meteamur, nec tn̄ ita videbimus, sicut videt ipse seipsum. Lōge quippe dispariliter videt creator se quam videt creatura creatorem: quantum pertinet ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis, qua eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus, sed profecto non ita conspicimus Deum, sicut ipse conspicit se, sicut non ita requiescimus in Deo, quemadmodum ipse requiescit in se. Nam visio nostra vel requies erit vtcumque similis visioni requieiue illius; sed æqualis non erit. Perfecta requies est, qua Deus cernitur, & tamen nostra requies æquanda non est requiei illius, quia non à se in alium transit, vt quiescat. Est itaque requies, vt ita dicam similis atque dissimilis, quia quod illius requiescere est, hoc nostra requies imitatur, visio Dei nunc sic de inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando [H] coæternam Deo sapientiam, quam modo per opera prædicantium quasi per decurrentia flumina sumimus, ipso fonte bibetimus.

Sciendum vero est, quod fuerunt nōnulli, qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit, neque enim simplici & incommutabili essentiæ, aliud est claritas, aliud natura, sed ipsa natura sua claritas, & ipsa claritas sua natura est: quia etenim suis dilectoribus, hæc Dei sapientia se quandoque ostendit, in se pollicetur dicens. *Qui diligit me diligetur à Patre meo & ego diligam eum & manifestabo me ipsum illi:* [Ioa. 14. 21] Ac si patenter dicat. Qui in vestra me cernitis, restat vt in mea me natura videatis. Hinc rursum ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* [Mat. 5. 8.] Hinc Paulus dicit: *Nunc videbimus in speculo per ænigmata, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut & cognitus sum,* [1. Cor. 13. 12.] sed quia de Deo primō per prædicatorē Ecclesiæ dicitur, *in quem desiderant Angeli prospicere,* [1. Pe. 1. 12] sunt nonnulli qui nequaquam DEVM videre vel Angelos

A suspicantur, & tamen dictum per veritatis sententiam scimus: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei qui in cælis est.* Nunquid ergo aliud veritas, aliud prædicator sonat veritatis, sed si sententia vtraque confertur, quia sibi nequaquam discordet, agnoscitur. Deum quippe Angeli & vident & videre desiderant, & intueri sitiunt, & intuentur. Si enim sic videre desiderant, vt effectus sui desiderio minime perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam: Beati vero Angeli ab omni pœna anxietatis longe sunt, quia nunquam simul pœna & beatitudo conueniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quia & Psalmista ait: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua,* considerandum nobis est quia satietatem solet fastidium subsequi. (Ps.16.15.) Vt ergo recte sibi vtraque conueniant, dicat veritas, quia semper vident, dicat prædicator egregius, quia videre semper desiderant, ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur. Ne autem sit in satietate fastidium satiari desiderant, qualiter electi homines per hanc vitam satiantur visione diuina & desiderant, igitur hoc sine labore est, quia desiderium satietas comitatur, & satiantur sine fastidio quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.
B Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit enim nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longe ab ista siti necessitas, longe à satietate fastidium, quia & sitientes satiabimur & satiati sitiemus. Videbimus igitur Deum, ipsumque, erit præmium laboris nostri, vt post mortalitatis huius tenebras, accensa eius luce gaudeamus.

FINIS LIBRI PRIMI.

HRABANI MAVRI

LIBER SECVNDVS.

De puritate cordis.

C IN superiore libro iuxta doctrinam sanctorum Patrum de visione DEI futura sermonem quantum potuimus expleuimus, nunc de puritate cordis, per quam contemplatio DEI assurgit consequenter iuxta traditionem maiorum disserendum putamus, quia illis solis visio DEI promissa est, qui mundo sunt corde, ac ideo necesse est, vt carnalia in nobis mortificemus desideria & sacris virtutibus operam demus. Quatenus per earum opem diuina gratia largiente, ad cælestis regni beatitudinem & lucis æternæ contemplationem pertingere possimus.
D Quamuis enim ex Adam simus carnaliter nati, non ipsum tamen debemus imitari, sed CHRISTVM, in quo renati sumus & viuimus, quando veterem conuersationem salubriter innouati deponimus. Quid est imitari Adam? nisi pro carnalibus concupiscentijs ac desiderijs morte mulctari? Et quid est imitari CHRISTVM, nisi carnalibus concupiscentijs ac desiderijs crucifigi, sicut aliud non est veterem conuersationem deponere, quam non secundum carnem, quæ veterascit & moritur, sed secundum Deum viuere, qui solus potest perseuerantes in se innouare perenniter & beate. Quapropter sicut quando in Adam fuimus, omnes in ipso cadente cecidimus, ita quia in CHRISTO esse iam cœpimus, qui pro nobis omnibus dignatus est mori & nos peccatis nostris illi commortui cum illo spiritaliter resurgamus. In illo omnia bona quæ potuimus habere perdidimus, in hoc etiam maiora & sine fine habenda recepturi sumus, si perseueranter eius vestigia teneamus, Adam nos obnoxiauit malis omnibus per propriam culpam, à quibus nos liberauit aduentus CHRISTI per gratiam. Ille in nos culpam suam transmisit & pœnam, hicque culpam nostram suscipere vtpote conceptus & natus

E sine peccato non potuit, de susceptione pœnæ nostræ culpam nostram simul aboleuit & pœnam, & vt totum dicam, Adam nobis eripuit Paradisum, CHRISTVS donauit & cælum, & ideo si in illo esse volumus quod esse debemus, sicut Sanctus Ioannes Apostolus dicit, *quomodo ille ambulauit & nos spiritaliter ambulemus:* Quid est ambulare sicut ille ambulauit, nisi contemnere omnia prospera quæ contempsit, non timere aduersa quæ pertulit, libenter facere quæ fecit, fieri, docere, quæ mandauit, sperare quæ promisit, & sequi quo ipse præcessit, præstare beneficia etiam ingratis, non retribuere secundum merita sua maleuolis, & orare pro inimicis, amare bonos, misereri peruersos, inuitare aduersos, suscipere in charitate conuersos. Adhoc pertinet quod ait etiam Sanctus Paulus Apostolus: *si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* (Col.3.1.) Illi resurgunt
G cum CHRISTO qui moriuntur sicut ille peccato, ea tamen distinctione seruata quod ille mortuus est peccato, non suo, sed nostro, vniusquisque autem nostrum non omnium moritur peccato, sed suo. Quid est peccato mori, nisi damnandis operibus omnino non viuere, nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire, sicut enim mortuus carne nulli iam detrahit, nullum auersatur aut despicit, nullius pudicitiam callida circumuentione corrumpit, nemini violentus existit, neminem calumniatur, aut opprimit, non inuidet bonis aut insultat afflictis, non luxui carnis inseruit, non violentiæ deditus in se, bibendi sitim bibendo magis ac magis accendit, non odiorum facibus inardescit, non compendia iniusta sectatur, non potentibus aut diuitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non domesticæ sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum iniurijs fatigatur, non eum superbia inflat, non ambitio ventosa præcipitat, non vana gloria turpiter
G iactat, non desiderium gloriosæ opinionis inflammat, non distinctio alieni actus illaqueat, non ad societatem turpium, turpitudinis amor inuitat, non rabies insani furoris exagitat, non sumptus odiosarum litium mactat, non ardor animosæ contentionis exanimat. Non facit impudentem audacia, iniquum iniustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, insanum vesania, delitiosum gula, rebellem inobedientia, vanum iactantia, infidelem perfidia, leuem facilitas, sæuum crudelitas, manduconem turpis edacitas, impatientem mobilitas, mobilem instabilitas, vagum spiritalis infirmitas, iracundum animositas, suspiciosum peruersitas, verbosum vanitas, irrisorem malignitas, qui remotus est à sæcularibus prorsus illecebris, remotus ab inimicitijs, remotus ab insidijs alienis, remotus à rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus à mendacijs, siue periurijs. Postremo remotus ab omni genere flagitiosorum atque facinorum quibus carnaliter viuentes Deum offendunt & mortui peccato non ei
H seruiunt, sicut inquam carne mortuus nec facere potest ista quæ dixi, nec pati, ita hi & talibus vitijs omnino non viuunt, qui vt viuant Deo carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifixerunt, membra sua quæ sunt super terram mortificant, quando intra necessarium modum suum temperant appetitum, quando non solum se à delicatioribus cibis moderata districtione suspendunt, sed etiam in ipsis communibus nihil carni suæ pro desiderio, sed pro sustentandæ vitæ necessitate permittunt, certi quod nec delitiæ quælibet si absq; desiderio percipiantur, officiunt, & viles cibi plerumque abstinentię profectum, si appetenter accipiantur, impediũt. Hinc est, quod S. Dauid aquę in se concupiscentiam castigauit, atq; eam sibi à suis oblatam ne desiderio ex ea satisfacere videretur effudit, & S. Helię perceptio carnium nõ cõcupita nõ nocuit. Vnde datur intelligi, quod veraciter abstinẽtes, escarũ nõ naturas sed concupiscẽtias dãnent, ac voluptates suas desideratis cibi vel potus abusione mortificẽt. Qui aũt non solum à qualitate, sed etiam à quantitate ciborum cupiunt abstinere, nihil aliud student,

nisi

A nisi vt quantum stomacho reficiendo ac fami eximendæ † esse videtur, indulgeant, nec expleant suos appetitus auiditate percipiendi sed comprimant, atque eis non saturitas edendi finem faciat sed voluntas, quia tam à cupiditate pretiosorum ciborum, quam à nimia perceptione vilium continebunt, qui cibis nec lautioribus volunt carne luxuriante dissolui, nec distentione ventris vilibus onerari, quando abstinentes viri nec delitiosi soleant esse, nec auidi, iam de vino abstinendo vel percipiendo quid dicam: Vnde sanctus Apostolus certam fixit regulam dicens: *Nolite inebriari vino in quo est luxuria*, quasi diceret, luxuriam facit, & nutrit vini perceptio nimia non natura, & propterea non vos vti vino sed inebriari prohibeo quandoquidem infirmum stomachum moderatus vsus vini confortat, ebrietas animum corpusque debilitat, denique Timotheo suo discipulo, qui se longe abstinentiæ districtione iam fregerat & stomachum suum aquæ perceptione corruperat, modico vino vti debere, præcepit dicens: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates.* Ac per hoc nihil contra abstinentiam faciunt, qui vinum non pro ebrietate, sed tantum pro corporis salute percipiunt. Nec hoc eis offert voluntas, sed permittit infirmitas, quæ si defuerit, à vino est abstinendum. Omnis enim vini perceptio, quæ infirmum sustentat, sanum corpus incendit, † quandoquidem vino vti, & vsui habere oleum nullus dixerit esse peccatum, sed hæc ideo non debemus carni desideranti præstare, ne cum illi licita concedere cœperimus, poscat illicita, & sibi obsequentes in minimis, in flagitia punienda compellat, ac naturali ordine perturbato non spiritui corpus sed spiritus corpori dominanti deseruiat. Huc accedit, quod & ipsam mentem abstinentiæ fructus alacrem facit, carnem quoque non vsque ad lassitudinem fatigatam, sed spiritui ordinate subiectam mobilem reddat, sensus etiam quos dicuntur crassos efficere vel grauare congestæ delitiæ, consuetudo parcitatis exonerat, & velut quadam polituta religiosæ exercitationis attenuat veruntamen sic abstinere vel ieiunare debemus, vt non nos ieiunandi vel abstinendi necessitati subdamus, ne iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus. Si enim quoslibet aduenientes ieiunio intermisso reficio, non soluo ieiunium, sed impleo charitatis officium, cæterum si propter abstinentiam spiritales fratres quos noui mea remissione delectari contristo, abstinentia mea non est virtus dicenda, sed vitium, quoniam quidem ipsa abstinentiæ ac ieiuniorum continuatio nisi fuerit quando res exigit prætermissa & me inflat, & fratrem meum cui charitas iubet seruire contristat, vel certe mihi nihil inesse charitatis fraternæ demonstrat, quando sine abstinentia, quemlibet hominem Catholicum charitas sola perficiat, & omnis abstinentia, aut perdat, sine adiunctione charitatis aut pereat. Quia ergo abstinere etiam Manichæi vel quilibet alij hæretici possunt, vtpote qui omnes carnes non pro abstinentia sed pro immunditia detestantes, corpora sua panis & aquæ parcitate conficiunt, non pro magno ducamus, quando ab his, quæ illi quoque reijciunt, abstinemus, sed quando abstinentiam nostram, fides commendat, charitasque consummat, quas virtutes illi non habentes occidere se possunt, ædificari autem, aut perficere aliter abstinendo non possunt: ipsis vero Catholicis Christianis, qui siue non valendo abstinere, siue nolendo, omnia vsui nostro concessa cum gratiarum actione percipiunt, non nos propter abstinentiam præferamus, ne forte plus humilitatis aliarumque virtutum habeant illi, vnde iure nobis propter abstinentiam præferantur. Quocirca si volumus nobis abstinentiam nostram ieiuniaque proficere, à superbia in primis, quæ aut expellit omnes virtutes aut minuit, & à iactantia cunctis inimica virtutibus, atque ab omnibus omnino vitijs discedamus, vt prosit nobis, quod à cibis delectabilibus abstinemus, quia tunc nobis proderit, quod corpora nostra, vel certe corporum incentiua, rigore districtioris abstinentiæ castigamus, si carnalibus desiderijs absoluti, sanctis virtutibus floreamus, sed plane dico à veris virtutibus tantum similitudinis distare virtutum, quantum distat à veritate mendacium, quia & similitudo virtutis, quæ videtur virtus esse, cum non sit, nihil est aliud, nisi mendacium, & ideo non est virtus dicenda, sed vitium. Et vera virtus est veritas cui qui amanter adhæserit à peccati morte resuscitatus mori vltra non poterit, nisi cum ab ea deprauata voluntate recesserit, sicut econtrario virtutis simulatio quæ est, vt dixi mendacium veritati contrarium animam separat à Deo vita sua non interituram sed supplicio quæ est illius mors pœnaliter sine fine victuram, Scriptura dicente: *Os quod mentitur occidit animam*: Ac per hoc sicut virtus animam sibi veraciter inhærentem, si fuerit vera, iustificat, ita simulata condemnat. Et quid iustificatio animæ, nisi eius est vita perpetuè beata ac beate perpetua, sicut condemnatio animæ pœna eius est sentienda, quæ mors probatur & ipsa perpetua. Ita dupliciter rea est anima, si & bonum non faciat vnde spiritaliter viuat, & appetat similitudinem boni, sub qua male viuat & lateat, superbus vult se credi constantem, prodigus liberalem, auarus diligentem, inhumanus parcum, gulosus humanum, ignauus quietum, timidus cautum, impudentia fiduciæ sibi nomen scribit, procacitas, appellationem libertatis obtendit, eloquentiam verbositas fingit, & curiositatis malum sub studij spiritalis colore delitescit. Hæc & si possunt ingenio humano discerni, tamen sine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes possunt appeti vel haberi. Nec earum similitudines quæ sunt vitia virtutes imitantia declinari, in tantum vt infidelibus nihil profuisse credamus etiam si sint aliquas per corpus operati virtutes, quod eas nec à Deo suo se accepisse crediderunt, nec ad eum qui est finis bonorum omnium referre voluerunt, & quid dico? nihil eis profecerunt immo etiam nocuerunt dicente S. Apostolo. *Omne quod non est ex fide peccatum est*, non dixit: *omne quod non est ex fide*, nihil est, sed dicendo, *omne quod non est ex fide, peccatum est*, declarauit, quod omnia bona aut ex fide gesta, virtutes sunt, quæ profecto iustificant, aut si fuerint sine fide non sunt aliqua bona credenda, sed vitia, quæ non iuuant suos operarios, sed condemnant, inflatosque præcipitant, atque à finibus æternæ salutis eliminant, sed quid ego hæc de infidelibus, vnde nullus ambigere videtur, exaggero, cum sanctus Apostolus etiam fideles quosdam, qui credentes in DEVM non secundum Deum, sed secundum hominem viuunt, carnales nominet dicens, *& ego fratres cum venissem ad vos, non vobis potui loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus*. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales, & tanquam quæreremus quid carnales velit intelligi secutus adiunxit: *Cum enim sit inter vos zelus & contentio nonne carnales estis & secundum hominem ambulatis?* Quid potest duabus his animi pestibus inueniri deterius zelo & contentione, quibus carnales qui secundum hominem viuunt etiam in hac vita torquentur cum & contentio hæreticos reddat, & zelus imitatores Diaboli paradisum primis hominibus inuidentis efficiat: Ac si quando fideles iustitia, pietate, misericordia mansuetudine, humilitate, innocentia, cæterisque virtutibus gaudent, aut secundum Deum viuunt, & non sunt, vera habere credendi sunt, quæ spiritaliter viuentes adeptæ sanctificant, & Deo commendant, aut secundum hominem viuunt, & non sunt veræ virtutes sed virtutum similitudines, quæ nihil carnaliter viuentibus prosunt, quapropter qui religiose, qui continenter, qui sobrie, qui misericorditer viuunt, si Deo, cuius munere vt bene viuat, adiuuatur, ascribit, secundum Deum spiritaliter viuit: si vero omnia, quæ bene agit, viribus suis ascribat quasi etiam sine adiutorio DEI ad bene agendum sibi sufficiat, secundum hominem carnaliter viuit, & ideo aut bene non viuit, aut nihil ei proderit, quicquid boni propter homines facit, quia humanis laudibus delectatus hic iam temporalem mercedem reci-

Margin notes (left column): † forte deest satis. — Eph. 5.18. — B — 1. Ti. 5.23. — † vel leg. quomodo quidem. — C — D
Margin notes (right column): E — Sap. 1.11. — F — G — Ro. 14.23. — 1. Cor. 3.1 — Ib. v. 3. — H

A recipit suorum operum, quæ temporaliter fecit. Igitur ille secundum hominem viuit qui secundum seipsum, quia & ipse homo est, viuit, & secundum seipsum viuit, qui si potuerit est cum quibus vult, pergit quo vult, dormit quando & quamdiu vult, loquitur quæ vult, & vbi vult, manducat ac bibit, quando & quod vult & quantum vult, ridet ac iocatur inter quos vult. Postremo quicquid naribus suaue est, quicquid tactui blandum, quicquid oculis delectabile, quicquid cæteris sensibus carnis suæ iucundum exercet, ac sequitur, qualiter vult, quia omnia licita & illicita carnaliter vult: qui autem secundum DEVM viuit, non quod eum carnaliter delectat, sed quod spiritaliter ædificat facit, & omnia desideria carnis spiritalis desiderij delectatione compescit, futura præsentibus anteponit, carnem spiritui subdit, & quicquid cupit aut agit, non vult ex sua, sed ex Dei sui voluntate procedere, cui placere totis viribus concupiscit. Itaque si vtcumque clauit, quod virtutes veras non videantur B habere, qui simulant, & illi simulant, qui non ex fide aut non propter DEVM, sed propter homines tantum boni aliquid operantur, eleemosynis, ac ieiunijs, vel abstinentiæ cæterisque bonis operibus seruiendo, non vt non boni fiant, sed vt bonos se hominibus fingant, nec ad recipiendam sempiternam mercedem, sed ad comparandam gloriam popularem. Videamus nunc, quibus præcedentibus causis & subsequentibus incrementis nasci soleant vitia vel augeri, & quibus adiuuante Domino remedijs possint velut quibusdam medicamentis imminui vel sanari. Omnis sancta virtus res est diuina, incorporea prorsus, atque mundissima, quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatas emaculat, cuius participatione formantur informia, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur praua, reconciliantur auersa. Hanc non habet, nisi DEVS, & is cui dederit DEVS, quæ in C animo habitat, sed animum corpusque sanctificat. Ad quam nullus accedit innitus, quam nullus amittit nisi propria voluntate deceptus. Nemo eam sibi conferre potest cum possit, alteri autem non conferre præualet nec auferre, itaque cum talis ac tanta virtus cuilibet inter voluptates suas adhuc marcenti refulserit, atque ei ad se concupiscendam desiderium salubre commouerit, protinus in animo eius duarum delectionum contrariarum, rixa consurgit, & mentem voluntas aduersum se ancipiti delectatione diuisam in diuersa ducit ac reducit, modo reprehendendo quod elegerat, modo quod reprehenderat eligendo, atque ita in alterutrum latus se cogitationum varietate versantem ipse velut virtutis ac vitij tepidi medietas vexat ac lacerat, quoniam quidem quemlibet hominem donec se in eo quod elegerit, certa diffinitione confirmet, quam diu modo non vult quod volebat, modo velle incipit, quod nolebat, velut in quodam deliberationis incertæ biuio constitutum discerpit ipsa diuersitas D voluntatum. Hinc eum virtus admonet suæ salutis & vocat, inde consuetudo vitiosa discedere à se volentem moratur & reuocat, & paulisper à se auerso, nec ad virtutem plene conuerso visitatæ voluntatis admonitione blandiens omnes illecebras quibus olim perdite fruebatur ostendit turpia quoque desideria quibus vinciatur immittit, ac iam pene fastidienti, blandum nescio quid mollit, insusurrat, & supplicat, ne præponat mollibus dura, lætis tristia, certis dubia, præsentium voluptati futura, cogitet quam pœnale sit atque difficile, dulcibus carere delitijs illecebris renuntiare carnalibus, abstinentiæ iugis grauari laboribus, ieiuniorum ac vigiliarum continuatione torqueri, certa carnis afflictione præmium dubiæ remunerationis ambire contra Diabolum decipiendi peritum resistendi arma corripere, insidias eius ac fraudes vigilantis animi cautione vitare, quam deinde miserum sit enormitate tantæ asperitatis euictum ac Diabolica fraude deceptum ad repudiata redire, voluptatibus quas abiecerat frui & omnibus quæ incaute laboriosus suscipiendo proposi-E tum contempserat, delectari. His & talibus vitiosæ consuetudo dubium sanctæ diffinitionis affligit: virtus contra quæ continentia nominatur, morantem confidenter obiurgat, ad delectationes puras castasque delitias, quibus fruuntur omnes sui amatores, inuitat, offert nudo iustitiæ vestimentum, illuminato sui apparatus demonstrat ornatum, diffidenti de se protectionis suæ promittit auxilium. Hortatur & prouocat vt diffinitionis ambiguitate deposita, propositum spiritale suscipiat, perseueraturum se in suscepto labore propositi sui, non sua possibilitate sed Domini miseratione confidat, nec suis viribus sed gratiæ omnipotentis fretus auxilio, contra Diabolicas impugnationes victoriæ arma corripiat, cogitet & quanti & quantæ potuerunt & possunt, quod se posse desperat. Vnde illi vel illæ potuerunt inde se posse firmiter credat, certa spe spiritalia carnalibus ac terrenis cælestia & futura præsentibus anteponat.

F Omnes quippe artes ac disciplinæ, scopum quendam, id est, destinationem & telos hoc est, finem proprium habent, ad quem respiciens vniuscuiusque artis industrius appetitor cunctos labores & pericula atque dispendia æquanimiter libenterque sustinet, quemadmodum in quibus vsus est bellica tela tractandi, cum ante regem mundi huius artis suæ cupiunt peritiam demonstrare in paruissima quadam scutula, quæ depicta in se continet præmia, iacula, vel sagittas, intorquere contendunt, certi quod non alia, nisi destinationis suæ linea ad finem possint desiderati præmij peruenire, itaque & viæ nostræ finis quidam est regnum Dei. Qui vero sit scopus debet diligenter inquiri. Qui si nobis similiter compertus non fuerit frustra nitendo fatigabimur, quia sine via tendentibus labor est itineris, non G profectus, finis quidem nostræ professionis vt diximus regnum Dei seu regnum cælorum est, destinatio vero, id est, scopus, puritas cordis, sine qua ad illum finem impossibile est quempiam peruenire. In hac ergo destinatione defigentes nostræ directionis obtutus ad certam lineam cursum rectissimum dirigimus, ac si paululum quid ab hac cogitatio nostra deflexerit, ad contemplationem eius ilico recurrentes, rursum eam velut quandam normam rectissime corrigimus quæ semper omnes conatus nostros ad vnum hoc reuocans signum arguit statim si à proposita directione mens nostra vel paululum deuiauerit: igitur sicut nostri propositi finis quidem secundum Apostolum *vita æterna est*, ita eodem pronuntiante, *habentes quidem fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam*, Ro.6.22. scopus cordis nostri puritas esse debet quam sanctificationem non immerito nuncupauit, sine qua prædictus finis non H poterit apprehendi. Ac si dixisset alijs verbis: *Habentes quidem scopum vestrum in cordis puritate, finem vero vitam æternam*, de qua destinatione docens nos idem beatus Apostolus, ipsum nomen, id est, scopum significanter expressit, ita dicens: *Quæ posteriora sunt obliuiscens ad ea vero quæ in ante sunt, extendens me, ad destinatum persequor,* Phil.3.13. *brauium supernæ vocationis Domini.* Quod euidentius in Græco ponitur RATO CIRO ICONATVI RVI&c. id est, secundum destinationem persequor tanquam si dixisset, hac destinatione qua illa quæ posteriora sunt obliuiscor, id est, anterioris hominis vitia ad finem brauij cælestis peruenire contendo. Quicquid ergo nos ad hunc scopum, id est, puritatem cordis potest dirigere tota virtute sectandum est, quicquid autem ab hac retrahat vt perniciosum ac noxium deuitandum. Pro hac enim vniuersa agimus, atque toleramus, pro hac parentes, patria, dignitates, diuitiæ, delitiæ mundi huius, & voluptas vniuersa contemnitur, vt scilicet puritas cordis perpetua retentetur. Hac itaque nobis destinatione proposita semper actus nostri & cogitationes ad eam obtinendam rectissime dirigentur, quæ si præ oculis nostris iugiter statuta non fuerit, non solum cunctos labores nostros vacuos pariter atque instabiles reddens, incassum eos ac sine vllo emolumento compellet effundi, veluti qui non habeant Apostolicam

A caritatem & ex omnibus infructuosi sterilesque reddantur. Quod in Spiritu beatus Apostolus præuidens, *& si distribuero*, inquit, *in cibos pauperum omnes facultates meas, &* 1.Co.13.3 *si tradidero corpus meum vt ardeam, caritatem autem non habuero nihil mihi prodest*, vnde liquido comprobatur perfectionem non statim nuditate, nec priuatione omnium facultatum seu dignitatum obiectione contingi, nisi fuerit caritas illa cuius Apostolus membra describit, quæ in sola cordis puritate consistit. Nam quid est aliud, *non æmulari, non inflari, non irritari, non agere perperam, non quærere quæ sua sunt, non super iniquitate gaudere, non cogitare malum* & cætera, nisi cor perfectum atque mundissimum Deo semper offerre, & intactum à cunctis perturbationibus custodire, omnia namque dona pro vsu ac necessitate tribuuntur ad tempus consummata dispensatione mox procul dubio transitura. Charitas vero nullo intercipietur tempore. Non solum enim in præsenti mundo vtiliter operatur in nobis, sed etiam in futuro sarcina corporeæ necessitatis abiecta efficacior multo atque excellentior permanebit, nullo vnquam corrumpenda defectu, sed per incorruptionem perpetuam flagrantius Deo atque intentius adhæsura, charitas ergo est vt mihi videtur recta voluntas ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus accersa, iuncta Deo inseparabiliter, & vnita igne quodam sancti Spiritus, à quo est, & ad quem refertur incensa, inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia, quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potissimum diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa actionum bonarum, salus morum, finis cælestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, anima sanctarum mentium, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum, in peccatis suis mortuos suscitat, languentes sanat, perditos instaurat, spem desperatis inspirat, pacificat mentes, inhabitat fructuosa in pœnitentibus, læta proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in Martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus. Quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium seruit, ex qua, quicquid est boni operis viuit, sub qua obedientia crescit, per quam patientia vincit, propter quam carnalia blandimenta, deuotio religiosa contemnit, sine qua nullus Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare nec poterit. Hæc est charitas vera, germana, perfecta, quam excellentiorem viam nominat sanctus Apostolus, & vere ipsa est via quæ ducit per se ambulantes ad patriam, quia sicut sine via nullus peruenit quo tendit, ita sine charitate, quæ dicta est via, non ambulare possunt homines, sed errare: ergo si charitatem Deo exhibeamus & proximo de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, facile peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, sæculi blandimenta contemnimus, & omnia quæ difficilia sunt humanæ fragilitati vel aspera, etiam cum delectatione perficimus, si tamen Domini charitate perfecta, quæ nobis ab illo est, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus diligamus, ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum. Quem si ex toto corde diligamus, nihil erit nobis vnde peccati desiderijs seruiamus, & quid est diligere Deum, nisi illi occupare animum, concipere fruendæ visionis eius affectum, peccati odium, mundi fastidium, diligere etiam proximum, quem ipse censuit diligendum in ipso amore seruare legitimum modum, nec peruertere dilectionis ordinem constitutum? Ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui mundum, qui contemnendus est, diligunt aut corpora sua minus diligenda, plus diligunt, aut proximos sicut seipsos aut DEVM plusquam seipsos forte non diligunt. Sed de mundo, quod diligi omnino non debeat, ipsius Domini nostri per sanctum Ioannem Apostolum 1.Io.2.15. vox est dicentis: *Nolite diligere mundum.* Corpus autem nostrum, quia pars nostri est, ad hoc nobis est diligendum, vt saluti eius ac fragilitati naturaliter consulamus, & agamus quatenus spiritui ordinate subiectam ad æternam salutem, accepta immortalitate & incorruptione perueniat non suis voluptatibus diffluendo animæ rigorem sibi cedentis emolliat, puritatem polluat, & totam dignitatem suæ delectationis morbo corrumpat. Proximos autem tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas vtilitates nostras, non propter sperata beneficia vel accepta non propter affinitates aut consanguinitates, sed propter hoc tantum quod sunt naturæ nostræ participes diligamus, quia non eos sicut nos ipsos amamus, quando propter illa superius dicta diligimus. Neque enim ideo se diligit quisque, quia sibi frater aut soror, pater aut filius, mater aut filia, nepos aut neptis est, carnaliter quippe amat, qui taliter amat, quoniam non illi tantum proximi nostri esse credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis iungit sed proximi nostri esse credendi sunt omnes homines naturæ nostræ, sicut dixi, participes. Iam si propinquos nostros quamuis incompositos, turpes ac male moratos, plusquam quoslibet sanctos, quos à nobis secundum sanguinem vocamus, extraneos diligamus, non solum carnaliter diligimus, sed etiam grauiter, in tali eorum dilectione peccamus. Proinde secundum nos proximos omnes homines diligimus quando ad mores bonos & ad æternam vitam consequendam, sicut nobis eorum saluti consulimus, quando nos pro eorum peccatis ac periculis cogitamus, & sicut nobis subueniri optaremus ita eis pro viribus subuenimus, aut si facultas defuerit, voluntatem subueniendi tenemus. Quapropter hæc est proximi tota dilectio, vt bonum quod tibi conferri vis, velis & proximo. Illi vero plus quam se diligunt DEVM, qui pro eius amore suæ ad tempus saluti non parcunt, seipsos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus proprijs, patriæ suæ extorres fieri, parentibus & vxoribus ac filijs suis renuntiare parati sunt, & vt totum dicam ipsam corporis mortem non solum non refugiunt, sed etiam libenter excipiunt, ambientes à corporis sui vita magis quam à DEO vita vitæ suæ discedere. Iste igitur nobis dilectionis ordo seruandus est, iuxta illud quod dicit Spiritus sanctus, *ordinate in me charitatem*, vt sicut ordinata charitas poscit, DEVM principaliter diligamus, & propter ipsum in ipso ea quæ diligenda sunt, tantum quantum ipse præcipit, diligamus. Ipse enim præcipit vt corpora nostra propter nos, proximos sicut nos, & ipsum plus quam nos diligere debeamus, ita sane, vt eis, quos nobis coniunctiores familiaritas facit, si eos fama non reprobat & vita commendat nos amplius impendamus, omnium profectus, nostros esse credamus, & de aliorum peccatis tanquam de nostris misericorditer lugeamus. Sic ergo possunt in hac vita illi esse perfecti, qui perfecte diligunt DEVM, & illi DEVM perfecte diligunt, qui volendo quod vult DEVS, & nolendo quod non vult, nec vllis peccatis quibus offenditur acquiescunt, & semper se ad virtutes quas ipse dignatur donare diligendas & habendas extendunt. Hi sunt qui omnia bona, quæ implere potuerint, ab illo se adiutos vt possint veraciter credunt, quicquid mali commiserint, vitio suæ voluntatis ascribunt, quicquid boni non potuerint implere, ab illo vt possint iugiter petunt, cum potuerint illi gratias agunt, bona eius quæ fuerint consecuti etiam alijs conferri socialiter volunt & vsque in suos inimicos dilectionis suæ latitudinem porrigentes, hoc omnes cupiunt esse quod ipsi sunt. Omnia igitur, huius gratia gerenda appetendaque sunt nobis, pro hac ieiunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem cæteraque virtutes debere nos suscipere nouerimus, vt scilicet per illas ab vniuersis passionibus noxijs illæsum parare cor nostrum & conseruare possimus, & ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo conscendere, & non propter has obseruantias, si forte honesta ac necessaria occupatione præuenti, solemnitatem

A districtionis nostræ non poterimus implere, incidamus in tristitiam, vel iram, siue indignationem, ob quæ expugnanda, illud quod prætermissum est fueramus acturi. Non enim est tantum lucrum ieiunij, quantum iræ dispendium, nec tantus lectione capitur fructus, quãtum cõtẽptu fratris incurritur detrimentũ. Ea igitur quæ sequentia sunt, id est, ieiunia, vigiliæ, anachoresis, meditatio Scripturarum propter principalem scopum, id est, puritatem cordis, quod est charitas, nos conuenit exercere & non propter illa, principalem hanc proturbare virtutem, quia nobis integra illæsaque durante nihil oberit, si aliquid eorum quæ sequentia sunt, pro necessitate fuerit prætermissum, siquidem nec proderit vniuersa fecisse, adempta hac quam diximus principali causa, cuius obtentu sunt omnia peragenda. Hic ergo nobis principalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio cordis iugiter affectanda, vt diuinis rebus ac Deo mens semper inhæreat, quicquid ab hac diuersum

B est, quamuis magnum secundum tamen aut etiam in-

Luc.10. 41. fimum seu certe noxium iudicandum est. Huius mentis vel actus figura etiam in Euangelio per Martham vel Mariam pulcherrime designatur. Cum enim Martha sancto vtique ministerio deseruiret vt potuit, quæ ipsi Domino eiusque discipulis ministrabat, Maria spiritali tantummodo intenta doctrinæ, Iesu pedibus inhærebat, quos osculans bonæ confessionis liniebat vnguento, præfertur tamen à Dño quod & meliorem elegerit partem & eam quæ ab ea non posset auferri. Dicens enim ad

Ibid. Martham Dominus, *sollicita es & turbaris erga multa*, paucis vero opus est, aut etiam vno, summum bonum non in actuali, quamuis laudabili opere, & multis fructibus

† forte leg. sui abundanti, sed in † sua contemplatione, quæ vere simplex & vna est collocauit, paucis opus esse pronuncians ad perfectam beatitudinem, id est, illa theoria quæ prius est in paucorum contemplatione: conscendens autem qui adhuc in prouectu positus est ad illud quoque quod vnum dicitur, id est, Dei solius intuitum ipso adiuuante perueniet vt scilicet etiam sanctorum actus ac ministeria mirifica supergressus, solius Dei iam pulchritudine scientiaque pascatur. Maria ergo bonam partem elegit quæ non auferetur ab ea, & hoc diligentius in-

C tuendum est. Nam cum dicit, *Maria bonam partem elegit*, licet taceat de Martha & nequaquam eam vituperare videatur, illam tamen laudans, hanc inferiorem esse pronunciat. Rursum cum dicitur, *quæ non auferetur ab ea*, ostendit, quod ab hac sua portio possit auferri. Nec enim ministerium corporale cum homine poterit iugiter permanere, illius vero studium nullo fine prorsus edocet posse finiri. Vnde mihi videtur congruum esse illud considerare quid sit hoc bonũ quod Paulus Apost. quasi conquirens se facere non posse in Epistola sua descripsit

Ro. 7.15. dicens: *Non enim quod volo, facio bonum, sed quod odi malum hoc ago, vel illud, si autem quod volo hoc facio, iam non ego o-*

Ibi. v. 22. *peror illud, sed quod habitat in me peccatum*, vel quod sequitur, *condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati quæ est*

D *in membris meis.* Quæ licet testimonia quidam ex peccatorum persona eum dixisse arbitrentur, perspicuum est peccatorum personæ hæc non posse omnimodis conuenire, sed ad solos quæ dicta sunt attinere perfectos, & eorum tantum qui Apostolorum merita subsequuntur congruere sanctitati. Cæterum quo pacto hoc peccatorum personæ poterit conuenire quod dicitur, *non enim quod volo facio bonum sed quod odi malum hoc ago*, sed neque illud, quid est quod ait, *si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum.* Quis enim delinquentium nolens se adulterijs fornicationibusque contaminet, quis inuitus proximo tendat insidias, quis ineuitabili necessitate cogatur, vt falso testimonio hominem opprimat furtoue decipiat, aut alterius spolia concupiscat vel sanguinem fundat. Quinimo vt scriptum est humanum genus diligenter intentum est ad nequitiam à iuuentute sua. Quos etiam Ieremias Propheta non solum volen-

E tes nec cum requie cordis & corporis flagitiorum crimina perpetrare verum etiam in tantum eos asserit laboriosis conatibus vt ad effectum eorum perueniant desudare, vt de lætali scelerum appetitu nec obsistentibus arduis difficultatibus reuocentur, dicens, *vt inique agerent*

Ier. 9.5. *laborauerunt.* Illud quoque quis dixerit peccatoribus conuenire, itaque ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati, quos nec mente, nec carne Deo seruire manifestum est, aut quemadmodum hi qui peccant corpore, mente seruiunt Deo, cum vitiorum fomitem caro ex corde concipiat, & ipse auctor, vtriusque naturæ fontem atque originem peccatorum ex eo pronuntiat emanare, *de corde*, inquiens, *procedunt cogitationes malæ adul-*

Mat. 15. 19. *teria, fornicationes, furta* &c. Quamobrem euidenter ostenditur nullo modo hoc de peccatorum intelligi posse personis, qui non solum non oderunt, sed etiam diligunt mala, & in tantum Deo non mente nec carne de-

F seruiunt, vt ante delinquant mente quam carne, & priusquam corporis expleant voluntatem præueniantur mentis suæ cogitationumque peccato, superest igitur vt virtutem sensus ex intimo dicentis metiamur affectu, & quid beatus Apostolus dixerit bonum, quidue comparatione pronuntiauerit malum, non nuda significatione verborum, sed eadem qua ille discutiamus intentione. Intuitum quoque eius secundum dignitatem pronuntiantis ac meritum perscrutemur, denique necesse est, vt quid sit hoc quod principaliter bonum Apostolus non potuerit perficere cum vellet, diligentius indagamus. Multa enim nouimus bona quæ beatum Apostolum omnesque illius meriti viros & habuisse per naturam & acquisisse per gratiam negare non possumus. Est enim bona castitas, laudabilis continentia, miranda prudentia, larga humanitas, circumspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta iustitia, quæ omnes in Apostolo Paulo eiusque consortibus, ita plena

G atque perfecta fuisse non dubium est vt virtutum magisterio potius quam verborum ab eis religio doceretur, quod iugi Ecclesiarum cura ac peruigili sollicitudine semper exusti sunt, quantum hoc misericordiæ bonum, quanta perfectio est, pro scandalizantibus vri, cum infirmantibus infirmari. Cum ergo tantis Apostolus abundauerit bonis, quid illud sit boni, cuius perfectione caruerit non poterimus agnoscere, nisi in illum quo ipse locutus est profecerimus affectum, omnes itaque quas diximus eum habuisse virtutes quamuis velut gemmæ splendidissimæ atque speciosæ sint, tamen si præclaro illi atque præcipuo margarito, quod ille Euangelicus negotiator inquirens vniuersis quæ possidet venditis comparare desiderat, conferantur, ita earum meritum reuilescit atque contemnitur, vt eis sine cunctatione distractis vnius tantum boni possessio locupletet, bonorum innumerabilium venditorum. Quid est ergo vnum quod illis tantis sine cunctatione distinctis tamque innumeris bo-

H nis tam incomparabiliter præponatur, vt spretis abiectisque omnibus, solum debeat possideri nimirum illa pars optima cuius magnificentiam ac perpetuitatem, cum relicto susceptionis atque humanitatis officio Maria præelegit, ita enim prædicatur à Domino, *Martha Martha sol-*

Luc. 10. 41. *licita es, & turbaris circa multa, paucis vero opus est aut etiam vno, Maria autem bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Vna ergo & sola est vt diximus theoria, id est, contemplatio Dei cui merito omnia iustificationum genera vniuersaque virtutum studia postponuntur, & illa quidem omnia, quæ in Apostolo Paulo fulsisse prædiximus, non solum bona & vtilia, verum etiam magna & præclara sunt, sed sicut, verbi gratia, stanni metallum quod alicuius vtilitatis & gratiæ putabatur, fit argenti contemplatione vilissimum, & rursum auri comparatione argenti meritum euanescit, aurum quoque ipsum gemmarum contemplatione contemnitur, & ipsarum nihilominus quãuis insignis multitudo gemmarum vnius margaritæ vincitur claritate, ita illa omnia merita sanctitatis, quamuis non solum ad præsens bona & vtilia sint, verum etiam donum æternitatis acquirant, tamen si diuinæ contemplationis meritis conferantur, vilia, atque vt ita dixerim

vendi

A vendibilia censebuntur. Quis enim vnquam quamuis præcipuus omnium iustorum atque sanctorum huius corporis vinculis colligatus summum hoc bonum ita possidere potuisse credendus est, vt nunquam à diuina contemplatione descendens, ne paruo quidem tempore ab eo qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur abstractus, qui nunquam vllam cibi, vllam indumentialiarumue carnalium rerum gesserit curam, aut nunquam de fratrum susceptione de loci commutatione de cellæ exstructione sollicitus, aut opē aliquā humani concupierit adiumenti, aut inopiæ sterilitate vexatus illam sententiam Dñcę increpationis incurreret, ne solliciti animę vestræ sitis, quid manducetis, neq; corpori vestro, quid induamini, deniq; ipsum illum Apostolum Paulum, qui omnium B Sanctorum laborē passionum numerositate transcenderat, nequaquam hoc implere potuisse confidenter astruimus, ipso in Actibus Apostolorum discipulis attestante ac dicente: *Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ*, vel cū Thessalonicensibus scribēs in labore & fatigatione, nocte & die operatum se fuisse testatur. [Act. 20. 34.] Quibus licet magna eidē meritorum stipendia pararentur, tamen mens eius quamuis sancta atq; sublimis non poterat non ab illa cælesti theorica intentione terreni operis aliquando diuelli. Deniq; cum se tantis ac talibus ditari fructibus cerneret, & econtrario, theoriæ bonum corde pensaret, ac velut in vna lāce tātorum laborum profectum, in alteram dilectionem diuinæ contemplationis appenderet, diu examine pectoris sui quodammodo castigato dum illum hinc laborum stipendia immensa delectant, illinc desiderium vnitatis & inseparabilis Christi societas, etiam ad resolutionem carnis inuitat, anxius tandem proclamat & dicit. [Phil. 1.23] *Quid eligam ignoro coarctor autem ex duobus, desiderium habens dissolui & cum Christo esse. Multo enim melius, permanere autem in carne necessarium propter vos.* Cum igitur multis modis boni huius excellentiam, cunctis etiam prædicationis suæ fructibus prætulisset, tamen charitati, sine qua nemo Dominum promeretur contemplatione submittitur, ac propter C illos quibus adhuc lac velut nutricula vberibus immulgebat diuulsionem à Christo sibi quidem noxiam, sed cæteris necessariam recusat. Impossibile enim est etiam mēti quæ tam crebris distenditur curis, tam varijs tam violentis angoribus præpeditur diuino frui semper intuitu. Quod enim tam pertinax sanctorum studium, quod tam arduum potest esse propositum, cui non aliquid ille versutus insidiator illudat. Quis ita solitudinis sectatus est secreta, vniuersorumque mortalium consortia declinauit vt nunquam cogitationibus superfluis laberetur, & intuitu rerum vel occupatione actuum terrenorum ab illa, quæ vere sola & bona est, Dei contemplatione decederet? Quis tantum spiritus vnquam potuerit retinere feruorem, vt non interdum lubricis cogitationibus ab ipsa quoque orationis intentione translatus repente de D cælestibus ad terrena corrueret? Quis nostrum vt cætera peruagationum tempora prætermittam, non illo etiam momento quo Deo supplicans ad sublimia erigit mentem, quodam stupore collapsus, etiam per id vel inuitus offendat, per quod sperabat veniam delictorum? Quis vnquam tam expertus & vigilans est, vt, dum Psalmum Deo canit, nunquam ab Scripturæ sensu eius animus abducatur? Quis tam familiaris Deo, tamque coniunctus, qui Apostolicum illud Imperium, quo sine intermissione orare nos, præcipitur, vel vno die se gaudeat executum, quæ licet omnia nonnullis, qui sunt crassioribus vitijs inuoluti, leuia atque à peccato pene aliena videantur, scientibus tamen perfectionis bonum etiam minimarum rerum multitudo grauissima est: fastidiunt ergo sancti vniuersa ex quibus mundus iste subsistit, sed impossibile est vt non ad ea, vel breui cogitationum rapiantur excessu, nullusque hominum in hac vita excepto Domino Saluatore nostro naturalem peruagationem mentis ita desixam semper in Dei contemplatione continuit, vt nunquam ab ea raptus mundanæ cuiusque rei dilectione peccaret dicente Scriptura, sidera ipsa non sunt munda in conspectu eius, & iterum, si in sanctis suis non confidit & in Angelis suis reperit prauitatem, siue vt emendatur, translatio habet, ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius. E Recte igitur sanctos, qui memoriam Dei stabiliter retinentes quasi per extensas in sublime lineas suspenso feruntur incessu, schenobatis, quos vulgo funambulos vocant dixerim comparandos, qui summam suæ salutis ac vitæ in angustissimo funiculi illius tramite collocantes, atrocissimam se mortem protinus incursuros esse non ambigunt, si vel exigua pes eorum titubatione deuiauerit, aut modum illius salutaris directionis excesserit, qui dum arte mirifica aerios gressus per inane moliuntur, si illam angustiorem vestigio semitam non cauta atque F sollicita moderatione seruauerint, terra quæ omnibus velut naturalis est basis & solidissimum cunctis ac tutissimum firmamentum, fit illis præsens ac manifesta pernicies, non quia illius mutetur natura, sed quia illi ad eam præcipiti carnis pondere dilabuntur. Ita etiam indefessa illa Dei bonitas immutabilisque substantia ipsa quidem neminem lædit, sed nos declinando à summo atque ad ima tendendo nobis ipsi consciscimus mortem, imo ipsa declinatio mors efficitur declinanti. *Væ enim,* [Ose. 7.13.] inquit, *eis quoniam recesserunt à me, vastabuntur quoniam præuaricati sunt in me.* Et iterum: *Væ eis cum recessero ab eis arguet namque te malitia tua & auersio tua increpabit te. Scito &* [Ose. 9.12.] *vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.* Cum ergo semetipsos quotidie sentiāt sancti terrenæ cogitationis pondere prægrauatos, ab illa mentis sublimitate decedere & inuitos, imo vero etiam nescientes in legem peccati mortisque transduci atq; vt cætera prætermittam, illis saltem quæ superius comprehendi, bonis quidem ac iustis, sed tn̄ terrenis à conspectu Dei operibus reuocari, habent profecto pro quibus ad Dñm iugiter ingemiscant, habent pro quibus in veritate humiliati atque G compuncti non verbis tantummodo sed affectu semetipsos pronuncient peccatores, & veniam pro omnib. quæ quotidie, superati fragilitate carnis incurrunt, à gratia Dñi iugiter postulantes veras pœnitentiæ lachrymas indesinenter effundant, quippe qui videant ijsdem ipsis se pro quibus continuo dolore vexati sunt, etiam vsque ad vltimum vitæ finem æstibus inuolutos, etiam ipsas supplicationes offerre, sine cogitationum anxietate non posse: experti igitur in se humanis viribus desideratum finē obsistente carnis sarcina attingere nō valere, neque illi præcipuo summoque bono secundum cordis sui desiderium posse coniungi, sed ab eius intuitu captiuos ad mundana transduci, ad gratiam Dei, quæ impios iustificat, conuolantes cum Apostolo protestantur, qui ait: *Infelix ego homo* [Ro. 7.24] *quis me liberabit de corpore mortis huius: Gratia Dei per Dominū nostrum Iesum Christum.* Sentiunt enim se bonum istud quod volunt non posse perfectè perficere, sed in illud quod nolunt, quodque oderunt malum, id est, cogitationum motus & curam corporalium rerum semper incidere & condelectantur quidem legi Dei, secundum interiorem hominem qui visibilia cuncta transcendens conatur H Deo soli semper vniri, sed vident aliam legem in membris suis, id est, in natura humanæ conditionis insertam, quæ repugnans legi mentis eorum, captiuum pertrahit sensum violenta lege peccati, compellens scilicet eum relicto illo principali bono terrenæ cogitatione submitti, quæ quamuis necessaria atque vtilis videatur cum dispēsione cuiuspiam religiosæ necessitatis impenditur, comparatione tamen illius boni quod Sanctorum omnium oblectat intuitum mala vtique ab eis ac fugienda decernitur, quia per eam quoquo modo vel ad modicum tempus ab illius perfectæ beatitudinis gaudio retrahuntur.

Contemplatio vero Dei multifarie concipitur. [Moy.] Nam Deus non sola incomprehensibilis illius substantiæ suæ admiratione cognoscitur, quod tamen adhuc in spe promissionis absconditum est, sed etiam creaturarum suarum magnitudine vel æqualitatis suæ consideratione, vel quotidianæ dispensationis auxilio peruidetur, quando scilicet, quæ cum sanctis suis per singulas generationes egerit, mente purissima perlustramus, cum potentiam ipsius, quia vniuersa gubernat, moderatur, ac regit, cum immensi-

A immensitatem scientiæ eius, & oculum, quem secreta cordium latere non possunt, tremente corde miramur, cum arenam maris vndarumque numerum dimensum ei & cognitum cogitamus, cum pluuiarum guttas, cum seculorum dies & horas, cum præterita futuráue vniuersa obstupescẽtes, scientiæ eius assistere contemplamur, cum ineffabilem clementiam eius qua innumera flagitia, quæ singulis quibusque momentis sub illius committuntur aspectu, indefessa longanimitate sustentat, cum vocationem, qua nos nullis præcedentibus meritis gratia suæ miserationis asciuit, cum denique occasiones salutis tribuit adoptandis cum quodam admirationis intuemur excessu, quod ita nasci præcipit, vt ab ipsis cunabilis gratia nobis legisque suæ notitia traderetur, quod ipse aduersatium vincens in nobis pro solo bonæ voluntatis assensu æterna beatitudine ac perpetuis nos præmijs muneratur, cum postremo dispensationem incarnationis suæ pro nostra salute suscepit, ac mirabilia mysteriorum suorum in cunctis gentibus dilatauit, sunt autem aliæ quoque huiusmodi innumeræ contemplationes, quæ pro qualitate vitæ ac puritate cordis in nostris sensibus o-
B riuntur, quibus Deus vel videtur mundis obtutibus, vel tenetur, quas profecto nullus perpetuo retentauit, in
Ex.33.20 quo adhuc aliquid carnalium viuit affectuum, *quia non poteris*, ait Dominus, *videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet*, scilicet mundo huic affectibusque terrenis.

Habet ergo cibum suum & amictum anima, quæ illo summo bono adhæret, quod est diuinum, quod Apostolus Petrus suadet quærendum, vt per eius cognitionis acquisitionem, diuinæ simus consortes naturæ. Huius cognitionem aperit sanctis suis Deus bonus, & donat de thesauro suo bono, sicut testificatur lex sacra dicens, *quia*
Deut. 18. *iurauit Dominus patribus eius dare tibi & aperire thesaurum suum bonum de quo thesauro cælesti dat pluuiam terræ suæ, benedicere omnia opera manuum suarum.* Hæc est, pluuia eloquium legis quod irrorat animam illam fœcundam & fertilem bonorum operum, vt habeat humorem gratiæ: huius boni cognitionem quærebat Dauid, sunt ipse si-
Ps. 26. 4. gnificat dicens: *Vnam petiui à Domino hanc requiram vt in-*
C *habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ & videam delectationem Domini & considerem templum eius.* Denique hoc esse summum bonum, subtexuit statim in eodem Psalmo: *credo videre bona Domini in terra viuentium.* Hic enim
Ibid. quæritur, illic facie ad faciem plene videtur, hoc bonum in domo Dei est, in illo vtique secreto eius ac recessu, vnde iterum ait, *replebimur in bonis domus tuæ*, alibi quoque hanc summam esse benedictionis expressit dicens:
Ps. 64. 5. *Benedicat te Dominus ex Sion & videas quæ bona sunt Ierusa-*
Ps. 127. 5. *lem*, ideo beatus, qui illic habitat in gressu fidei hospitioque mentis, deuotionis habitaculo, conuersatione virtutis. In illo igitur simul atque in eo maneamus de quo &
Ro. 10. 15 Esaias dicit: *quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona*, qui sunt qui euangelizant nisi Petrus? nisi Paulus? nisi omnes Apostoli? quid euangelizant bonis? nisi Dominum Iesum, hic est pax nostra, hic est bonum illud summum, quia ipse bonus ex bono, ex arbore enim bona, bonus fructus legitur. Denique & Spiritus
D eius bonus, qui ex ipso accipit & deducit Dei seruulos
Mat. 6. 23. in viam rectam, quis autem habens Spiritum Dei in se neget bonum cum ipse dicat. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum*, hoc bonum veniat in animam nostram, in nostræ mentis viscera, quod propitius Deus dat petentibus se, hic est thesaurus noster, hic est via nostra, hic est Sapientia nostra, iustitia nostra, pastor noster, & pastor bonus, hic est vita nostra, vides quanta bona, in vno bono, hæc bona nobis prædicant Euangelistæ; hæc bona
Ps. 4. 6. requirens Dauid ait: *Quis ostendit nobis bona*: & ostendit ipsum esse bona subijciẽs *signatum est in nobis lumẽ vultus tui*, quis autem lumen vultus patris, nisi splendor gloriæ, & imago inuisibilis Dei, in quo, & videtur & clarificatur pater sicut ipse clarificat filium suum: Ipse est ergo Dominus Iesus bonum summum quod nobis adnuntiatum à Prophetis, prædicatum ab Angelis, promissum à Patre, euangelizatum est ab Apostolis, qui nobis tanquam maturitas aduenit, nec solum tanquam maturitas aduenit sed tanquam maturitas in mentibus adest vt nihil acerbum, nihil immaturum in nostris consilijs sit, nihil immite, nihil asperum in operibus ac moribus, qui primus euangelizans bona adfuit, vnde & ait, *ipse qui loque-* Isa. 52. 6.
bar adsum, id est, qui loquebar in Prophetis adsum in corpore, quod suscepi ex virgine. adsum interior imago Dei, character substantiæ, & adsum vt homo, sed quis cognoscit me, hominem enim viderunt: sed operibus supra hominem crediderunt, an non vt homo, cum Lazarum fleret, & rursus supra hominem, cum eum resuscitaret, an non vt homo cum vapularet: rursus supra hominem, cum totius mundi peccatum tolleret: ad illum igitur properemus in quo summum est bonum, quoniam ipse est bonitas, ipse patientia Israel, qui ad pœnitentiam te vocat ne venias in iudicium, sed accipias peccatorum remissionem: *agite*, inquit, *pœnitentiam*, ipse est Mat. 3. 2.
de quo clamat Amos Propheta: *exquirite bonum*, ipse est summum bonum, qui nullius indiget, & abundat omnibus, facile abundat, in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, facile abundat de cuius plenitudine omnes accepimus & in illo repleti sumus, dicit Euangelista, hoc igitur verum & summum bonum, sicut illo concupiscibili suo & delectabili anima gustauerit, & duabus his hauserit affectionibus, excludens dolorem & formidinem, incredibiliter exæstuat, osculata enim verbum Dei modum non capit, nec expletur dicens,
suauis es Domine, & in iucunditate tua doce me iustificationes Ps. 99. 5.
tuas, osculata Dei verbum concupiscit super omnem decorem, diligit super omnem lætitiam, delectatur super omnia aromata, cupit frequenter videre, sæpe intendere, cupit attrahi vt sequi possit, *vnguentum*, inquit, *exinanitum est nomen tuum propterea te diligimus adolescentulæ, propterea certamus, sed comprehendere te non possumus, attrahe nos vt possimus currere vt vnguentorum tuorum odore accipiamus virtutem sequendi*, festinat etiam inter mysteria videre ipsam requiem verbi, ipsam boni illius summi habitationem & lucem eius & claritatem, in illo sinu ac recessu patrio, festinat audire sermones eius, & cum audierit super omnem suauitatem accipit, do- G
ceat te Propheta, qui gustauit & ait, *quam dulcia faucibus* Psal. 118.
meis verba tua super mel & fauum ori meo, quid enim a- 103.
liud desideret anima, quæ semel suauitatem verbi gustauerit, quæ semel claritatem eius viderit. Moyses in monte positus, quadraginta diebus, legem accipiens cibum corporis non requirebat, Elias ad illam festinans requiem rogabat vt acciperetur à se anima sua, Petrus aspiciens & ipse in monte Dominicæ resurrectionis gloriam nolebat descendere dicens: *Domine bonum*
est, nos hic esse, quanta igitur illa diuinæ substantiæ glo- Mar. 9. 3.
ria, quanta verbi bona in quæ concupiscunt & Angeli prospicere, anima igitur quæ illud videt, corpus hoc non requirit, minimamque sibi familiaritatem cum eo debere, esse intelligit, renuntiat se Deo, abducit seà vinculis carnis, exuit omnibus voluptatum istarum nexibus, denique Stephanus Iesum videbat, & lapidari non formidabat, imo eum lapidaretur non pro se sed pro illis à quibus perimebatur, rogabat, Paulus quoque raptus vsque ad tertium cælum vtrum cum corpore esset an sine corpore nesciebat, raptus inquam in
Paradisum, vsum proprium iam non sentiebat corpo- H
ris & audiens verba Dei, quomodo ad corporis infirmitates descenderet erubescebat, itaque sciens quid vidisset in paradiso vel quid audisset, clamabat dicens:
quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis, ne tetigeri-
tis, ne attaminaueritis ne gustaueritis quæ sunt omnia ad cor- Col. 2. 21
ruptelam ipso vsu; volebat enim nos in figura esse istius mundi non in possessione atque vsu, vt ita vtamur hoc mundo tanquam non vtamur tanquam prætereuntes, non tanquam residentes, ambulantes tanquam in imagine sæculi non in cupiditate, vt velocissima disputatione ipsam imaginem huius mundi transeamus: denique ipse fide ambulans, non specie peregrinabatur à corpore, aderat Deo & cum esset in terris non in terrenis sed in cælestibus conuersabatur, ergo anima nostra

A quæ Deo vult appropinquare eleuet se à corpore semper, illi summo adhæreat bono, quod est diuinum, quod est semper, & quod erat ab initio, & quod erat apud Deum, hoc est, Dei verbum, ipsum est illud diuinum in quo viuimus & sumus & mouemur, ipsum est, quod erat in principio, ipsum est, quod est, *Dei enim filius Iesus Christus, in vobis*, inquit, est, *in quo non fuit, est & non, sed est, in illo est, fuit*. Ipse dixit Moysi vt diceret, *qui est misit me*, cum hoc igitur anima nostra sit, & sit, si fieri potest semper, vt & nostrum possit quis dicere, anima mea in manibus tuis semper erit, aut si non in carne sit, sed in spiritu erit, si se terrenis non misceat, cum enim ad carnalia reflectitur, tunc ei illecebra obrepit corporis, tunc ira & indignatione exæstuat, tunc mæstitia afficitur, tunc supinatur per arrogantiam, tunc dolore affligitur, hæ sunt ægritudines animæ graues, quibus plerumque ad mortem cogitur, dum oculi eius cæcantur, vt non videant verè lumen gloriæ & diuitias æternæ hæreditatis, quod si eos ad Deum semper intendat, accipiet à Christo fulgorem sapientiæ, vt illuminatum in agnitione habeat B obtutum, vt videat illam spem nostræ vocationis, aspiciat illud quod est bonum & perfectum & placitum, quod enim bonum complacitum patri, quod complacitum perfectum, sicut habes in Euangelio vbi dicit Dominus: *diligite inimicos vestros, vt imitemini patrem qui pluit* (Matth. 5. 44.) *super iustos & iniustos*, quod est vtique bonitatis & postea concludit dicens: (Ib. v. 48.) *Estote perfecti sicut pater vester cælestis perfectus est*, charitas enim perfecta est, denique plenitudo legis est, quid autem tam bonum quam charitas, quæ malum non cogitat, & ideo terras fugito, in quibus inuidia est, vbi ambitio, vbi contentio, boni ergo illius capacem se anima tua præbeat, vt supra nubes volet, sicut aquila, renouetur sicut aquila, pennas emittat vt renouatis alarum remigijs alta petere non reformidet, hanc habitationem relinquat, terrenum enim habitaculum grauat, animam exuat vetera, abijciat erroris desideria, abluat oculos suos, vt videat illum fontem veræ sapientiæ, illum fontem vitæ æternæ, affluit atque exundat omnibus, nullius indigens, quis enim dedit illi cum ex ipso C & per ipsum, & in ipso omnia sint. Vitæ igitur fons est summum illud bonum, ex quo viuendi substantia ministratur omnibus, ipsum autem in se habet vitam manentem, à nullo quasi inops accipit, largitur bona alijs, (Ps. 15. 2.) non aliunde adsunt sibi. Neque enim indiget nostri, vnde & ait ex persona hominis, *quoniam bonorum meorum non indiges*, quid ergo pulchrius, quam ei appropinquare, ei adhærere: quæ maior voluptas est: quod is qui viderit & de fonte aquæ viuæ gratis gustauerit, quid potest aliud desiderare: quæ regna: quas potestates: quam pecuniam: cum aduertat, quam miseræ etiam hic Regum conditiones sint, quam mutabiles imperij status, quam exigua vitæ huius spatia, quanta in ipso imperio seruitia, cum ad aliorum non ad suum viuant arbitrium, quis autem peculiatus ad vitam æternam transit, nisi virtutum fultus peculio, quod receptum omnibus solis diuitibus impossibile pronunciatur. Non igitur his vti, beatum est, sed illud videre, quo ista despicias, & vana vero refellas atque inania & cassa iudices, illam nudæ veritatis D pulchritudinem diligas, quæ has sæculi fugosissimas vanitates redarguat: erige igitur oculos, anima, tuos, illos oculos, de quibus tibi verbum Dei dicit, *corde nos cæpisti* (Cant. 4. 9.) *soror mea sponsa*, corde nos cœpisti vno ab oculis tuis, ascende in palmam vnice sæculum vt teneas verbi altitudinem, imaginem istam mundi foris relinque, foris malitiam, introduc autem mentis bonitatem, quæ habet gratiam in ligno vitæ, si lauerit stolam suam & ingrediatur in ciuitatem, quæ vera est patria sanctorum in qua est Domini tabernaculum, circa quod Scribæ Domini prætendunt, vbi non dies aut Sol aut Luna lumen ministrant, sed ipse Dominus lumen est, totum illam ciuitatem illuminans, est enim lux mundi, non vtique lux visibilis, sed animarum, quæ in hoc mundo sunt intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prudentia, quæ prædicatur in Euangelio *in corpore virtutis, inflammans vapore suo secreta mentium, animo-* E *rumque penetralia*. Si quis igitur incola esse cœperit, illius ciuitatis supernæ, incola videlicet conuersatione ac moribus, non discedat, non abeat, non exeat, non reflectat vestigium, non corporis dico, sed mentis dico vestigium, non reuertatur retro, retro luxuria, retro impuritas est, denique ascendens ad montem Loth, retro reliquit Sodomitaria flagitia, quæ autem respexit retro, non potuit ad superiora euadere, non ergo pedes tui retro, sed mores non reuertantur, non fiant manus tuæ remissæ, & deuotionis tuæ ac fidei genua dissoluta, non fiat voluntatis tuæ recidiua infirmitas, non vllus intercursus criminum, sed ingressus es, mane, peruenisti, consiste, saluans salua animam tuam, ascendens directum, attolle gradum, nullus inde tute † sedit (*† for. leg. discedit.*), hinc via, inde ruina est, hinc ascensus, inde præcipitium ascendendi quidem labor, sed descendendi periculum, sed potens est Dominus, qui te fundatum illic custodiat, septum Propheticis muris, & Apostolicis turribus, ideo tibi dicit Dominus: *intrate, calcate, quia assistit vindemia*, *intus non foris simus*: & in Euangelio Dei filius dicit, (Mat. 24. 17.) *qui est in tecto, non descendat vasa sua tollere*, non vtique de hoc tecto dicitur sed de illo extendit cælum sicut cameram, intus ergo esto, intra Ierusalem, intra animam tuam pacificam, mitem atque F tranquillam, non exeas de ea, neque descendas, vas tuum istud, aut honoribus, aut diuitijs, aut arrogantia attollere, intus esto vt per te alienigenæ non transeant, peccata animam tuam non transeant, vanæ operationes & cogitationes inanes non transeant, si autem † sanctificaberis (*† for. leg. sanctificaueris.*) bellum pro deuotionis & fidei certamine, pro veritatis studio, aduersus passionum illecebras, & sumpseris arma Dei aduersum spiritales nequitias & astutiam Diaboli, qui pertentat sensus nostros fraude ac dolo, quem mansuetus bellator facile poterit, qui non serat iurgia, sed sicut decet, seruum Domini cum modestia fidem doceat, & eos qui aduersantur redarguat, de hoc dicit Scriptura: (Phi. 4. 13) *qui mansuetus est bellator exurgat, & infirmus dicat omnia possum in eo qui me confortat, hac fide fretus etiam qui infirmus est præualebit & erit sancta anima eius & stillabunt ei montes Prophetici vel Apostolici dulcedinem, & colles fluent lac*, qualis ille collis qui lactis potum Corinthijs dabat, & fluent ei *aqua de suis vasis, & puteorum suorum fontibus, vel de ventre eius aqua viua*, spiritales videlicet quas fidelibus suis Spiritus sanctus ministrat, qui etiam animam tuam dignetur rigare, (Ioa. 4. 14) *vt abundet in te fons aquæ salientis in vitam æternam*.

G

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIB. HRABANI MAVRI DE MODO POENITENTIÆ &c.

INDEX CAPITVM.

H

B

HRABANI MAVRI

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De vera Pœnitentia.

CVM maximum bonum sit vt homo semetipsum humilians conditori suo se per omnia subdat, & præceptis eis obediens non in semetipso fiduciam habeat, sed firmiter in Dei bonitate confidat, & quicquid se meminerit nequiter egisse, per confessionem sacerdoti patefaciat, & pro hoc ipso pœnitentiam condignam gerat, sperans in misericordia opificis sui quod ipse, qui eum ex nihilo condidit, potens est post lapsum rursum recuperare, & de peccatore iustum facere, atque æterni regni simul cum sanctis Angelis suis participem efficere proh dolor, multi sunt, qui peccare non metuunt, & vsque ad terminum pene vitæ suæ, in peccatis viuere non cessant, sibimet periculose blandientes atque dicentes, C misericordia Dei magna est, & licet omnes dies vitæ meæ in peccatis ducam & iuxta obitum meum tandem confessus fuero peccata mea, & pœnitentiam accipiam, continuo saluus ero, quia nesciunt vtrum eis vnius diei spatium super terram viuere concedatur. Alij autem post commissum multorum scelerum semetipsos desperantes, & de bonitate Dei diffidentes, aiunt se, si post baptismi perceptionem sordibus vitiorum polluerint, nequaquam in pristinum statum recuperari posse, & integram veniam promereri. Sed quia iste error late se spargit, & in multis locis magis magisque inoleuit, dignum esse videtur mihi, vt ad hunc abolendum, canonicas sententias & orthodoxorum patrum dicta in vnum volumen congeram, & quid sancti patres inde censuerint credendum, D & quid ego inde sentiam patefaciam. Nam sanctorum Prophetarum dicta licet in aliquibus sententijs peccantibus pœnas minentur, tamen manifeste conuersis à peccatis, & vere pœnitentiam agentibus spem veniæ dant, & remissionem peccatorum illis prædicant, vnde & ipse Dominus in mundum veniens & sine peccato per virginem natus peccatores ad se conuocare dignatus est, statim in initio prædicationis suæ, sicut Matthæus Euangelista testatur, eadem verba quæ præcursor suus Ioannes videlicet Baptista in deserto Iudeæ docendo ante protulerat, ipse prædicabat, de quo scriptum est: *Cum audisset* Mat. 3. 2. *Iesus quod Ioannes traditus est, cœpit prædicare & dicere, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*; si enim ille peccatoribus digne pro peccatis suis pœnitentiam agentibus ignoscere nollet, nequaquam eos agere pœnitentiam iuberet, bene ergo per Saluatorem pœnitentibus appropinquare regnum cœlorum dicitur, quia per ipsum de imis ad alta subleuamur, appropinquabit enim vere tunc pœnitentibus regnum cælorum, cum Saluator noster in suo aduentu omnibus quicunque per pœnitentiam priscis erroribus abrenuntiantes ad eius fidem & baptismum confugerunt, vitam promisit æternam, Ioan. 1. 12 *quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, appropinquat etiam & nunc quia ipse discipulis suis post resurrectionem suam iussit prædicare in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes E gentes, & ecce ait: *ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad* Matt. 18. 20. *consummationem sæculi*. Necesse est enim vnicuique qui se peccatorem & reum esse cognoscit, vt cum pœnitentiæ sibimet remedio subueniat, nec differat de die in diem conuerti in melius, sed dum vacat & in hac vita subsistit, studeat magis operibus bonis curam impendere, quam negligentiæ desidia torpere, docente hoc Scriptura atque dicente: *Ne adijcias peccatum super peccatum & dicas. Misericordia Dei multa est, quoniam misericordia & ira ab illo est.*

CAPVT II.

De recte viuentibus.

F

CErtus sum enim quia homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere absque peccato. Quis enim sine peccato, sed vitam sine crimine duxerit, & alia peccata habuerit, quæ quotidie ei dimittuntur in oratione dicenti: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, si faciat quod sibi à Deo cupit fieri, quando dum finierit, vitam non finit, sed transit de vita ad vitam, de laboriosa ad quietam, de misera ad beatam de temporali ad æternam, siue iste voluntate sua currat ad baptismum, & siue in periculo constitutus baptizetur vt transeat, ad Dominum vadit, ad requiem vadit, qui autem baptizatus postea desertor violatorque sacramenti fuerit & peccans Dominum repellit à se, si agat pœnitentiam ex toto corde & si agat veram pœnitentiam, vbi videt, quod vidit cor Dauid, quando increpatus à Propheta grauiter, & post comminationes terribiles Dei exclamauit dicens: *peccaui & mox exaudiuit. Dominus abstulit peccatum tuum non peribis*. † enim quantum valet hæc vox, tres syllabæ sunt, *peccaui*, sed in his tribus syllabis, flamma sacrificij cordis eius ad cælum ascendit, ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento, quo erat constrictus & bene post pœnitentiam vixerit, post reconciliationem eum defunctus fuerit ad Dominum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non priuabitur à populo Diaboli † serabitur.

† for. enimuero.

G

† forte leg. separabitur.

CAPVT III.

De sero conuersis.

QVisquis autem positus in vltima necessitate ægritudinis suæ, acceperit pœnitentiam & mox reconciliatus fuerit, & transierit de corpore, fateor, non illi nego quod petit, sed nec præsumo dicere quia bene hinc exijt, non præsumo, non polliceor, non dico, neminem fallo, neminem decipio, non penitus promittitur. Fidelis bene viuens, securus de hoc sæculo migrat, si agit pœnitentiam, dum sanus est, & reconciliatus postea bene vixerit, sed dicit aliquis, quid est bene vixerit, vel hoc nos instrue, sacerdos bone, vt sciamus illud, nescire te dicis, quia is qui accepta pœnitentia ad horam transit, si remittat illi facinora sua, si relaxet illi Deus peccata ipsius in die iudicij, hinc nullam seruitutem nobis das, vel quomodo bene viuere post pœnitentiam debeamus, docere nos debes, dico ergo, abstinere ab ebrietate, à concupiscentia, à furto, à maliloquio, ab ipso immoderato risu, à verbo otioso, vnde reddituri sunt homines rationem in die iudicij, ecce quam leuia dixi, & omnia illa grauia & pestifera, & aliud dico: non solum post pœnitentiam, ab ipsis vitijs se homo seruare debet, sed & ante pœnitentiam, dum sanus est, quia nescit, si ipsam pœnitentiam possit accipere & confiteri Deo & sacerdoti peccata sua, ecce quare dixi, & ante pœnitentiam bene viuendum est, & post pœnitentiam melius, agens vero pœnitentiam ad vltimum & reconciliatus exierit de corpore, si securus hinc exit ego nescio, pœnitentiam dare possum, securitatem autem dare non possum, quod dicturus sum, attendite, habeo planius exponere ne aliquis me male intelligat. H

Nunquid dico damnabitur? sed nec dico, quia liberabitur.

A rabitur, & quid mihi dicis sancte Episcope, quid tibi dicam nescio, iam dixi non præsumo, non promitto, prorsus nescio de Dei voluntate, vis autem frater te à dubio liberari, vis quod incertum est, euadere, pœnitentiam age dum sanus es, si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, curritur vt reconcilieris, si sic agis, securus es, quare securus es? vis dico tibi, quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo peccare potuisti. ecce dixi tibi, quare securus es, si autem tunc vis agere ipsam pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu peccata, sed respondet aliquis, vnde scis, si forte Deus misereatur & dimittat mihi peccata mea? Verum dicis frater, verum dicis, vnde scio, & ideo tibi do pœnitentiam quia nescio, vt tu inquis, ergo dimitte causam meam Domino, quid me tum verbis affligis, & iudici me Deo dimittis? illius iudicio te committo, cuius iudicio me commendo: nam si scirem nihil tibi prodesse pœnitentiam, non tibi eam darem: Iterum si scirem tibi prodesse, non te terrerem, duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non B tibi ignoscitur, quid horum tibi futurum sit, ego ignoro, sed consilium do, dimitte incertum, & tene certum, & dum viuis, dum sanus es, age pœnitentiam veram, vt cum veneris in iudicium Dei non ab eo confundaris, sed in regnum cæleste inducaris, hæc de ijs, qui pœnitentiam, dum tempus opportunum habent agere dissimulant, vt non vsque ad vitæ terminum eam protelent, admonitionis verba prolata sufficiant; nunc de his, qui nolunt agere pœnitentiam, sed de salute penitus desperant restat, vt orthodoxorum Patrum documenta ad eorum correctionem replicemus.

CAPVT IV.

Quod non sit desperandum de Dei bonitate.

C Non debes ergo ô homo diffidere Deo, & de misericordia eius desperare, nolo dubites, neque desperes mutari te posse in melius, si enim tantum potuit Diabolus, vt à celsis virtutum vestigijs in profundum te duceret malorum, quanto magis poterit Deus ad summum te bonorum verticem reuocare, & non solum in id restituere quod fuisti sed & beatiorem multo, quam prius videbaris efficere? Neque enim tantum concedas animo, nec bonorum quæso spem tibi abscondas, ne accidat tibi, quod impijs solet, non enim multitudo peccatorum in desperationem inducit animam, sed impietas, & propterea Salomon dixit, quia *omnis qui* Pro. 18. 3. *venerit in profundum malorum contemnit.* Impiorum ergo est desperare salutem, & contemnere cum in profundum malorum venerint peccatorum. Impietas enim non finit eos ad Dominum respicere, & illuc redire vnde delapsi D sunt. Ista ergo cogitatio, quæ spem conuersionis abscidit, ab impietate descendit, & sicut lapis grauissimus ceruicibus animæ incumbens, semper eam cogit deorsum in terram aspicere, ad Dominum vero suum non finit oculos alleuare, sed virilis animi est, & præclaræ mentis deijcere à ceruicibus animæ suæ pondus inimicissimum, immo deprimentem se abijcere Diabolum, & impetrare Ps. 122. 2. animæ suæ, vt canens verba Prophetica dicat ad Dominum: *sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis. Miserere nobis Domine, miserere nobis, quia multum repleti sumus, despectione.* Præclara vero in his verbis & cælestis Philosophiæ doctrina est: *Repleti*, inquit, *sumus despectione*, hoc est quod docere nos voluit, quia etsi pro peccatorum nostrorum multitudine repleti sumus despectione atque opprobrijs operti sumus, oculi nostri tamen ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nobis, nec prius ab obsecratione cessemus, quam impetrare peccatorum nostrorum veniam mereamur. Hoc enim verè est constantis animæ & pertinacis, vt nequaquam repellatur à perseuerantia deposcendi desperatione impetrandi, sed perseueret ac persistat in precibus donec ei misereatur Deus, & ne forte arbitreris te offensa magis contrahere apud Dominum, si cum non merearis audiri importunius persistas in precibus, recordare Euangelij parabolam, & ibi inuenies quod perseuerantes & importunos precatores Dominus non sibi ostendit ingratos, ait enim, *& si non dabit propter amicitiam, tamen propter importunitatem eius surget, & dabit ei quantum opus habet.* Intellige ergo charissime quia propterea Diabolus desperationem subijcit impetrandi, vt spem nobis Dei bonitatis abscindat, quæ est salutis nostræ anchora, & vitæ nostræ fundamentum, dux itineris, quo itur ad cælum, denique Apostolus ait, *Spe autem salui facti sumus*, spes ergo est, in qua salus nostra cō- Ro. 8. 24. sistit, & quę de terris animas velut quibusdam catenis cęlitus dependentibus innexas sibi euehit ad superna, & reuocat ad sedes cælestes eos, qui sibi vehementius inhærent, celsioresque eos vitæ huius ac terrenorum malorū turbinibus reddet, si quis ergo inter hæc positus resoluatur, animus & salutaris spei anchorā dimittat è manibus, decidat necesse est in abyssum, atque in profundum malorum enecetur, quod cū senserit inimicus, & viderit nos peccatorum nostrorum multitudinem perhorrescentes, increpationibus etiam ipsius conscientiæ deterreri, accedit & ipse, & cogitationes nobis subijcit desperandi plūbo omni & omni arena grauiores, quas si receperimus, necesse est nos statim pondere ipso abruptis salutis nostrę retinaculis in profundum demergi malorum, scimus enim plures & ex nostris temporibus, & memoria maiorum prolapsos ab itinere recto, & præcipitatos ab ingressu viæ angustæ, ita rursus esse reparatos, vt posterioribus priora transierint, atque ad palmam peruenerint, & coronam, numeroque rursus ac choro scripti creduntur esse sanctorum, sed donec quis permanet in ipsa adhuc flamma ac fornace libidinis, hæc ei impossibilia videntur, etiamsi mille prouocerut exemplis, si verò cœperit fieri vel parua conuersio, & initium dederit repetendi paulatim procedens, & ad superiora referens pedem, illa quidem quæ vehementior erat flamma post tergum remanebit, ante pedes vero quanto acrius cœperit incedere, tanto omnia inueniet diuini cuiusdam roris sopita refrigerio, tantum est, vt vnum quod præcipue inimicum est saluti huic caueamus.

CAPVT V.

Quam periculosa sit desperatio.

Inimica est autem conuersioni & pœnitentiæ desperatio, quę si insederit menti, quantumcunq; sit salutis desiderium, quamuis grande sit saluandi propositum, desperatione occurrente, omnis salutis aditus obstruetur, interiecta enim pœnitentiæ via, clauditur pariter & agonis ingressus, & quomodo iam poterit qui extra viam est, & cui ostium clauditur boni aliquid operis implere, cum ad bonorum non veniat ingressum, desperatione prohibente? propter hoc & Diabolus omnibus modis molitur huiusmodi cogitationes, plantare in cordibus nostris, si enim nos desperationis metus procul à via virtutis effecerit, nullum ei aduersum nos certamen vltra remanebit, quem enim impugnet cum nullus obsistat: si quis autem istud resoluere poterit vinculum, continuo vires suæ redeunt ad eum, incalescit vigor animi, delectabitur in suis certamina rursus instaurare: videbit enim refugare eum se quem fugiebat, & persequi persequentem, quod & si forte vt se conditio habet agonis rursum labitur vt cadat, non continuo lapsus sui pudore desperare iterum debet, sed meminerit, hanc esse agonis & certaminum legem, non vt nunquam quis cadat, sed vt nunquam quis cedat: quia non ille qui sæpe cecidit victus dicitur, sed ille qui ad vltimum cessit, nam qui desperationis cogitationibus victus est, quomodo vel vires reparare certandi, vel resistere & pugnare potest cum fugiat, nec omnino redeat ad certamen. Et ego nolo, quia tu putes, quia de his mihi sermo sit, tantum qui in paucis & leuibus peccauerunt, sed de illo loquor, qui omnibus succumbit malis, qui immanitate scelerum viam sibi excluserit regni cælorum, & non

A non de infidelibus sed de fidelibus fuerit, & ex his qui prius placuerit Deo, posthæc autem deciderit vel in adulteria, vel in omnes impudicitias, quæ vt Apostolus ait, turpe est etiam dicere, nec hunc ergo dico salutem desperare debere, etiamsi ad vltimam huiusmodi malis obsessus vsque peruenerit senectutem, sed quæ sit ratio dicti huius ausculta, *si ira Dei passibilis esset affectu, recte diceremus non posse iam restingui flammam, quæ tot ac tantis peccatorum succensa sit malis.* Cum vero impassibilem esse naturam diuinam definitio veritatis ostendat, intelligere debemus quia etiamsi punit Deus, etiamsi pœnas infert, non hoc cum ira passibili, sed cum ineffabili clementia facit medentis non petimentis affectu, & ideo valde libenter pœnitere debemus, pœnitentiæ enim medicamentum si præueniens curet animam, non facit eam ad medicamenta iracundiæ peruenire, pro his quæ commisit in Deum. Non enim vt diximus propter semetipsum vindicat Deus in peccatorem quasi vlciscens iniuriam suam, nihil enim tale recipit io se natura diuina, sed ad vtilitatem nostram, facit omnia pro vtilitate nostra, & correptiones inducit & pœnas, non vt se vindicet, sed vt nos emendet, quod si persistat quis in duritia, sicut ille qui auertit oculos suos à luce, damnum quidem luci nullum intulit, semetipsum vero tenebris condemnauit: ita & qui per cor impœnitens contemnere se putat virtutem Dei, semetipsum alienum efficit à salute. Quod si medicus ab his qui vel phreoesim patiuntur, vel cerebro moti sunt patitur iniurias, neque dolet pro hoc, neque irascitur, sed facit omnia quæ medendi ratio deposcit, quibus cruciari quidem videatur ille, qui patitur. Porro cruciatus ipse non est iniuriarum vindicta, sed cura languentis, denique si paruum quid æger proficere cœperit ad salutem, statim vides gaudere medicum, lætari vsque & alacrius exequi reliquam curam, nec vnquam prorsus iniuriarum meminit, sed salutis in omnibus gerere prospectum, quanto magis Deus etiam cum ad vltimam insaniam deciderimus, non vltionis affectu, pro his quæ commisimus mouetur in nos, sed cupiens visceribus nostris, inueteratos vitiorum curare languores, pro hoc & † dicet omnia, & agit, cupidus sanitatis nostræ, non pœnæ, sed quod quamuis ratio ipsa pietatis sufficienter ostendat, tamen ne tibi de huiusmodi sententia dubitatio vlla videatur, possumus hæc etiam ex diuinis Scripturis, quod ita se habeant edocere.

† at: docet

CAPVT VI.

Testimonia Scripturæ sacræ & exempla pœnitentium inde prolata.

DIc enim mihi quid sceleratius fuit Rege Babyloniæ qui cum in multos expertus esset potentiam Domini, ita vt Prophetam eius adoraret, & iuberet ei thus & myrrham immolari, rursus tamen ad priorem aduersus Deum superbiam deuolutus est, & eos qui imaginem eius adorare noluerunt, præferentes venerationem Dei, D victos io fornacem deiecit ignis ardentis, & tamen hunc tam immanem tam impium prouocat Deus ad pœnitentiam & dat ei conuertendi materias. Primo quidem ex hoc ipso quod ei in fornace ignis tribus pueris sociatus, apparuit, tum deinde, quod visionem vidit illam quam interpretatus est Daniel, quæ vel sola sufficeret etiam lapidea corda mollire, sed postquam rebus admonitus est, accessit etiam sermonum per Prophetiam cohortatio, accepit enim & Prophetæ consilium dicentis: *Propterea ò Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime & iniquitates tuas misericordia pauperum, fortassè erit patientia inde votis tuis.* Quid dicis adhæc vir sapiens & beate, & post tantos lapsus adhuc redditus est, mihi crede quia & post grauissimam ægritudinem, atque ab ipso pene mortis confinio redit sanitas & post desperatam insaniem multi resipiscuot. Ecce enim vt supra memorauimus, rex iste Babylonius omnes iam sibi aditus salutis excluserat, per id quod exacerbauit Deum, qui se fecit, & ad fastigia regni celsa perduxit, qui sibi cælestia

Dan. 4. 24

E etiam mysteria reuelauit, qui futurorum quoque scientiam dedit & regni totius arcana reserauit, qui magicas, Astronomicas, Gazarenas, Chaldaicasq; præstigias Prophetæ sui diuina interpretatione confudit, & ineffabile sacramentum captiui pueri sapientissima discretione patefecit, ita vt non solum credere summo Deo videretur, sed in omni orbe Deum Danielis Deum verum esse prædicaret, & non solum hunc ipsum negauit posthæc, sed & in tãtam rursus insaniam deuolutus est, vt seruos Dei qui non adorarent imaginem suam in fornacem præcipitaret ignis ardentis, & tamen ne ibi quidem curæ & remedij eius obliuiscitur diuina miseratio, sed in ipso vt diximus ignis medio, vbi flammis tradiderat pueros Deum colentes, etiam ibi eum non terroribus, sed mirabilibus mitigat, poterat enim & ignem restinguere, & imbres cælitus inundare, sed hoc non facit ne plus accendat insaniã, sed permittit intantum exaggerari flammam, quantũ furentis desiderabat immanitas, & non solum inferri pęnas F non prohibet sed illatis potestatem perimit cruciandi, & ne quis videns nõ vri pueros, putaret fantasma esse flammas, permisit exuri pœnarum ministros, eos scilicet qui circa fornacem stabãt, vt ostenderet quia vere ignis erat, qui videbatur, sed erat præceptum Domini ignis virtute validius, omne enim quod est, necessario famulatur ei, à quo vt esset accepit originem, suscipit ignis ergo ille corpora sanctorum, & pręcepto ac voluntate Dei naturę quã vrit oblitus, solam eius partẽ, qua illuminat operatus est, ita vt sanctos ac fideles depositos nõ corruptos redderet, sed illustratos, processerunt enim de fornace ignis tanquam de aula regali mirandi omnibus & omnibus venerandi, tunc nullus oculos suos ad regem conuertit, purpura & diademate refulgentem, sed relictus est à cunctis tanquam si non esset, quia omnium in se mirabiles pueri rapuere conspectus, quis enim non ista stupet ad corpora iuuenum pauisse flammas & non solum viscera G refugisse sanctorum, verum etiam ne capitis quidem comam, quod est omniũ fragilius, aut summã saltem vestimenti fimbriam præstrinxisse? quis nõ miretur in eis mẽbra montibus, vestiméta metallis, capillos adamante fortiores? sed in eo admirationis cumulus crescit, quod in medio flammarum positi, Hymnum Deo canebant, cum vtique notum sit, eos qui flammis traduntur, statim vt os aperuerint consumi, & illi quidem beati pueri manent apud Deum gloriosi & apud homines mirabiles, rex vero impius, nec mirabilibus mouetur, nec visionis & cõfusionis suæ sacramenta miratur, sed permanet incredulus, nec tamen punitur, neq; enim vincitur in eo patiẽtia Dei, sed tempore plurimo sustentatum, vix aliquando corripuit, non pręterita puniens, sed emendationem prospiciens in futuris, denique non in perpetuum damnatur, sed paruo tempore correptus, annis paucissimis emẽdatus ad priorẽ rursus reducitur statũ, ita vt damni nihil pateretur ex pœna, lucri autem plurimum ex emendatione conquireret. Talis mihi crede, & talis est erga homines pietas Dei, nũquam spernit pœnitentiam, si ei sincere & fideliter offer- H tur, etiamsi ad summum quis perueniat malorum, & inde tamen vellet reuerti ad virtutis viam, suscipit libenter & amplectitur, facit omnia quatenus eũ ad priorẽ reuocet statum, quodq; est adhuc pręstantius & eminentius, etiãsi non potuerit quis explere omnẽ satisfaciendi ordinem, quantulamcumq; tamen & quamlibet breuis temporis gestam non respuit pęnitentiam, suscipit etiam ipsam nec patitur quamuis exiguæ conuersionis perire mercedem.

CAPVT VII.

De Esaia.

HOc enim mihi indicare videtur Esaias vbi de populo Iudæorum talia quædam dicit. *Propter peccatum modicum contristaui eum, & percussi eum, & auerti faciem meam ab eo & contristatus est, & ambulauit tristis coram me, ego vidi & sanaui eum, & consolatus sum eum.* Euidentius nobis testimonium dabit etiam rex ille impius, qui cupiditatis quidem suæ prædam vxoris nequitia quæsiuit, sed & perturbatus ipsius sceleris immanitate pœnituit, & cilicio Isa. 57. 18

circum-

A circundatus facinus suum fleuit, atq; ita erga se Dei misericordiam prouocauit, vt cũctis eum absolueret malis, sic enim ait, *& dixit ad Eliam, vidisti quomodo compunctus est* 3.Reg.21.29 *Achab à facie mea, & quia fleuit in conspectu meo, non inducam mala in diebus eius.* Sed & post hunc iterum Manasses qui omnes tyrannos immanitate scelerum superauerat, qui cultum diuinæ religionis & obseruantiã legis euerterat, qui templum Dei idolis repleuerat cœlesti cultu vacuatũ, hic ergo impietate scelerum supergrediẽs omnem malitiam, tamen, quia pœnituit, inter amicos Dei postmodũ numeratus est. Quod si vel hi vel illi, quos supra memorauimus, considerantes immensitatem scelerum suorum, conuersionis & pœnitentiæ reditum desperassent, ab omnibus vtique bonis, quæ eos ex emendatione prosecuta sunt, proculdubio decidissent, quinimo respicientes ad ineffabiles miserationes Dei, & immensæ bonitatis eius profundum quidem diabolica à ceruicib. suis desperationis vincula soluerunt, suscitantes vero semetipsos conuersi sunt ad virtutis viam & reuocantes à præcipitio B pedum suorum cursum rursum consummauerunt bonũ.

CAPVT VIII.

De sententiis Propheticis & exemplis Euangelicis de conuersione peccatorum.

HÆc quidem de exemplis sunt nobis dicta sanctorũ, Audi nunc quomodo etiam sermonibus per Pro- Ps.94.8. phetas ad conuersionem inuitamur à Domino, *Hodie*, inquit, *si audieritis vocem eius, nolite obdurare corda vestra*, quod autẽ dicit hodie, omne tempus, quo viuimus indicat, ẽt vsq; ad vltimam, si res ita accidit, senectutem. Non n. tẽporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudo pẽsatur. Aut nõ legimus, leuitas peccatum illud grauissimũ in deserto non temporis longitudine, sed vnius diei hora exigua diluisse? sed & latro ille qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate tẽporis vt ingressum paradisi mereretur, sed tantum ei spatij sufficit quantum expendi potuit, donec vnũ possit proferre sermonẽ, ita vt intra momentũ tẽporis totius vitæ scelerib. absolutus, præcedere C ad Paradisum ẽt Apostolos mereretur. Quid aũt & martyres? nonne frequẽter vna die, interdũ vero & sub vnius horæ spatio coronas sumpsere ingentium præmiorũ? Et ideo audendum est tantummodo, & promptis atq; incitatis animis aggrediendũ, vt quadam velut indignatione permoti irascamur aduersum deceptatricem nostram libidinem, & affectũ atq; amorem nostrum conuertamus ad virtutem Dei, hoc est n. quod & poscit à nobis Deus, non quærit temporũ longitudinẽ, nec afflictionẽ crucis, adhoc præcipue respicit si vera sit & sincera conuersio, ideo deniq; vidimus aliquotiens nõnullos cœpisse postremos & factos esse merito priores, non ergo cecidisse ita malum est, vt post lapsũ iacere & nolle consurgere, & cũ quadã voluntate ac resolutione peccare, desperationisq; sermonib. mali propositi vitiũ tegere, contra hos n. pro- Iere.8.4. pheta cũ quadam indignatione proclamabat dicẽs, *nunquid qui cadit non resurget, aut qui auersus est, non conuertetur*, quod si dicas, quæritur si aliquis fideliũ cecidit & potuit reparari, audi, & hoc de ipso quod dicimus *cecidit*, stetisse eum, antequã caderet, profitemur. Nemo n. cecidisse di- D cit eum qui semper iacuit, & nunquã stetit, proferamus tñ ẽt ex scripturis diuinis, si qua super hoc vel in parabolis vel per apertas sententias sunt, si qua ẽt in maiorũ continentur exemplis. Quid tibi videtur? aliud continere ouis illa, quæ cũ à nonaginta noué ouib. aberrasset, requisita postmodũ ac pastoris humeris reportata, nonne aperte & lapsum & reparationem fidelis ostendit, ouis enim est & ipsa, sicut & illæ nonaginta nouem, & non alterius, sed vnius, eiusdemque gregis, & vnius eiusdemque pastoris, eiusdem namque pascuis prius, quibus & illæ ceteræ, eisdem poculis, eisdemq; cubilibus vtebatur, sed errauit, & errore non minimo, per montes enim & colles euagata est, longe scilicet & difficilibus circumacta erroris anfractibus, nec tamen reliquit illam pastor bonus consumi in erroribus suis, sed requirit, & reuocat, reuocat aũt non violenter perurgens nec verberib. cogens, sed humeris pro- E prijs subuectans; sicut n. optimi quiq; medicorũ erga eos; quos viderint tabæ longæ ægritudinis afflictos in nõnullis rigorẽ tẽperant medicinæ & delicatius ac tenerius agunt cũ eis, ita & Deus eos, quos videt vehementius peccatis esse corruptos, non districta satis & ardua obseruantiæ inrẽtione reuocat ad viam virtutis, sed sensim & paulatim, ita vt in quamplurimis sustentet, in plurimis subleuet, ne dura eis & ardua videatur repentina conuersio, & non tam peccandi amore retracti residere videãtur in errorib. quã conuersionis asperitate deterriti, sed nõ hæc sola pars pari moderatione nobis conuersionis modũ ostendit, verũ & illa, quæ de luxurioso filij reditu scribitur, & ille n. filius erat, nõ erat extraneus, germanus erat eius, qui nunquã à patre discesserat, filius ergo est, qui ad vltimos malorũ fines dicitur peruenisse, abierat n. in regionẽ longinquã, & longe satis à Deo effectus, qui fuerat diues & nobilis, deterior seruo & mercenario factus est, sed tamen regressus & pœnitens in antiquum recipitur statũ, & in priorẽ gloriam reparatur, quod si desperasset, & erubuisset pro his, quæ acciderant ei, reuerti ad patrem, sed F mansisset in regione longinqua, & aliena, non vtiq; adeptus esset ea quæ adeptus est, sed fame peritiitus infelicissimam mortem subijsset: Vides ergo, quanta est vtilitas pœnitentiæ, quanta sit conuersionis spes per pœnitentiam, filius prodigus recipit prioris gloriæ statum, quem senior frater habebat per patientiam, etsi audere in talibus fas est, videtur mihi quod ex conuersione hic etiam amplius aliquid meruit, vide enim quomodo senior fratet dicit. *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer, cum autem venit filius tuus hic qui comedit substantiam tuam cum meretricibus, ingulasti & vitulum saginatum*, quomodo ergo non amplius consecutus Luc.15 29 videtur, qui per pœnitentiam redijt, cũ ille hœdũ nunq̃ acceperit, vitulus huic occisus sit saginatus. Hæc igitur charissimi habentes exẽpla pœnitentiæ nõ perseueremus in malis, nec desperemus recõciliationẽ, sed dicamus, nos ẽt redeamus ad patrẽ, & appximemus nos Deo, nunquã mihi crede auersabitur conuersos ad se, nos sumus, qui nosmetipsos longe effecimus à Deo, ipse n. dicit, *Deus approximans ego sum*, & non Deus de longe, & iterũ per eundẽ prophetã *peccata*, inquit, *separant me & vos*, si ergo pec- G cata sunt q̃ nos separant à Deo, auferamus medium istud obstaculũ, & nihil est q nos prohibeat coniungi Deo, vis tibi ostendã hæc non solũ in parabolis dicta sed & rebus impleta: Apud Corinthios erat quidã vir, vt videtur, nõ ignobilis, hic cõmiserat tale peccatũ, quale nec inter gentes quidem admitti solet, & erat hic ex numero filiorũ & familiarum Dei, quidam enim eum ex sacerdotali ordine fuisse tradunt. Quid ergo? nunquid excidit eum Paulus de numero eorum, qui spem gerunt salutis, quinimo posteaquam sufficienter Corinthios arguit pro eo, volens tursus ostendere, quia nullum vulnus est, nulla ægritudo, quæ non cedat, & sanetur medicamento pœnitentiæ, iubet eum tradi sathanæ in interitum carnis vt spiritus saluus sit in die Domini nostri IESV CHRISTI, sed hæc iubet antequam de pœnitentia eius agnosceret, vbi ergo pœnituit, *sufficit*, inquit, *ei increpatio hæc quæ fit à pluribus*, & addit, *Obsecro vos confirmate in eum charitatem, ne possideatur a sathana*, 2.Cor.2.8. *non enim ignoramus astutias eius*, quid ergo aliud per hæc omnia docetur, nisi quia possibile sit vt etiam H si in vltimam peccatorum perniciem corruerit, rursus possit in eo Christus per pœnitentiam reformari, *non enim vult mortem peccatoru, sed vt conuertatur & viuat*, nec vllo modo audiendi sunt illi, Ezech.33.11. qui dicunt quod fideles post lapsum peccati, & maxime ipsi qui in gradu Ecclesiastico sunt promoti, non possint in pristinum statum ex integro restitui, de quo, quid sanctus Papa Gregorius senserit atque amico interroganti responderit, ad confirmationem sensus nostri, hoc in loco interponendum censeo, qui in Epistola, quam ad secundinum seruum Dei inclusum conscripsit, inter alia sic ait. Nam tua sanctitas inde

A à nobis requisiuit, vt tibi rescriberem, de sacerdotali officio, post lapsum resurgendi dum dicis de hoc Canones diuersos te legisse, diuersasque sententias, alias resurgendi, alias nequaquam posse. Nam nos generaliter à Nicena incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur, quia ipsum sequentes cetera in cunctis sententijs vnanimes concordant, nos ergo & præcedentes Patres sequimur, quia auctore Deo à sacta doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes vsque in quartum altaris ministerium hanc formam seruandam cognoscimus, vt quia minorem maior præcedit sicut honore est maior ita sit in crimine, & quem maior sequitur culpa, maior ei implicetur vindicta, & sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa, quid enim prodest triticum seminare, & fructum illius non colligere? aut domum construere, & non illic habitare? post dignam enim satisfactionem credimus posse redire ad honorem, propheta dicente. *Nunquid qui cadit non adijciet vt resurgat: & qui auersus est non reuertetur?* Idem & peccatori ait, *In quacunque die conuersus ingemueris, tunc saluus eris*, vnde & Psalmista ait, *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis, ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*, dũ enim petit ne à Deo proijceretur, prolapsi culpa, alienam rex & propheta simul rapuisse vxorem tremefactus expauit, propheta indicante flagitium suum, pœnitentiam agens addidit, *redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me*, si n. ipse dignam Deo pœnitentiam non fecisset, nequaquam alijs prædicaret, ait n. *Docebo iniquos vias tuas & impij ad te cõuertentur*, dum n. peccata sua prospexit propheta mundata per pœnitentiam, non dubitauit prædicando castigare aliena, & sic sacrificium de semetipso offerre studuit, cum dicebat. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus*. Adhęc ista suffecerant, sed omnis sentẽtia, quo plus sacris * scripturarũ testimonijs confirmatur, facilius creditur: de hoc n. Propheta dicit. *Nolo mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*, de hoc peccantibus dicitur, *peccator in quacumq; die conuersus ingemuerit, omnes iniquitates eius in obliuionem tradentur*; si n. redemptor noster, qui peccatores non perdere sed iustificare venit in obliuione peccantiũ delicta derelinquit, quis hominũ condemnãda reseruet? cũ Apostolus dicat, *si Deus iustificat quis est, qui condemnet?* Ad fontẽ misericordię recurrentes. Euangelicam proferamus sententiã, *gaudebo*, inquit, *super vno peccatore pœnitentiam agente quam super 99. iustis, qui non indigent pœnitentia*, & ouem perditam xcix. non errantib. relictis in humero ad ouile reportauit, si ouis errãs post inuentionem ad ouile humero reportatur, cur post pœnam ad Ecclesiæ ministerium minister nõ reuocetur? Quid est ergo grauius, carnale delictum admittere, sine quo non multi, sed pauci inueniuntur, aut Dei filium timẽdo negare? In quo peccato ipsum beatũ principem Apostolorũ Petrum, ad cuius nunc corpus indigni sedemus, lapsum esse cognoscimus, sed post negationem pœnitentia secuta est, & post pœnitentiam misericordia data, quia illum ab Apostolatu non deiecit, qui ante se ipsum negare prædixit. Conuertamur ergo ô amicissimi mihi, & redeamus ad voluntatem Dei implendam, propterea n. creauit nos Deus & esse fecit, qui non eramus, vt æterna nobis conferat bona, & præstet regna cœlorũ, non nos ad hoc fecit, vt gehennæ nos tradat, igniq; perpetuo, regnum cœlorũ propter nos, gehẽna propter diabolũ facta est, & hoc ita esse ex Euangelijs doceamus, ipse n. Dominus dicit, his qui à dextris eius sunt, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*; Illis autem, qui à sinistris eius sunt, dicit, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius*, non dixit vobis, sed diabolo, si n. propter diabolum gehenna ignis, propter hominem regnum cœlorũ à constitutione mundi præparatum est, tantum ne nosmetipsos ab ingressu bonorum persistendo in malis pertinaciter excludamus, donec enim sumus in hac vita quantacumque nobis acciderint peccata, possibile est abluí omnia per pœnitentiam, cum autẽ abducti fuerimus de sæculo hoc, iam etiamsi pœnitebit nos, valde n. pœnitebit, sed nulla erit vtilitas pœnitentiæ, & licet stridor dentium sit, licet vlulatus & fletus, licet fundamus preces, & innumeris obsecrationibus proclamemus, nemo audiet, nemo subueniet, sed ne extremo quidem digito, aquam quis infundet linguæ nostræ positæ in flammis, sed audiemus illud quod diues ille audiuit ab Abraham, quia Chaos magnum confirmatum est, inter nos & vos & neque hinc illuc * transire potest, neque inde huc.

Margin notes (left column): B; C; D; *Isa.* 24. 20; *Ezech.* 33 12.; *Ps.* 50. 12; *Ps.* 50. 14; *Ps.* 50. 15.; *Ibi. v.* 19.; * fort. sacræ scripturæ testimoniis vel sacris scripturis & testimoniis, *Matt.* 18. 13.; *Matt.* 25. 34.; *Ibi. v.* 41.

Margin notes (right column): E; * leg. forte trãsiri

CAPVT IX.

De tempore pœnitentia fructuosa.

PRoinde oportet nos intentius considerare ac sollicitius tractare, quod tempus acquirendi vitam æternam, in ista tantum vita Deus hominibus dedit, vbi voluit etiam esse pœnitentiam fructuosam, ideo autem hic pœnitentia fructuosa est, quia potest hic homo deposita malitia bene viuere & mutata voluntate merita simul operaque mutare, & in timore Dei ea gerere, quæ placeant Deo, quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inueniet, quia etsi erit ibi stimulus pœnitudinis, nulla ibi erit correctio voluntatis, à talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, vt nullatenus ab eis possit vel diligi vel desiderari iustitia, voluntas enim eorum talis erit, vt habeat in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen recipere possit bonitatis affectum, quia sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt, ita illi qui erunt supplicio ignis æterni cum diabolo & angelis eius deputati, sicut nullam vlterius habebunt requiem, sic bonam nullatenus habere poterunt voluntatem, & sicut cohæredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam, sic cõsortibus diaboli, cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiori lumine veritatis. Proinde omni homini in hac vita vita esse potest vtilis pœnitentia, quam quocumque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renunciauerit peccatis præteritis, & pro ijs in conspectu Dei, non solum corporis, sed etiam cordis lachrymas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curauerit, omnium peccatorũ indulgentiã mox habebit, hoc n. nobis Dominus prophetico promittit eloquio dicens, *si conuersus fueris & ingemueris saluus eris*, & alio loco dicitur, *fili peccasti, ne adijcias iterum*, sed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur, nunquã peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda, sed & pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia Catholica gerat, cui Deus in persona B. Petri ligandi soluendiq; tribuit potestatem, dicens, *quæ alligaueris super terrã erunt ligata & in cælis, & quæ solueris super terrã, erunt soluta & in cælis*. In quacumq; igitur homo ætate, verã peccator suorũ pœnitentiã egerit, & vitam suam Deo illuminãte correxerit, nõ priuabitur indulgentiæ munere, quia Deus, sicut per Prophetã dicit, *nõ vult mortẽ morientis*, quantum vt reuertatur à via sua mala, & *viuat anima eius*. Verumtamen nullus hominũ debet sub misericordia Dei in suis diutius remanere peccatis, cũ & in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare, tales n. qui ab iniquitatib. suis recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnũquã ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec cõuersionis tẽpus, nec beneficiũ remissionis inueniant. Ideo vnumquemq; vestrũ sancta scriptura benigne præmonet dicens, *ne tardaueris conuerti ad Dominũ, & ne differas de die in diem. Subito n. veniet ira eius & in tempore vindictæ disperdet te*, dicit etiam B. Dauid, *hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra*, cui beatus quoq; Paulus concordat his verbis. *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malũ incredulitatis discedendi à Deo viuo sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*, obdurato igitur corde viuit, siue qui conuertitur desperans de indulgentia peccatorum, siue qui sic misericordiam Dei sperat, vt vsq; in finẽ vitæ præsentis

Margin notes (right column, continued): F; G; *Ezech.* 33 11.; *Eccl.* 21. 1; *Matt.* 18. 18.; *Ezech.* 33 11.; H; *Eccli.* 5. 8.; *Ps.* 94. 8.

A

sentis in suorum criminum peruersitate remaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei metuentesq; iustitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis, scientes quia illa omnium hominũ debita sit exactura æquitas iustissimi iudicis, quæ non dimiserit misericordia clementissimi redemptoris, sicut enim misericordia suscipit, absoluitque conuersos, ita iustitia repellet & puniet obduratos, hi sunt qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo neque in futuro remissionem accipient peccatorum.

CAPVT X.

Comparatio Gehennæ ad Luxum præsentis vitæ.

HÆc recordare mi amice & illum gehennæ ignem his quæ te nunc exagitant flammis libidinis & cupiditatis oppone, est enim hoc mirabile quoddam medicamenti genus, vt ignes ignibus extinguantur, si enim restinctæ non fuerint libidines istæ, quæ te nunc exagitant, B illos tibi æternos ignes acriores & inextinguibiles reddent. Quanto putas tempore permanere tibi posse præsentis vitæ delicias, vt ego quidem reor, nec quinquaginta iam tibi anni superesse vsq; ad extremum possunt, quamuis sis longissima senectute, sed hoc tempore isto, vide quanta interuenire possunt. Primo quod nemo etiamsi vsque ad vesperum perueniat certus est, deinde quod mobilis semper humanarum rerum status est, frequenter enim vita quidem longum tempus producitur, nec tamen facultates ac diuitiæ ei fideliter permanẽt, sed sæpe accidit, vt prius quis opibus quam vita deficiat, veruntamen cõcedamus tibi viuere te posse annos multos, & nullam permutationem temporum pati, & quantum quæso illud spatij ad æterna supplicia? quantum hoc* voluntatis est, ad illas execrabiles & intolerabiles pœnas? nã & in hac quidẽ vita, siue bona, siue mala terminum suum norunt, eumq; velociter sortiuntur, in futuro aũt sæculo vtraq; immortalib. spatijs protenduntur. Adde & illud quod ẽt pœnæ ipsius longe alia & diuersa conditio est, ignis n. hic qui in præsenti vita est, absumit cuncta quæ re- C cipit, ille vero, quos receperat, semper cruciat, & pœnæ suæ semper integros seruat, propterea enim & inextinguibilis dicitur, non solum quia ipse non extinguitur, sed quia nec eos quos susceperit, extinguit aut perimit, non ergo putemus quia suppliciorũ nimietas ipsa donabit finẽ dolorum, sed vt diximus peccata quidem pœnas accẽdunt, incorruptio vero animæ & corporis nullũ supplicijs terminum dabit. Dic ergo nunc quanta tempora luxuriæ, quæ deliciarum spacia comparare vis talibus pœnis, centũ placet annos delicijs dare, adde & alios cẽtum, si libet decies centum adde, & quæ erit ex his ad æternitatem cõparatio? nonne omne tẽpus vitæ huius, quo delitijs perfrui videtur & indulgere libidini, quasi vnius noctis somniũ, ad æternitatis comparationẽ videtur esse? si est ergo aliquis, qui vt vna nocte delectabile videat somniũ æternas subire eligat pœnas, & illa pro his recipere vel pro illis ista mutare. Nondũ descendo ad vituperationẽ deliciarũ neq; amaritudinem, quæ in eis est, nunc aperio, quia nec huiusmodi orationi hoc tempus est, sed tũc cum forte ab his effugere potueris, nũc n. cum in ijs passi- D biliter tenearis, delirare nos credis, si dona libidinis, quæ grata omnib. videntur & iucunda, aspera adferamus & amara; si vero per misericordiam Dei euadere ex huiusce-modi ægritudine quiueris, tunc quid amaritudinis, immo vero quid veneni habuerit libido deprehendes.

* forte leg. voluptatis.

CAPVT XI.

De non tardando conuerti ad Deum.

QVid differimus? quid moramur? & diuina largitione non vtimur? Dei enim ineffabilis & immensa bonitas, etiam hoc prouidit, vt laborum quidem tempus & agonis non extenderet, ne longum faceret, aut æternum, sed breue, & vt ita dicam momentum quoddam horæ vnius, hoc enim est præsens hæc vita, si ad illam E conferatur æternam, prouidit ergo bonitas Dei, vt in hac breui & exigua vita agones essent & labores, in illa vero quæ æterna est, corona & præmia meritorum, vt labores quidem cito finirentur, meritorum vero præmia sine fine durarent, sed hoc sicut lætificat eos, qui per laborum patientiam coronantur, ita affligit illos & cruciat in futuro, qui vident se pro paruo & exiguo deliciarum tempore perdidisse quidem bona æterna, mala vero quæsisse perpetua. Ne ergo etiam nos in istum veniamus animæ cruciatum, expergiscamus aliquando dum tempus habemus, & ecce nunc tempus acceptum, nunc dies salutis, nunc est pœnitendi facultas & tempus, quo & fructus consequitur pœnitentiæ, verum non hæc sola quæ diximus manent nos mala, quæ in gehenna perferimus, si negligamus vitam nostram, sed est multo malum his grauius, excludi enim à bonis æternis & alienum effici ab his, quæ præparata sunt sanctis, tantum generat cruciatum, tantum dolorem, vt etiamsi nulla extrinsecus pœna torqueret, hæc sola sufficeret, illa pœna, omnes gehennæ superat cruciatus, carere bonis, quibus in F potestate perfrui habueris.

CAPVT XII.

De statu futuræ vitæ.

COnsidera enim, quæso statum vitæ illius, in quantum tibi considerare possibile est, vt enim vere est, comprehendere nullus sermo sufficiet, sed quantum possumus ex his quæ legimus, & per ænigmata accipimus tenuem quandam opinionem de ea capiamus & dicitur de ea quodam loco, quod *aufugiet ibi dolor & tristitia & gemitus*, quid hac vita beatius? vbi non est paupertatis metus, non ægritudo, nemo lædit iniuste aut læditur, nemo irascitur, nemo inuidet, nulla cupiditas exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsat & potestatis ambitio, sed omnis vitiorum labes deposita & pœnitus extincta est, pax cuncta continet & lætitia, tranquilla sunt omnia & quieta, iugis splendor non iste qui nunc est, sed tanto splendidior, tanto clarior G quanto splendidior est sol lucerna, nulla nox ibi, nullæ tenebræ, nullus nubium turbo, nulla frigoris, nulla ardoris asperitas, sed talis quædam erit rerum temperies, quam scient illi soli, qui ea digni fuerint perfrui non est senectus ibi, nec senectutis miseria, sed omne quicquicquid corruptionis est, *exsoluat & gloria incorruptionis cuncta circundat, verum super hæc omnia est sociari consortijs angelorum & archangelorum, omniumque cœlestium, supernarumq; virtutum contubernijs perfrui, vltra omnem vero hanc huiusmodi est, gloriam ipsius Domini nostri Iesu Christi ineffabili adipisci conspectu & maiestatis eius inenarrabili splendore radiari.

*for. exulat

CAPVT XIII.

De splendore gloriæ Christi.

COnferamus oculos ad montem illum in quo transformatus est Christus & intueamur splendorem H illum quo tunc in transformatione resplenduit, nec sic quidem inueniemus cunctam nobis futuri sæculi gloriam patefactam, illa enim transformatio patefacta est, non, in quantum bonorum futurorum veritas habet, sed quantum ferre oculi poterant intuentium, sic enim & Euangelium dicit, *quia resplenduit sicut sol*, incorruptorum autem gloria corporum non hoc tantum splẽdoris emittet, quantũ ex ista corruptibili luce procedit, nec talẽ lucem qualẽ nũc mortales oculi capere possunt, sed tantus erit futuræ lucis splendor, quantum corporeus ferre non põt aspectus, cum tamen illum tulerit qui in montis formatione resplenduit, vnde ostenditur quia tantum reuelatum sit, quantum ferre oculi mortalium poterant, nec tamen tolerauerunt ex integro, sed *ceciderũt*, inquit, *in faciẽ super terrã*. Quid ergo, dic mihi,

Matt. 17 2.

* for. transmanen-

A omnium bonorum horum expertes nosmetipsos faciemus, & alios vti ne paruum aliquem suscipiamus laborem, & exiguo tempore libidinis illecebras refutemus: Si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam paruo tempore tolerare, vt Christũ videre possimus in gloria venientem & sanctorum eius *at.erat numero sociari, nonne * esset dignum pati omne quod triste est, modo vt tanti boni tantæque gloriæ participes Matt.17.4. haberemur? Audi quid dicit beatus Petrus. *Bonum est nos hic esse*, quod si ille tenuem quandam futuræ gloriæ imaginem videns omnia subito proiecit ex animo dulcedine visionis quam perspexit innexus, quid dicet aliquis, si ipsam rerum faciem vt se habet veritas contempletur? tunc scilicet, cum cœlestis aula pandetur & regem cœli non iam per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem reuelauerit, non iam per fidem sed per speciem contuendum. Nonnulli imperitorum putant sibi satis esse & optabile videri, si gehenna tantummodo careant, ego autem multo grauiores quam gehennæ dico esse cruciatus remoueri & abijci ab illa gloria, nec puto tam acerba B esse gehennæ supplicia, vt sunt illa quibus torquetur is, qui arcetur à conspectibus Christi, hoc, crede mihi pœnis omnibus grauius est.

CAPVT XIV.

De aduentu futuri Iudicis, testimonia prophetica & terrore Iudicij.

HVnc autem regem quem diximus non putes quadriges mulatum aut curribus aureis vectum, vel ornatum purpura, aut per terribilem potestatem diadematis adfuturum cum ad iudicandum venerit orbem terrarum. Sed audi quomodo nunc prophetis nunciantibus adnunciari omnibus fas fecit vt prædicetur eius aduen-Ps.49.3. tus, Ait ergo quidam ex eis. *Deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit, ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius procella valida, & vocabit cœlum de sursum & terram, discernere populum suum.* Alius vero, qui & pœnarum nobis species Isa.13.9. indicat Esaias, audi quomodo dicit. *Ecce dies Domini veniet* C *insanabilis, dies furoris & iræ, vt ponat orbem terræ desertum & peccatores perdat ex eo, stellæ n. cœli, & Orion & omnis ornatus cœli lumen suum non dabit, & obscurabitur sol in ortu suo, & luna nõ dabit lumen suum, & mandabo vniuerso orbi mala, & impijs peccata eorũ, & perdã contumeliam iniquorũ, & iniuriam superborũ humiliabo, & erunt qui relicti fuerint pretiosiores magis quam aurũ sine igne, & homo pretiosior erit magis quã lapis ex saphiro, cœlũ n. quatietur, & terra mouebitur à fundamentis suis, propter furorẽ iræ Domini Sabaoth, in die qua superuenerit furor eius.* & Isa.24.18 iterũ dicit, *Fenestræ cœli aperientur & mouebuntur fundaměta terræ. perturbatione perturbabitur terra, stupore stupebit terra, inclinatione inclinabitur terra & inclinata est, cõmotione cõmouebitur, sicut ebrius & crapulatus, exutietur sicut pomorũ custodia, terra cadet. & non poterit insurgere, inualuit n. super eam iniquitas, & inducet Deus super ornatũ cœli in excelso manum suam in die illa, & super regna terræ & congregationẽ eius ponet in vinculis, & concludet eam in locũ munitum.* Cũ ergo hæc agi cœperint, pandentur sine dubio cœli portæ, immo potius ipsũ cœlũ auferetur è medio tanquã si tabernaculi alicu-D ius velamen colligitur, scil. vt reparetur & transformetur in melius, tunc ergo omnia metus habebit, timor ac tremor implebit vniuersa, tunc ẽt ipsos Angelos formidine quassabit, & non solũ angelos, sed & thronos & dominationes & principatus & potestates cœli, hoc n. indicatur in eo quod dicit, *& virtutes cœli commouebuntur, conserui n. sunt eorũ qui iudicandi sunt, & vitæ huius posituri rationem*, tu vero adde ad hæc omnia etiam suppliciorum dolores & non solum confusionem, neque solius dedecoris notam, sed & illam pone ante oculos viam, qua trahuntur homines ad ignem, & qua trahuntur ad pœnas cogita sæuos illos & horrendos pœnarum ministros, qui peccatores præcipitant ad supplicium & hoc eo tempore, quo alij qui bene egerunt à clarissimis angelis & placidissimis subportati ante regis æterni solium sublime coronis

E gloriæ & immortalibus præmijs munerantur, & hæc quidem propria erunt diei illius & iudicij temporis.

CAPVT XV.

De futura vita lætitia & quod non sit ei comparanda præsens tribulatio.

QVæ vero posthæc subsequentur, quis sermo poterit explicare? quæ erit voluptas, quæ lætitia, esse cum Christo, vbi anima ad propriam generositatẽ regressa cũ fiducia iam cœperit videre Dñm suum, explicare non põt illius lætitiæ magnitudo, non n. solũ pro his exultat quibus perfruitur in præsenti, sed multo magis pro eo gaudet, quod bonorum suorum scit nullum finem futurum; quæso ergo te, ne contemnamus tantam beatitudinẽ, neque negligamus pretiosum hunc thesaurũ, qui intra nos est, maxime cum facilis nobis reditus esse possit & paruo labore reparari animæ decus, vbi n. spem futurorũ conceperis, statim redit anima ad pulchritudinem suam, ait F n. Paulus Apostolus. *Nam quod in præsenti est, momentaneum* Cor.4.17 *& leue tribulationis nostræ supra modum immensum æternæ pondus gloriæ operatur in nobis non aspicientib. quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ n. videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.* Quod si tribulationes leues appellat Paulus & faciles, pro eo quod non ad hæc quæ videntur, sed ad illa quæ non videntur aspiciamus, quanto magis leue tibi erit, & facile desinere ab impudicitiæ ponderib. fœdis? neq; enim nunc te ad illos labores inuitamus aut pericula, aut ad illas tribulationes, aut ad quotidianas mortes, quas Apostoli perferebant, vel ad persecutiones illas, aut verbera, aut vincula, aut carceres, aut ad totius mundi theatrum, aut famem, aut nuditatem, aut vigilias multas, aut pericula itinerum, naufragia maris, pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex falsis fratribus, atq; illa omnia quæ Apostoli agones desudant, nihil horum nunc à te poscimus, sed illud tantũ rogamus, vt turpissima hac seruitute derelicta ad priorem redeas libertatem, considerans pœnam quæ subsequitur luxuriam, & gloriam quæ virtutibus reposita est. Nam si quidem qui resurrectionem futuram non credunt, si vitam suam ne- G gligunt, & nullum futuri iudicij concipiunt metum, nullam compunctionem cordis sui habent, nihil mirum est; nos vero qui multo certius intuemur futura, quam præsentia, & tam infeliciter agere & tam misere & nullam recordationem capere iudicij, sed in vltimum decidere cõtẽptum, extremæ dementiæ est, nec potest aliquid huic malo conferri, si credentes non credentib. similes simus, quinimo in illis non pauci reperti sunt, qui in hac vita animæ virtutibus floruerunt, & quæ nobis erit excusatio, quid solatij, si in die iudicij isti nobis producantur ad exemplum, tum præterea videmus nonnullos negociatorũ incidisse naufragia, & vniuersam perdidisse substantiam, nec tamen pro hoc deiectos esse, & resedisse, sed rursus aggressos eandem viam atque eadem exercitia reparasse, & illi quidem damna hæc non desidia animi, sed ventorum violentia pertulerunt, nos qui certi sumus de fine rerum & manifeste nouimus, quia si volumus neque naufragia animæ, neque damna poterimus incurrere, quo- H modo non arripimus denuo priora exercitia & negocia, quæ negligenter amisimus reparamus? sed iacebimus resupini & desides & manus otiosas applicabimus ad pectus, & vtinam otiosas & non operantes in perniciem nostram, quod est vtique euidentius insaniæ, velut si quis verbi gratia istorum * aduersario in suum caput manus *forte aduersarij conuertat, & suam ceruicem cædens, repulit nos diabolus & elisit, oportet itaque resurgere, & rursus stare contra eum, nam si semel deiectus non solum non vis à terra resurgere, sed & teipsum præcipitio dare, hoc est iuuisse aduersario & partibus eius fauisse.

CAPVT

CAPVT XVI.

De lapsu Dauid & pœnitentia eius.

A NAm & beatus Dauid, de quo aliqua iam supra commemorauimus, cecidit forte eodem casu, quo & tu nunc, & non solum hoc sed & aliud addidit grauius, homicidium enim adiunxit adulterio, & quidem posthæc numquid permansit iacens? nonne resurrexit, & iterum stetit contra inimicum, & ita eum subegit, vt etiam post mortem merita eius profuerint posteris suis. Nam Salomon cum immane illud admisisset scelus & dignus mille mortibus haberetur, propter Dauid tamen concessurum se Dominus regnum eius integrum, dicit. Ait enim. *Scindens scindam regnum de manibus tuis, & dabo illud seruo tuo Hieroboam, veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum, sed de manibus filij tui accipiam illud,* (3. Reg. 11. 11.) sed Ezechias cum in pericula extrema venisset, quamuis & ipse esset iustus, &

B tamen pro beato Dauid dicit se Dominus ei auxilium delaturum. Ait, enim. *Protegam enim ciuitatem hanc & saluam faciam illam propter me, & propter Dauid seruum meum.* (4. Reg. 19. 34.) Vides quanta est virtus pœnitentiæ, vides quantum meriti conuersio reparauit, quod si voluisset & ille hæc cogitare; quæ tu nunc animo geris & dicere, quia impossibile est iam mihi propitium fieri Deum, *honorauit enim me honore ingenti, & propheticam mihi gloriam contulit, Regnum etiam dedit,* de periculis quoque innumeris me eripuit, & quomodo potero cum posthæc tanta eius beneficia deciderim & offenderim, atque in vltima flagitia deuolutus sim, propitium rursus promereri Deum, si hæc cogitasset Dauid cum prioribus pariter & nouissima perdidisset, non enim sola corporis vulnera si negligantur, inferunt mortem, sed & animæ similiter, & iam nos tam stulti erimus, vt corpori quidē, si vulnus eueniat, adhibeamus continuo medicinam, in nullo vero animæ vulneribus medicemur, & quidem in vulneribus corporū sunt multa quæ omnino sanari non possunt, & tamen continuo non desperamus, sed in quantum fieri potest, adhibemus

C diligentiam, etiamsi audiamus à medicis quia huiusmodi vulnus sanari *potest, insistimus tamen & obsecramus, (*for. deest (nō)) vt aliqua saltem solatia nobis medici & aliquid sustentationis exquirant; in animæ vero vulneribus, vbi nihil est insanabile, non enim anima necessitatem patitur naturæ, quasi aliena à nobis eius passio sit, sic negligimus, sic desperamus, nihil ad animæ sollicitudinem reuocamus, & vbi languoris natura dispensationem necessario generat, nos tamen, quasi spei aliquid conferat diligentia, non omittimus curam hic, vbi nulla est desperandi necessitas, quasi nulla sit sanitas, sic omissa cura penitus discedimus, milies enim si teipsum desperes, nos te nunquam desperabimus, neque enim hoc ipsi agimus in quo alios reprehendimus, quamuis non sit idem, cum ipse de se quis desperet & cum alio desperatur. Qui enim alium desperat habet veniam, qui vero semetipsum desperauit nullam habet veniam, quia ille non est Dominus mentis alterius, is vero propositi sui potestatem tenet: nos ergo non desperamus, quod sit tibi reditus ad prioris vitæ statum & ad illas quas in te nouimus animi virtutes.

D

CAPVT XVII.

De Niniuitarum pœnitentia.

SEd addimus adhuc etiam hoc quod Niniuitæ audiebant prophetam ex definito dicentem, & comminantem. *Adhuc tres dies, & Niniuen destruetur,* (Iona 3. 4.) sed ne sic quidem animo conciderunt, & hoc cum nec satis confiderent posse exorare Deum vt contra responsa sua veniret, quæ videbant, non sub aliqua veniæ conditione suspensa, sed abrupta, sententia terminata, tamen ad pœnitentiam confugiunt, dicentes. *Quis scit si miserebitur Deus & deprecabitur Deus super malitia, quam locutus est vt faceret.* (Amos 5. 15) Quod

E si homines barbari & imperiti tantum habere potuerunt, intellectum diuinæ bonitatis, nonne multo magis nos oportet qui in diuinis literis eruditi sumus, & qui hæc ipsa exempla præcessisse non ignoramus multa, & alia ex diuinis scripturis similia vel in præsentijs vel in rebus gestis didicimus contineri? *non enim,* inquit Deus, *consilia mea, sicut consilia vestra, nec viæ meæ sicut viæ vestræ. sed quantum distat cœlum à terra tantum distant cogitationes meæ à cogitationibus vestris, & consilia mea à consilijs vestris.* Tum præterea si nos famulos nostros, qui nos fortasse offenderunt cum promittant se esse meliores, recipimus, & ad priorem reuocamus locum, interdum vero etiam maiorem eis post offensam ex reconciliatione fiduciā damus, nonne multo magis hoc nobis faciat Deus? nam si propterea nos fecisset vt puniret, bene desperasses & dubitares de salute tua, si vero propter bonitatem suam tantūmodo nos fecit, vt æternis bonis eius & muneribus fruamur, atq; omnia quæ agit, ab initio sæculi vsq; ad præsens tēpus, propterea agit, & propterea mouet, quæ vltra nobis desperandi, quæ ambigēdi causa supererit? sed ita vehementer, ais, offendimus eum, vt nullus vnquam homi-

F nū, propterea ergo maxime velocius & vehementius satisfacere oportet & pœnitudinē gerere cōmissi, & cito recedere ab his actib. quibus offenditur Deus, neq; n. rectas & ingenuas mentes ita offendit, quamuis grauissimi iniuria delicti, vt contemptus satisfaciendi; peccare namque humanum est, permanere aūt in peccatis diabolicū est, deniq; vide quomodo per prophetā hoc arguat magis Deus, quā illud, *& dixi,* inquit: *Posteaquam meretricata es, post hæc omnia conuertere ad me, & non es conuersa,* & iterum alibi, *Et in his omnib. non est conuersus inordinatus Iudas, & adhuc manus excelsa,* in alijs quoq; postquā arguit delicta populi per prophetam, & emendationē suam promiserunt, ostendens quā amabiliter conuersionē suscipit Deus peccatorū, dicit. *Quis dabit ita esse cor eorū vt timeant me, & custodiant mandata mea omnib. diebus vitæ suæ, vt bene eis fiat & filijs eorū in seculum,* (3. Reg. 8. 40.) sed & Moyses docere populū volens, quid Deus requirat ab hominib. ita dicit, *& nunc audi Israel, quid Dominus poscit abs te, nisi vt timeas Dominū Deū tuum, & incedas in omnib. viis eius, & diligas eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & omni mente tua.* (Deut. 19. 9.) Deus ergo q cupit diligi à no-

G bis & omnia facit pro hoc, & nec vnigenito suo parcit pro salute nostra & caritate, & qui optat, vt ita dicam, vt quocumq; pacto & quandocumque reconciliemur ei, quomodo pœnitentes nos & conuersos, ad se non libenter suscipiat, & amabit vt filios? Nam quo prospectu putas illud quod dixit per Prophetam, dic tu prius iniquitates tuas vt iustificeris.

CAPVT XVIII.

De spe & fiducia in Dei bonitate ponenda.

AGe ergo iam aggrediamur iter vitæ, reuertamur ad ciuitatem cœlestem in qua conscripti sumus & ciues decreti, huius nobis vrbis ianuas desperatio quidem claudit, aperiet aūt spes, & fiducia latum præbebit ingressum, hæc si contemnimus non solū iam desidiæ culpam, sed & superbiæ incurrimus. Nam & diabolus nō aliunde talis factus est, nisi quia primo post peccatū desperatione visus est, postea vero ex desperatione incidit in superbiam & elationem, sic ergo & anima si semel salutem suam cœperit desperare, iam nec intelligit, quomodo vel in quæ

H mala præcipitetur, nihil n. aut agere aut dicere metuit, quod contrariū saluti sit, & sicut sæpe vidimus in his, qui insaniunt cum semel perdiderint sanitatis statum, nihil iam vltra metuunt, nihil erubescunt, sed libenter omnia & dicere audent & facere. Si in ignem proruant non declinant, etiamsi in præcipitium aut in profundum non reuocant pedem. Ita & qui desperatione capti sunt irreuocabiles fiunt, per omnes enim malitiæ vias discurrunt, pudor nihil prohibet, metus nihil impedit, præsentia non metuunt, futura non reformidant, sola mors est, quam euadere non possunt

A propter quod deprecor priusquam vehementius inebrieris mali huius veneno, exsurge, quæso te expergisce aliquando, & diabolicam hanc depone molestiam, quod si ad subitum non potes, paulatim & sensim recollige animos, quamuis vt mihi videtur facilior via sit omnia simul abrumpere & mali huius retinacula pariter cuncta, atq; ex integro ad exercitia conuerti pœnitentiæ, si autem tibi hoc difficile videtur, saltem sume initium aliquod, melioris vitæ & æternæ desiderium cape, & sic Domino opitulante ad maiora & perfectiora conscendes, primum ergo per humilitatem confessionis profer delicta tua coram Deo, sacerdoti & sic pœnitentiæ modicum ab eo indictum diligenter exequere, nec reuertaris ad priora vitia, sed semper per iustitiæ callem studeas peruenire ad virtutum arcem.

CAPVT XIX.

De Confessione humili.

B HVmilitatis testimonia sunt, & iniquitatem suam quemque cognoscere & cognitam voce confessionis aperire, vsitatum humani generis vitium est, & labēdo peccatum committere, & commissum non confitendo prodere, sed negando defendere atque conuictum defendendo multiplicare, ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpæ, ad hoc primus homo requisitus fuerat, vt quæ transgrediendo commiserat, confitendo deleret, & interrogatus vbi esset, vt perpetratam culpam respiceret, & confitendo cognosceret quam longe à conditoris sui facie abesset. Indicia veræ confessionis sunt, si vnusquisque cum se peccatorem dicit, id de se dicente etiam alteri non contradicat, scriptum est, *iustus in principio accusator est sui.* Non magis peccator sed iustus videri appetit, cum peccatorem se quisquis nullo arguente cōfitetur, confessionis veritate probatur, quod alter malū quod fecimus increpat, quod superbi defendimus, *licet quia peccatores nos esse ficte dicebamus, curādum summopere est, vt mala quæ fecimus & sponte fateamur, & C hæc alijs arguentibus non negemus, superbiæ quippe vitium est vt quod fateri quisq; quasi sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab alijs dedignetur, pignus debitoris est, confessio peccatoris, à debitore enim pignus accipitur, cum à peccatore iam peccati confessio tenetur.

Prou. 18. 19.

* al: liquet

CAPVT XX.

Quod nihil prosit se peccatorem dicere & nolle se emendare.

COrrumpitur autem pœnitentia, si ijsdem quis pro quibus confitetur, rursus inuoluatur malis, *Vnus enim, inquit, ædificans, & vnus destruens, quid consequitur nisi laborem? & qui baptizatur à mortuo & iterum contingit mortuum, quid proficit in lauacro priori?* sic & homo qui ieiunat pro peccatis suis, & iterum vadit, & eadem agit, orationem eius quis audiet? & iterum dicit, qui redit à Dei iustitia ad peccatum, Dominus præcipitat eum in gladiū, & sicut canis, cum reuertitur ad vomitum suum odibilis D efficitur, ita & stultus cum reuertitur ad peccatum suum, non ergo hoc solum sufficit si incusans temetipsum peccata tua videaris exponere, sed eo affectu hæc age, vt speres tibi in eo iustificationis aliquid conferri per pœnitentiam. Sic enim poteris animæ tuæ confitenti incutere verecundiam, ne vltra in hæc pro quibus confitetur incurrat. Nam condemnare semetipsum, & peccatorem dicere commune hoc est omnium, & hæc pœnitentia est infidelium, denique multi de scena quoque viri & præcipue mulieres impudicæ peccatores semetipsos & sceleratos appellant, non eo prospectu hæc dicunt quo cupiant emendari, ideo non est dicenda ista confessio, non enim ex corde compuncto nec in amaritudine lachrymatum talia proferuntur, nec eo affectu quasi qui oderint ea quæ accusant, nec vltra non dicam agere hæc, sed

Eccli. 34. 29

E ne audire quidem velint, sed tantum res in sermone est, & sermone summis è labijs non ex intimo dolore cordis producto, ita vt interdum etiam pro hoc ipso laudari expectent, quasi qui nihil fallant, sed licet contra semetipsos, tamen vera pronuncient, quasi ita graue apud homines appareat peccatum, cum ab eo perfertur, qui admisit, vt cum ab alio arguitur, sed istud faciunt hi, qui multa desperatione etiam sensu doloris carent, nec hominum iam verentur notam, sed cum fiducia quadam quasi aliena ita propria pronunciant mala, te autem nihil horum facere volo, neque desperatione ad confitendum venire, sed cum spe bona, & præsumptione indulgentiæ desperationis radice penitus excisa, radix est enim desperationis ignauia, non solum radix sed nutrix eius & mater. Nam sicut vestis generat tineas & nutrit, ita & ignauia non solum gignit desperationem, sed & alit & fouet, ex semet[...]is igitur animantur hæc pariter & augescunt, & si alteram quis harum abscidat, altera sine dubio interitu perimetur alterius &c.

F

CAPVT XXI.

Qualiter sit pœnitentia agenda.

OMnis peccator in pœnitentia duplum habere gemitum debet nimirum quia & bonum quod oportuit non fecit, & malum quod non oportuit fecit, cum ad bona opera non adiungimus, necesse est vt nosmetipsos dupliciter defleamus, qui & recta non fecimus & praua operati sumus. Per beatum Moysem vnus turtur pro peccato, alter vero offerri in holocaustum iubetur, holocaustum namque totum incensum dicitur, vnum ergo turturem pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitum damus de altero holocaustum facimus, cum pro eo, quod bona negligimus nosmetipsos funditus accendentes igne doloris ardemus. Beatus Iob post flagella proficiens & à semetipso in magna redargutione dissentiens dicit, *Idcirco ipse me reprehendo & ago pœnitentiam in fauilla & cinere,* In fauilla enim & cinere pœnitentiam agere est contemplata summa essentia, nihil aliud quam fauillam se cineremque cognoscere, in cilicio asperitas, & G compunctio peccatorum, in cinere autem puluis ostenditur mortuorum, & idcirco vtrumque adhiberi ad pœnitentiam solet, vt in compunctione cilicij cognoscamus quid per culpam fecimus & in flagello cineris perpendamus quid per iudicium facti sumus, consideretur ergo in cinere per mortis sententiam subsequens iuxta pœnam vitiorum quæ post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicij superbiendo quid fecit, videat in cinere vsque quo peccando peruenit, quasi quodam cilicio peccator pungitur, dum in mente sua asperis redargutionum stimulis constringitur, in cinere autem agit pœnitentiam, qui ex primo peccato quid per iustum iudicium factus sit solenter attendit, in tenebras diem vertimus cum nosmetipsos districte punientes ipsa delectationis prauæ blandimenta per districta pœnitentię lamenta cruciamus & flendo insequimur, qu equid in corde taciti ex delectatione peccamus, fide- H lis quisque dum cogitationes in iudicio exquirit subtiliter, non ignorat semet introrsus discutiens se ante iudicium vehementer examinat, vt districtus iudex eo iam tranquillius veniat ad eor suum quem discutere appetit, quo eum pro culpa punitum cernit, omnipotens Deus subtiliter *acta nostra considerat, & tamen hæc pœnitentibus misericorditer relaxat, qui & duritiam in peccantibus conspicit, sed tamen hanc præueniente gratia ad pœnitentiam emollit, culpas nostras Deus enumerat, cum nos ipsos ad singula quæ fecimus deflenda conuertit, quas misericorditer relaxat, quia ea dum nos punimus ipse nequaquam in extremo examine iudicat. Paulo attestante qui ait, *si nos nosmetipsos dijudicaremus, non vtique diiudicaremur,* quod exterius agimus nisi pœnitentia interueniente diluamus, in secreto iudiciorum Dei sub quadam occultatione seruatur, vt quandoque etiam de sigillo secreti exeat ad publicum iudicium, cum vero pro

Iob 42. 6.

* al: acta nostros.

malis

A malis quæ fecimus disciplinæ flagello atterimur, & hæc
per pœnitentiam deflemus, iniquitatem nostram signat
& curat, quia nec inulta hic deserit, nec in iudicio puniē-
da seruat, signat Deus delicta nostra quia hæc ea subtiliter
attendit, vt feriat, curat vero quia hæc per flagellum fun-
ditus relaxat. beatus Iob humani generis assumens per-
1.Cor.11. 31. sonam dicit, *signasti quasi in sacculo delicta mea*, peccata no-
stra quasi in sacculo signantur, cum mala quæ fecimus,
solito semper corde pensamus, quid namque est cor ho-
minis, nisi sacculus Dei? vbi dum studiose conspicimus
per quanta delinquimus, peccata nostra quasi in Dei sac-
culo signata portamus, quia culpas quas nos intuendo &
pœnitendo cognoscimus, pius nobis conditor relaxat,
recte post signata in sacculo delicta dicūtur, sed curas ini-
quitatem meam, ac si aperte dicat quod modo signas vt
pœnitendo videam, agis proculdubio ne in retributione
videatur.

CAPVT XXII.

B

De differentia malorum & bonorum.

SÆpe ergo accidit vt per pœnitentiam quis multa &
magna corrigat, inter hæc tamen bona, quę per pœni-
tentiam correxit, etiam peccata commiserit, & hoc est
quod maxime desperationem animo inducit, quia vide-
tur sibi destruxisse quod ædificauerat & omnes illos la-
bores inaniter effudisse, & hæc est cogitatio, quæ præci-
pue animæ pondus desperationis imponit, sed illud rur-
sus oportet cogitare, per quod pessima & inimica vitę no-
stræ cogitatio ista repellatur, quia illa bona quæ egimus,
& emendatio illa, quæ per pœnitentiam quæsita est, nisi
fuisset, & velut contrariū pondus ponderi huic, quod ex-
pectatio nobis introductū est, obstetisset, nihil fuerat quod
in profundum nos malorum decidere prohiberet, nunc
autem sicut fortis quædam lorica iaculum graue & ama-
rum non permisit vsq; ad vitalia viscerum penetrare, sed
vim lætalis teli maxima fregit ex parte, certum est enim,
quod qui fert secum illuc, plura bona & plura mala, in i-
psis pœnis habebit aliquid refrigerij, qui autem bonorū
C operum nihil, malorum secum multam copiam defert,
quid eum maneat, nec opus est dicere, erit enim ibi sine
dubio compensatio bonorum operum malorumque, &
velut in statera posita, vtraque pars quę emerserit, illa si-
bi eorum quo momentum vergitur operum vindicabit,
si ergo malorum operum multitudo quantitatem bono-
rum operum superauerit, pertrahit ad gehennam, si enim
maior fuerit operum bonorum summa vi absistent & re-
pugnabunt malis, atque operatorem suum ad regionem
viuorum ex ipso etiam gehennæ confinio reuocabunt,
verum hęc non tam ex nostro sensu, quam ex diuinis scri-
pturarum sermonib. adfirmantur, sic enim scriptura pro-
Matt.16. 27 nunciat dicens, *ipse reddet vnicuique secundum opera sua*, non
solum enim in gehenna suppliciorū, sed in regno cœlesti
Ioa.14.2. multæ erunt differentiæ, *mansiones enim* inquit, *multæ sunt
1.Cor.15. 41. apud patrem meum*, & iterum, *alia gloria solis & alia luna*, &
quod vere amplius admirandum sit, vt ostenderet quod
etiam in minimis ratio & mensura pensabitur meritorū,
Ibid. *& stella*, inquit, *ab stella differt in claritate*, vt per hoc osten-
D deret, quia & inter singulos eorum, qui in regno erunt,
futura sit differentia, hæc igitur omnia scientes non nos
subtrahamus ab operibus bonis neq; desperationis ob-
tentu nos desidiæ atq; ignauiæ concedamus, neque si ad
splendorem solis ac lunæ peruenire non possimus etiam
stellæ nobis, quamuis inferior claritas contemnenda est,
tantum est vt aliquantulum lucis virtutum merito quæ-
ramus, tantum est vt quamuis minimum cœli tamen or-
natum mereamur explere, si aurum, si lapis pretiosus esse
non possumus, argenti saltem expleamus locum, tantum
ne in illam materiam conuertamur, quam facile ignis ab-
sumit, ne lignum, ne fœnum inueniamur aut stipula si-
mus in bonorum parte vel vltimi tantum, ne in
malis primi.

CAPVT XXIII.

E

Dicta Abbatis Pinophi.

PRæterea vero notandum est, quod post illam genera-
lem baptismi gratiam & illud potissimū martyrij do-
num, quod sanguinis ablutione conquiritur, similiter a-
lia in scripturis sacris ægritudinis nostræ remedia annotata
inueniuntur. Multi sunt n. pœnitentiæ fructus, per quos
ad expiationem criminum peruenitur. Non enim tantū
simplici illo pœnitentiæ nomine salus æterna repromit-
titur de qua Apostolus Petrus, *Pœnitemini*, inquit, *& con- Act.3.19.
uertimini vt deleantur peccata vestra*, & Ioannes Baptista vel
ipse Dominus. *pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum Matt.3.2
cælorum*, sed etiam per charitatis affectum multitudo pec-
catorū obruitur, *charitas n. operit multitudinem peccatorum*, 1.Pet. 4. 8.
Similiter ergo per fructum vulnerib. nostris medela mō- *for. eleemosynarū
stratur, quia sicut aqua extinguit ignē, sic eleemosina ex-
tinguit peccatū. Item per lachrymarum profusionē con-
quiritur abolitio delictorum, *lauabo n. per singulas noctes le-
ctū meum, lachrymis stratum meum irrigabo*, denique sic vt sig... F
ostendens non inaniter eas fuisse profusas, *discedite a me Psal.6.7.
omnes qui operamini iniquitatem quoniam exaudiuit Dominus Ibid.v. 9.
vocem fletus mei*, nec non per confessionē criminum aboli-
tio condonatur, *dixi n.* inquit, *pronuntiabo aduersus me iniu-
stitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei* & Ps.31.5.
iterum: *narra tu iniquitates tuas prius vt iustificeris*, per affli- Isa.43. 26
ctionem quoq; cordis & corporis admissorum scelerum
remissio similiter obtinetur. Nam *vide*, inquit, *humilitatē Ps.24.18
meam & laborem meum & remitte omnia peccata mea*, præci-
pueq; per emendationē morum, *Auferte*, inquit, *malum co- Isa.1.16.
gitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse disci-
te benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillos,
defendite viduam & venite & arguite me dicit Dominus, & si fu-
erint peccata vestra vt coccinum velut nix dealbabuntur, si fuerint
rubra quasi vermiculus, velut lana munda erunt*. Interdum etiā
per intercessionem sanctorum impetratur venia delicto-
rum, *qui n. scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, 1.Ioan.5. 16.
petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem*, & iterum, *infir-
matur quis ex vobis inducat presbyteros Ecclesiæ: & orent super eum Iaco.5.14
vngētes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infir- G
mum, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittētur ei*.
nonnunquam misericordiæ ac fidei merito labor exco-
quitur vitiorū, secundum illud *per misericordiam & fidem Ibi.v.19.
purgantur peccata, per conuersionem plerumq; ac salutem eorū qui
nostris monitis ac prædicatione saluantur, quoniam qui conuerti
fecerit peccatorem de errore viæ suæ, saluabit animā suam de mor-
te & cooperit multitudinem peccatorum*. Per indulgentiam ni-
hilominus ac remissionem nostram ad indulgentiam no-
strorum facinorum peruenitur, *si enim*, inquit, *dimiseritis Matth.6. 14.
hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis
delicta vestra*. Videtis ergo quantos misericordiæ aditus
patefecerit clementia saluatoris, vt nemo salutem cupi-
ens, desperatione frangatur, cum videat se tantis ad vitā
remedijs inuitari, si enim pro infirmitate carnis, afflictio-
ne ieiuniorum aboleri peccata nō posse causaris, nec po-
tes dicere, *Genua mea infirmata sunt a ieiunio, & caro mea im- Ps.101.9
mutata est propter oleum, quis cinerem tanquam panem manduca- H
bam, & potum meum cum fletu miscebam*, eleemosynarum ea
redime largitate indigenti, si non habes quod impertias,
licet nullum ab hoc opere necessitas inopiæ ac pauperta-
tis excludat, quandoquidem & illius viduæ duo tantum
æra ingentibus diuitum donarijs præferentur & pro ca-
lice aquæ frigidę, mercedem se redditurum Dominus re-
promittat, certe morum poteris emendatione purgari,
quod si perfectionem virtutum extinctione vitiorum o-
mnium non potes adipisci, sollicitudinem piam erga v-
tilitatem alienæ salutis impēde: si aūt idoneum te huic mi-
nisterio non esse cōquereris, operire peccata poteris cha-
ritatis affectu, in hoc quoq; si te fragilem fecerit quęlibet
mētis ignauia, oratione saltem atq; intercessione sancto-
rum remedia vulnerib. tuis humilitatis affectu submissus
implora, postremo quis est, qui non possit simpliciter di-
cere, *peccatum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam nō Psal.31.5
operui*,

A *operui*, vt per hanc cõfessionem ẽt illud confidenter subiungere mereatur, *& tu remisisti pietatem cordis mei*, (Ibid.) quod si verecundia pertrahẽte reuelare coram hominib. erubescis, illi quem latere non possunt confiteri ea iugi supplicatione non desinas, ac dicere ei, (Ps. 50. 5.) *iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper, tibi soli peccaui & malum coram te feci*, qui & absq; vllius verecundiæ publicatione curare & sine improperio peccata donare cõsueuit post illud quoq; tam promptum certumq; subsidium aliud quoq; adhuc facilius largita nobis est diuina dignatio, ipsamq; remedij opem nostro cõmisit arbitrio, vt indulgentiam nostrorum scelerũ pro nostro præsumamus affectu dicentes ei, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib. nostris*. Quisquis igitur ad indulgentiam suorũ criminum desiderat peruenire, istis semetipsum aptare studeat instrumentis, nec obdurati cordis pertinacia à remedio salutari fontem tantæ pietatis auertat, quæ etiamsi hæc omnia fecerimus non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini, clementiaq; deleuerit, qui cum religiosi conatus obsequia B supplici mẽte à nobis oblata perspexerit exiguos paruosque conatus immensa liberalitate prosequitur dicẽs, (Isa. 43. 25.) *ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum iam non recordabor*, tu autem ò homo hæc considerans stude temetipsum per pœnitentiã recuperare & longe à vitijs te separare, sicq; bonis operibus insistens poteris Deo te proximũ facere, quicquid boni possis dum tẽpus habes instanter operare. Etenim sicut diuitiæ huius sæculi, tunc maxime augentur, si nulla prorsus lucra nec minima *condemnentur, ita & spiritalibus diuitijs nec minimum quid est boni operis, contemnendum est, alioquin valde absurdum videtur, cum iudex noster ne calicis quidem aquæ frigidæ mercedem se promiserit negaturum, nos quidem dicere quia nisi magna *quæ gerimus & ingentia nihil proderunt minima, immo vero ego etiã illud addo, & quia si quis parua contemnat & minima, certum est quod paulatim etiam ad magna perueniat, (Eccle. 19. 1.) *qui vero spernit minima*, sicut scriptura dicit, *paulatim decidit*, & ideo arbitror Deum & saluatorem nostrum in rebus minimis magnas statuisse mercedes, quid n. tam leue, tam C facile, quam visitare infirmum & tamen huic tam exiguo operi remunerationem magnificam posuit, & uerũ, quid tam facile quid tam gratum, quam esurienti præbere cibum, sitienti potum, nudo indumentum, conclusum in carcere requirere, & hæc quæ tam parua sunt & tam minima ita magna ducit & summa, vt ea non homini, sed sibi ipsi Deus deputet ministrata, & pro his regnum cœleste promiserit. Aggredere igitur amice Charissime, aggredere iter æternæ vitæ, & rursus suscipe iugum Christi suaue & onus eius leue, recupera in temetipso animi virtutes & finem redde initijs similem, nec patiaris, tantum tibi & tanto labore quæsitum spiritalium gratiarum diripere censum, perijt enim si persistas in peccatis, & exacerbes Deum in actibus tuis, si vero priusquam census tui fiat multa iactura, & priusquam terra tua noxijs inundationibus repleatur exclusas irruptionum fauces, & ingressum perhibeas inundantium vitiorum, p[illegible]teris rursũ pristinam reparare culturam, & ad fructus solitos ruris optimi quondam tibi exercere noualia, exsurge ergo, exsurge (Matt. 10. 14.) sicut propheta dicit & *excute puluerem tuum*, exsurge de D terra, & statim mihi crede terrebitur aduersarius tuus, ille enim iam te quidem deiecit, quasi vltra non resurrecturũ, si autẽ videat te surrexisse de terra, & brachia rursus certamini protendentem, ipsa tui audacia deterrebitur, & quanto tu prŏpior tanto ille formidolosior fiet, & quãto maiora præsumis, tanto ille infirmior fragiliorq; redditur, sed & illud cogita quod tibi audenti aderit Deus, illi vero scelerum conscientia & audacia labefactabit & vires, sicque diuina gratia largientur in omnib. hosti tuo superior existens, iam victor fortis ope virtutum valde ditatus, ad cœlestis regni gloriam percipiendam migrabis vbi cum Christo & sanctis angelis eius in æternum gaudebis.

FINIS LIBRI TERTII.

*for. cõtemnãtur
for. quæq; egerim

E

HRABANI MAVRI AD HERIBALDVM

DE QVÆSTIONIBVS CANONUM Pœnitentialium

LIBRI TRES.

Regulæ de Ministris Ecclesiæ si deuiauerint, cum adiuncta.

Epistola Isidori ad Massonem Episcopum de testamentione sacerdotis.

De Pœnitentiæ satisfactione.

De Pœnitentijs Laicorum.

HRABANI REGULAE DE MINISTRIS ECCLESIÆ si deuiauerint, canonica prolata.

F

G

CAPVT I.

De presbyteris qui acceperunt vxores vel fornicati sunt.

PResbyter si vxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit aut adulterium perpetrauerit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. *Ex concil. Neocæsariensi, can. 1.*

CAPVT II.

De diaconibus similiter.

H

SImili modo etiam diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerij subtrahatur. *In eodem concilio, can. 10.*

CAPVT III.

De his qui ad presbyterium promouentur, & ante ordinationem suam, peccatorum sibi sunt conscij.

PResbyter si præoccupatus corporali peccato prouehatur, & confessus fuerit de se, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non conficiat, manẽs in reliquis officijs, propter studium bonum. Quod si de se non fuerit ipse confessus, & argui manifeste nequiuerit, potestati sui iudicij relinquatur. *In eodem concilio, can. 9.*

A

CAPVT IV.

De canone apostolorum.

Ex can. Apost. 25. Naum. 1.

PResbyter aut Diaconus, qui in fornicatione aut periurio aut furto aut homicidio captus est, deponatur, non tamen communione priuetur. Dicit enim scriptura: *non vindicabit Dominus bis in idipsum.*

CAPVT V.

De diuersis ordinibus ab vxoribus abstinendis.

Ex concil. Carthaginensi, cap. 4.

SAcerdotes Dei & diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, ab vxoribus se abstineant.

CAPVT VI.

Quod sacerdotes & leuitæ cum mulieribus coire non debeant.

B

Ex decretis Innocentij Papæ cap. 16 Ep. 2. ad Vict. c. 9. Apud Gratian. dist. 31. c. Tenere deb. Leuit. 11. Innocentij Papæ cap. 21. Epist. 3. ad Exuper. c. 1.

PRæterea quod dignum & pudicum & honestum est tenere ecclesia omnimodo debet, vt sacerdotes & leuitæ cum mulieribus non coeant. Quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim. *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

CAPVT VII.

De incontinentia sacerdotum vel leuitarum.

DE presbyteris ac diaconibus diuinarum legum est disciplina, vt incontinentes in officijs talibus positi, omni honore ecclesiastico priuentur, nec admittantur ad tale ministerium quod sola continentia oportet impleri.

CAPVT VIII.

C

De subintroductis mulieribus.

Ex concil. Niceno cap. 3.

INterdicit per omnia magna synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, non alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem.

CAPVT IX.

De clericis vsuras accipientibus.

In eodem concilio can. 14. Concil. Nic. c. 17. Psal. 14.

QVoniã multi sub regula constituti auaritiã & turpia lucra sectantur, obliti que diuinæ scripturæ dicẽtis: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, mutuum dantes centesimas exigunt.* Iustè censuit sancta & magna synodus, vt si quis inuentus fuerit post hanc definitionem vsuras accipiens, aut ex inuentione aliqua, vel quolibet modo negotium transiens, aut hæmiolia, id est, sescupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans, turpis lucri gratia, deijciatur à clero, & alienus existat à regula.

D

CAPVT X.

Vt nullus presbyter & diaconus conductor existat, & vt clerici abstineant se ab vsuris.

Ex concil. Carthag. can. 14. Concil. Carthag. 3. c. 15. & 16.

PResbyteri & diaconi non sint conductores aut procuratores, neque vlli turpi negotio & inhonesto victum quærant, quia respicere debent scriptum esse. *Nullus militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Si quis commodauerit pecuniam, pecuniam accipiat. Si speciem, eandem speciem quantum dederat, accipiat.

E

CAPVT XI.

Vt clerici vel continentes ad virgines vel viduas non accedant.

In concil. Africano ca. 5.

CLerici vel continentes ad virgines vel viduas nisi ex iussu vel permissu episcoporum non accedant.

CAPVT XII.

De clericis vel monachis non manentibus in suo proposito.

Ex concil. Calced. can. 7.

QVi semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetiuerunt, statuimus neque ad militiam neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, aut hoc tentantes & non agentes pœnitentiam, quominus non redeant ad hoc quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizentur.

CAPVT XIII.

F

De monachis vel virginibus propositum non seruantibus.

In concil. Calcedo. can. 15.

VIrginem quæ sese Deo consecrauit, similiter & monachus non licere nuptialia iura contrahere, quod si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decreuimus, vt habeat auctoritatem eiusdem loci episcopus misericordiam humanitatemque largiri.

CAPVT XIV.

Vt sacrarium mulieres non introeant.

Ex epistola Gelasii ca. 26.

QVod non oporteat mulieres ingredi ad altare.

CAPVT XV.

G

De eadem re.

Epist. 1. c. 28.

NIhilominus impatienter audiuimus tãtum diuinarum rerum subisse despectum, vt fœminæ sacris altaribus ministrare* firmentur, cunctaq; non nisi virorum famulatui deputata, sexum cui non competit exhibere: Visa quod omnium delictorũ quæ singillatim perstrinximus noxa, reatus omnis, & crimẽ, eos respicit sacerdotes, qui vel ista committunt, vel committentes minimè publicando, prauis excessibus se fauere significant.

* ferãtur

CAPVT XVI.

Quod nulli sacerdoti, canones liceat ignorare.

Cœlestini Papæ can. 20. Epist. 3. ad Episc. Apul. c. 1.

NVlli sacerdotum suos liceat ignorare canones, nec quicquam facere quod patrũ possit regulis obuiare.

CAPVT XVII.

H

De pollutionibus interrogatio Augustini, & responsio Gregorij.

Greg. ad interrogationes Augustini Anglorũ Episcopi, interrog. 11. Deut. 23.

SI post illusionem quæ per somnium solet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat, vel si sacerdos sit, sacra possit mysteria celebrare.

Responsio.

ET quidem, hunc, testamentum veteris legis, sicut in superiori capitulo iam diximus, pollutũ dicit, & nisi lotum aqua ei vsque ad vesperum intrare ecclesiam non conceditur. Quod tamen aliter populus spiritalis intelligens, sub eodem intellectu accipiet quod præfati sumus. Quia quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia veris imaginibus in cogitatione inquinatur: Sed la-

uandus est aqua, vt culpas cogitationis lachrymis abluat, & nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi vsq; ad vesperum cognoscat. Sed est in eadem illusione necessaria valde discretio, quæ subtiliter pensari debeat, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit, & quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate euenerit, omnino hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolẽdus, quam fecisse. Cum vero vltra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula grauantur; habet exinde animus aliquem reatum, non tamen vsq; ad prohibitionem percipiendi corporis Christi vel missarum solemnia celebrãdi: cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas cõpellit. Nam si adsunt alij, qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta, à perceptione sacri mysterij prohiberi non debet, sed ab immolatione sacri mysterij abstinere vt arbitror humiliter debet: si tñ dormientẽ turpi imaginatione concusserit. Nã sunt quibus ita plerumq; illusio nascitur, vt eorũ animus ẽt in somno corporis positus, turpib. imaginationib. nõ fœdetur. Qua in re vnum ibi ostenditur, ipsa mens nõ rea, nec tamen tic vel suo iudicio libera; cum se & dormienti corpore nihil meminit vidisse, tñ in vigilijs corporis meminit in ingluuiẽ cecidisse. Sin vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio menti dormiẽtis, patet animo reatus suus, videt n. à qua radice inquinatio illa processerit: Quia q̃ cogitauit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandũ est; ipsa cogitatio vtrum in suggestione an in delectatione, vel quod maius est in peccati cõsensu ceciderit. Tribus n. modis impletur omne peccatũ, videlicet suggestione, delectatione, cõsensu. Suggestione quippe fit per diabolũ: Delectatione per carnẽ: Consensu per spiritũ: &

Gen. 3. quia primam culpã serpens suggessit; Eua velut caro delectata est, Adã vero velut spiritus consensit. Et certe necessaria est magna discretio, inter suggestionẽ atq; delectationẽ, inter delectationẽ atq; consensum iudicem sui animũ præsidere. Cum n. malignus spiritus peccatũ suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum nõ est. Cũ vero delectari caro cœperit, tunc peccatũ incipit nasci. Si aũt ẽt (ad consensionẽ) ex deliberatione consentit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est, in delectatione fit nutrimentũ, in consensu perfectio, & sæpe contingit vt hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectatione trahat, nec tñ anima eidem delectationi consentiat. Et cum caro delectari sine animo nequeat, ipse tñ animus carnis voluptatib. reluctãs in delectatione carnali aliquo modo ligatur inuitus, vt ei ex ratione contradicat ne consentiat, & tñ delectatione ligatus sit, sed ligatũ se vehemẽter ingemiscat. Vnde & ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mẽtis*

Rom. 7. *meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis.* Si aũt captiuus erat, minimè pugnabat, sed & pugnabat; quapropter & captiuus erat & captiuus non erat; & pugnabat igitur lege mentis cui lex quæ in mẽbris est repugnabat. Si autem pugnabat, captiuus non erat. Esse itaque potest homo vt ita dixerim captiuus & liber; liber ex iustitia quam habet de lege; captiuus ex delectatione quam portat inuitus.

CAPVT XVIII.

Quod nihil prosit sacerdoti etiamsi bene viuat, si male viuentibus tacendo non contradicit.

Ex Prospero li. 1. de Vit. QVod verò dicit Apostolus vt *nos formam debeamus exhibere fidelib.* quid valebit, si is cui vel hortãdi bonos,

1. Pet. 5. vel castigandi malos cura commissa est, bene viuendo se imitandũ exhibeat bonis, & malos tacendo nõ corrigat. Ad hoc n. (nisi me fallit opinio) sanctè viuendum est sacerdoti, ne dicta sua repugnantib. factis euacuet. Si quod prædicat fieri debere, non faciat, aut si quod non faciat, prædicare præsumpserit; nihil apud eos qui eius vitã nouere proficiet. Quia ad hoc est ecclesiæ Dei præpositus, vt non solũ bene viuendo, alios exemplo suæ cõuersationis instituat, sed ẽt fiducialiter prædicando, singulis ante oculos peccata sua constituat, Quæ pœna maneat duros, q̃ gloria obedientes ostendat; Nullius salutem desperãdo cõtemnat. Animas emendari nolentiũ plangat, imitatus Apostolũ qui ait: *Vt lugeam multos ex his, qui ante peccauerũt,* 2. Cor. 12.

& non egerunt pœnitentiam. & iterũ: *Quis infirmatur & ego non* 2. Cor. 11.

infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror? Quapropter sciens quod si quibuslibet diuitibus ac potentib. male viuẽtib. parcat, aut faueat, eos perdat simul & pereat, & sanctè debet viuere propter exemplũ, & docere propter suæ administrationis officium, certus quod ei nihil sua institia suffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur. Quando quicumq; alius perierit quẽ nulla docendi necessitas manet; solus pœnas sui sceleris dabit, ille aũt cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè viuat, & tñ perditè viuentes arguere aut erubescat aut metuat: cum omnib. qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato: Mẽtior nisi hoc Dominus per Ezechielẽ prophetam, sub cuiusdam terroris denunciatione loquitur, dicens ad eum:

Et tu fili hominis speculatorẽ dedi te domui Israel. Nec hoc trãs- Ezech. 33.

eunter debemus audire, quod sacerdotem speculatorem appellat, vt sicut speculatoris est de loco æditiori prospicere, & plus omnib. contemplari; ita sacerdos debet esse propositi sublimitate celsior cunctis, ac maioris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se viuentes instruere. Videamus iam quid diuinus sermo cõtineat: *Audies,* inquit, Ibidem.

ex ore meo sermonem & adnunciabis eis ex me, vt hoc dicat sacerdos quod ex diuina lectione didicerit, quod illi Deus inspirauerit, non q̃ præsumptione humani sẽsus inuenerit. Annuntiabis eis (inquit) ex me, ex me non ex te. Mea verba loqueris, non est quod ex eis tãquam de tuis inflesis. *Ex me,* inquit, *eis adnuntia.* Sed iam quid adnuntiet audiamus: *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fue-* Ibid.

ris locutus vt se custodiat impius à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinẽ verò eius de manu tua requiram. Quid potuit expressius, quid apertius potest dici. Si impio loquutus non fueris vt se ab impietate custodiat & ille perierit, sanguinem eius de manu tua requiram: hoc est dicere: Si ei peccata sua non adnuntiaueris, si eum non argueris, vt ab impietate sua conuertatur & viuat: & te qui non increpasti, & ipsum qui te tacente peccauit, flammis perẽnibus perdam. Quis rogo tam saxei pectoris: quis tã ferreus erit, quem sententia ista non terreat. Quis tam alienus à fide, qui isti sententiæ nõn credat.

CAPVT XIX.

Luctuosa descriptio carnaliter viuentium sacerdotum.

SEd nos præsentibus delectati dum in hac vita cõmoda nostra & honores inquirimus, non vt meliores, sed vt ditiores, non vt sanctiores sed vt honoratiores simus cæteris festinamus, nec gregem Domini qui nobis pascẽdus, tuendusque commissus est, sed nostras* voluntates, dominationem, diuitias & cætera blandimenta carnaliter cogitamus, pastores dici volumus nec tamen esse cõtendimus. Officij nostri vitamus laborem, appetimus dignitatem. Immundorum spirituum feras à grege dilacerando non pellimus, sed & quod eis remanserit, ipsi consumimus. Quando peccantes diuites vel potentes nõ solum nõ arguimus, sed ẽt veneramur: ne nobis aut munera solita offensi non dirigant; aut obsequia desiderata subducant; ac sic munerib. eorum & obsequijs capti, imo per hæc illis addicti, loqui eis de peccato suo, aut de futuro iudicio formidamus. Et ideo minaciter superbiam nostrã diuinus sermo contundit. Sed noster auditus nihil vnde proficiamus admittit: quia præsentis vitæ capti dulcedine, quæ pœna negligentiam nostram maneat in æternũ, nolumus cogitare. In pastores ergo ista dicuntur de quorũ nobis iam appellatione blãdimur: hæc dicit Dominus Deus:

Ex D. Prosper. eiusdem lib. c. 21.

*f. voluptates

A

Ezech. 34.

Deus: *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus: Lac comedebatis & lanis operiebamini: Quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis; Quod infirmum fuit non solidastis, & quod ægrotum non sanastis: Quod fractum non alligastis: & quod abiectum non reduxistis: Quod perierat nō quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia; & dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor, & factæ sunt in deuoratione omnium bestiarū agri.* Et paulo post: *Propterea pastores audite verbum Domini: Viuo ego dicit Dominus Deus: Pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarū agri, neq; enim quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & gregem meum non pascebant, propterea pastores audite verbum Domini; Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam vt vltra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos.* Quis ad hæc non intremiscat, quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat: nisi quis aut non intelligit, aut futura nō credit. Sed omnia quæ Deus obseruari voluit tam aperte posuit, & ita sui nominis auctoritate firmauit, vt ea facilius quod dictū quoq; nephas est, contemnamus, quam non intelligere vel non credere tā aperta & diuina fingamus. Quando audimus: hęc dicit Dn̄s: quis futurum esse nō credat quod dicit Deus, nisi qui Deo nō credit. Quod aūt dicit: Væ pastoribus: istud væ pro maledicto poni, & pastorū nomine nos significari, quis nō intelligat, nisi qui futurum non cogitat. Greges Domini pascendos pastores facti suscipimus, & nosipsos pascimus, quando non gregū vtilitati prospicimus, sed quid faueat & augeat nostras volunt ates attendimus, lac & lanas ouium, oblationib. quotidianis ac decimis fideliū gaudētes accipimus, & curā pascendorū gregū ac reficiendorū, à quibus peruerso ordine volumus pasci, deponimus: Nō sanamus spiritali consilio peccatis infirmum, nō sacerdotali ope consolidamus aut reficimus diuersis tribulationib. fractum, non ad viam salutis reuocamus erroneū, nō requirimus solicitudine pastorali veniæ desperatione iā perditum. Ad hoc tantū potentes effecti, vt nobis in subiectos dominationē tyrannicam vendicemus: non vt afflictos contra violentiam potentū, qui in eos ferarū more sæuiunt defendamus. Inde est ꝙ tam à potentib. huius mūdi quam à nobis quod peius est, nonnulli grauiter fatigati depereunt. Quos se de manu nostra Dn̄s requisiturū terribiliter cōminatur dicens. *Requiram oues meas de manu pastorū, & cessare eos faciam vt vltra nō pascant.* Quod quid est aliud quam pastores qui semetipsos non greges meos pascunt, sublimitate suæ dignitatis* expoliam, & inter reprobos, quia honorem suum noluerunt custodire, proijciam. Horum & his similium consideratione perterritus sum. Timor & tremor venerunt super me, & contexerūt me tenebræ, & dixi: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam*: Et hoc est totum propter quod imperitiæ meæ ac futuri finis recordatus ingemui, & volui sarcina episcopatus mei deposita, elongare fugiens, & manere in solitudine, & ibi expectare Deum, qui saluum me faceret à pusillanimitate mea, & ab ipsa intollerabilium mihi sollicitudinum tempestate.

Ibid.

B

C

Ibidem.

*f expoliabo

F I N I S.

D

EPISTOLA HORMISDÆ PAPÆ PER VNIVERSAS PROVINCIAS.

Ecce manifestissime constat, quia secundum titulos antiquorum Patrum à sancto Ioanne Papa transmissos & trecentorum decem & octo Episcoporum sententias; Sed & canones gallicani continere videntur. Clericum adulterio deprehensi, & aut ipsi confessi aut ab alijs conuicti, ad honorem redire non possunt, & quia forte non desunt quibus vel pro nimia pietate, supra scripta sanctorum Patrum seueritas minime placet: Sciant se trecentorum decem & octo Episcoporum & qui reliquos canones statuerunt sententias reprehendere vel damnare. Sed forte maior est in illis pietas quam in supra dictis CCCXVIII. Episc. maior in illis misericordia quam in sancto Ioanne Apostolico Papa, maior charitas quam in reliquis sanctis sacerdotibus, qui hoc pro exemplo vel remedio Ecclesiarum, suis diffinitionibus deliberauerunt. Et ideo aut prompta voluntate præceptis illorum consentiant; aut si non fecerint, omnibus contrarios se & inimicos esse cognoscant; Quæ est ista inimica benignitas? palpare criminosos & vulnera eorum vsque in diem iudicij incurata seruare, quod si etiam eos durissimā pœnitentiā per plures annos agere viderimus. Sed idipsum & saluti eorum consulere & canonum debemus statuta seruare: Cum vero in aliquibus, nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi, vel plangendi appareat, nec B. Dauidem imitentur, qui dixit. *Lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis stratum meum rigabo*; & illud. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam*; Nec eos ieiunijs vel lectione vacare videamus possumus agnoscere si ad honorem pristinum redirent: Cū quanta negligentia, & cum quanto tempore & inimica animæ securitate permaneant, credentes quod sic eis non acta pœnitentia digna dimiserit Deus, quomodo sacerdotes indulsisse videntur. Vere dico quia illi ipsi quibus cum periculosa & falsa misericordia indulgere videmur. Cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnādi aduenerint. Contra nosipsos causas dicturi sunt dicentes: Quod dum aut asperitatem linguæ eorum expauimus, aut falsa blandimenta & periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, nos eos dum illis in vilitate indulgemus: In peccatis permanere aut ipsa peccata etiam augere permisimus. Nec recordantes illud quod in veteri testamento scriptum est. *Quia vno peccante, contra omnes ira Dei desæuijt.* O pietas, O misericordia. Vni parcere & omnes per exemplum malum adducere in discrimen. Non ita suadet sanctus ac beatissimus Cyprianus Martyr dicens; *Qui peccantem verbis adulantibus palpat peccandi fomitem subministrat nec perimit delicta illis sed fouet.* Iterum *imperitus est medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & absconditum in profundis successibus virus dum seruat exaggerat.* Vnde & sanctus Ioannes Constantinopolitanus Episcopus arguit dicens. Imperitus medicus est, qui indigesta putredine superducit vulneri cicatricem. Et ideo diligenter perpendite si aut potest, aut debet fieri, vt tantorum aut talium quos supra memorauimus, sacerdotum canones contemnentes, aliter quam illi statuerunt obseruare vel agere præsumamus; Præcipue cum si illorum trecentorum decem & octo Episcoporū, qui per omnes Ecclesias Concilia fieri præceperunt, iā sancta decreta neglexerimus, non illos solos dispicimus, sed & sicut supra dictum est, & Africanos & omnes reliquos qui ipsis ordinantibus per totum mundum per Ecclesiasticam disciplinam aliquid statuerunt: Cum peccato animæ nostræ contemnimus. Ego me in hoc periculum immittere non audeo, quia nec talia sunt merita mea, vt aliorum peccata in me excipere præsumam. Nec tantam eloquentiam habeo, vt ante tribunal Christi contra tantos ac tales sanctos sacerdotes, qui canones statuerunt causas dicere possim. Videat vnusquisque qualiter sentire vel obseruare disponat, qualiter possit in die iudicij reddere rationem. Ego in quantum vires Deus dignetur dare, studere volo eorum præceptionibus & obaudire, quia cum talibus non rixas sed pacem ex qualicunque parte habere desidero, & hoc diligenter attendendum est, quod si secundum quod supra scriptum est, illi Clerici qui ad vxores proprias redeunt, ex integro ab officio suspendantur. Quod si etiam dicam & inter nuptiarum mariti qui vtique rem licitam faciunt, Clerici tamen ordinari non possunt, aut si ordinati fuerint deijciantur. De quibus sanctus Faustus Episcopus in epistola sua dixit. Perdidit gratiam consecrati, qui ad officium vult exercitari mariti cum hæc ita sint, qua conscientia quisque dicere poterit, quod ille qui adulterium commiserit, iterum ad honorem venire poterit. Hoc loco si aliquis fuerit qui dicat. Ergo negas misericordiam

E

Psal. 6. 7. Psa. 101. 10.

F

G

H

A Domini, qui dixit. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Et illud: *Numquid qui cadit non adijciet vt resurgat.* Et illud: *Peccator in quacunque die conuersus fuerit, omnes iniquitates suas obliuioni traduntur.* Et hoc voce libera & possumus & debemus. Absit à nobis vt de istis sententijs videamur vel leuiter dubitare. Diffinitissime enim credimus quod si quisque ad finem vitæ suæ pœnitentiam egerit. Non solum indulgentiam accipiet, sed etiam ad præmia æterna perueniet. Propter regulam tamen Ecclesiasticam & propter antiquorum Patrum instituta, quod absit à nobis, vt reprehendere aut discutere audeamus, cumque credimus ad vitam æternam post beatam pœnitentiam venire, ad honorem clericatus secundum tantorum Patrum præcepta nouimus non debere reuerti in tantum vt in canonibus scriptum est. Ne vllus vnquam pœnitens clericus ordinetur, & si ille qui vltro petit pœnitentiam quamuis eam perfecte agit non potest Episcopus aut Presbyter ordinari, iraetiam si per ignorantiam ordinatus fuerit & postea conuincitur pœnitentiam accepisse deijciatur. Ille qui inuitus ad pœnitentiam agendam in monasterium mittitur & itaque quid aliud quam pœnitens dicendus est qua conscientia ad sacerdotium peruenire permittatur.

Ezech. 33 11 | Psal. 40. 9. | Ezech. 33 12.

B Nemo mihi alia quælibet contra auctoritatem sedis Apostolicæ, vel contra trecentorum decem & octo Episcoporum præcepta vel reliquorum canonum statuta obijciat, quia quicquid contra illorum diffinitionem in quibus Spiritum sanctum locutus esse credimus dictum fuerit recipere non solum temerarium sed etiam periculosum esse non dubito valde enim metuo & contremisco illam damnationem, quam ille sacerdos propter stultam indulgētiam accipere meruit, qui pro eo quod filios suos negligenter castigauit, & eos nec cedere, nec excommunicare voluerit, ipsi filij vna die occisi sunt, & xxx. millia de populo interfecti sunt, & arca testamenti capta est, Et ipse retro cadens fractis ceruicibus mortuus est, & nomen ipsius de libro vitæ deletum est. E contra Phinees qui pro eo quod zelo Domini commotus duos adulteros pariter interfecit, totum populum de Domini iracundia liberauit. Nec hoc ideo dico vt sicut ille fecit, etiam nunc per mortem corporum sacerdotes Domini debeant vindicare.

C Sed quia melius est vnus quisque paruo tempore donec viuat in hoc mundo, verecundiam vel confusionem sustineat, quam postea ad supplicia æterna perueniat. Et multum ei vtilius est propter aliorum exemplum quam diu viuit remotus ab honore pœnitentiam agat, & remedium sibi in diem necessitatis acquirat. Quicunque paruitati meæ in hac causa voluerit onerosus existere aliud responsum dare non delibero, nisi quod supra dicti canones continere videntur.

EPISTOLA MICHAELIS HITTORPII DE PRÆDICTA EPISTOLA HORMISDÆ PAPÆ.

D *Admodū honorādo & docto viro Dn. Iacobo Pamelio S. Theolog. Licent. Can. Brugensi.*

S. P. *Mandaueram Ludouico Bachtenkirchio vt epistolam illam Hormisdæ antequam ad te mitteretur cum antiquo exemplari conferret, quod factum sic esse mihi eius Herus post affirmauit, accusans tamen eius qui descripsisset imperitiam. Et ego quidem perito admodum scribendi artifici eam pridie tradideram. Sed cum renunciaret Birckmannus paratum se tabellarium habere cum quo mitteret, & istum non vacaret, ab illo sumptum huc tradidi. Suspicari vero debeo scriptorem M. S. exemplar non esse assecutum. Quamobrem non inuitus feci vt denuo illam ad te mea manu perscriptam transmitterem. In qua ego primum abruptum illud initium considerans imperfectam esse suspicari cogor. Deinde nescio quis ille Iohannes Apostolicus Papa esse debeat. Nam Romanum esse non posse inde colligas quod Hormisdam Iohannes non antecesserit sed sit secutus. Tertio quod non ad honorē esse admittendos in adulterio clericos deprehensos etiam peracta pœnitentia concludat, huic D. Gregorius epist. 53. lib. 7. ad secundinum repugnat. Et suspicari quidem possum affirmare non possum alicuius Cathari vel Luciferiani esse; & quo minus affirmare hoc possim facit primum quod & Gregorius agnoscit diuersos de hac re priscorum canones fuisse & Isidorus item ad Massonem Episcopum. Deinde quod inter Nicenos Canones ab Alphonso Pisano editos XLV. ex Arabico de Episcopis hoc afferat deprehensis in fornicatione, illud vero Hormisda in adulterio dicere magis placuit. Hæc sunt quæ me in alteram partem abducunt. Scire tamen & ex te cognoscere cupio quis tibi ille Iohannes Apostolicus Papa esse videatur. Vale. Raptim. xi. Martij Anno LXXV.*

E

Tuus

Melchior Hittorpius.

EPISTOLA ISIDORI EPISCOPI AD MASSONEM EPISCOPVM DE RESTAVRATIONE SACERDOTIS.

F DOmino sancto meritisque beato fratri Massoni Episcopo, Isidorus Episcopus; Veniente ad nos famulo vestro viro religioso Nicetio: literas honorificentiæ vestræ nobis detulit. In quibus agnitio salutis vestræ nihilominus per patuit, maximè per eum portitorem, cuius lingua, epistola viuens erat. Vnde pro salute vestra gratiarum actionibus Deo nostro rependis, inquantum valuit mediocritas nostra, vicem inquisitionis studuimus poscentibus vestrorum meritorum suffragijs diuinis cōmendare conspectib. Verum quod sequenter in epistolis venerabilis fraternitas tua innotuit: Nulla est in huiusmodi sententijs decretorum diuersitas intelligēda, quod alibi legitur in lapsu corporali restaurandū honoris gradum post pœnitentiam; Alibi, post huiusmodi delictum, nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum.

G Hæc enim diuersitas hoc modo distinguitur: Illos enim ad pristinos officij gradus redire canon præcepit, quos pœnitentiæ præcesserit satisfactio, vel digna peccatorum confessio. At contra hi qui neque à vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur; nec gradum vtiq; honoris, nec gratiam communionis recipiunt. Ergo ita vtraque est dirimenda sententia: vt necesse sit illos restaurare in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliationē meruerunt diuinæ pietatis. Hi ne immerito consequuntur adeptæ dignitatis statum, qui per emendationē pœnitentiæ recepisse noscuntur vitæ remediū. Id* enim ne forte magis ambiguum sit; diuinæ auctoritatis sententia confirmetur. Ezechiel enim propheta, sub typo præuaricatricis Hierusalem, ostēdit; post pœnitentiæ satisfactionem, pristinum restaurari honorem: *Confundere, inquit, ô Iuda, & porta ignominiam tuam.* Et post paulum: *Et tu, inquit, & filia tua reuertimini ad antiquitatem vestram.* Quod dicit *confundere*, ostendit post cōfusionem, id est à peccati opere debere quemquam erubescere, & pro admissis scelerib. verecundam frontē humi prostratam demergere, pro eo quod dignum confusionis opus perpetrauerat.

* autem | Ezech. 16

H Deinde præcipit vt portet ignominiam, i. e. dehonorationem nominis suæ dignitatis: Ergo dū quisq; pro opere confusionis suæ confunditur, atq; ignominiā depositionis suæ lugens cū humilitate portauerit, valet reuocari secundū prophetam ad priorem statum. Itē Ioānes Euangelista angelo Ephesi ecclesiæ inter cætera simile quiddam scribit: *Memor esto vnde cecideris & age pœnitentiam, & prima opera fac. Alioquin venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* In angelo ecclesiæ præpositum vtiq; id est, sacerdotem ostendit, iuxta Malachiam qui dicit: *labia sacerdotis custodiunt* sapientiam & legem exquirent de ore eius, quia angelus Domini est.* Præpositus ergo lapsus in vitiū per euangelistā mouetur, vt memor sit vnde ceciderit,

Apocal. 2. | Mal. 2. | * scientiam

A ceciderit, & pœnitentiam agat, & prima faciat opera, vt non moueatur candelabrum eius. Nam candelabrum Angeli, doctrina sacerdotalis vel honor potestatis quem gestat intelligitur, iuxta quod scriptum est apud Samuelem in damnatione Heli: (1. Reg. 3.) *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.* Lucerna quippe Dei fuerat, quando dignitate sacerdotali pollens, iustitia claritatis fulgebat. Extinctam Propheta asserit, dum ob scelera filiorum sacerdotij pietatem, meritorumque lumen amisit. Candelabrum ergo siue lucerna sacerdotis, quæ intelliguntur charismata honoris, tunc penitus iuxta Ioannem extinguitur vel mouetur, quando post delicti casum, neglecta pœnitentia, admissa scelera non deflentur. (Prou. 28.) Non enim dixit: *pro eo quod cecidisti, commouebo candelabrum tuum, sed nisi pœnitentiam egeris, mouebo candelabrum tuum.* Ergo quemquam præpositum peccantem præuenerit pœnitentia delicti: vtique sequetur & reparatio meriti. Et in Prouerbijs: *qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* B Nam & ipsum, quod canonum censura post septem annos remeare pœnitentem in statum pristinum præcipit, non hoc electione proprij arbitrij partes, sed potius ex sententia diuini iudicij sanxerunt. (Num. 12.) Nam legitur quod Maria soror Moysi prophetissa, dum obtrectationis aduersum Moysen incurrisset delictum, ilico stigmate lepræ perfusa est. Cumque peteret Moyses vt emundaretur, præcepit eam Deus extra castra septem diebus egredi & post emundationem, rursum eam in castris admitti, Maria ergo soror Aaron caro intelligitur sacerdotis: quæ dum superbię dedita sordidissimis corruptionis contagijs maculatur, extra castra, septem diebus, idest, extra collegium sanctæ Ecclesiæ septem annis proijcitur, quibus * post emundationem vitiorum, loci pristinæ dignitatis recipit meritum. (* elapsis) Ecce inquantum valui concilij anchiritani, antequam plane & plenam auctoritate sententiam sacris testimonijs explanaui: ostendens eum posse restaurari proprio honore, qui per pœnitentiæ satisfactionem nouit propria delicta deflere. C Eum vero non posse restaurari, qui nec luget quæ gessit & lugenda sine vllo pudore religionis vel timore iudicij diuini committit. In finem autem Epistolæ huius hoc adijciendum, vt quotiescunque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius concilij magis teneatur sententia, cuius potior extat auctoritas, data sub die 11. Kalen. mart. anno quarto regni Domini Witerici regis.

HRABANI MAVRI

D

In Libros Canonum Pœnitentialium, quantum apparet ad Heribaldum.

PRÆFATIO.

Oportet hominem primum per humilitatem confessionis prodere debita sua coram Deo & sacerdote: & sic pœnitentiæ modum ab eo indictum diligenter exequi, nec reuerti ad priora vitia, sed semper studere per iustitiæ callem, peruenire ad virtutum arcem, humilitatis quippe testimonia sunt, iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire. Quoniam vsitatum humani generis vitium est, & labẽdo peccatum committere, & commissum non confitendo prodere, sed negando defendere, atque conuictũ defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpæ, denique ad hoc primus homo requisitus fuerat, (Gene. 3.) qui transgrediendo peccatum commiserat, confitendo illud deleret, & interrogatus: vbi esset, perpetratã culpam respiceret & confitendo cognosceret quam longe à conditoris sui facie abesset, indicia veræ confessionis sunt, vt cum vnusquisque se peccatorem dicit, id de se dicenti etiam alteri non contradicat: cauendum ergo summopere est, vt mala quæ fecimus & sponte fateamur, & hæc alijs arguentibus non negemus. E Superbiæ namque vitium est, vt quod fateri quisque sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab alijs dedignetur. Pignus debitoris est, confessio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cum à peccatore iam peccati confessio tenetur, & quoniam filij Dei quamdiu mortaliter viuunt, cum morte confligunt, sicut spiritu Dei excitantur, vt tanquam filij Dei proficiant ad Deum, ita etiam aggrauante corpore corruptibili tanquã filij hominum in quibusdam humanis motibus deficiũt, & relabuntur ad seipsos, ideoq; peccant, interest tamen quantum, neque enim omne peccatum crimen est; sed omne crimen, est peccatum, * Sanctorum itaque hominũ vitam quæ in hac morte viuitur sine crimine inueniri posse: (*crimen & peccatũ quid differ it.) sine peccato autem nunquam, vt ait Apostolus Ioannes: (1. Ioan. 1.) *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est*, vnum tamen pro altero consueuit ponere Scriptura. In actione autem pœnitentiæ vbi tale commissum est crimen, vt is à Christi corpore qui commisit separetur, nam tam consideranda est mensura temporis, quam doloris: *contritum & humiliatum Deus non spernit.* (Ps. 50.) Sane quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, rectè constituuntur tempora pœnitentiæ ab his qui præsunt Ecclesijs, vt satisfiat etiam Ecclesiæ in qua remittuntur peccata. Ergo cum tanta est plaga peccati, vt medicamenta corporis & sanguinis Domini sint differenda, F authoritate antistitis, debet se quisque ab altario remouere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari: *Hoc est enim corpus & sanguinem Domini indignè accipere*, (1. Cor. 11.) si eo tempore accipiat quo pœnitentiam debet agere, nam ipsa pœnitentia quando digna est causa vt secundum morem Ecclesiæ agatur, plerumque infirmitate non agitur, qui & pudor timor est displicendi, dumque plus delectat hominem existimatio quam iustitia qua se quisque humiliat pœnitendo, meminerit ille quicunque est, quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (1. Pet. 5. Iac. 4.) Quid enim est peruersius, quidue infœlicius, quam de ipso vulnere quod latere non potest non erubescere. Nemo enim arbitretur propterea se consilium salubre huius pœnitentiæ debere contemnere, quia aduertit forte nouitque ad altaris sacramenta accedere quorum non ignorat talia crimina apud se retinere. Corriguntur enim multi vt Petrus: multi tolerantur vt Iudas, multi nesciuntur donec veniat Dominus & illuminat abscondita tenebrarum & manifestet cogitationes cordium. Nos vero quenquam à communione prohibere non possumus, quamuis hæc prohibitio nondum sit mortalis sed medicinalis, G nisi aut sponte confessus, aut in aliquo siue sæculari siue Ecclesiastico iudicio accusatus atque conuictus. Oportet igitur ad pœnitentiam accedere cum omni fiducia, & ex fide indubitanter credere, pœnitentia aboleri posse peccata, etiam si in vltimo vitæ spiritu commissa pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur: quia propositum Dei quo decreuit saluare quod perierat, stat immobile: & ideo quia voluntas eius non mutatur, siue emendatione vitæ si tempus conceditur, siue supplici confessione si continuo vita exceditur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & saluatus miseratione Dei viuat certissimæ sunt & fidelissimæ claues Ecclesiæ, quibus *quodcunque in terra soluitur, etiam in cælo solutum promittitur.* (Ioan. 20.) Hæc dicta sunt de duplici satisfactione, quia quisque humiliat se non solum coram Deo, sed etiam coram Ecclesia, quæ habet clauem regni cælorum, in qua fit remissio peccatorum, secreta quoque satisfactione solui mortalia crimina non negamus, mutato prius sæculari habitu & indefesso religionis studio, H per vitæ correctionem, & iugi immo perpetuo luctu miserante Deo, ita duntaxat vt contraria pro his quæ pœnitet agat. Quotidiana vero leuiaque peccata sine quibus hæc vita non ducitur, Dominica oratione purgantur, quorum est dicere: *Pater noster qui es in cælis*, & cætera, vbi dicitur: *Dimitte nobis debita nostra*, (Matt. 6.) quia ipsa eleemosyna est, per veniam homini pœnitenti ignoscere. Vnde Dominus ait: *Date eleemosynam & omnia munda sunt vobis.* Multa itaque genera sunt

A *eleemosynarum*, quæ cum facimus, adiuuamur vt dimittantur nostra peccata: sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus quod in nos quisque peccauit. Sunt autem quædam peccata quæ putantur leuissima, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem fratri suo fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret. Aut quis æstimaret tam magnum esse peccatum dies obseruare, menses & annos & tempora, sicut obseruant qui certis diebus, siue mensibus siue annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, nisi Apostolus diceret: Timeo vos ne sine causa laborauerim in vobis: quam multa sunt alia peccata, siue in loquendo de rebus & negotijs alienis, quæ ad te non pertinent: siue in vano cachinno: siue in ipsis escis quæ ad necessitatem huius vitæ parantur, in quibus est auidior appetitus, siue in vendendis & emendis rebus charitatis & vtilitatis vota peruersa. Sunt & alia huiuscemodi peccata, quæ fiunt verborum offensionibus, & cogitationum: Iacobo dicente Apostolo: *In multis enim offendimus omnes.* Oportet

B quotidie crebroque exoremus Dominum, atque dicamus: *Dimitte nobis debita nostra*: ne in eo quod sequitur mentiamur: *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum & ieiuniorum pro suis viribus offerri non cessent. Pro illis ergo peccatis quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: *Quoniam neque auari, neque rapaces, neque adulteri, neque masculorum concubitores*, & cætera: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*: illa actio pœnitentiæ subeunda est, in qua maiorem in se quisque seueritatem debeat exercere, vt à seipso iudicatus, non iudicetur à Domino. Mensuram autem temporis in agenda pœnitentia idcirco non satis attentè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, sed magis in arbitrio antistitis relinquendum statuunt: quia apud Deum non tam valet mensura temporis quam doloris, nec abstinentia tantum ciborum, sed mortificatio potius vitiorum, propter quod tempore pœnitentiæ fide & conuersatione pœnitendum abbreuiando præcipiuntur & negligentia protelanda. Ex-

Luc.
Mat. 6.
1. Cor. 11.

C tant tamen pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ in canonibus impositi, iuxta quos cæteræ perpendendæ sunt culpæ, cum sit facile per eosdem modos vindictam & censuram canonum æstimare.

FINIS LIBRI PRIMI.

HRABANI MAVRI

LIBER SECVNDVS.

De Pœnitentium satisfactione.

ELENCHVS CAPITVLORVM.

CAPVT I.

Vt pœnitentiæ tempora iuxta qualitatem peccati decernantur.

POenitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. *Ex conc. Afr. c. 10*

CAPVT II.

Quod nulli sit vltima pœnitentia deneganda.

SAcerdos pœnitentiam imploranti absque personæ acceptione pœnitentiæ leges iniungat. F

CAPVT III.

De his qui necessitate mortis vrgente pœnitentiam simul & viaticum petunt.

VEra ergo ad Deum conuersio in vltimis positorum, mente potius est æstimanda quam tempore, Propheta hoc taliter asserente: *cum conuersus ingemueris tunc saluus eris.* Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quouis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti: cum illi se obliget iudici, cui occulta omnia nouerit reuelari.

Ex epist. Calestini Pap. c. 15. Epi. 2. ad Episc. Gall. c. 2. Ezec. 18. & 32.

CAPVT IV.

De his qui obmutescunt antequam ad eos sacerdos daturus pœnitentiam accedat.

G

ITa ergo talium necessitati auxiliandum est, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus quærere comprobentur. Quod si ita aliqua ægritudine fuerint aggrauati, vt quod paulo antè poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant: testimonia eis fidelium circunstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequatur.

Ex epist. Pap. Leonis ad Theodor. Episc. Epist. 89. apud Grat. de pæn. d. 1. c. multiplex.

CAPVT V.

H

De his qui pœnitentiam agere differunt.

DIssimulatio hæc potest non de contemptu esse remedij, sed de metu grauius delinquendi. Vnde pœnitentia quæ dilata est, cum studiosius petita fuerit non negetur, vt quoquo modo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perueniat.

In decret. Leon. Papæ c. 21. 22 Ep. 90. ad Rusti. Nar. c. 8. Apud Grat. de pœnitentia dist. 1. c. Pœnit.

CAPVT VI.

Quod oporteat eum qui ab illicitis veniam poscit, etiam à multis licitis abstinere.

ALiud quidem est debita iusta reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere, sed illicitorum veniam postulantem oportet etiam à licitis abstinere, dicente Apostolo: *omnia licent sed non omnia expediunt.* Vnde si pœnitentes habent causam quam negligere fortè non debeant, melius expetit quis Ecclesiasticum quam forense iudicium.

In decret. eiusdem Leonis. c. 22. 23. Ibid. c. 9. 1. Cor. 6. Apud Grat. ibi. c. Aliud.

A

CAPVT VII.

Quod pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conueniat.

In iisdem c. 23. 24 Ib. c. 10. Apud Grat. de Pœn. c. 5. c. qualitas

QValitas lucri negotiantem aut excusat aut arguit, quia & honestus quęstus est, & turpis, veruntamen pœnitenti vtilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis adstringi, quia difficile est inter ementis, vendentisque commercium non interuenire peccatum.

CAPVT VIII.

Quod ad militiam secularem post pœnitentiam redire non debeant.

In iisdem can. 25. 2. Tim. 2. Ibid. c. 11. Apud Gra. ib. c. contrariũ

COntrarium est omnino Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem, cum Apostolus dicat: *nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Vnde non est liber à laqueis Diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.

B

CAPVT IX.

De his qui pœnitentiam minime seruauerunt.

HIs verò qui acta pœnitentia tanquã canes ac sues ad vomitus pristinos & volutabra redeuntes & militię cingulum & ludieras voluptates & noua coniugia & inhibitos denuo appetiuere concubitus, quorum professam incõtinentiam generati post absolutionem filij prodiderunt, de quibus quia iam suffugium non habent pęnitendi, id duximus decernendum, vt sola intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacrę mysteriorum celebritati, quamuis non mereantur, intersint, à Dominicæ autem mensæ conuiuio segregentur, vt hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & alijs exemplum tribuant quatenus ab obscenis cupiditatibus retrahantur, quibus tamen quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subueniri. Quam formam & circa mulieres quæ semper pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, seruandam esse censemus.

C

CAPVT X.

De remedio pœnitentiæ & quod absolutio pœnitentium per manuum impositionem Episcoporum supplicationibus fiat.

In decretis Leonis Papæ ad Theod. forouliensẽ Episc. Epist. 89. Apud Grat. de Pœn. d. 1. c. multiplex. Ezec. 33. Isa. 43. Ps. 129. 2. Tim. 1.

HIs autem qui in tempore necessitatis & in periculo vrgentis instantia præsidium pęnitentiæ & mox recõciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuram possumus ponere nec tempora definire, apud quem nullas patitur venię moras vera conuersio, dicente Dei spiritu per Prophetam: *Cum conuersus ingemueris tunc saluus eris*, & alibi. *Dic iniquitates tuas prior vt iustificeris.* Item: *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.* In dispensandis itaq; Dei donis non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus lachrymasq; negligere: cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione exortam dicente Apostolo: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à Diaboli laqueis à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.*

D

CAPVT XI.

De his qui communionem tempore mortis exposcunt, aut si desperatus & consecutus communionem iterum conualuerit.

Ex cõc. Nicano can. 14. al. 13.

DE his, qui ad exitum veniunt etiam nunc lex antiqua regularisq; seruabitur, ita vt si quis egreditur è corpore vltimo & necessario viatico minimè priuetur. Quod si desperatus & consecutus communionem, oblationisq; particeps factus iterum conualuerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

E

CAPVT XII.

De pœnitentibus vt à presbyteris non reconcilientur nisi præcipiente Episcopo.

F

In conc. Carthaginensi can. 10. Cõci. Afr. c. 10. ac cõc. Cart. 3. c. 31. c. 32.

VT pœnitentibus secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur, & vt presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absentia Episcopi necessitate cogente. Cuiuscunque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod vniuersam Ecclesiam commouerit, ante absidam manus ei imponatur.

CAPVT XIII.

De eodem.

In concil. Carthag. can. 7. Conc. Carthag. 2. c. 4.

AVrelius Episcopus dixit: si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari diuinis altaribus petierit, si Episcop. absens fuerit, debet vtique presbyter consulere Episcopum & sic periclitantem eius præcepto reconciliare, quam rem debemus salubri consilio roborare.

CAPVT XIV.

De tempore remissionis pœnitentiæ.

G

Ex decretis Innoc. Pap. ca. 7 Epist. 1. ad Decentiũ c. 7.

DE pęnitentibus autem qui siue ex grauioribus commissis siue ex leuioribus pęnitentiam gerunt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis & ad fletus atq; lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis ægritudinem inciderit, atq; vsq; ad desperationem deuenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de hoc seculo absque communione discedat.

CAPVT XV.

De communione priuatis & ita defunctis.

H

Epistola Leonis Pap. c. 21. Epist. 90. ad Rust. Narb. c. 7 Apud Grat. 34. qu. 2. c. de communione.

HOrum causa Dei iudicio reseruanda est in cuius manu fuit vt talium obitus vsq; ad communionis remedium differatur. Nos autem quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare nõ possumus.

CAPVT XVI.

De his qui pro diuersis erratis pœnitudinem feruentius exegerunt.

DE his qui diuersis facinoribus peccauerunt, & perseuerantes in oratione, confessionis & pœnitentiæ conuersionem à malis omnibus habuere perfectam pro qualitate delicti, talibus† pęnitentiæ tempus impensum, propter clementiam & bonitatem Dei, communio concedatur. † ante

CAPVT XVII.

De Epistola S. Iacobi Apostoli, in qua pro infirmis orare præcipitur & vngere oleo.

Innocent. Pap. ca. 8. Epi. 1. ad Decentiũ c. 8. Iac. 5.

IAcobus Apostolus scripsit: *infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros & orent semper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & suscitabit illum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittetur ei.* Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo perungi possunt, quod

ab Epi-

A ab Episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed omnibus vtique Christianis in sua aut suorum necessitate vngendum. Nam idcirco presbyteris dictum quia Episcopi occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si Episcopus potest aut dignum ducit à se visitandum & benedicere & tangere chrismate, sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere: nam pœnitentibus istud fundi non potest quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi.

FINIS LIBRI SECVNDI.

HRABANI MAVRI

LIBER TERTIVS.

B

De iudicio Pœnitentium Laicorum.

PRÆFATIO.

SAne quia de liuore inuidiæ & de ira necnon & de auaritia vt superius digestum est, oriuntur homicidia. Rectè vt arbitror censuimus de ipso vitio primum qualiter sacerdotali iudicio canonicè pœnitus sit corrigendum ostendere, ac deinde secundum vitiorum, ira remedium subsequatur, quo facilius vndecumque pœnitens purgari voluerit sine dilatione in singulis capitulis inueniatur.

ELENCHVS CAPITVLORVM.

CAPVT I.

De homicidijs sponte commissis.

IN concilio Neocæsariensi cap xxi. de homicidijs scriptum est: Qui voluntariè homicidium fecerint pœnitentiæ quidem iugiter se submittant, perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur. *Lib. de Pæn. ad Olgariũ c. 12. Aug. cõc. c. 21.*

CAPVT II.

De homicidijs non sponte commissis.

IN concilio Neocæsariensi ca. 22. scriptum est, de homicidijs non sponte commissis prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda verò quinquennij tempus explere. *Ibid. c. 15. Aug. cõc. c. 22.* Quod autem quidam homicidium quod nuper in seditione & prælio principum nostrorum perpetratum est excusant, quasi non necesse sit pro hoc cuilibet agere pœnitentiam in eo quod iussu principum peractum sit, & Dei iudicio ita finitum, scimus enim quod Dei iudicium semper iustum est & nulla reprehensione dignum, de quo etiam scriptum est. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis & sanctus in omnibus operibus suis, qui iudicat orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua. Sine quo nec passer cadit super terram.* *Ps. 144. Matth.* H Sed nemo omnia iudicia Dei penetrare potest, quoniam scriptum est: *Iudicia Dei abyssus multa.* *Ps. 35.* Vnde oportet eos considerare qui hanc necem nephariam defendere cupiunt, vtrum illos coram oculis Dei quasi innoxios excusare possint, qui propter auaritiam, quæ omnium malorũ radix est idolorum seruituti cõparatur, atq; propter fauorẽ Dominorum suorum temporalium, æternum Dominum contempserunt, & mandata illius spernentes, non casu, sed per industriam homicidium perfecerunt.

Nam

A Nam de his legimus qui homines non sponte interfecerunt Deum per legislatorem vrbes refugij deputasse, ad quas confugientes saluarentur ab vltore sanguinis proximi sui, & non morerentur, vnde in Deuteronomio scriptum est: *Hæc erit lex homicidæ cui vita seruanda est qui percusserit proximum suum nesciens, & heri & nudiustertius nullum contra eum habuisse odium comprobatur, sed abiisse simpliciter cum eo in syluam ad ligna cedenda, & in succisione securis effugerit de manu vt ferrum lapsum de manubrio amicum eius percusserit & occiderit: hic ad vnam vrbium supradictarum confugiet & viuet, ne proximus eius cuius sanguis effusus est, stimulo doloris percutiat animam eius.* De eo vero qui per industriam aliquem occiderit, in Exodo ita præceptum est: *Si quis de industria & per insidias occiderit proximum: ab altari meo euelles eum vt moriatur.* Et in Deuteronomio: *Si quis*, inquit, *odio habens proximum suum insidiatus fuerit vitæ eius, & surgens percusserit illum: & mortuus fuerit, & fugerit ad vnam de supradictis vrbibus: mittent seniores ciuitatis illius & eripient eum de loco refugij, & tradent eum in manus proximi eius cuius sanguis effusus est, & morietur, nec misereberis illius.* Si ergo eum quem Dominus dignum morte esse iudicauit, reum non esse quis dicit; quomodo contrarius legi Dei non existit, qui hoc quod Deus præcepit, cassum esse contendit, videndum ergo illi est ne forte ipse in illorum numero sit, quibus per Prophetam dicitur: *Væ vobis qui consuitis puluillos sub omni cubitu, & ceruicalia ad decipiendas animas*, & alibi: *Væ vobis*, inquit, *qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, dicentes amarum dulce & dulce amarum, tales ergo mortificant animas quæ non moriuntur, & viuificant quæ non viuunt.* Quisquis ergo malorum operum sine condigna pœnitentia quemquam veniam à Deo percipere posse dixerit, pœnitus errat, & cum deceptus alios decipere festinat, duplici noxa constringitur, hoc est, proprij erroris, & alienæ deceptionis.

Deut. 19. — *Exod. 21.* — *Deut. 19.* — B — *Ezech. 13.* — *Isa. 5.*

CAPVT III.

In Concilio Agathensi ca. 37. de homicidis & falsis testibus scriptum est.

Apud Grat. 24. q. 3. c. itaque.

Itaque censuimus homicidas & falsos testes à communione Ecclesiastica submouendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

C

CAPVT IV.

Item in Concilio Agathensi ca. 62. scriptum est de his qui seruos suos extra iudicem necant.

In libr. de Pœn. c. 14.

Siquis seruum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennij reatum sanguinis emundabit.

CAPVT V.

In Concilio Elibertano ca. 5. scriptum est: si Domina per zelum ancillam occiderit.

Ibidem. Apud Gra. dist. 50. c. si qua fœminas.

Si qua femina furore zeli accensa flagris verberarit ancillam suam ita vt intra tertium diem animam cum cruciatu effundat: eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit: si voluntate per septem annos, si casu, per quinquennij tempora acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti: quod si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

D

CAPVT VI.

De his qui sibi quacunque negligentia mortem inferunt, & de his qui pro suis sceleribus puniuntur.

Placuit vt hi qui sibiipsis aut per ferrum aut per venenum aut per præcipitium vel quolibet modo violenter inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoratio fiat: neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur. Multi etiam sibi per ignorantiam hoc vsurparunt, similiter & de his placuit qui pro suis sceleribus puniuntur. Item in pœnitentia quam Theodorus Archiepisc. Britanniæ cum cæteris Episcopis cōstituit, ita continetur: si homo vexatus est à Diabolo & nescit aliquid nisi vbique discurrere, & occidit semetipsum quacunque causa, potest vt oretur pro eo, si ante religiosus erat: si pro desperatione aut pro timore aliquo aut pro causis incognitis, Deo relinquimus hoc iudicium, & non ausi sumus pro eo orare qui semetipsum occiderit propria voluntate. Missas pro eo facere non licet, sed tantum orare & eleemosynas largiri, siquis Christianus subita tentatione mente sua excederit, vel per insaniam semetipsum occiderit, quidam pro eo missas faciunt. Item in eodem libro: siquis pro vltione propinqui, hominem occiderit, pœniteat sicut homicida septem vel decem annos, si tamen reddere vult propinquis pecuniam æstimationis, leuior erit pœnitentia eius, id est dimidio spatio. Qui occiderit hominem pro vindicta fratris, tribus annis pœniteat. In alio loco 10. ann. dicitur pœniteat, homicida autem 10. vel 7. ann. si laicus alterum occiderit odij meditatione, si non vult arma relinquere, pœnitentiam 7. ann. sine carne & vino 3. ann. Siquis occiderit Monachum vel Clericum, artem relinquat & Deo seruiat, & 7. annos pœniteat, quod in iudicio Episcopi est. Qui presbyterum occiderit, 12. annorum ei pœnitentia secundum Canones imponatur, aut si negauerit si liber est cum 12. iuret. Si autem seruus per 12. vomeres feruentes se purget: conuictus noxa vsque ad vltimum vitæ tempus militiæ cingulum deponat & vxorem amittat. Qui per iussionem Domini sui occiderit hominem, 40. dies pœniteat, & qui occiderit hominem, 40. diebus se abstineat ab Ecclesia, & qui occiderit hominem in publico bello, 40. diebus pœniteat: si per iram, 3. annos: si casu, vno anno: si per poculum vel per artem aliquam, 7. annos, aut plus: si per rixam, 10. annos pœniteat. Siquis maleficio suo aliquem perdiderit, 5. annos pœniteat, 2. ex his in pane & aqua. Siquis per amorem veneficus sit & neminem perdiderit, si Clericus est, vnum annum pœniteat in pane & aqua: si sacerdos 5. 2. ex his in pane & aqua. Si Diaconus 3. annos, vnum ex his in pane & aqua, & laicus dimidium annum pœniteat. Maximè si per hoc mulieris partum quisque deceperit, 3. annos vnusquisque superaugeat in pane & aqua, ne homicidij reus sit.

E — *Ex Pœnitentiali Theodori.* — G — G

CAPVT VII.

De parricidio ergo in Moguntiaco Concilio ita scriptum est.

Ib. c. 11. li. Pœnitentium Mogunt. cōc. sub Hraban. can. 20. — *Gen. 4.*

Parricidium autem quam sit detestabile crimen, in iudicio facto inter Cain & Abel fratrem suum Dominus ipse ostendit: cum ad Cain parricidam ait: *Maledictus eris super terram quæ aperuit os suum & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua, cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus & profugus eris super terram.* In quo etiam posuit signum, hoc est, vt tremens gemensq; profugus semper viueret nec auderet vspiam sedes habere quietas. Sed quia in modernis temporibus parricidæ profugi discurrunt per diuersa loca, & varijs vitijs atque gulæ illecebris deseruiunt, melius nobis videtur, vt in vno loco manentes pœnitentia districta semetipsos castigent, si fortè à Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit vltra militiæ cingulum sumere & nuptijs vel coniugijs copulari, quia sacri Canones in hoc eis non consentiunt.

H

CAPVT VIII.

De mulieribus quæ partus suos necant.

Locis quibus apra. S. Ancor. cōc. c. 20.

De mulieribus, quæ fornicātur & partus suos necāt, vel quæ agunt secum vt vtero cōceptus excutiant:

antiqua

A

antiqua quidem definitio vsque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia remouet: humanius autem nunc definimus, vt eis 10. annorum tempus secundum præfixos gradus pœnitentiæ largiamur. Item in Concilio Eliberitano ca. 63. scriptum est: de his quæ filios ex adulterio necant. Si qua per adulterium conceperit, idque post facinus occiderit, placuit vix in fine ei dandam esse communionem, eo quod geminauerit scelus. Item in Concilio Hilerdense can. 2. scriptum est, de his qui abortum faciunt, vel natos suos extingunt. Hi verò qui malè conceptos ex adulterio fętus, vel editos, necare studuerint, vel in ventribus matrum, potionibus aliquibus colliserint, in vtroque sexu adulteris post 7. annorum pœnitentiæ curricula, communio tribuatur, ita tamen vt omni tempore vitæ suæ fletibus & humilitati insistant.

B

CAPVT IX.

Ibi. c. 16.

De administratoribus autem qui iudicia secularia secundum legem maiorum suorum exercent, quid sacri Canones inde sentiunt, facile est inuenire.

Inno. Ep. 3 ad Exupe. c. 3. apud Grat. 23. qu. q. c. quæsitum Rom. 13.

NAm in decretis Innocentij Papæ ca. 23. ita legitur: Quæsitum etiam est super his, qui post baptismum administrauerunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulerunt sententiam. De his nihil legimus à maioribus definitum. Meminerant enim à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum, gladium fuisse permissum, & Dei ministrum esse datum in huiusmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderint factum, quod auctore Domino viderint esse concessum. De his ergo ita vt hactenus seruatum est sic habeamus, ne aut disciplinam euertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur, ipsis autem in ratione reddenda, gesta sua omnia seruabuntur.

CAPVT X.

C

Ib. in lib. Pœnit. Inno. ibi. c. 5. apud Grat. 23. qu. q. c. illud.

Item in eiusdem decretis ca. 25. scriptum est: quod qui preces vel criminales dictant, habeantur immunes.

ILlud etiam sciscitari voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur, vtique post baptismi regenerationem, à principibus poscere mortem alicuius, vel sanguinem de reatu, quam tem principes nunquam sine cognitione concedunt, sed ad iudices commissa ipsa, vel crimina semper remittunt, vt causa cognita vindicentur. Quæ cum quæsitori fuerint delegata, aut absolutio aut damnatio pro negotij qualitate profertur, & dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.

CAPVT XI.

De delatoribus.

In concil. Eliberitano can. Apud Gra. 5. q. 6. c. delator.

DElator siquis extiterit fidelis, & per delationes eius aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit eum nec in finem accipere communionem, si leuior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem, si catechumenus fuerit, post quinquennij tempora admittatur ad baptismum.

CAPVT XII.

D

Ib. c. 17. Innoc. ex 22. c. 6. apud Gra. 1. q. 7. c. præuideat

De populi autem necessario commisso quomodo inultum soleat præteriri Innocentius Papa quibusdam Episcopis de Macedonia, ad interrogata respondit, ita scripsit dicens.

PRæuideat ergo dilectio vestra hactenus talia transisse, & aduertite, quod vtique vt dicitis necessitas imperauit, in pace etiam Ecclesias constitutas non posse præsumere. Sed vt sæpe accidit quotiens à populis, aut à turba precatur, quia in omnes propter multitudinem nō potest vindicari, inultum solere transire, priora ergo dimittenda dico Dei iudicio, de reliquo maxima sollicitudine præcauendum. Non enim hic, vt mihi videtur, iste Doctor Apostolicus dicit non necessariam esse populo pro male commissis agere pœnitentiam, sed quia in omnes propter multitudinem non potest vindicare, priora dimittenda Dei iudicio, de reliquo maxima sollicitudine præcauendum ne fiant.

E

CAPVT XIII.

Ib. c. 22. Ex concil. Arausica. titulo 5. Apud Gra. dist. 87. c. Eos qui.

De his qui ad Ecclesiam confugiunt ne tradantur.

EOs autem qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non oportere, sed loci sancti reuerentia & intercessione defendi.

F

CAPVT XIV.

Ib. c. 22. In Aurel. côc. tit. 1. hod. c. 3. côc. 1. Am. Apud Grat. 17. qu. q. c. Id constituimus.

De homicidis & adulteris & furibus si ad Ecclesiam confugiunt.

ID constituimus obseruandum quod Ecclesiastici Canones decreuerunt & lex Romana constituit ab Ecclesiæ atrijs & domo Episcopi eos abstrahere omnino nō liceat, sed nec alteri consignare, nisi ad Euangelia datis sacramentis de morte & debilitate & omni pœnarum genere sint securi, ita vt ei cui reus fuerit criminosus de satisfactione conueniat. Quod si sacramenta sua conuictus fuerit violasse, reus periurij, non solum à communione Ecclesiæ vel omnium Clericorum, quinetiam à Catholicorum conuiuio separetur. Quod si cui reus est, noluerit sibi intentione faciente opponi, & ipse reus de Ecclesia actus timore discesserit, ab Ecclesiæ Clericis nō quæratur.

CAPVT XV.

Ib. eo. cap. In eo. côc. can. 2. hodie q. côc. Aurel. 1. apud Gra. 36. q. 1. c. de raptoribus.

De raptoribus si ad Ecclesiam confugiunt.

DE raptoribus autem id constituendum esse censuimus, vt si ad Ecclesiam raptor cum rapta conuenerit, & fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & raptor, mortis & pœnarum impunitate concessa, ad seruiendum subiectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si vero quæ rapitur patrem habere constiterit, & puella rapto consenserit, potestate patris excusata reddatur, & † raptor à patre superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.

G

† raptor patri.

CAPVT XVI.

Ibidem. In eo. côc. can. 3. hodie 5. côc. 1. apud Grat. 17. q. q. r. c. id constituimus.

De seruis si ad Ecclesiam confugiunt.

SEruus qui ad Ecclesiam confugerit pro qualibet culpa, si pro admissa culpa sacramentū susceperit, statim ad seruitium Domini sui redire cogatur, & posteaquam dato sacramento Domino suo fuerit consignatus, si aliquid pęnæ pro eadem culpa qua excusatur probatus fuerit pertulisse, pro contemptu Ecclesiæ & præuaricatione fidei, à communione & conuiuio Catholicorum sicut superius compræhensum est extraneus habeatur. Si vero seruus pro culpa sua ab Ecclesia defensatus, sacramenta Domini clericis exigentibus de impunitate præceperit, exire nolentem à Domino liceat occupari.

H

CAPVT XVII.

Ibi. c. 6.

De luxuria, de his qui fornicantur irrationabiliter, id est, qui miscentur pecoribus aut masculis polluuntur.

Ex conci. Ancyrano ca. 15.

DE his qui irrationabiliter versati sunt siue versantur, quotquot ante vicesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia,

commu-

A

communionem mereantur orationum, deinde quinquennio in hac communione durantes, tūc demum oblationis sacramenta contingant: discutiatur autem & vita eorum qualis tempore pœnitudinis extiterit, & ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant, quotquot autem peracta viginti annorum ætate, vxores habentes hoc peccato prolapsi sunt: viginti annis pœnitudinem agentes, in communionem suscipiantur orationum, in qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta percipiāt. Quod si & vxores habentes & transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita deliquerunt, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur,

B

CAPVT XVIII.

De his qui in pecudes vel in masculos aut olim polluti sunt, aut hactenus hoc vitio tabescunt.

Ibidem. Ex concil. Ancyran. can. 16.

EOs qui irrationabiliter vixerunt & lepra incesti criminis alios polluerunt, præcepit sancta synodus inter eos orare qui spiritu periclitantur immundo.

CAPVT XIX.

De his qui adulteras habent vxores vel si ipsi adulteri comprobantur.

C

Ibi. c. 3. Ex concil. Ancyran. can. 18. hodie 19.

SI cuius vxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit: septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi, secundum pristinos gradus.

CAPVT XX.

De his qui vxores, aut quæ viros dimittunt, vt maneant sic.

Ibid. Ex concil. Africano can. 69. Apud Grat. 32. qu. 7. c. placuit.

PLacuit vt secundum Euangelium & Apostolicam disciplinam, neq; dimissus ab vxore, neq; dimissa à marito, alteri coniungatur, sed ita maneant aut sibimet reconcilientur, quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.

CAPVT XXI.

Quod hi qui intercedente repudio diuortium pertulerunt aliisq; se iunxerunt nuptijs, adulteri esse monstrentur.

Ibidem. In decret. Innocent. Pap. c. 26 Ep. 3. c. 6. Matth. 5. & 19.

QVi vero vel vxore viuente quamuis dissociatum videatur esse coniugium ad aliam copulam festiuarunt neque possunt adulteri non videri, intantum vt etiam hæ personæ quibus tales coniuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, secundum quod legimus in Euangelio: *Qui dimiserit vxorem suam, & duxerit aliam mœchatur, similiter & qui dimissam duxerit mœchatur,* & ideo omnes à communione fidelium abstinendos, de parentibus autem aut propinquis eorum nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortij fuisse detegantur.

D

CAPVT XXII.

Qui vxorem habent & simul concubinam.

Ib. c. 10. Ex concil. Toletano ca. 17. Apud Grat. 34 dist. c. eo qui.

DE eo qui vxorem habet, si concubinam habuerit non communicet, cæterum is qui non habet vxorem & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantum vt vnius mulieris aut vxoris aut concubinæ vt ei placuerit sit coniunctione contentus alias verò viuens abijciatur donec desinat aut ad pœnitentiam reuertatur.

E

CAPVT XXIII.

Ex concilio Bracarensi.

Ex concil. Bra. c. 76

SI cuius vxor adulterium fecerit, aut vir in alienam irruerit, septem annos pœnitentiam agat.

CAPVT XXIV.

De his quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores vxores acceperint.

F

Ibi. c. 79. saltem iuxta sensum.

MVlier si duobus fratribus nupserit abijciatur vsque ad mortem, verumtamen in exitu propter misericordiam si prom. sit quod facta incolumis huius coniunctionis vincula dissoluat fructum pœnitentiæ consequatur, quod si defecerit mulier, aut vir in talibus nuptijs, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

CAPVT XXV.

Quod non liceat alterius sponsam ad matrimonij iura sortiri.

Ex Epist. Papæ Siricij ad Himeriū Tarraconensem Episc. c. 4. Apud Grat. 27. q. 2. c. de coniugali

DE coniugali autem violatione requisiti, si desponsatam alij, puellam alter in matrimonium possit accipere, hoc ne fiat modis omnibus inhibemus. Quia illa benedictio quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegij instar est, si vlla transgressione violetur.

CAPVT XXVI.

De Raptoribus.

G

Ex epist. Pap. Symmachi c. 3 Apud Grat. 36. q. 2. c. Raptores.

RAptores igitur viduarum vel virginum ob immanitatem tanti facinoris detestamur, illos vehementius persequendo, qui sacras virgines vel volentes vel inuitas in matrimonium suum sociare tentauerint, quos pro tam nefandissimi criminis atrocitate, à communione suspendi præcipimus.

CAPVT XXVII.

De his qui rapiunt puellas.

Ex concil. Chalcedonensi can. 27. Apud Gra. ibid. c. eos qui.

EOs qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, aut cooperantes aut conniuentes raptoribus, decreuit sancta synodus vt si quidem Clerici sunt, decidant gradu proprio, si verò Laici, anathematizentur.

CAPVT XXVIII.

De desponsatis puellis & ab alijs corruptis.

H

Ex Aurel. cōcil. c. 11. Apud Grat. 27. qu. 11.

DEsponsatas puellas & post ab alijs raptas, placuit erui, eisque reddi, quibus antea fuerant desponsatæ, etiam si eis à raptoribus vis illata constiterit.

CAPVT XXIX.

De virginibus velatis si deuiauerint.

Innocētij Pap. c. 19. Epist. 2. c. 12. apud Gra. 27. qu. 1.

ITem quæ Christo spiritaliter nubunt & à sacerdote velantur, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se iunxerat de mundo recesserit. Sic enim de hominibus hæc ratio custoditur, vt quæcumque viuente viro alteri nupserit habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi vnus ex eis fuerit defunctus, quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso coniunxerat & postea ad humanas nuptias transmigrauit.

A

Lib. de pœn. c. 5. In eod. m. ca. 20. Eiusdem epist. c. 13. Apud Grat. 27. qu. 1. Hæ vero.

CAPVT XXX.

De virginibus non velatis si deuiauerint.

HÆ verò quæ necdum sacro velamine tectæ tamen in proposito virginali semper se simulauerunt permanere, licet velatæ non fuerint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur.

CAPVT XXXI.

Ex conc. 2 Tole. c. 5.

De his qui proximis se copulant vt à communione Christi separentur.

Leuit. 18. Ibid.

NAm & hæc salubriter præcauenda sancimus, ne quis fidelium propinquum sanguinis sui vsque quo adfinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari, quoniam scriptum est: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat vt reuelet turpitudinem eius.* Et iterum: *Anima quæ fecerit quippiam ex istis peribit de medio populi sui.* Sanc quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt incundi melioris coniugij libertatem.

CAPVT XXXII.

Ex decret. Gregorij. 77. 2. iuxta quod annotat auctor hic li. 2. de consangu. nuptijs, & legitur in cõc. Ro. Greg. 2. cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Gregorius de incestis.

SI quis monacham, quam Dei ancillam appellamus in coniugio duxerit anathema sit, si quis commatrem spiritalem duxerit in coniugio, anathema sit. Si quis fratris vxorem duxerit in coniugio anathema sit. Si quis neptem duxerit in coniugio, anathema sit, si quis nouercam aut nurum suam duxerit in coniugio anathema sit, si quis consobrinam duxerit in coniugio, anathema sit, si quis de propria cognatione vel quam cognatus habuit duxerit in coniugio, anathema sit, si quis viduam furatus fuerit in vxorem* vel consentientem ei, anathema sit, si quis virginem nisi desponsauerit furatus fuerit in vxorem vel consentientem ei, anathema sit.

**cũ sibi consentientib.*

CAPVT XXXIII.

Ex concil. Neocæsar. can. 3. Apud Grat. 31. qu. 1. c. de his.

De multinubis.

DE his qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum manifestum est, sed conuersatio eorum & fides tempus abbreuiat.

CAPVT XXXIV.

De quæstionibus coniugiorum.

B

QVi in matrimonio sunt, tribus noctibus ac diebus abstineant se à coniunctione antequam communicent, vir abstineat se ab vxore sua quadraginta diebus ante Pascha, vsque in octauas Paschæ inde ait Apostolus vt vacetis orationi. Mulier tres menses debet se abstinere à viro suo quando concipit ante partum, & post tempore purgationis, hoc est 40. diebus ac noctibus siue masculum siue fœminam genuerit.

C

CAPVT XXXV.

Ibid. c. 7. In decret. quoque Innocentij Pap. c. 37 scriptũ est Epi. 9. apud Grat. 34. qu. 1. & 2.

De coniugatis si quis eorum ductus fuerit in captiuitatem.

QVod si cuius vxor in captiuitatem fuerit adducta & alterum maritum acceperit, reuertente prima secunda mulier debet excludi Innocentius Probo: conturbatio procellæ Barbaricæ facultati legum intulit casum. Nam bene constituto matrimonio inter Fortunium & Vrsam captiuitatis incursus fecerat næuum, nisi sancta religionis statuta prouiderent. Cum enim in captiuitate prædicta Vrsa mulier teneretur, aliud coniugium cum Restituta Fortunius memoratus inisse cognoscitur, sed fauore Domini reuersa Vrsa nos adijt, & nullo diffitente vxorem se memorati esse perdocuit. Quare Domine fili merito illustris, statuimus fide Catholica suffragante, illud esse coniugium quod erat primitus gratia diuina fundatum, conuentumque secundæ mulieris, priore superstite, nec diuortio reiecta, nullo pacto posse esse legitimum.

E

CAPVT XXXVI.

Ibid. c. 8. At xix. In decret. Leonis Pap. c. 18. scriptũ est quod aliud sit, vxorem aliud concubina. Ep. ad Rustic. 90: c. 4. apud Grat. 32. q. 2. Non omnis. Gen. 21.

Quod aliud sit vxor, aliud concubina, & quod non sit coniugij duplicatio quando ancilla reiecta vxor assumitur.

NOn omnis mulier viro iuncta vxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima & inter æquales, multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium Romani iuris existeret, itaque aliud est vxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandum harum personarum discretionem testimonium ponit ex Genesi vbi dicitur Abrahæ: *eijce ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Vnde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci Clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est quasi eam coniugato dederit: nisi forte illa mulier & ingenua facta & dotata legitimè & publicis nuptijs honestata videatur. Paterno arbitrio, viris iunctæ carent culpa, si mulieres quæ à viris habebantur in matrimonio non fuerint, quia aliud est nupta, aliud concubina.

F

G

CAPVT XXXVII.

Item in eiusd. at 19. decre. ca. 20. scriptũ est quod non sit coniugij duplicatio quãdo ancilla reiecta vxor assumitur. eiusdẽ epi. c. 5. apud Grat. 32. q. 3. c. Ancillam.

De illo qui concubinam super vxorem habet.

ANcillam à thoro abijcere & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugij sed profectus est honestatis, culpanda sane sit talium negligentia, sed non penitus desperanda, vt crebris cohortationibus incidati, quod necessarie experiuntur fideliter exequantur, nemo enim desperandus est dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnumquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiori perficitur.

CAPVT XXXVIII.

Ibi. c. 19. Itẽ in decr. eiusdem Leo. Pap. c. 43. scriptum est, quod non videatur esse culpabilis, qui vxorẽ captiui in matrimonio videtur esse sortit' Ep. 77. ad Nicetum c. 1.

De eo qui vxorem capti, sortitus est in matrimonio.

NEc tamen culpabilis iudicetur & tanquam alieni iuris peruasor habeatur qui personam eius mariti qui iam non esse æstimabatur, assumpsit, sic enim multa quæ ad eos qui in captiuitatem ducti sunt, pertinebant, in ius alienum transire potuerunt, & tamen plenum iustitiæ est, vt eisdem reuersis propria reformentur. Quod si in mancipijs vel in agris aut etiam in domibus ac possessionibus ritè seruatur, quanto magis in coniugiorum redintegratione faciendum est, vt quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur.

CAPVT XXXIX.

De periurio.

Exod. 20. Matth. 5.

PEriurium in lege diuina omnino prohibetur dicente legis datore: *Non assumas nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Vnde ipsa veritas in Euan-

in Euangelio ait: *Nolite iurare omnino neque per cælum neque per terram* & cætera. Hinc & in canone ita scriptum continetur. Quicunque vero sciens, periurium perpetrauerit, annos 7. se pœnitentiæ subdat, & ita deinceps ad communionem reuertatur. Item *Egbertus Episcopus gentis Anglorum*, ita definiuit dicens: qui iuramentum fecerit in Ecclesia aut in Euangelio, siue in reliquijs sanctorum; septem annos, alij vndecim iudicant. Si verò in manu Episcopi aut presbyteri vel Diaconi, seu in cruce consecrata, vnum annum pœniteat, alij septem annos iudicant, & in cruce non consecrata, vnum annum pœnitentiæ, vel septem menses vt alij iudicant. Qui autem seductus ignorans & postea cognoscit, vnum annum vel tres 40. dies pœniteat, si quis coactus pro qualibet caussæ necessitate tres 40. alij tres annos, vnum ex eis in pane & aqua vt alij iudicant. Item periurij tres annos pœniteant, qui suspicatur quod periurus in iuramentum ducitur, sed tamen iurat per consensum, duos annos pœniteat.

A Apud Iu. p.12.65. tit. Fabiani. Ex Egbe. Eboracen. Archiep. Iu. tamen p.12.c.62 Theodoro adscribit, Gra. nulli 22.q.5.c. qui periurat, vt interim alia verb. Apud Gra. titu. Pœn. Thε. 22.q.5. si quis coactus. Apud Iu. 7.12.c. 68. tit. Theodori. Lib. Pœn. c.23. Ex concil. Anc.c.23.

CAPVT XL.

De sacrilegio & de his qui diuinationes expetunt.

QVi diuinationes expetunt, aut more gentilium subsequuntur, aut in domum suam huiuscemodi homines introducunt exquirendi aliquid arte malefica aut expiandi causa, sub regula quinquennij iaceant secundum gradus pœnitentiæ definitos.

Ib.c.24.

CAPVT XLI.

Quod non liceat Christianis obseruationes diuersas attendere.

B Ex concil. Bra. Mar. Epis.c.72 Apud Grat.26. qu.5. Col.3.c. Nō liceat.

NOn liceat Christianis traditiones gentilium & obseruare vel colere elementa, aut lunæ aut stellarum cursum aut inanem signorum fallaciam, pro domo facienda, vel segetibus vel arboribus plantandis, vel coniugijs sociandis, scriptum est enim: omnia quæcunque facitis in verbo aut in opere, in nomini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo.

Ibid. ex eiusdē cōc. c.74. apud Grat. vbi sup. Ibi. eiusdē cōci.c.75. Apud Gra. ibid.

In Eodem.

NOn liceat in collectione herbarum quæ medicinales sunt aliquas obseruationes vel incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo diuino & oratione Dominica, vt tantum Deus & Dominus honoretur.

Non liceat mulieres Christianas vanitatem in suis lanificijs obseruare, sed Deum innocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donauit.

CAPVT XLII.

C Cōc. Car. c.89. Apud Grat.26. q.5.c. Augurijs.

De augurijs.

AVgurijs vel incantationibus seruientem à conuentu Ecclesiæ separandum.

Lib. Pœn. c.23.

CAPVT XLIII.

In concilio Laodicensi de his qui incantationibus & philacterijs vtuntur ca.36. ita scriptum est.

Apud Grat.26. qu.5. Non oportet.

QVod non oporteat sacris officijs deditos vel Clericos, magos aut incantatores existere aut facere philacteria, quæ animarum suarum vincula comprobantur: eos autem qui his vtuntur, ab Ecclesia pelli præcipimus.

CAPVT XLIV.

D Ibid. cōc. Agat. c.42. apud Gra. 26. qu.5. Aliquāti.

In concilio Agathensi de sortilegis vel augurium seruantibus vt ab Ecclesia separentur.

NE (dici) de eo fortasse videatur omissum quod maximè fidem Catholicæ religionis infestat, quod aliquanti Clerici siue laici student augurijs & sub nomine fictæ religionis per eas quas sanctorum sortes vocant diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt: hoc quicumque Clericus vel laicus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.

E

CAPVT XLV.

In concilio Toletano can.29. ita scriptum est.

Ibid. Cōci. Tol. qu.c.28. Apud Grat.26. q.5. si quis Episcop.

SI Episcopus quis aut presbyter siue Diaconus vel quilibet ex ordine Clericorum magos aut aruspices aut ariolos vel sortilegos aut eos qui profitentur aliquam artem, aut aliquos eorum similia exercentes consulens fuerit deprehensus: ab honore dignitatis suæ depositus, monasterij curam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegij soluat.

CAPVT XLVI.

F Ibid. Eiusdem Cōc.c.60

In synodo Martini Episcopi can. 69. ita scriptum est.

NOn liceat sacerdotibus vel Clericis incantatores esse & ligaturas facere, quod est colligatio animarum. Si quis hæc facit de Ecclesia proijciatur.

CAPVT XLVII.

G vbi supr.

In Toletano concilio.

SI Episcopus quis aut presbyter siue Diaconus vel quilibet ex ordine Clericorum magos aut aruspices aut ariolos aut augures vel sortilegos vel eos qui profitentur &c. *vt supra* 45.

CAPVT XLVIII.

In Valentino concilio 20. Episcoporum ita scriptum esse legitur. c.30.

Cōc. Val. Gal.c.3. Nic. conc. c.11.

CIrca eorum verò personas quæ se post vnum & sanctum lauacrum vel prophanis sacrificijs dæmonum vel incesta lauatione polluerunt, eam censuræ formam duximus esse seruandam, vt his, iuxta synodum Nicænam, satisfactionis quidem aditus non negetur, ne infœlicibus lachrymis vel solatij ianua desperatione claudatur, acturi vero pœnitentiam, vsque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis, quam ab eo plene spectare debebunt, quieius largitatem solus obtinet, & tam diues misericordiæ est, vt nemo desperet, DEVS enim mortem non fecit nec lætatur in perditione viuorum. Theodorus quoque Archiepiscopis gentis Anglorum in constitutionibus suis ita dicit, de cultoribus idolorum: *qui immolant dæmoniis in minimis, vno anno pœniteant, qui vero in magnis, 10. ann. pœniteant, mulier si qua ponit filiam suam supra tectum vel in fornacem pro salute febris, 7. annos pœniteat. Qui ardere fecit grana vbi mortuus est homo pro sanitate viuentium, & domus, 5. ann. pœniteat. Si mulier incantationes vel diuinationes Diabolicas fecerit, vnum annum vel tres quadragesimas vel 40. dies iuxta qualitatem culpæ pœniteat.* De hoc, in canone dicitur, qui auguria, aruspicia siue somnia vel diuinationes quaslibet secundum mores gentium obseruant, aut in domos suas huiuscemodi homines introducunt, in exquirendis aliquam artem maleficiorum, pœnitentes isti si de clero sunt abijciantur, si verò sæculares quinquennio pœniteant. Qui cibum immolatum comederit, deinde confessus fuerit; sacerdos considerare debet personam in qua ætate vel quomodo edoctus aut qualiter contigerit, & ita auctoritas sacerdotalis circa infirmum moderetur, & hoc in omni pœnitentia semper & confessione omnino inquantum Deus adiuuare dignatur cum omni diligentia obseruetur.

H Theod. in suo Pœnitentiali.

A

CAPVT XLIX.

In Bracarensi concilio ita scriptum est.

Con.Bra. c.8. SI quis credit quod aliquantas in mundo creaturas Diabolus fecerit, & tonitrua & fulgura & tempestates & siccitates ipse Diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit: *anathema sit*: Ibid. c.9. *Si quis animas humanas & corpora humana fatali signo credit astringi*, sicut pagani & Priscillianus dixerunt, *anathema sit*. Ibi.c.10. *Si quis duodecim signa quæ mathematici obseruare solent per singula animæ vel corporis membra dissipata credunt & nominibus Patriarcharum adscripta dicunt*, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

CAPVT L.

In Toletano concilio de furtis.

Exo. 20. FVrta enim sicut & cætera capitalia crimina in lege Domini prohibentur, vnde & in Decalogo scriptum est, non furabetis, de quo & sacri canones præcipiunt, vt qui cupiditate captus furtum fecerit, quod abstulit reddat, & annos 5. pœnitentiam agat. Sed maximum illud furtum detestabile est, quod sacris rebus perpetratur & sacrilegium nuncupatur. Vnde in Arelatense Synodo 13. capite ita scriptum continetur. Arel. 1. conc.c.13. De his qui Scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa Dominica vel nomina fratrum suorum, placuit nobis vt quicunque eorum actibus publicis fuerit detectus, non verbis nudis, sed verberibus ab ordine cleri amoueatur. De hoc quidam patrum ita sanxerunt, vt pecunia Ecclesiastica furata siue rapta, reddatur quadruplum; popularia dupliciter. Si quis aliquid de ministerio sanctæ Ecclesiæ furauerit aut neglexerit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua, & reddet integrum quod abstulit, in Agathense quoque concilio ita scriptum est, Agat. côc. c.15. si Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur. Si quis Clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, Apud Iu. tit. Tol.c. 4.c.45. par.13.c. 49. quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur, oportet canonibus in tali scelere proditum à clericatus ordine submoueri: & pœnitentiæ triennio deputari.

Item sententia patrum.

DE cæteris verò furtis ita constituerunt: vt si quis furtum fecerit si puer est 40. vel 20. diebus vt ætas est & qualitas eruditionis, laici vnum annum, Clerici duos, Subdiaconi tres, Diaconi quatuor, Presbyteri quinque, Episcopi sex annos pœniteant. Si laicus semel furtum fecerit, reddat quod furauerit, & in quadragesimis cum pane & aqua pœniteat. Si sæpius fecerit & non habet vnde reddat, annos duos in pane & aqua pœniteat, & alio anno in quadragesima, & sic postea in Pascha reconcilietur. Qui sæpe furtum faciebat septem annos pœniteat, vel vt sacerdos iudicat iuxta quod componi potest quibus nocuit, & semper debet reconciliari ei quem offendebat, & restituere iuxta quod ei nocuit, & multum breuiabit pœnitentiam eius. Si verò noluerit aut non potest constitui tempus, pœniteat per omnia, in quibusdam ergo sanctorum patrum constitutionibus ita scriptum repperi, puer annorum decem aliquid furti comedens, septem dies pœniteat, qui furatur cibum, quadraginta dies pœniteat, si iterum tres quadragesimas, si tertio, annum pœniteat, si quarto iugi exilio sub alio Abbate pœniteat. Si laicus monacham duxerit, aut intret in monasterium Deo seruire vel humanum subeat seruitium. Si quis seruum aut quemcunque hominem quolibet ingenio in captiuitatem duxerit aut transmiserit, tres annos diu pane & aqua pœniteat. Si quis patrem aut matrem expulerit, impius vel sacrilegus iudicandus est, & pœniteat vt sacrilegus quamdiu in hac impietate consisterit. Qui præbent dicatum barbaris, si Basilicas incenderint, & si Clericum siue sanctimonialem vel bonos occiderint & innocentes ab Ecclesia traxerint, ductor quatuordecim annos pœniteat, pecunia quæ in aliena prouincia ab hoste rapta fuerit, id est regi alio superato, tertia pars ad Ecclesiam tribuatur vel pauperibus, eo quod iussio regis erat, & quadraginta dies pœniteat. Si quis domum vel aream cuiuscunque igne concremauerit, tres annos pœniteat: Vnum ex his in pane & aqua. Æqualiter enim rapinæ & latrocinia detestanda sunt vt furta, quia per auaritiam & cupiditatem perpetrantur, maximè à potentibus huius seculi, qui Deum non timent nec hominem reuerentur, sed pauperes deprædantur, & quicquid possunt per ingeniū malum eis auferre student, quod prohibet sapientia dicens, post concupiscentias tuas non eas & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te venire in gaudium inimicis tuis. Vnde in Canone Toletani Concilij scriptum est. Tolet.côc. Si quis de potentibus Clericum aut quemlibet pauperiorem aut religiosum expoliauerit & admonente Episcopo non reddiderit excommunicetur, moxque scripta percurrant per omnes prouinciæ Episcopos & quoscumque adire potuerint, vt excommunicatus habeatur donec audiatur quod reddat aliena.

F

CAPVT LI.

De falsis testibus in Arelatensi concilio.

FAlsos testes lex Domini damnat & eis pœnam futuram prædicit. Vnde sacri Canones præcipiunt, falsos testes à communione Ecclesiastica submouendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint. De quo in Arelatensi Concilio ita scriptum est. De his qui falsè accusant fratres suos placuit eos vsque ad exitum non communicare, sed *falsum testem*, iuxta Scripturam, *impunitum non fore esse*. Are.conc. c.14. Prou.19.

CAPVT LII.

In concilio Elibertano de furtis.

G

DE his qui sacerdotes accusant, non probantes, si quis autem Episcopum vel presbyterum vel Diaconum, falsis criminibus appetierit & probare non potuerit, nec in finem dandam ei esse communionem. Conc.Eli. c.75. Quidam vero patrum censuerunt pro falso testimonio laicum debere vnum annum pœnitere, Clericos autem 2. annos, Subdiaconos tres, Diaconos quatuor, presbyteros quinque, Episcopos sex. Si quis ergo falsitatem cum periurio firmauerit, conuenit vt sex annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua. Qui autem falsitatem sciens consenserit, quinque annos pœniteat, falsum testimonium dicens. Primo placet proximum suum, contra quem illud protulerat. Deinde quale damnum fratri imposuit, tali iudicio damnetur, iudicio sacerdotis, omne enim mendacium peccatum est, vnde Scriptura dicit: *Os quod mentitur occidit animam*. Sap.1.11.

CAPVT LIII.

Item in concilio Elibertano.

H

DE falsis testibus: Falsus testis prout crimen est, abstinebitur, si tamen non fuerit mortis, quod obiecit. Conc.Eli. c.74. Etsi probarit quod *Domino tacuit, biennij tempore abstinebitur, si autem non probauerit in conuentu cleri, placuit per quinquennium abstinere. *diu

CAPVT LIIII.

De auaritia & cupiditate.

NOuissima in Decalogo de auaritia & cupiditate Domini præcepta sunt, taliter loquentis ad populum Israeliticum atque dicentis: *non concupisces domum* Exod.20.

A mum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum nec omnia quæ illius sunt. Col. 3. 5. Ideoque sciendum quod maximum malum est auaritia & cupiditas terrena, dicente Scriptura: *Auaritia est idolorum seruitus*. Et alibi: *radix*, inquit, *omnium malorum est auaritia*, quam quidam appetentes errauerunt à fide & inseruerunt se doloribus multis. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia: nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, verumtamen nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta & quibus regamur contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli & desideria multa & inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Vnde & Salomon Eccl. 5. 9. dicit: *Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias fructus non capit ex eis*, & iterum: Ibid. 12. *Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui, pereunt enim in afflictione pessima*, & paulo post dicit. *Auaro autem nihil est scelestius, nihilque iniquius* Eccl. 10. 9. *quam amare pecuniam*. Et iterum: Ibid. 13. *cum enim morietur homo hæreditabit serpentes, & bestias & vermes*. Vnde & Dominus ait: B *facilius esse camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum*. Matt. 19. 24. Et iterum: *Væ vobis diuitibus qui habetis consolationem vestram*. & alibi: Luc. 6. 24 *non potestis Deo seruire & mammonæ*. Luc. 16. 13. Auaritia enim non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Quæ pestis insaturabilis est: sicut morbus hydropici: quia bibendo non sitim extinguit, sed potando succrescit. Sic auaritia quanto magis habet, tanto plus desiderat, & dum modus non est in habendo, modus ille non erit in desiderando, ex qua oriuntur inuidiæ, furta, latrocinia, homicidium & cætera. Vsuram autem quæ comes & fautrix est solertissima auaritiæ, non solum Scripturæ C sacræ detestantur, sed etiam sanctorum patrum canones interdicunt. Vnde scriptum est in canonibus Apostolorum titulo 44. *Episcopus aut presbyter aut Diaconus vsuras à debitoribus exigens, aut desinat aut certe damnetur*.

CAPVT LV.

In concilio Niceno titulo 17.

QVoniam multi sub regula constituti auaritiam & turpia lucra sectantes, oblitique diuinæ Scripturæ dicentis, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, mutuum dantes centesimas exigunt: iuste censuit sancta & magna synodus, vt si quis inuentus fuerit post hanc definitionem vsuras accipiens, aut ex adinuentione aliqua vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est, sescupla exigẽs, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, deijciatur à Clero, & alienus D existat à regula.

Hucusq; illud MS. exemplar progrediebatur, & apparet satis ex capitũ Elencho supra scripto aliquot capita desiderari.

FINIS LIBRI TERTII.

HRABANI MAVRI DE VITIIS ET VIRTVTIBVS ET PECCATORVM SATISFACTIONE IN REMEDIIS, SIue de Pœnitentijs libri tres.

PRÆFATIO.

Ergo, vox peculiaris auctori in librorum auspicijs.

COgitans ergo mecum quomodo Christiano populo aliquod solatium præberem, quo melius contra antiquum hostem confligere posset, & gratia CHRISTI donante ad victoriam veram perueniret, excerpsi de sanctorum & Catholicorum Patrum scriptis aliqua testimonia vnde qui vellent opuscula nostra legere, & coram quibus labor noster despectus non est, aliquod adiutorium acciperent ad regendum semetipsos & alios ad meliorem vitam corrigendos. *Primum, de octo principalibus vitijs & remedijs contra ea opponendis. Dein de virtutibus sacris & laude earum scribere decernimus, & sic ad veram confessionis humilitatem, & ad pœnitentiæ remedium stilum vertere cogitamus.* E Quamuis enim originalia in baptismatis munere gratia mediatoris cuncta aboleri veraciter credantur peccata, quia sufficit illa sola spiritalis generatio: attamen cum ventum fuerit ad ætatem quæ præceptum iam capit, & subdi potest legis imperio: suscipiendum est bellum contra vitia, & gerendum acriter, ne iterum reducatur ad damnabilia peccata. Paucissimi autem sunt tantæ fœlicitatis, vt ab ipsa ineunte adolescentia, nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitijs, vel in facinoribus, vel in homicidijs, vel in nephario cuiusquam impietatis errore, sed magna spiritus largitate necessarium est opprimere quicquid in eis potest aut potuit carnalis delectatio dominari. Tunc itaque dicta vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei & hominum Iesum Christum qui factus est particeps mortalitatis nostræ: vt nos participes faceret diuinitatis F suæ. Veruntamen in graui iugo quod positum est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium, etiam hoc malum miserabiliter reperitur. Ideoq; sobrij simus, atque intelligamus hanc vitam de peccato illo nimis nephario quod in paradiso perpetratum est, factam nobis esse pœnalem, totumque quod nobiscum agitur non pertinere nisi ad noui seculi hæreditatem nouam, vt hic pignore accepto illud cuius pignus est suo tempore consequamur.

ELENCHVS CAPITVLORVM.

HRABANI MAVRI LIBER PRIMVS.

De octo principalibus vitijs, & vnde oriuntur.

CAPVT I.

H A Paradysi gaudijs postquam expulsum est genus humanum, octo criminalia in filios Adæ originaliter dominantur vitia, quæ nisi per gratiam Saluatoris ac baptismi renouationis minimè abolenda credamus. Vnde beatus Gregorius in expositione Iob loquitur dicens: vitia quippe tentantia quæ inuisibili contra nos prælio repugnanti super se superbiæ militant: alia more ducum præeunt: alia more exercitus subsequuntur. Ipsa namque vitiorum regina superbia cum deuictum plenè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitijs, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur: quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur: quod melius ostendimus, si ipsos duces atque exercitus vt possumus enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali su-

(A) (*Eccl.* 10.) perbia eſt, de qua Scriptura atteſtante dicitur: *Initium omnis peccati ſuperbia*. De hac quoque virulenta radice, ſepiè principalia vitia proferuntur: ſcilicet: *Inanis gloria: Inuidia, Ira, Triſtitia, Auaritia, ventris ingluuies, Luxuria.* Nam quia his ſeptem ſuperbiæ vitijs nos captos doluit, idcirco redemptor noſter ad ſpiritalis liberationis prælium ſpiritu ſeptiformis gratiæ plenus venit, ſed habent contra nos hæc ſingula exercitum ſuum.

Nam de inani gloria hæc oriuntur, inobedientia, iactantia, hypocriſis: contentiones, pertinaciæ, diſcordiæ, & nouitatum præſumptiones.

De inuidia naſcitur, odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in aduerſis proximi, afflictio autem in proſperis.

De ira proferuntur, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blaſphemiæ.

De triſtitia naſcitur, malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita.

De auaritia oriuntur, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, & contra miſericordiam obdurationes cordis.

De ventris ingluuie propagatur, inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo ſenſus circa (B) intelligentiam.

De luxuria generatur, cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſeculi, horror aut deſperatio futuri. Quia ergo ſeptem principalia vitia tantam de ſe vitiorum multitudinem proferunt, cum ad cor veniunt, quaſi ſubſequẽtis exercitus cateruas trahunt. Ex quibus videlicet ſeptem, quinque ſpiritalia: duo carnalia ſunt, ſed vnum quodque eorum tanta ſibi cognatione iungitur, vt non niſi vnũ de altero proferatur. Prima namq; ſuperbiæ ſoboles inanis eſt gloria, quę dum oppreſſa mentem corruperit, mox inuidiam gignit: quia nimirum dum vani nominis potentiã appetit, ne quis hanc alius adipiſci valeat tabeſcit.

Inuidia quoq; iram generat, quia quanto interno liuoris vulnere animus ſauciatur, tãto etiã manſuetudo tranquillitatis dimittitur: & quia quaſi dolens membrũ tãgitur, idcirco oppoſitæ actionis manus velut grauius preſſa (C) ſentitur. Ex ira quoq; triſtitia oritur, quia turbata mens quo in ordine ſe concutit, eò addicendo confundit, & cũ dulcedinem tranquillitatis amiſerit, nihil hãc niſi ex perturbatione ſubſequens mœror paſcit. Triſtitia quoq; ad auaritiam deriuatur, quia dum confuſum cor bonum lætitiæ intus amiſerit, vnde conſolari debeat quærit, & tãto magis exteriora bona adipiſci deſiderat, quanto gaudiũ nõ habet ad quod intrinſecus recurrat. Poſt hęc vero duo carnalia vitia, id eſt, vẽtris ingluuies & luxuria ſuperſunt, ſed cunctis liquet quod de vẽtris ingluuie luxuria naſcitur, dum ipſa diſtributione membrorum ventri genitalia ſubnixa videantur, vnde dum vnum inordinate reficitur, aliud proculdubio ad contumelias excitatur. Bene autem duces exhortari dicti ſunt exercitus, vlulare, * qui prima vitia deceptæ menti quaſi ſub quadam ratione ſe inſerũt: ſed innumera quæ ſequuntur dum hanc ad omnem inſaniam pertrahunt quaſi beſtiali clamore confundunt.

(*for. leg quia)

(D)

CAPVT II.

De vitio ſuperbiæ.

(*Proſp. l. 3. de vit. cont. c. 2.*) (*Eccl.* 10.) CONſideremus ergo quæ cauſæ præcedant, quas vitia ſubſequantur: ait enim Proſper: quod vt credibilius videatur, Scriptura diuina conſulta reſpõdeat, vnde quęſita protulit dicens: *Initium omnis peccati ſuperbia*; non alicuius ſed omnis peccati, quia non ſolum peccatũ eſt ipſa, ſed etiã nullum peccatum fieri poteſt aut potuit, aut poterit ſine ipſa. Siquidem nihil aliud omne peccatum niſi Dei contemptus eſt, quo eius præcepta calcantur. Deniq; ipſe diabolus inuentor ſuperbiæ per ipſam de cęleſtibus corruit, quem Deus fecerat ſine vllo peccato. Et hæc eſt omnium malorũ cauſa. Hinc eſt, quod idem primus homo ſuperbi ſpiritus elatione corruptus, omnem poſteritatem ſuam quæ in illo radicaliter fuit, neceſſitati corruptionis ac mortalitatis addixit. (E) De quo dixit Apoſtolus: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in oẽs homines pertranſiuit.* (*Rom.* 5.) Superba voluntas facit Dei præcepta contemni, & ex Angelis dæmones fecit, quapropter audiant ſuperbi, quid ſint omnia trãſitoria quæ ambiunt; & æterna quæ perdũt. Et illud: *omnis qui ſe exaltat humiliabitur.* (*Luc.* 14. 11) Et iterum: *quid ſuperbit puluis & cinis.* (*Eccl.* 10. 9) Et illud: *ante ruinam exaltatur ſpiritus*, (*Pro.* 16. 18) &, *Deus alta à longe cognoſcit.* (*Pſ.* 137. 6.) De eorum quippe capite diabolo ſcriptum eſt, *ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* (*Iob* 41. 25) Iam nunc videamus quibus indicijs poſſit ſuperbia deprehendi. Vnde paulo poſt ſequitur. Habitus quoq; & inceſſus pedum ſuperbos oſtẽdunt, quorum erecta ceruix, facies torta, truces oculi, & ſermo terribilis, nudam ſuperbiam damnant, humana iura diuinaq; confundunt, honoribus intumeſcunt, aliena rapiunt, & ſeipſos ſuperbiæ morbo corrupti non capiũt. Eſt enim & occulta ſuperbia, quæ proficientes aliquantulum captiuat, quos in profundum malorum fraudulenta dominatione præcipitat, & ne vnquam poſſint exurgere iugiter calcat. Inde eſt, quod hi, quos ſuperbæ mentis tabes purulenta corruperit, ſeniorum ſuorũ non obſeruant imperata, ſed iudicant, de ſuis negligentijs obiurgati aut rebellant aut murmurant, de loco ſuperiori diſceptant, (F) præferri ſe melioribus affectant, ſuas ſententias procaciter iactant. Non ſeruant in obſequio reuerentiam. Hæc ſunt ſuperbię & tumoris indicia quibus offenditur Deus, & his malis Diabolus paſtus exultat.

CAPVT III.

De remedio ſuperbiæ.

HVmilitas virtutum omnium mater, penitus conterit ſuperbiam, quemadmodum Scriptura teſtatur, *Omnis qui ſe humiliat exaltabitur*, (*Luc.* 14. 11.) &: *Gloriam præcedit humilitas.* (*Pr.* 15. 33.) Et iterum: *ad quem reſpiciam niſi ad humilem & quietum & trementem ſermones meos.* (*Iſa.* 66. 2.) Et: *Deus humilia reſpicit.* (*Pſ.* 137. 6) Vnde Gregor. inquit: dicatur ergo humilibus, quia dum ſe deijciũt, ad Dei ſimilitudinem aſcendunt. Et quid humilitate ſublimius, quæ dum ſe in ima deprimit, auctori ſuo manenti (G) ſuper ſumma ſe coniũgit. Eſt autem aliud quod in eis debeat cautè penſari: quia ſæpe quidã humilitatis decipiuntur ſpecie: quidam verè elationis ſuæ ignorantia fallũtur. Idcirco oportet omnes ſollicitos eſſe, vt maculę ſuperbię imbribus lacrymarũ deleantur, & contritio cordis, & humilis ſpiritus omnem fontem vitiorũ excludat, & qui proximis læſionem intulit, veniæ ſatisfactione reconciliet. Rapinã pauperũ miſericordia largitatis diluat, eiſq; quib. iniuſtè abſtulit, ſiquid poteſt miſericorditer reddat, & inſuper eleemoſynarũ fructus minimè negligat, alijſq; bonis operib. vitam corrigendo, apud Dñm miſericordiam ſtudioſe perquirat, ſicut ſcriptũ eſt: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* (*Eccl.* 30: 24.) Idcirco temporis menſuram in agenda pęnitentia pro vnoquoq; crimine non præfigũt canones, ſed magis in arbitrio antiſtitis relinquendum ſtatuũt, quia apud Deũ non tam valet menſura temporis quam doloris, nec abſtinentia tantum ciborum, quam mortificatio vitiorũ.

(H)

CAPVT IV.

De vitio inanis gloriæ.

(*Proſp. l. 3. de vit. cõtemplat. c. 10.*) INanis namq; gloria deuictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari cum dicit: debes maiora appetere, vt quo poteſtate valueris multos excedere, eo etiã valeas & pluribus prodeſſe, ſed Scriptura econtra ſignum vanitatis oſtendit dicens: *Eſt enim vanitas inflata quædã circa delectationes varias, animi languentis affectio, potiendi honoris auida ſimul & neſcia, morbo excellentiæ inanis afflata, caua, morbida, turbulenta, animorũ leuium domina, male fundatis omnib. blanda, repugnantibus fumea, capiendis ſeductoria, captis inimica: ſimulatio quædã virtutũ, appetitio dignitatũ, dulcis miſeris, amara perfectis. Cui ſeruiũt tumidi, ſub qua iacent elati, qui ſe de operibus quorum ſibi non ſunt conſcij turpiter iactant, qui ſe ab omnibus prædicari per nefas affectant: qui ſanctos viros ſui comparatione depretiant.*

Iſtis

A illis & similibus delinitos vanitas premit, nec eos morbū suum sentire, aut ad medicum venire permittit. Et quid est ad medicum venire, nisi infirmum suas infirmitates agnoscere? Tantumque eos ardor humanæ laudis inflammat, vt laboriosa opera quę populus admiretur & quibus fama diffunditur sine labore suscipiant & libenter exerceant. Inde est, quod ieiunare, abstinere, vigilare, ecclesiam frequentare, vel psallere, cum hæc omnia sine labore non faciant, etiam cum delectatione faciunt, vt ab hominibus quibus placere non Deo desiderant videantur,
Mat. 6. 2. 5. 16. vnde veritas ait: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

CAPVT V.

De remedio inanis gloriæ.

APostolica sententia in medium est proferenda qua
1. Cor. 4. 7. dicitur: *Quid enim habes quod non accepisti, & si accepisti vt quid gloriaris quasi non acceperis.* Huius enim morbi est
B medicina salutaris, recordatio diuinæ bonitatis, per quā omnia bona nobis collata sunt quæ habere videmur, etiā & perpetua ipsius Dei caritas, in cuius laudem omnia agere debemus, quicquid boni in hoc seculo operamur, & magis desiderare à Deo laudari in die retributionis æternæ, quam ab homine mortali quolibet in huius transitoriæ vitæ.

Hoc loco in M. S. quaternio desiderabatur continens reliquum cap. quinti, & decē deinde sequentia capita.

CAPVT XV.

De remedio gulæ vitij.

QVia primus homo hoc vitio gulæ cū posteritate suā cecidit, necessarium est vt per abstinentiam resurgamus, sed in ipsa abstinentia est aliud quiddam, quod solerti cura pensare debemus; quia plerumq; dum plusquam necesse est, per abstinentiam caro atteritur, humilitas foris ostenditur, sed de hac ipsa humilitate grauiter interius superbitur. Ideo admonendi sunt abstinentes, vt sollicitè semper aspiciant, ne cum gulæ vitium fugiunt, atriora his vitia quasi ex virtute generentur, In cassum verò per abstinentiam corpus conteritur, si inordinatis dimissa motibus mens vitijs dissipatur. Qui aūt non solum
C Prosper. de vit. contempl. l. 2 c. 22. à qualitate, sed etiam à quātitate ciborum cupiunt abstinere, nihil aliud student, nisi aut quantum stomacho reficiendo, ac fami eximendæ satis esse videtur indulgeant, nec expleant suos appetitus auiditate percipiendi, sed cōprimant, atq; eis non saturitas edēdi finem faciat sed voluntas, qui tam à cupiditate pretiosorum ciborum, quam à nimia perceptione vilioū continebunt, qui cibis nec lautioribus volunt carne luxuriosè dissolui, nec distentione ventris vilibus onerari, quando abstinentes viri nec delitiosi soleant esse, nec auidi, de vino autem abstinendo quid dicam? Vnde Apostolus certam fixit regulam dicēs:
Eph. 5. 18. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria*, quasi diceret: Luxuriā facit & nutrit vini perceptio nimia non natura, & ideo nō vos vti vino, sed ne inebriemini prohibeo, vnde Timo-
1. Tim. 5. 23. theo præcepit dicens: *Noli aquam bibere, sed modico vino vtere, propter frequentes tuas infirmitates.* Ac per hoc nihil cōtra abstinentiam faciunt, qui vinum non pro ebrietate sed tantum pro corporis salute percipiunt, Vnum tamen est intuendum, quod nihil illis proficiat qui se à cibis seperāt si vitijs seruiūt, quia facilius res quæ possidetur abijcitur, quam voluntas. Admonendi sunt abstinentes vt nouerint, quia tunc placentem Deo abstinentiam offerunt, cū
D ea quæ sibi ab alimentis subtrahunt, indigentib. largiuntur. Non n. Deo, sed sibi quisq; ieiunat, si ea quæ ventri ad tempus protrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit, Rursumq; admonendi sunt, vt abstinentiam suam & semper sine imminutione custodiant, & nunquam hanc apud occultum iudicem eximię virtutis credant, *nisi fortasse magni meriti esse creditur,
*for. ne si cor in elatione subleuetur, Hinc Ioel ait: *Sanctificate ieiu-*
Ioel. 1. 4. & 2. 15. *nium.* Ieiuniū sanctificare est adiūctis alijs bonis, dignam Deo abstinentiā carnis ostēdere. Quia tunc nobis proderit q̄ corpora nostra aut certe corporum incentiuū rigore districtioris abstinentiæ castigamus, si carnalib. desiderijs absoluti, sanctis virtutib. floreamus, Vnde si per delectationē & desideriū voluptatis à paradysi gaudijs cecidim᷒, oportet vt per ieiuniū ac lamenta pœnitentiæ redeamus.

CAPVT XVI.

De vitio luxuriæ.

LVxuria quoq; deuictū cor quasi ex ratione solet exhortari cū dicit: Cur te in voluptate tua modo nō dilatas, cum quid te sequatur ignoras? Acceptū tempus in desiderijs perdere non debes, quia quam citius pertranseat nescis, si n. misceri Deus hominē in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio masculum & fœminam nō fecisset, non n. Deus vt diuina testatur auctoritas ideo masculū & fœminā creauit, vt carnali fruerentur desiderio, aut in delectatione carnis viuerēt, sed procreandorū cum benedictione filiorum mutuo iungerentur. Et nisi transgressio mandatorū fuisset, nulla vtiq; sentiretur delectatio in copula coniugatorū, luxuria quippe est immunditia corporalis, quæ fieri solet ex incontinen-
F tentia libidinis & mollitie animæ, quæ cōsentit suæ carni peccare; quia tribus modis omne peccatū agitur: Sug-
Prosper. gestione, delectatione, consensu, qui cōcupiscentiæ carnis addictus est, nūquid non videtur nihil habere superbiæ, cū præsertim passio ipsa eum videatur humiliare luxuriæ: & tamen nisi prius Deo rebellis existeret cuius salubre præceptum de pudicitia conseruanda, superbi spiritus præsumptione contemnit, nulla eum lasciuiæ cupiditas prouocaret. In animo eius diu disceptant, Dei contēptus & metus; sed aut contemptus præponderat, & superbus animus recepta cupiditate pudicitiam perdit; aut obtinet metus, & animus Deo subiectus, cupiditati simul ac superbiæ contradicit. Plerosq; n. gula & abūdantia vini turpiter in luxuriam soluunt, alios in iniuriā pudicitię, sordidæ cogitationēs incendunt. Nōnullos de proposito oblatæ castitatis occasiones deijciunt, quosdā sub impudicitiæ iugum, exempla perditè viuentium mittunt, sicut aliquorum vitam, lingua turpis inflammat, & turpē conscientiam manifestat, qui prius inuerecūdos sermones aut proferunt libenter aut audiunt, ac deinde paulatim morbo crescente ab honestate deficiunt. Cogitatio quippe
G est, quæ mentē sicut turpis inquinat, ita si fuerit honesta, purificat. Hinc est q̄ ille corporis fluxus, qui fit in dormientib. sine culpa, interdum vigilantib. cōtingat ex culpa, aliud est quod in dormiente fit, aliud quod vigilans facit, ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur: hic turpiter concupiscentia publicatur. Sed hæc concupiscentia illis vigilantibus hunc elicit fluxum, quibus per fœda colloquia sordidum commouerit appetitum.

CAPVT XVII.

De remedio luxuriæ.

PAulus Apostolus terribiliter admonet dicens: *Qui ha-*
1. Cor. 7. 29. *bent vxores tanquā non habentes sint* &c. Vxorem quippe non habendo habet, qui sic per illā carnali consolatione vtitur, vt tn̄ nunquā ad praua opera à melioris intētionis rectitudine eius amore flectatur, vxorē quippe quasi non habendo habet, qui transitoria cuncta conspiciens, curā carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia spiritus ex desiderio expectat, Vnde iterū dicit: *de quib. scripsistis mihi:*
1. Cor. 7. 1 *bonū est homini mulierē non tangere, propter fornicationē aūt vnusquisq; suā vxorē habeat, & vnaquæq; suum virū habeat.* Hoc aūt dico secundū indulgentiā, nō secundū imperiū. Culpa quippe esse innuitur, q̄ indulgēre perhibetur, sed quæ
H tanto citius relaxetur, quanto non p̄ hanc illicitū q̄d agatur, sed hoc q̄ est licitum, sub moderamine non tenetur, q̄ bene Loth in semetipso exprimit, qui ardentem Sodomam fugit, sed tn̄ Segor veniens, nequaquam mox montana conscendit. Ardentē quippe sodomā fugere est, illicita carnis incendia declinare, Altitudo vero est montiū, munditia continentiū, in mōte stare est carnaliter non adhærere, at contra admonendi sunt, qui ligati cōiugijs nō sunt, vt p̄ceptis cœlestib. eò rectius seruiant, quo eos ad curas mundi nequaquam iugum copulæ carnalis in-

A clinet, admonendi sunt cœlibes, ne sine damnatione misceri se fœminis vacantibus putent. Cũ enim Paulus fornicationis vitium tot criminib. execrandis inseruit: cuius sit reatus indicauit dicens: 1. Cor. 6. 9. *Neq; fornicatores, neq; idolis seruientes, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regnum Dei possidebunt.* Et rursum: Heb. 13. 4 *fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* At contra admonendi sunt peccata carnis ignorantes, vt tãto sollicitius præcipitem ruinam metuant, quanto altius stant, quibus per Ioannem dicitur: Apoc. 14. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, hi sequuntur agnum quocunque ierit.* Quapropter cum ceperit animus ad delectationem carnis inclinari, oportet timorem iudicij ad mentem reducere, pœnalq; infernalium, vbi nemo nisi obnoxij retruduntur, sollicitè cogitare, quænam pœna iniustis sit reddenda ęterni supplicij. Vnde scriptum est: Matt. 22. 13. *Mittite eos in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium, vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Prosp. Quid excusationis obtendere poterimus, quid faciemus sub tanti iudicis maiestate, in illa die, qua nos defensionis arte purgabimus? B Quę nobis subuentura est pœnitentia quam in hac carne contempsimus? Hæc multa & his similia cogitare, nihil est aliud quam vitijs omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia frenare. Sed quia de octo principalibus vitijs eorumq; remedijs prout largitor omnium bonorum dedit, ex sanctorũ patrum sententijs stilus nostræ descriptionis colligendo perstrinxit, libellus finẽ excipiat, vt in sequenti opere de virtutibus vnde hic pauca tetigimus, donante Domino plenius disputemus.

FINIS LIBRI PRIMI.

HRABANI MAVRI

LIBER SECVNDVS.

De actuali & contemplatiua vita, & virtutibus principalioribus.

C

Præfatio libri secundi.

SVperiori libro rationem vitiorum principalium octò complexus, pro viribus quas Dominus donare dignabitur, de actuali & contemplatiua vita, necnon & virtutibus vt promisi ex patrum dictis colligere curabo.

Capitula libri secundi.

D

CAPVT I.

De vita actiua.

ACtualis est vita, conuersatio religiosa, quæ docet quomodo præpositi sub se regant viuentes & diligant, ac non minus de eorum salute, quam de sua sollicitι, quod eis expedire sciunt paterna cura prouideant, & qualiter præposito suo subiecti tanquam capiti membra deseruiant, ac præcepta eius velut imperium Dei summo amore custodiant. Ipsa namque actualis vita panem esurienti tribuit, verba sapientiæ nescientem edocet, errantem corrigit, ad humilitatis viam superbientem proximum reuocat. E Infirmantis curam gerit, quæ singulis quibusque expediant, dispensat, & commissis qualiter subsistere valeant sollicite præuidet, quæ cum & in præsenti fiunt, & cum corpore deficiunt, attamen merces huius vitæ permanet in æternum.

CAPVT II.

De vita contemplatiua.

COntemplatiua à contemplando, id est, à videndo nomen accepit in qua creatorem suum creatura intellectualis ab omni peccato purgata atque ex omni parte sanata visura est, sed etsi diligenter cõsiderare velimus, Prosp. in hoc fragili tabernaculo vbi quotidie ingemiscimus, contemplatiuæ vitæ quodammodo participes fieri posse nemo qui dubitet, quia ecclesiarum principes vitæ contẽplatiuæ posse & debere fieri sectatores, quia siue secundũ quorundam opinionem, nihil aliud sit vita cõtemplatiua, quam rerum latentium futurarumq; notitia siue vacatio ab omnibus occupationibus mundi: siue diuinarum studium literarum. F Non videtur quid impedimenti sanctis sacerdotibus possit*auferri, quominus ad virtutes nequeant peruenire, quorum cura est ab occupationib. mundi aufugere, & diuinarum studijs literarum inhærere, qui non torpent otio, sed insistunt perfectionis suæ negotio, verbo Dei infatigabiliter vacant, sapientes veraciter fiunt, cœlestia capiunt, terrena despiciunt, obedientes instruunt, Sanctis virtutibus, quibus in dies singulos fiant Deo propinquiores incumbunt. Quę vita per fidem & spem in præsenti incipit seculo, sed in futuro permanet cum Domino.

*for. offerri

CAPVT III.

De Fide.

FIdes vero iustitiæ est fundamentũ, quam nulla opera bona præcedunt, ex qua omnia procedunt, ipsa nos à peccatis omnibus purgat, mentes nostras illuminat, Deo reconciliat, cunctis participib. nostræ naturæ consociat, G spem nobis futuræ remunerationis inspirat, augẽs in nobis virtutes sanctas, ac nos in earum possessione confirmat. Ipsa quoq; gradus ascensionis eius per quam gressus omnis transeuntis vitæ dirigitur, vt errores humanæ vitę transfugiat, & ad cœlestia securus perueniat, quam sacerdos nosse debet vt doceat, & populus credere, vt ea quæ docentur intelligat, dicente propheta: Esai. c. 7. *Nisi credideritis non intelligetis*, vnde datur intelligi quod non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat, ac per hoc vt bene agat quis intelligere studeat, & vt intelligat credat, decet doctorem ecclesiæ prædicare, quod audiat crediturus, quia sine prædicatione, nullus erit auditus, sicut scriptum est: Rom. 10. 14 *Quomodo audient sine prædicante*: Verbum fidei prædicandum est, vt audiens credat, credens intelligat, & intelligens opus bonum perseueranter exerceat. Quoniã nec opera, sine fide, nec sine operibus fides sola iustificat. Et ideo si Ibi. v. 10. *corde creditur ad iustitiam, orè autem confessio fit ad salutem.* Qui autem non crediderit, non habendo fidem nec iustitiam cordis habere poterit nec salutem. H Est autem *fides*, vt apostolus ait: Heb. 11. 1. *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes,* Ibid. v. 3. *fide intelligimus apparata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent,* Ibid. v. 4. *fide plurimum hostiam Abel quam Cain obtulit,* Ibid. v. 5. *fide Enoch translatus est ne videret mortem, fide Abraham* Ibi. v. 17. obtulit Isaac cum tentaretur & cætera. Quia sicut idem ait Apostolus: Ibid. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* & iterum. Rom. 5. 1. *Ex fide igitur iustificati pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus & gloriamur in spe gloria filiorum Dei.*

A

CAPVT IV.

De Spe.

Prosper. Rom. 8. 24 SPes dicitur cum aliquid quod promittitur cum non videtur speratur, dicente Apostolo: *Spe enim salui facti sumus, Spes autem quæ videtur non est spes. Nam quod videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Et ideo ambulemus in spe proficientes de die in diem, & spiritu facta carnis mortificemus. Nouit enim Dominus qui sunt eius. Et quotquot spiritu Dei aguntur hi filij sunt Dei, non natura sed gratia. Vnicus enim natura Dei filius propter nos factus est hominis filius, vt nos natura filij hominis, filij Dei per illius gratiam fieremus. In actuali quippe vita in qua per spem peregrinatur ecclesia fides & spes sunt, adipiscendæ cum charitatis laude, vnde Apostolus ait. *Nunc autem manent fides, spes & charitas, maior autem his est charitas.* Et ideo maior, quia non cum mundo transit perituro, sed hic incipit & permanet in æternum. 1. Cor. 13. 13. B

CAPVT V.

De Charitate.

IAm porro charitas quam duobus istis, id est, fide ac spe maiorem dixit Apostolus. Quanto, inquit, cumq; maior est, tanto melior in quo est. Cum enim quæritur vtrū quisq; homo bonus sit, nō quæritur quid credat, aut speret, sed quid amet. Nā qui rectè amat proculdubio rectè credit & sperat. Qui vero non amat, inaniter credit etiāsi sunt vera quæ credit. Inaniter sperat, etiamsi ad verā fœlicitatem doceantur pertinere quæ sperat, nisi hoc credat ac speret, quod sibi petēti donari possit vt amet. Per charitatē igitur bona omnia iustificantur, quæ creduntur ac sperantur. Quam excellentiorem viam apostolus nūcupat. Ad quam non pedum via, sed motū est ascendendū. 1. Cor. 13. 13. Quia charitas est recta voluntas, ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter, & vnita igni quodam Sancti spiritus. Nulli vitio mutabilitatis obnoxia, Supra omnia quę carnaliter diliguntur excelsa, Diuinæ contemplationis auida. In omnibus semper inuicta, mors criminum, vita virtutum. Quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium seruit, sine qua nullus Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare nec poterit, Hæc est charitas vera, germana, perfecta, & omnino via quæ ducit per se ambulantes ad patriam. Quia sicut sine via nullus est qui poterit peruenire quo tendit: ita sine charitate, quæ dicta est via, non ambulare possunt homines sed errare, vnde Apostolus ait. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt.* Et iterum: *Omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet.* In eos autem in quibus fuerit omnibus his bonis quæ habet impertit. Et quid illis esse potest in hac vita perfectius qui tantis abundant charitate in se regnante virtutib. Quapropter charitas hic quidem in præsenti necessaria est, quæ nos separat à diabolo, purificat à peccato, reconciliat Deo. Sed in futuro perfecta erit, cum perfectos Deo, à quo est donata coniunxerit.

C

1. Cor. 13. 4. Ibid.

D

CAPVT VI.

De Virtute.

Prosper. POrro antequam de principalibus virtutibus quatuor dicatur aliquid, primo indagatione veritatis scire oportet, quid sit, aut quare virtus dicatur, quæ in tanto nominis præcellit honore, vt nulla quamuis videantur recta, sine virtute Deo fiant acceptabilia. Virtus namq; omnis sancta, res est diuina, incorporea prorsus atq; mundissima. Quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatas emaculat, cuius participatione firmantur infirma, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur praua, reconciliantur aduersa. Hanc non habet nisi Deus, & is cui dederit Deus, quæ in animo habitat, sed animam corpusq; sanctificat, ad quam nullus accedit inuitus: quam nullus amittit nisi propria volūtate deceptus, De qua rursū alias dicitur, *Virtus quoq, animi habitus est naturæ, decusq, vitæ, ratio morum, pietatis cultus, diuinitatis honor, æternæ beatitudinis meritū*, cuius partes sunt vt diximus principales quatuor; *prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia.*

E

CAPVT VII.

De Prudentia.

PRudentia est rerum diuinarum, humanarumq; prout homini datum est scientia. In qua intelligendum est quid cauendum sit, quidue faciendum. Vnde Psalmista loquitur; *Diuerte à malo & fac bonum*, Quia nulla melior sapientia quam ipsa qua Deus secundum humanæ mentis modulū intelligitur, & timetur; atq; eius futurū creditur iudicium, vbi bona boni: mala vero mali pro meritorum qualitate recipiunt. Prudentiam igitur & sapientiam plerīq; in indagatione veri & inuentione constituunt. Propterea quod nec sapiens dici rectè possit cui deest prudētia, nec prudens cui deest sapientia. Quapropter si nihil aliud prudentiæ ac sapientię munus accipitur, nisi inquisitio & cōprehensio veritatis, qui veritatē prudēter quærere & sapienter inuenire potuerit, is prudens, is sapiens iure vocabitur, & quicquid de prudentia fuerit disputatum, id totū de sapientia possit intelligi. Qui ergo prudētiæ participatione prudentes effecti, Deo suo non pedibus sed sanctis moribus appropinquant, ex ea parte, qua sunt Dei dono prudētes, nec suo perire possunt, nec alieno peccato, ex eo autē quod necdum ita est eorū perfecta prudētia, sicut erit in illa vita, vbi perfectè viuentib. vllus error omnino obrepere non poterit, ēt prudētes aliquoties peccatis fallentib. acquiescunt, non volūtate deprauati, sed humano errore vt homines lapsi, nec adhuc tota prudentiæ ac sapientię perfectione perfecti, sicut ibi erūt vbi nec ignorare aliquid nec peccare iam possunt. Tales Dominus in Euangelio fieri præcepit dicens. *Estote prudētes sicut serpentes & simplices sicut columbæ.* Quia nec simplices circūuenire aliquos possunt, nec prudentes se circūueniri permittunt. Quandoquidē hęc virtus multū à vitio secularis ac mundialis prudentiæ distat, quod illud corrūpit sana: hæc vero sanat vitij accessione corrupta, ac si omnib. quibus potest, prodesse festinat veraciter prudens, vt eius meritis omniū qui per eum Domino acquiruntur fructus accrescat. Sed quoniā ordo disputationis poscit, vt ēt de prudentia quæ principalis est virtus, primo poneretur in loco, restat quoque quid sit iustitia aperire. Psal. 33. 15 F Prosper. Matt. 10. 16. G

CAPVT VIII.

De Iustitia.

IVstitia est animi nobilitas, vnicuiq; rei propriam tribuens dignitatē, in hac diuinitatis cultus, & humanitatis iura & iusta iudicia, & æquitas totius vitæ conseruatur, quid enim iustius, quam Deum diligere eiusq; mandata custodire, per quem dum non fueramus, creati sumus, dum perditi fuimus recreati sumus, & à seruitute diabolica liberati. Qui nobis omnia bona quę habemus cōcessit, ipsa quippe iustè ac rationabiliter dicitur iustitia, qua fiunt iusti qui eam fuerint operati, ex qua manat ęquitas, quæ nos facit vt omnium necessitates hominum nostras esse dicamus, nec nobis tantum, sed etiam generi humano nos natos esse credamus. Quapropter si in hac vita iustitiam conamur implere, cuius iustitiæ opus est propriū, sua cuiq; tribuere, Deo nos à quo sumus facti reddamus, nec dominari nobis ea, quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus. Dominetur vitijs ratio, subijciatur corpus animo, animus Deo, & impleta est hominis iustitia, totaque perfectio. De iustitiæ adhuc fonte procedunt *liberalitas, beneficentia, charitas* & cætera huiusmodi, quibus multipliciter iuuari homines possunt. *Liberalitas* est, quæ etiam in eos qui nihil indigere videntur, exuberat, H Prosper.

A

in qua liberalitate rei familiaris ponitur amplitudo. *Beneficentia* multa sunt opera, quibus necessitati laborantium misericorditer subuenitur, & de terreno censu, regni cœlestis hæreditas comparatur.

CAPVT IX.

De fortitudine.

FOrtitudo est, magna animi patientia & longanimitas & perseuerantia in bonis operibus, & victoria contra omnium vitiorum genera. Animi igitur fortitudo ea debet intelligi, quæ non solum diuersis pulsata molestijs inconcussa permaneat; sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbat. Alioquin, si impetus quidē malorum sæuientium frangat, si calamitatibus quibuslibet *inpictis obsistat, si inter iniuriarum sæua, inter procellas augentium pressurarum, inter inimicitias & damna præsētia, atq; multimodas persecutiones infatigata persistat. Eos aūt, quos ad tolerantiam passionum fortes Dei charitas reddit, nulla delectatio carnis, nulla voluptas malè blanda corrūpit. Quia animi fortitudo ab illo est nobis, cui cum propheta cantamus: *Fortitudo mea & laudatio mea Dominus: & factus est mihi in salutem*, fortitudo nostra est, quæ ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroborat, vt animum nostrum nec blanda dissoluant, nec aduersa deijciant. Et tunc laus nostra Dominus fit, si non nos de muneribus Dei, sed diuina in nobis cupiamus munera prædicari. Et vtiq; animi fortitudo tam desperandi ignauiam debet excutere, quam iactantiam contraire, Et quid hac fortitudine melius est quam diabolum vincere, omnesque eius suggestiones superare, & aduersa mundi pro Dei nomine fortiter tolerare.

Prosper.

videndus Prosper.

* for. impetitus

B

Psal. 117. 14

CAPVT X.

De temperantia.

TEmperantia est totius vitæ modus, ne quid nimis homo vel amet, vel odio habeat, sed omnes varietates huius vitæ, cōsiderata temperet diligentia. Vnde quidam philosophorum ait, apprime in vita esse vtile, vt ne quid nimis. Temperantia igitur temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundū. Hæc virtus si in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat. Omnia intra nos cōfusa ordinat, ordinata corroborat. Cogitationes prauas remouet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, omnemq; intemperantiam nostram ad honestū modū redigit. In cibo ipso vel potu, vt contenti simus appositis. Tēperantia est, quod reuerētiam senioribus exhibemus, æquales germanitus honoramus, iunioribus gratiā paternę dilectionis impendimus. Itaq; difficile quidem est nomina virtutum, quæ ex istis quatuor principalibus oriuntur, ostendere, veruntamen hoc nosse & tenere debemus, q istæ virtutes quatuor vel omnes, quæ ex illis existunt, dona sunt Dei, & quod nullus eas habet aut habuit vel habebit: nisi cui Deus, qui est virtutum omnium proprietas & origo contulerit. Principales quatuor esse virtutes non solum philosophi sentiunt, sed etiam nostri consentiunt. Quia quaternarium numerum, perfectionis sacramentum penè nullus ignorat. Siquidem totus orbis oriente, occidente, aquilone & meridie, quatuor terminari partibus inuenitur. Et ipse Adam, qui est humani generis pater, vel generale nomen, quod dicitur homo, quatuor litteris explicatur. Corpus quoq; quatuor elementis extructum, quaternarij numeri in se continet sacramentū. Ipsius etiam animæ quatuor esse affectiones quibus vel ad bona vtimur, vel ad mala. Quatuor etiā flumina, quæ de paradiso fonte procedunt, vel quatuor euangelia, & ideo virtutes istæ, quæ tantum continent perfectionis in numero, sollicitè considerare debemus, quantam sanctitatem conferant animo christiano, & quam nihil perfectionis vnquam sit, quod in istis virtutibus non sit. Nam si prudentia prudentem, iustitia iustum, fortitudo fortē, temperantia temperantem facit, eo quod prudenter & iustè & fortiter ac temperanter agit, nihil est quod possit esse perfectius. Quapropter sicut ex elementorū numero quaternarij cōpago mundi, necnon & corpora humana perficiuntur, quibus insunt venæ, neruiq; ac cætera corporis vtilia: ita principalium numero virtutum, omnia quæcumque rectè viuendi sunt instituta, nemo quis dubitet esse connexa.

C

D

E

Hæ sunt enim sacratissimis viris virtutes expositæ, quas sacerdotes Domini, qui iura tenent ecclesiæ, necnō ligandi atq; soluendi habentes potestatem, intentè debent intelligere, ac frequentius prædicare, vt populus careat vitijs & opitulante superno adiutorio conetur pro viribus quisq; inhærere virtutibus. Satis vt opinor ex tribus gradibus cœlestium scil. fide, spe, & charitate, necnō & virtutibus quatuor quibus ad culmina virtutū ascenditur est disputatum. Nunc iam qualiter vnumquodque iudicio sacerdotali purgandum sit vitium, breuiter est in sequentis operis libello inserendum.

F

Explicit liber secundus.

HRABANI MAVRI

LIBER TERTIVS.

De grauibus mortalibus peccatis & eorum satisfactione.

Præfatio libri tertij.

DE mortalibus peccatis ac criminibus eorumq; pœnitudine & satisfactione seu & de octo principaliū vitiorum origine, vexatione, iudiciis, obiectionibus, remediisque, nec non & de pugna virtutum contra vitiorū impugnationem, vel quibus modis cogitatione, locutione & opere perpetrantur peccata, tertius hic largiente Domino, ex dictis sanctorum Patrū defloratus, vt in prologo huius opusculi p̄fati sumus, inchoat libellus. Tuis igitur meritis precibusq; animatus, studiosissime pater, & si non vt debeo, tamen pro vt potero, Deo fauente, præceptis tuis satisfacere humiliter studebo.

G

Capitula eiusdem.

H

CAPVT I.

De grauibus mortalibusque peccatis ac criminibus eorumque pœnitudine & satisfactione.

QVæ sint autẽ grauia & mortalia peccata Paulus prędicator egregius in Epist. ad Rom. cum nefandissi-
ma notaret crimina subdendo manifestauit dicens, *Reple-* Rom. 1.
tos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, ple- 29
nos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones,
detrectatores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuẽto-
res malorum: parentib. non obedientes, insipientes, incõpositos, sine F
affectione, absq́; fœdere, sine misericordia, qui cum iustitiam Dei
cognouissent, non intellexerunt, quoniã qui talia agunt digni sunt
morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facien-
tib. Considerate igitur cum omni timore, quia qui supra
scripta & his similia perpetrant, vel consentiunt, crimina,
nisi ante exitũ vitæ per pœnitentiam & eleemosynas cæ-
teraq; opera bona redimerint ea secundum B. Pauli Apo-
stoli definitionẽ dignissimos esse morte, id est, perpetua
morte, sine remedio, morte sine fine: Nã & de mortalib.
criminib. idem Apostolus in Epist. ad Galatas loquitur.
Manifesta aũt sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immũditia, Gal. 5. 19.
luxuria, idolorum seruitus veneficia, inimicitiæ, contentiones, æ-
mulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidia, ebrietates, cõmes-
sationes & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam
qui talia agunt regnum Dei non cõsequentur: Non n. dixit, qui
talia egerunt regnũ Dei non consecuti sunt, sed qui talia
agunt, vel qui in his perseuerant criminibus regnum Dei
non consequentur: Multi denique supra scripta & similia
perpetrauerunt crimina, & ante mortem per pœnitentiã
& eleemosynas & alia bona opera expurgauerunt ea, & G
postmodũ ad regnũ Dei peruenerunt, & quotidie perue-
nire merentur, & in Epist. ad Ephesios idem Apostolus de
peccatis criminalib. inter cætera ait, *Fornicatio autem aut* Ephes. 5. 3
omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis sicut de-
cet sanctos, & paulo post, *hoc n. scitote, quod omnis fornicator* Ibid. v. 5.
aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus non habet
hæreditatem in regno Christi & Dei. De hoc & in Epistola ad Coloss. 3. 5
Colossenses pręcepit dicens. *Mortificate membra vestra, quæ*
sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinẽ, con-
cupiscentiam malam & auaritiam, quæ est simulachrorum serui-
tus, propter quæ venit irã Dei super filios incredulitatis, Is etenim
Apostolus dilecto discipulo suo Timotheo ab hominib.
qui grauib. erant vitijs irretiti, in secunda ad eundẽ disci-
pulũ Epistola præcepit declinare dicens, *hoc autem scito,* 2. Timot.
quod in nouissimis diebus, instabunt tẽpora periculosa & erunt ho- 3. 2
mines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus
non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminato-
res, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui,
tumidi, voluptatũ amatores magis quã Dei, habentes speciẽ qui-
dem pietatis, virtutẽ eius abnegantes & hos deuita. Nam & secũ-
dum canonũ definitionem, hæc sunt capitalia crimina,
Primò *superbia* quæ est mater & regina omnium vitiorũ, H
siue leuium siue principalium. Testante sacra scriptura. Prou.
Initium omnis peccati superbia, ipsa est enim peccatorum o- Eccli. 10.
mnium causa, quoniam non solum peccatum est ipsa; 15.
sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest aut pote-
rit sine ipsa, si quidem nihil aliud omne peccatum nisi
Dei contemptus, quo eius præcepta calcantur, quem
contemptum Dei nulla res alia persuadet hominib. nisi
superbia: Deinde *cupiditas mala,* de qua Paulus Aposto- 1. Tim. 6.
lus ait, *Radix omnium malorum est cupiditas:* Cum enim Spi- 10
ritus sanctus per Prophetã, initium omnis peccati super-
biam esse pronunciet, & per Apostolũ radicẽ omniũ ma-

A lotum cupiditatem esse affirmet, vnum idemque esse si-
gnificat, quia cupiditas & superbia in tantum est malum,
vt nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit
inueniri cupidus, solerter cõsiderare debent, qui de pec-
catis & vitijs tractant, quia superbia initiũ est omnis pec-
cati, cupiditas vero omnium radix malorum, antea enim
vnaquęq; res initium habet, postea radicem emittit, &
tamen sicut initium & radix vna eademque res est & ma-
teria, ita superbia & cupiditas, licet vnum prius, alterum
posterius, vnum tamen est malum. Ac deinde in nume-
ro principalium vitiorum ponitur inuidia perniciosissi-
ma pestis, quæ semper aliena torquetur felicitate. Post-
modum *ingluuies ventris, fornicatio, ira, tristitia seculi*, quæ
mortem operatur, *inanis gloria, auaritia, sacrilegium*, id est,
*furtum sacrarum rerum, adulterium, furtum, rapina, falsum te-
stimonium, periurium, idolatria, ebrietas, molles masculorum
concubitores, sodomita, maledus, homicida*, & inter cætera
Paulus Apostolus in epistola ad Corinth. prima capita-
lia crimina manifestat, dicens. *Nolite*, inquit, *errare. Neque*
1. Cor. 6. *fornicatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles,*
B *neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque
ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*, id
est, si in istis perseuerauerint criminibus. Cæterum qui
ante vltimum huius vitæ diem deleuerunt ea pœnitẽdo,
& eleemosynis redemerunt, & in bonis operibus perse-
uerauerunt, regnum Dei possidere posse credimus & af-
Matt. 10. 22. firmamus, dicente Domino; *qui autem perseuerauerit vsque
in finem, hic saluus erit*. Sane cauendum est, ne quisquã exi-
Aug. stimet nefanda illa crimina, qualia qui agunt, regnũ Dei
non possidebunt, quotidie redimẽda in melius, est quip-
pe vita mutanda & per eleemosynas de peccatis prętentis
est propitiandus Deus. Non adhoc emendandus quodã-
modo, vt ea semper liceat impune committere. Nemini
enim dedit laxamentum peccãdi, quando miserando de-
leat iam facta peccata factio congrua negligatur, sane qui
sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam, moresque
corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosy-
nas frequentare non cessant, sine causa de tali opere sibi
blandiuntur. Qui enim vult ordinate dare eleemosynam,
à seipso debet incipere, & eam sibi primum dare, est enim
Eccli. 30. 24 eleemosyna opus misericordiæ, verissimeq; dictũ, *misere-
re animæ tuæ placens Deo*. Non ergo se fallant qui per elee-
C mosynas quamlibet largissimas fructuum suorũ cuiusq;
pecuniæ impunitatem se emere existiment, in facinorum
immanitate, ac flagitiorum nequitia permanendi. Non
solum n. hæc faciunt, sed ita diligunt, vt in eis semper o-
ptent, tantum si possint impune, versari, qui autem diligit
iniquitatem, odit animam suam, & qui odit animam su-
am, non est misericors sed crudelis. Diligendo eam quip-
pe secundum seculum, odit eam secundum Deum, si ergo
vellet ei dare eleemosynam, per quam illi essent munda
omnia, odisset eam secundum seculum, & diligeret secũ-
dum Deum. Nemo autem dat eleemosynam qualemli-
bet, nisi vnde det, ab illo accipiat, qui non eget. Ideo di-
Ps. 58. 11. ctum est, *Misericordia eius præueniet me*, peccata enim mor-
Beda. talia, vt iam dictum est, tantum ab omni iustitiæ sorte
discordant, tanta iniquitate patrantur, vt absque vlla
contradictione factorem suum, nisi corrigantur, æter-
Ezech. 18. 4. 20. nam mergant in pœnam: de qualibus scriptum est. *Anima
quæ peccauerit ipsa morietur*, & de qualibus Apostolus dicit
Gal. 5. 21. Paulus, *quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequen-
1. Ioan. 5. 18. tur*: Vnde & Ioannes Apostolus. *Omnis qui natus est ex Deo
non peccat*, hoc de omni crimine capitali possumus intelli-
D gere, siue qui natus est, ex Deo non peccat, id est, pecca-
tum ad mortem non perpetrat, peccatum ad mortem est
peccatũ vsq; ad tempora mortis protractũ, quod peccatũ
omnis, qui natus est ex Deo, nõ peccat. Deniq; Dauid rex,
mortale crimen admisit, id est adulterium & homicidiũ,
sed tamen quia ex Deo natus erat, & ad filiorũ Dei socie-
tatem pertinebat, nõ peccauit vsq; ad mortẽ, quia sui rea-
tus veniam mox pœnitendo promeruit: Sunt n. quædam
Aug. peccata quæ leuissima putarentur, nisi in scripturis de-
monstrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem
Mat. 5. 22 fratri suo fatue reum gehennæ putaret, nisi veritas dice-
ret, aut quis æstimaret quam magnum peccatum sit dies
obseruare & menses & tempora & annos, sicut obseruãt, E
qui certis diebus siue mensibus, siue annis volunt vel
nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas do-
ctrinas hominum fausta vel infausta æstiment tempora
nisi magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus quã-
do ait. *Timeo vos ne forte sine causa laborauerim in vobis*, sæpe Gal. 4. 11
enim quædam peccata magna & horrenda cum in con-
suetudinẽ venerunt aut parua aut nulla esse creduntur,
vsque adeo non solum non occultanda verum etiã præ-
dicanda, diffamanda videantur, quando sicut scriptum
est, *laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit* Ps. 10. 3.
benedicetur. Talis in diuinis scripturis iniquitas, clamor
vocatur. Vnde est illud in Genesi, *clamor Sodomorum & Go-* Gen. 18. 20
morræ multiplicatus est, quia non solũ iam apud eos nõ pu-
niebantur illa flagitia, verum ẽt publice veluti lege fre-
quentabãtur, vnde scriptũ est, *& peccatum suum quasi Sodo-* Isa. 3. 9.
ma prædicauerunt, nec absconderunt illud, Est n. hoc peccatum
grauissimũ, qui non solũ suos auctores verũ etiam & eos
quos mortiferis sermonibus & actibus ad peccandũ per-
trahit, perpetuam perducit ad pœnã. Cum n. hoc & huic
simile quisq; perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad
cæteros perditionis exempla transmittit. Nemo etenim F
tam magnum putaret cõcupiscentiam libidinis esse pec-
catum, nisi Dominus diceret, *qui viderit mulierem ad concu-* Mat. 5. 28
piscendum eam iam mœchatus est eam in corde suo, quis etenim
tam grande putaret esse peccatũ, inutiliter reseruare di-
uitias, nisi Iacobus diceret Apostolus: *Agite nunc diuites,* Iacob. 5. 1.
plorate vlulantes in miserijs quæ aduenient vobis, aurũ & argen-
tum vestrum eruginauit, & ærugo eorũ in testimonium vobis erit, Greg.
& manducabit carnes vestras sicut ignis. Valde etenim peccãt,
qui verbum sacræ prędicationis vtiliter proferre possunt,
& tamen sub silentio abscondunt. Vnde per Salomonem
dicitur *qui abscondit frumenta, maledicitur in populis*, frumen- Prou. 11. 26.
ta quippe abscõdere est prædicationis sanctæ apud se ver-
ba retinere. In populis aũt talis quisq; maledicitur, quia in
solius culpa silentij permultorum, quos corrigere potuit,
pœna damnatur: Nemo n. sermonem maledictionis for-
sitan aliquis tam horrificum putaret esse peccatũ, quam-
uis sectatores suos à Dei separat regno, nisi Paulus dice-
ret Apostolus, *neq; maledici regnum Dei possidebũt*. Est n. cau- 1. Cor. 6.
sa leuitatis vsitatissimum & grauissimum peccatũ, & pœ-
ne nullus est, qui tanto immanissimo scelere linguam re-
stringat suam, neq; diues, neq; pauper, neq; nobilis, neq;
sapiens, neq; insipiens, neq; clericus, neq; laicus, neq; se-
nex, neq; iuuenis, neq; masculus, neq; fœmina, neq; liber,
neq; seruus, & non solũ est maledicus sermo qui dicitur, G
maledicat illum Dominus aut maledicte fac hoc aut il-
lud, aut maledictus sit, sed etiã omnis sermo qui ab hoc
profertur vt infamet aliquem, aut deroget aut male com-
mendet. Quamuis non videatur esse iniuriosus, maledi-
cus est, vt illud de cœco, *maledixerunt illum Iudæi, & dixerũt* Basilius.
ei. Tu discipulus illius sis. Aut quis crederet tristitiam seculi Ioan. 9. 28
mortiferum esse peccatũ, nisi Paulus Apostolus diceret,
tristitia seculi mortem operatur, Tristitia seculi est cũ aliquid 2. Cor. 7. 10
de rebus humanis vel quæ ad seculum pertinent contri-
stamur. Tristitia vero secundum Deum est, cũ pro nostris
proximorumque erratibus tristamur, de qua idem dicit
Apostolus, *Tristitia secũdum Deum salutem stabilem operatur*. Ibid.
Sunt & alia grauia peccata plurima de quibus per diuer-
sas sanctarum scripturarum paginas studiosus lector licet
sparsim si cupit, inueniet multa, quæ cum in consuetudi-
nẽ veniunt, vt supra scriptum est, aut parua aut nulla esse H
creduntur. Vnde clarissimus doctor S. August. Episcopus Aug.
in expositione Epistol. S. Pauli ad Gal. cum dolore nimio
exclamare cõpulsus est, dicens, væ peccatis hominũ, quæ
sola inusitata exhorrescimus, vsitata vero pro quib. ablu-
endis filij Dei sanguis effusus est, quãuis tam magna sint,
vt omnino claudi contra se faciant regnum Dei, sæpe vi-
uendo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam
facere cogimur, atq; vtinam ô Dñe non omnia quæ po-
tuerimus prohibere faciamus. Nullatenus n. de ipsis cri-
minibus, quamlibet magnis in sancta Ecclesia remitten-
dis Dei misericordia desperanda est agentib. pœnitentiã
secundum modum cuiusq; peccati. In actione autẽ pœ-
nitentiæ, vbi tale cõmissum est, vt is qui cõmisit à Christi

etiam

A etiam corpore separetur, non tam consideranda est men-
Psal. 50. 19. sura temporis, quam doloris, *Cor enim contritum & humi-
liatum Deus non spernit.* Verum quod plerumque dolor al-
terius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam
per verba vel quæcumque alia signa procedit, cum sit
Psal. 37. 10. coram illo cui dicitur, *Gemitus meus à te non est absconditus,*
recte constituuntur ab his qui Ecclesiis præsunt tempo-
ra penitentiæ, vt satisfiat etiam Ecclesiæ, in qua remit-
tuntur ipsa peccata, extra eam quippe non remittuntur:
Cui ergo tanta est lepra grauioris peccati, vt à salubet-
rimo corporis & sanguinis Domini medicamento non a-
nimo, sed corpore separetur, cõsilio & auctoritate anti-
stitis debet se ab altario & cõmunione mensæ dominicæ
non desperatione sed humilitate remouere ad agendam
satisfactionis pœnitentiam, & postmodum secundum
canonicam institutionem auctoritate & oratione sacer-
dotis reconciliari. Prius enim agenda est pœnitentia, ac
sic deinde hoc salutiferum sacramentum suscipiendum:
1. Cor. 11. 29. *Qui enim mãducauerit indigne, iudicium sibi manducat & bibit,*
hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis acci-
B piat, quo debet agere pœnitentiam. At si qui in aliquo
Prosp. gradu Ecclesiastico constituti aliquod occulte crimen
admittunt; ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis vi-
detur propterea communicare & officium suum implere
debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt,
qui autem ea commiserint, & ideo prodere metuunt, ne
sententiam iustæ excommunicationis accipiãt, sine cau-
sa communicant, immo vero dupliciter contra se iram
diuinæ indignationis exaggerant, quod & honoribus
innocẽtiam fingunt, & contempto Dei iudicio abstine-
re se ab altari propter homines erubescunt, quapropter
facilius sibi Deum placabunt illi, qui non humano con-
uicti iudicio, sed vltro crimen agnoscunt, quia aut pro-
prius illud confessionibus produnt, aut nescientibus aliis,
quales occulti sunt ipsi in se voluntariæ excommunica-
tionis sententiã ferunt, & ab altari cui ministrabant non
animo, sed officio separati, vitam suam tanquam mor-
August. tuam agentes pœnitentiam plangunt. Nam & ipsa
pœnitentia quando digna causa est, vt secundum moré
Ecclesiæ agatur, plerumque infirmitate non agitur, quia
C & pudor timor est displicendi, dum plus delectat homi-
num existimatio, quam iustitia, qua se quisque humiliat
pœnitendo. Vnde non solum cum agitur pœnitentia,
verum etiam, vt agatur, Dei misericordia necessaria est,
alioquin non diceret Apostolus de quibusdam, *Ne forte*
2. Tim. 2. 25. *det illis Deus pœnitentiam,* & vt Petrus amare fleret, præmi-
sit Euangelista & ait, *respexit eum Dominus.* Porro illi quo-
Matth. 26. 75. rum peccata humanam notitiam latent, Nec ab ipsis
confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri vel emen-
Prosp. dare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habi-
turi sunt & vltorem, & quid eis prodest humanum vi-
tare iudicium, cum si in malo suo permanserint ituri sunt
in æternum Deo retribuente supplicium, quod si ipsi sibi
indices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hic in se
voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exer-
ceant, temporalibus pœnis mutabuntur æterna suppli-
cia, & lachrimis ex vera cordis compunctione fluentibus
restringent æterna ignis incendia, quicumque autem
mortali crimine, siue occulto siue publico ita sunt irre-
titi, quibus differenda sunt saluberrima corporis & san-
D guinis Domini medicamenta, ideo præsumptiue sine sa-
tisfactione & reconciliatione sui antistitis ad percipien-
da altaris sacramenta accedunt, quia multos forte vident
ipsam dominicam percipere communionem, quorum
talia crimina non ignorant, & non considerant quod
multi corriguntur vt Petrus, multi tolerantur, vt Iudas,
multi nesciuntur donec veniat Dominus, & illuminet
abscondita tenebrarum & manifestet cogitationes cor-
dis, hi autem qui aliquo mortali crimine sponte confes-
si aut aliquo, siue seculari siue Ecclesiastico iudicio accu-
sati sunt atque conuicti & ob hoc medicinali prohibi-
tione sequestrati sunt à dominica communione, si ne-
cessitate mortis vrgente viaticum petunt, & reconcilia-
Leo. tionem, nullatenus eis talis petitio denegetur. Multum
enim vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus an-
te vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur. Ius E
autem, qui in tempore necessitatis & in periculi vrgentis
instantia præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis
implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconci-
liatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras
possumus ponere nec tempora definire, apud quem nul-
las patitur venire moras conuersio. Clementia enim Dei Celest.
ad subueniendum morienti sufficere vel momento pos-
se certissime credimus, perdidisset latro in cruce præmiũ
ad Christi dexteram pendens, si illum vnius horæ pœni-
tentia non iuuisset: Cum esset in pœna pœnituit, & per
vnius sermonis professionem, habitaculum paradisi, Deo
promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conuersio
in vltimis positorum, mente potius est æstimanda quam
tempore, propheta hoc taliter asserente, *cum conuersus*
ingemueris, tunc saluus eris, & illud. *Peccator in quacumq; die* Ezech. 33. 12.
conuersus fuerit, peccata eius nõ reputabuntur ei, & iterum *nolo*
mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, & illud: *Dic tu* Ibid. 11.
iniquitates tuas prior, vt iustificeris, Item, *quia apud Dominum* Isaie 43.
misericordia est, & copiosa apud eum redemptio, In dispensan- 26.
dis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec ac- Psal. 129. 7
cusantium gemitus, lachrimasq; negligere, cum ipsam F
pœnitendi affectionem Dei credamus inspiratione con-
ceptam, dicente Apostolo, *Ne forte det illis Deus pœniten-*
tiam vt resipiscant à Diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad 2. Tim. 2. 26.
ipsius voluntatem. Eorum autem vt sanctissimus Mar-
tyr Cyprianus in Epistola quam scripsit ad Romanos ait, Cypr.
Quorum vitæ suæ fine vrgens exitus dilationem non
potest ferre acta pœnitentia & professa, frequenter suo-
rum de festinatione factorum, si lachrymis, si gemitibus,
si fletibus * dolentes ac vere pœnitentes animi signa * *Forte, dolentis ac vere pœnitentis.
proderint, cum spes viuendi secundum hominem nulla
substiterit, ita demum caute & sollicite subuenitur, Deo
ipso, quid de talibus faciat & qualiter iudicis suis exami-
net pondera; Nobis tamen anxiis & curantibus vt nec
pronam nostram improbi homines laudent facilitatem,
nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram cru- *Forte, prodiderint.
delitatem: Ipsi autem pœnitentes, quorum vita incolu-
mis esse constat, tam grandia defleat, quam grandia com-
miserunt, & tam grande expetant consilium, quam la-
te propagatum videtur esse delictum, non sit minor me-
dicina quam vulnus est, non sint minora remedia, quam
funera; & vt prodictus martyr Cyprianus in libro de la- G
psis ait. Orare oportet pœnitentes impensius & rogare,
diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere,
tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare,
strato solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volu-
tari, post indumentum Christi perditum, nullum iam
velle vestimentum, post Diaboli cibum malle ieiunium,
iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur,
eleemosinis frequenter incumbere, quibus à morte ani-
mæ liberantur, sunt etenim vt iam dictus doctor ait in
Epistola ad Cornelium Romanæ vrbis Episcopum ter-
tia, qui propria non intelligunt delicta, quorum mens
est percussa, animus amens & sensus alienus, quibus ita
est Dei non intelligere delicta ne sequatur pœnitentiam;
sicut scriptum est, *Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis,*
ne reuertantur scilicet, & curentur & depræcationibus ac
satisfactionibus iustis post peccata sanentur. Paulus A-
postolus in Epistola sua exponit & dicit. *Delictum verita-*
tis non habuerunt vt salui fierent, ac propterea mittet illis Deus 2. Thess. 2. 10.
operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur, omnes
qui non crediderint veritati, sed sibi placent, in iniustitia, primus H
felicitatis gradus est non delinquere, secundus delicta
cognoscere, illic currit innocentia integra & illibata, quæ
seruet, hic succedit medela, quæ sanet. Porro sunt quidã,
qui magnitudinem & innumerositatem suorum consi-
derant peccatorum, & ob hoc desperantes de ineffabili
& incomprehensibili omnipotentis Dei misericordia
diffidunt, & id circo nolunt agere pro peccatis & scele-
bus suis pœnitentiam, sed impœnitentes corde in malis
suis obdurati permanent, & rebelles contra Spiritus
sancti gratiam, infeliciter existunt, de quibus ait Apo-
stolus, *Nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* Rom. 2. 5.
tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens, thesauri-

A *zas tibi iram in die iræ & reuelationis, iusti iudicij Dei.* Hæc autem duritia cordis impœnitentis blasphemia est in Spiritu sancto, quæ non remittetur vlli homini. Vnde
Marc.3. 29. Dominus in Euangelio ait, *qui dixerit blasphemiam in Spiritum Sanctum non remittetur ei.* De qua blasphemia cau-
August. tissimus ac præclarissimus Doctor Augustinus cum de irremissibili blasphemia in Spiritū sanctū sermonem faceret ad populum inter cætera ait. Hæc omnino impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc seculo, neq; in futuro, quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro, sed ista impœnitentia vel cor impœnitens, quamdiu quisque in hac carne viuit non potest iudicari, de nullo enim desperandum est quam diu patientia Dei ad pœnitentiam ducit. Item post pauca ait. Omne prorsus peccatum & blasphemia remittetur hominibus, vbi hoc peccatum non fuerit cordis impœnitentis contra Spiritum sanctum, quo in Ecclesia peccata soluuntur, cuncta alia dimittūtur: quomodo autem hoc remittetur, quod etiam remissionem
B impedit aliorum. Omnia ergo dimittuntur eis, in quibus hoc non est, quod numquam dimittetur. In quibus autem est, quoniam hoc numquam dimittetur, nec alia dimittuntur quia omnium remissio vinculo istius impeditur. De qua blasphemia id est, impœnitentia vel cor impœnitens supra dictus pater Augustinus enucleatissime valdeque prolixe in sermone ad populum more solito secundum sanctarum scripturarum adfirmationem disseruit. Nemo ergo pro multitudine & enormitate suorum desperet peccatorum, sed potius confidens de misericordia Dei agat pro peccatis, dum in hoc corpore viuit pœnitentiam, ne in futuro æterni iudicis examine pro duritia cordis impœnitentis, quæ est blasphemia in Spiritum sanctum, vt iam dictum est, secundum Domini Saluatoris sententiam damnatus absque
Iohan. vlla remissione existat. Nullum est enim scelus & nulla iniquitas, quæ non medicamento pœnitentiæ sanetur, si tantummodo contrito & humiliato corde cum lachrimis, gemitibus, vigiliis, orationibus, ieiuniis, eleemosinisque, secundum virium suarum possibilitatem ad
C Deum, à quo peccando discessit redeat, scripsit enim præclarissimus Doctor Ioannes Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus, optimum valde librum de reparatione lapsi per pœnitentiam, quem quicumque peccator legerit, puto quod vltra, donante Deo, pro numerositate peccatorum suorum desperare non poterit, sed & sanctissimus martyr Cyprianus de lapsis elegantissimum scripsit librum, quorum duorum auctorum quisquis animarum medicus habuerit, & intellexerit libros congrue, in omnibus animarum vulneribus iuuante Deo, qui est medicus medicorum salutiferam poterit apponere medicinam. Nec illud in præsenti excerptione puto
August. esse reticendum, quod beatus Augustinus in libro de ciuitate Dei quarto decimo de superbis vel occulte peccātibus, inquit, vtile est in aliquod apertū manifestumq; peccatum cadere vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant, Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit, quam sibi placuit quando præ-
Psal.82. 17. sumpsit: Hoc dicit & facet Psalmus, *imple facies eorum i-*
D *gnominia, & quærent nomen tuum Domine*, id est, vt tu eis placeas quærentibus nomen tuum, quod sibi placuerant quærendo suum, sed est, peior, damnabiliorque superbia quærentium in peccatis manifestis suffragium excusationis, inquirentes sicut illi primi homines, quorum & illa dixit, *serpens seduxit me, & manducaui*, & ille
Gen.2.12. dixit, *mulier quam dedisti sociam ipsa mihi dedit de ligno & comedi.* Nusquam hic sonat petitio veniæ, nusquam imploratio medicinæ, sed & illud non est prætereundum, quod iisdem S. Augustinus ait, in libro de fide & operibus. De his, qui homines male securos faciunt, vt propter rectam fidem etiamsi in criminibus permanserint non damnentur, caueamus, inquit, diligenter in adiutorio Domini Dei nostri non facere homines male securos dicéres eis, quod si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint eos ad salutem æternam
Iac.2.14. esse venturos. Iacobus enim Apostolus ait, *si quis fidem*

E *dixerit se habere opera autem non habeat, nunquid fides saluare poterit eum? Fides enim sine operibus mortua est*, sicut enim fides recta absque bonis operibus nihil cuiquam prodest, ita opera bona sine fide prodesse alicui non possunt testante sancta Scriptura, *sine fide enim impossibile est*
Heb.11.6. *placere Deo*, vt enim fides recta sine operibus bonis saluare quemquam nequeat, idem clarissimus Doctor Augustinus in libro de baptismo quarto diuinis ex testimoniis contestando affirmat dicens. Constituamus aliquem fornicatorem, immundum, luxuriosum, auarum, veneficum, discordiosum, contentiosum, seditiosum, inuidum, ebriosum, comessatorem, Catholicum: Nunquid propter hoc solum, quod Catholicus est, regnum Dei possidebit, agens talia, de quibus sic concludit Apostolus, *quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt,*
Gal.5.21. *regnum Dei non consequentur*, & alibi dicit. *Hoc autem scitote cognoscentes, quoniam omnis fornicator aut immundus aut a-*
Eph.5.5. *uarus, quod est, idolorum seruitus non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* Verax est enim Sancti Iacobi Aposto-
Iacob.2. 20.&26. li sententia, qua dicit, *Fides sine operibus, otiosa est*, quæritur à multis vtrum parentes baptizatis paruulis noceant cum eos Dæmoniorum sacrificiis sociare conantur, vel
F quantum in hoc ipsi parentes delinquant, plenius de hac re S. Augustinus in Epistola ad Bonifacium Episcopum de paruulis requirentem edocet nos dicens, qui semel generatus fuerit per aliorum spiritalem voluntatem, deinceps non posse vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consentit, Parentes autem vel quicumque maiores filios seu quoslibet, paruulos baptizatos Dęmoniorum sacrilegio obligare conantur, spiritaliter homicidæ sunt. Nam in illis quidem interfectionem non faciunt sed quantum in ipsis est, interfectores fiunt. Multa alia, & innumerabilia sunt testimonia in diuinarum scripturarum auctoritate de criminibus mortalibusque peccatis, quæ in præsenti excerptione noster pauperculus non potuit colligere stilus. Nimis enim longum & arduum est etiam sapientibus & apprime eruditissimis viris cuncta veteris, nouique testamenti, Catholicorumque vniuersorum de hac materia colligere dicta quanto magis mihi omni ex parte sermone & vita in eruditissimo, sed quia sanctæ charitati tuę
G inobediens, vt credo, apparere non debui, præsumpsi vltra vires meas facere quod peritia mihi non ministrat, nec facultas tribuit, nec infirmitas permittit. Hucusque de grauibus mortalibusque peccatis ex multis sanctarum scripturarum auctoribus pauca excerpta si placet sufficiant: Nunc autem de octo principalium vitiorum origine eorumque remediis prout auctor lucis æternæ tuis pro meritis donare dignabitur, secundum modicam capacitatis meæ virtutem ex sanctorum patrum opusculis testimonia huic operi adiungere procurabo.

CAPVT II.

De materia octo principalium vitiorum eorumq; origine sobolum.

HVmani generis creator & conditor Deus propter immensam pietatis suæ misericordiam volens liberare populum suum à præsentibus perpetuisque malis &
H ad vitam feliciter perducere felicem, dat præcepta ac salutaria monita quæ agere vel obseruare debeat, vnde inter cætera præcepta deuteronomij ait Israeli, *Cum in-*
Deut.6. 10. *troduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus es*
Cass. *ingrederis & deleuerit gentes multas coram te & Itheum & Gergeseum & Amorrheum & Cananæum & Ferrezæum & Eueum & Hebuzeum septemq; gentes multo maiores numeri quam tu es & robustioris tradideritq; eos Dominus tibi percuties vsq; ad internecionem*, septem istæ gentes, septem sunt principalia vitia, quæ per gratiam Dei vnusquisque spiritalis miles exuperans exterminare penitus admonetur, quod vero maiores numeri esse dicuntur, hæc ratio est, quia plura sunt vitia quam virtutes, & ideo in Catalogo quidem dinumerantur septem nationes, in expugnatione vero earum, sine numeri adscriptione ponuntur. Ita enim

dicitur

A dicitur, *& deleuerit gentes multas coram te.* Numerosior est enim quam Israel carnalium passionum populus, qui de hoc septenario fomite vitiorum a radice procedit. De gestrimargia namque nascuntur comessationes, ebrietates, de fornicatione, turpiloquia, scurilitas, ludicra, atque stultiloquia. De Philargiria, mendacium, fraudatio, furta, periuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentiæ, inhumanitas, ac rapacitas, de ira, homicidia, clamor, & indignatio, de iustitia rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio, de accidia, otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, peruagatio, instabilitas mentis & corporis, verbositas & curiositas: De Cenodoxia, contentiones, hæreses, iactantia, ac præsumptio nouitatum. De superbia contemptus, inuidia, inobediẽtia, blasphemia, murmuratio, detractio, aliaque quamplura similia, quæ cum sint, multo maioris numeri quam virtutes, deuictis tamen illis septem principalibus vitiis, ex quorum natura ista procedunt, omnes protinus cõquiescunt ac perpetua pariter cum his internecione delẽtur.

B Quod autem hæ pestes etiam robustiores sint, manifeste naturæ ipsius impugnatione sentimus, fortius enim militat in membris nostris oblectatio passionum carnalium, quam studia virtutum, quæ non nisi summa contritione cordis & corporis adquiruntur. Quod vero istarum perniciosarum gentium regiones salubriter possidere præcipimur, ita intelligitur: Habet enim vnum quodque vitium in corde nostro propriam stationem, sed si cum Israelis populo, id est, virtutibus contra se dimicãtibus fuerint vitia superata, locũ quem sibi in corde nostro concupiscentiæ vel fornicationis spiritus retentabat, deinceps castitas obtinebit, quem furor cœperat, patientia vindicabit, quem tristitia morte operante occupauerat, salutaris & plena gaudio, lætitia possidebit, quem accidia vastabat, incipit excolere fortitudo, quem superbia conculcabat, incipit excolere humilitas, & ita singulis vitiis expulsis eorum loca, id est, affectus contrarios possidebunt filii Israel, id est, animæ videntes Deum. Illud vero quod cum Abraham de futuris Dominus loqueretur, non septem gentes legitur dinumerasse sed de-

C cem, quarum terra semini eius danda promittitur, qui numerus adiecta idolatria gentium, blasphemia Iudæorum, errore hæreticorum, euidentissime adimpletur, quibus ante notitiam Dei, & gratiam baptismi, vel impia gentilium, vel * blasphemia Iudæorum multitudo subiecta est, donec * intellectualis Ægypto commoratur, si autem abrenuntians quis & egressus inde per Dei gratiam ad eremum peruenerit spiritalem de impugnatione trium gentium liberatur, contra septem tantum quæ per Moysen denumerantur bella suscipiet. Hactenus hæc pauca de octo principalibus vitiis Cassiani facundissimi doctoris sunt dicta, quæritur autem cur Cassianus & Gregorius in Catalogo eorundem principalium vitiorum inter se dissentiant, ita vt Cassianus in eorum numero philargiriam & accidiam adnumeret: Econtra Gregorius non hæc duo vitia, philargiriam scilicet & accidiam in eorum ponit numero, sed inuidiam & auaritiam inter eadem adnumerat vitia, quod Cassianus nullatenus facit, ait enim Cassianus aduersus octo principalia vitia adiuuante Domino colluctationem debemus

D arripere, sunt autem hæc, primum gastimargiæ vitium, quod interpretatur gulæ concupiscentia vel ingluuies ventris, secundum fornicationis, tertiũ philargiæ, quod intelligitur auaritia vel vt proprius exprimatur amor pecuniæ. Quartum iræ, quintum tristitiæ, sextum accidiæ quod est anxietas siue tædium cordis, septimum cœnodoxiæ, quod interpretatur vana gloria, octauum superbiæ. Beatus autem Papa Gregorius ita principalia vitia dinumerat & describit in ordine: Primum superbia, secũdum inanis gloria, tertium inuidia, quartum ira, quintũ tristitia, sextum auaritia, septimum ventris ingluuies, octauum luxuria, soluta est autem veraciter ab eruditis doctoribus ita hæc quæstio, auaritia inquiunt, quæ in Græco dicitur philargiria, vnde & Cassianus, non solum eam Apostolus radicem esse omnium malorum verũ etiam idolorum seruitutem pronunciauit, dicens, *& auaritia* quod in Græco dicitur philargiria, *quæ est simulacrorum seruitus.* Claret autem quia hi duo doctores Gregorius &

E Cassianus, quamuis vnus diceret philargiriam, alter auaritiam, nullatenus inter se in hoc nomine discrepauerũt, quia vnum est auaritia & philargiria, inuidiam autem quã Cassianus inter cætera vitia non dinumerauit; dicunt sub titulo superbiæ eam intellexisse, ideo quia diabolus per superbiam de cœlo decidisset, inuidendo autem de sedibus paradisi, primos homines expulisset, ob hoc vnum volunt esse morbum, vnde Prosper ait, in tantum vnum est malum vt nec superbus, sine inuidia, nec inuidus sine superbia possit inueniri: Accidiam autem vnde Gregorius, in supra dicta principalium vitiorum dinumeratione nil dixit, aiunt eam sub tristitiæ nomine intelligere voluisse, vnde & Cassianus, Accidia, quam nos, inquit, tædium siue anxietatem cordis possumus nuncupare, affinis est tristitiæ. His autem sententiis manifeste probatur, quia Gregorius & Cassianus de octo principalibus vitiis vniformiter senserũt. Quæritur & illud cur Grego-

F rius in ipsa vitiorum adnumeratione, primum vitium superbiam ponit, & Cassianus vltimum, ipse enim dicit. Licet morbus superbiæ octauus & vltimus sit, in conflictu vitiorum atque in ordine ponatur extremus, origine tamen & tempore primus est, item alio loco, cum sit superbia posterior in ordine conflictuum, origine tamen anteriorem esse omnium peccatorum & criminum principium, & cunctarum interfectricem virtutum, abhinc quemadmodum ipsa octo principalia vitia eorumq; soboles à beato Papa Gregorio in expositione beati Iob, posita sunt * & ordinatum præfixa iuuante domino persequamur. Ait enim vitia quippe tentantia, quæ inuisibili contra nos prælio repugnant super se superbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus, subsequuntur, ipsa namque vitiorum regina superbia, cum deuictum plene cor cœperit, mox illud septem principalibus vitiis quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit, quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex ijs proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur, quod melius ostendimus, si ipsos duces, atque

G exercitus vt possumus enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua scriptura attestante dicitur, *Initium omnis peccati superbia,* de hac quoq; virulenta radice septem principalia vitia proferuntur, scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitijs nos captos doluit, idcirco redemptor noster ad spiritalis liberationis prælium *spiritus septiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra hæc singula exercitum suum. Nam de inani gloria hæc oriuntur, inobedientia, iactantia, hypocrysis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ & nominatim præsumptiones. De inuidia, odium, susurratio, detractio, exultatio, in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur, de ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ, proferuntur, de tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De auaritia, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdura-

H tiones cordis oriuntur, de ventris ingluuie, inepta lætitia, scurrilitas, immũditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur, de luxuria, cæcitas mentis, inconsiderantia, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi horror vel desperatio futuri generatur. Quia ergo septem principalia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt, cum ad cor veniunt, quasi subsequentis exercitus cateruas trahunt, ex quibus videlicet septem quinque spiritalia, duoque carnalia sunt, sed vnumquodque eorum tanta sibi cognatione iungitur vt non nisi vnum de altero proferatur, prima namque superbiæ soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corruperit, mox inuidiam gignit, quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat tabescit. *Inuidia* quoq; iram generat, quia quanto interno liuoris vulnere animus sauciatur, tanto etiã mansuetudo tran-

Col 3.5.

Prosp.

Cass.

*Forte ordinatim.

Eccl.10.15.

*Forte spiritu.

*Forte leg. blasphema.

*Forte intellectuali.

A tranquillitas amittitur, & quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus velut grauius prælia sentitur, ex ira quoque tristitia oritur, quia turbata mens, quo inordinate se concutit, eo addicendo confundit, & cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mæror pascit, tristitia quoque ab auaritia deriuatur: Quia dum confusum cor bonum lætitiæ intus amiserit. Vnde consolari debeat foras quærit, & tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto non habet ad quid intrinsecus recurrit, post hæc vero duo carnalia vitia, id est, ventris ingluuies & luxuria supersunt, sed cunctis liquet quod de ventris ingluuie, luxuria nascitur, dum in ipsa distributione membrorum ventri genitalia subnixa videantur, vnde dum vnum inordinate reficitur, aliud proculdubio ad contumelias excitatur, bene autem duces exhortari dicti sunt, exercitus vlulare, quia prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se inserunt, sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt, sed quia huc vsque

B de octo principalibus vitiis pauca carpendo deprompsimus, deinceps necessarium valde reor, vt ex multis sanctorum patrum opusculis latius secundum quid Dominus dare dignabitur, primum origines & naturas eorundem, tam minutas, tam obscuras inuestigemus. Deinde causas & vexationes eorum, ac demum idoneas curationes eorum ac remedia, vt cœpimus carpẽdo indagemus.

CAPVT III.

De natura & origine superbiæ.

Cass.

QVemadmodum vero huius morbi virus perniciosissimum deuitemus instrui poterimus, si ruinæ ipsius causas atque originem persequamur. Nunquam enim curari languor, nec remedia poterunt malis valetudinibus exhiberi, nisi prius inquisitione sagaci origines eorũ inuestigentur & causæ. Archangelus namq; ille qui pro nimietate splendoris ac decoris sui lucifer nuncupatus

C est, nullo alio quam superbiæ vitio deiectus est de illa beata angelorum statione, & ad inferna collapsus. Hic namque indutus diuina claritate, & inter cæteras supernas virtutes conditoris largitate præfulgens, splendorem sapientiæ & virtutum pulchritudinem, qua ornabatur gratia creatoris, naturæ suæ potentiæ non munificentiæ illius beneficio se credidit obtinere, & ob hoc elatus tanquam qui ad perseuerantiam puritatis huius diuino non egeret auxilio Deo se similem iudicauit, hæc enim sola cogitatio facta ruina est. Ob quam desertus à Deo beatitudinem qua Dei munere fruebatur amisit: Hæc est primæ ruinæ causa & origo principalis morbi, omnium etenim vitiorum fomites de superbia pullularunt testante

Eccl. 10. 15. sacra Scriptura, *Initium omnis peccati superbia.* Non alicuius, sed omnis peccati quoniam non solum peccatum est

Prosp. ipsa vt Prosper ait, sed etiam nullum peccatum fieri potest aut potuit vel poterit sine ipsa: Hæc enim est natura & origo superbiæ per quam inuentor superbiæ de cœlestibus corruit, & postmodum primos homines corrupit & omne genus humanum de immortalitate ad mortali-

D tatem adduxit, de quo dicit Apostolus, *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors & ita in omnes homines pertransiit.*

CAPVT IV.

Quod superbiæ duo sint genera.

Cass.

DVo sunt genera superbiæ, vnum, quod spiritales summosq; pulsat, aliud quod incipiẽtes carnalesq; complectitur, & licet vtrumque superbiæ genus tam in Deum, quam in homines noxia inflet elatio, tamen illud primum specialiter refertur ad Deum, secundum ad homines proprie pertinet, quia enim vt dictum est, duo sunt superbiæ genera, vna videlicet superbia dicitur spiritalis, eo quod spiritales sanctosque homines pulsat, altera carnalis, quæ carnales impugnat, sed primum de spiritali superbia dicendum est, illos enim solummodo pulsare solet spiritalis superbia, qui deuictis superioribus vitiis iam propemodum sunt in virtutum culmine collocati, quos quia lapsu carnali subtilissimus hostis superare non quiuit, spiritali ruina deijcere ac supplantare conatur, per hanc illos vniuersis veterum stipendiorum meritis multo labore quæsitis spoliare contendens. Carnalis autem superbia carnales inobedientes facit & asperos, mites atq; affabiles esse non patitur. Vitam eis facit longæuam, & ne confessionem de peccatis faciant confusionẽ incutit, ac pudorem, pro suis negligentijs obiurgati rebellant & murmurant, & quid amplius? cum miserabilẽ possederit mentem ad veram Christi humilitatẽ descendere nõ permittit, de cuius miserrimo lapsu plura dicere curabimus cum de eius indicijs tractare cœperimus.

CAPVT V.

F

Quod tantum sit malum superbia vt ipsum Deum aduersarium habere mereatur.

TAntum malum est superbia, vt nõn Angelum, non alias virtutes sibi contrarias, sed ipsum Dominum aduersarium habere mereatur, testante Scriptura *Deus superbis aduersatur*, & iterum, *immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum*, notãdum siquidem est, quod nequaquam dixerit super his, qui cæteris sunt vitiis inuoluti, quod habeant sibi Dominum resistentem, sed solis superbis. Cass. Iac. 4. 6.

CAPVT VI.

Qualiter superbia superbos vexat.

ILlis enim quos vexat superbia non opportunus est sermo sed risus leuis ac fatuus, effrenata atq; indisciplinata cordis elatio, discipulos contra sanctos Ecclesiæ Dei rectores incautos reddit, & elatos, sequaces suos in prosperitate facit elatos, in aduersitate desperantes & tristes, in oratione tardos, in vigilijs pigros, in eleemosinarũ largitate tenaces, in ieiunijs auidos, in obedientia desides, in hospitalitate inhumanos, & quid amplius? in omnibus bonis inhonestos & immisericordes reddit. Cass. G

CAPVT VII.

Quibus indiciis possit superbia cognosci.

HIs igitur indiciis superbia declaratur, inest primitus in loquela vis clamoris, in taciturnitate, amaritudo, excelsus & effusus in lętitia, risus irrationabilis, in serietate tristitia, in responsione rancor, facilitas in sermone, verba passim sine vlla cordis grauitate erumpentia, expers patientia est, charitas aliena, audax ad contumelias irrogandas, ad tolerandas pusillanimis, ad obediendum difficilis, ad recipiendam exhortationem implacabilis, ad resecandas voluntates suas infirma, ad succumbendum alienis durissima, semperq; suas definitiones statuere cõtendens, ipsa vero nequaquam cedere, locumq; dare alteri adquiescens & ita fit vt etiam capax consilij salubris effecta, in omnibus suo potius credat quam seniorum iudicio, vnde & *Prosp.* ait: Hi quos superbiæ mentis tabes virulente corruperit seniorum suorum nõ obtemperant imperatis sed iudicant, de suis negligentijs obiurgati, aut rebellant, aut murmurant, de loco superiori decertant, præferri se melioribus affectant, suas sententias procaciter iactant, non seruant in obsequio reuerentiam, hæc sunt superbiæ rumoris indicia, quibus Deus offenditur & his malis diabolus pastus exultat. Cass. H Prosper.

CAPVT VIII.

Quod nullum vitium tam declinat à mandatis Dei quam superbia & ipsa magis iram Domini prouocat.

IN expositione cuiusdam Psalmi excellẽtissimus valde doctor Hilarius Pictauiensis Episcopus cum dolore procla- Hilar.

A proclamauit dicens; ô infœlix superbia, quæ dedignatur sub præceptis cœlestibus viuere, quæ mandata diuina animi infidelis tumore fastidit. Plurima sunt humanorum vitiorum crimina, & diuersæ atque innumerabiles peccatorum operationes, sed nulla magis prouocandæ in nos Dei iræ quam superbiæ causa est. Per superbiam enim plures humana contemnunt, & Deo obsequi spernunt, sed licet sint præclara cætera fidei opera, & in omni diuinorum præceptorum custodia deuotio immoretur, tamen subrepente superbia, memoria eorum, quæ recte operamur, abolebitur, per hanc pharisæus ille Euangelicus dicendo, *non sum peccator sicut hic publicanus*, ex ingentibus operibus cecidit in crimen. Apostolus enim Paulus angelum sathanæ qui se colaphizaret accepit: ne magnitudine reuelationum extolleretur. Est enim superbia grauissimum vitium, per quam humana despicimus & diuina negligimus, ipsa pariter omnes exhaurit virtutes, ipsa hominem iustitia & sanctitate expoliat, ipsa est interfectrix cunctarum virtutum, ipsa est

Luc. 18. 11.
1. Cor. 12. 7.
Cass.

B sæuissima & superioribus cunctis immanior bestia, sine qua nullum fuit, aut est aut esse poterit peccatum, *Initium*, inquit, *omnis peccati superbia*, Nil est enim aliud omne peccatum, nisi Dei contemptus, quo eius præcepta calcantur. Denique ipse diabolus inuentor superbiæ per ipsam de cœlestibus corruit, quem Deus fecerat sine vllo peccato & hæc est omnium malorum causa, per hanc versutus serpens diabolus primum parentem interemit, per hanc mortem intulit mundo. Est enim superbia mater & regina vitiorum cuius rex est, diabolus, dicente scriptura, *ipse est rex super vniuersos filios superbiæ*.

Eccl. 10. 15.
Prosp.
Iob. 41. 25.

CAPVT IX.

Obiectio vel increpatio aduersus superbos diuersa super hoc testimonia.

Dicendum itaque est, superbis, *vt quid superbit terra & cinis*, & illud, *Deus superbis resistit*, & illud: *Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum*, & illud, *omnis qui se exaltat humiliabitur*, & illud, *ante ruinam exaltatur spiritus*, & illud, *Dominus alta à longe cognoscit*, & illud, *initium omnis peccati superbia*: Deus humilis factus est erubescat homo esse superbus. Occasio igitur perditionis nostræ facta est superbia Diaboli & argumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei, hostis enim noster inter omnia conditus videri supra omnia voluit elatus: Redemptor autem noster magnus manens super omnia fieri inter omnia dignatus est paruus. Ergo dicatur humilibus, quia dum se deijciunt ad Dei similitudinem ascendunt. Dicatur elatis, quia dum se erigunt in apostatæ angeli imitationem cadunt.

Eccl. 10. 9.
1. Pet. 5. 5.
C
Luc. 14. 11.
Prou. 16. 18.
Ps. 136. 7.
Eccl. 10. 15.

CAPVT X.

Quemadmodum superbiam superare possumus.

Itaque hunc nequissimi spiritus laqueum taliter poterimus euadere, si in singulis quibus senserimus nos virtutibus profecisse, illud Apostolicum dixerimus: *Non ego sed gratia Dei mecum, & gratia Dei sum quod sum, & Deum esse qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate*, dicente etiam ipso auctore salutis nostræ, *qui manet in me & ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* & cætera talia. Superbia enim omnium depopulatrix virtutum per veram potest extingui humilitatem, ideoque vniuersitatis creator & medicus Deus causam principiumque morborum superbiam esse cognoscens, contrarijs sanare contraria procurauit, vt ea scilicet, quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Diabolus namque dicit, *in cœlum conscendam*. Dominus dicit: *humiliata est in terra anima mea*, ille dicit, *ero similis altissimo*: Dominus, *cum esset in forma Dei exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, humiliauitque se factus obediens vsque ad mortem*: ille dicit, *super astra Dei exaltabo solium meum*: Ille dicit. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*: si principalis ruinæ causam & salutis nostræ fundaměta perspeximus, à quo & qualiter vel ista iacta sint, vel illa emerserint, quemadmodum deuitare tam atrocem mortem superbiæ debeamus, vel illius ruina vel illius doceamur exemplo.

D
1. Cor. 15. 10.
Philip. 2. 13.
Iob. 15. 5.
Isa. 14. 13.
Ps. 43. 25.
Isa. 14. 14.
Phil. 2. 7.
Isa. 14. 13.
Matt. 11. 29.

E

CAPVT XI.

Remedia aduersus morbum superbiæ.

Si superbiam ferocissimam bestiam & deuoratricem cunctarum virtutum omnimodis festinamus extinguere, nosmetipsos omnibus hominibus inferiores iudicemus, & viliores & vniuersa, quæ nobis fuerint irrogata, & si sint iniuriosa vel tristia, vel damnosa, tanquam à superioribus nostris illata patientissime toleremus, & mente iugiter recolamus vel Domini nostri vel sanctorum eius passiones, considerantes tanto leuioribus nos iniurijs attentari, quanto longius à meritis eorum & conuersatione distamus. Pariter etiam cogitantes cito nos de hoc seculo migraturos. Deinde posthæc hanc eandem humilitatem erga Dominum firmissime retenteamus, quod à nobis ita complebitur vt nihil nosmetipsos absque illius opitulatione vel gratia quod ad virtutum consummationem pertinet posse perficere cognoscamus sed & hoc ipsum quod intelligere meruimus eius esse muneris in veritate credamus. Nam & sanctus pater Basilius de curatione & remedio superbiæ sic ait, impossibile est curari hoc vitium nisi abstrahat se & recedat ab omnibus occasionibus elationis, sicut impossibile est extingui linguæ alicuius vel gentis loquelam vel artificium aliquod, nisi quis omni genere se abstrahat non solum ab agendo vel loquendo vel mouendo, sed etiam ab audiendo eos, qui agunt id, quod obliuisci cupit, & hoc obseruandum de omnibus vitijs.

Cass.
F
Basil.

CAPVT XII.

De natura & origine inanis gloriæ.

G

Cenodoxia, quam nos vanam siue inanem gloriam appellamus, multiformis & varia atque subtilis est passio, ita vt quibuslibet perspicacissimis oculis non dicam caueri, sed prouideri & deprehendi vix possit. Nascitur enim, vt dictum est, ex superbia, per hoc enim vanitatis vitium diabolus de angelica est eiectus beatitudine cum diceret, *ero similis altissimo*, & per hunc inanis gloriæ morbum primos homines decepit cum eis diceret, *eritis sicut Dij scientes bonum & malum*, Est enim inanis gloria multiplex & multiformis, ac varia, vt dictum est, passio vndique bellatore ex omni parte victori occurrens. Nam & in habitu & in forma & in incessu, in voce, in opere, in vigilijs, in oratione, in remotione, in lectione, in scientia, in taciturnitate, in obedientia, in humilitate, in longanimitate, Christianum vulnerare conatur, per hoc vanitatis vitium decipitur, quisquis in bonis suis laudari desiderat, & non Domino Deo honorem & laudem & gratiarum actiones refert: Nec diuinæ imputat gratiæ, quicquid boni cogitauit aut dixit vel fecit, sed quasi ex se habeat, quod recte cogitauit, vel dixit, vel opere impleuit, seu & dignitatem & sublimitatem terreni honoris vel spiritalis decorem sapientiæ vel ex suo merito, vel ex suo studio, adquisisse se gloriatur, dum nemo hominum potuit, potest aut poterit boni quicquam absque Dei gratia vel adiutorio vel inspiratione cogitare, vel dicere, vel facere vel habere, sicut dominus in Euangelio discipulis suis ait, sine me nihil potestis facere.

Cass.
Isaia 14. 14.
Gen. 3. 5.
H
Iob. 15. 5.

A clinet, admonendi sunt cœlibes, ne sine damnatione misceri se fœminis vacantibus putent. Cũ enim Paulus fornicationis vitium tot criminib. execrandis inseruit: cuius sit reatus indicauit dicens: *Neq; fornicatores, neq; idolis seruientes, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regnum Dei possidebunt.* Et rursum: *fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* At contra admonendi sunt peccata carnis ignorantes, vt tãto sollicitius præcipitem ruinam metuant, quanto altius stant, quibus per Ioannem dicitur: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, hi sequuntur agnum quocunque ierit.* Quapropter cum ceperit animus ad delectationem carnis inclinari, oportet timorem iudicij ad mentem reducere, pœnasq; infernalium, vbi nemo nisi obnoxij retruduntur, sollicitè cogitare, quænam pœna iniustis sit reddenda æterni supplicij. Vnde scriptum est: *Mittite eos in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium, vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quid excusationis obtendere poterimus, quid faciemus sub tanti iudicis maiestate, in illa die, qua nos defensionis atte pugabimus? Quę nobis subuentura est pœnitentia quam in B hac carne contempsimus? Hæc multa & his similia cogitare, nihil est aliud quam vitijs omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia frenare. Sed quia de octo principalibus vitijs eorumq; remedijs prout largitor omnium bonorum dedit, ex sanctorũ patrum sententijs stilus nostræ descriptionis colligendo perstrinxit, libellus finẽ excipiat, vt in sequenti opere de virtutibus vnde hic pauca tetigimus, donante Domino plenius disputemus.

1. Cor. 6. 9. Heb. 13. 4. Apoc. 14. 4. Matt. 22. 13. Prosp.

FINIS LIBRI PRIMI.

HRABANI MAVRI

LIBER SECVNDVS.

De actuali & contemplatiua vita, & virtutibus principalioribus.

C

Præfatio libri secundi.

SVperiori libro rationem vitiorum principalium octo complexus, pro viribus quas Dominus donare dignabitur, de actuali & contemplatiua vita, necnon & virtutibus vti promisi ex patrum dictis colligere curabo.

Capitula libri secundi.

D

CAPVT I.

De vita actiua.

ACtualis est vita, conuersatio religiosa, quæ docet quomodo præpositi sub se regant viuentes & diligant, ac non minus de eorum salute, quam de sua sollicitant, quod eis expedire sciunt paterna cura prouideant, & qualiter præposito suo subiecti tanquam capiti membra deseruiant, ac præcepta eius velut imperium Dei summo amore custodiant. Ipsa namque actualis vita panem esurienti tribuit, verba sapientiæ nescientem edocet, errantem corrigit, ad humilitatis viam superbientem proximum reuocat. Infirmantis curam gerit, quæ singulis quibusque expediant, dispensat, & commissis qualiter subsistere valeant sollicite præuidet, quæ cum & in præsenti fiunt, & cum corpore deficiunt, attamen merces huius vitæ permanet in æternum. E

CAPVT II.

De vita contemplatiua.

COntemplatiua à contemplando, id est, à videndo nomen accepit in qua creatorem suum creatura intellectualis ab omni peccato purgata atque ex omni parte sanata visura est, sed etsi diligenter cõsiderare velimus, in hoc fragili tabernaculo vbi quotidie ingemiscimus, contemplatiuæ vitæ quodammodo participes fieri posse nemo qui dubitet, quia ecclesiarum principes vitæ contẽplatiuæ posse & debere fieri sectatores, quia siue secundũ quorundam opinionem, nihil aliud sit vita cõtemplatiua, quam rerum latentium futurarumq; notitia siue vacatio ab omnibus occupationibus mundi: siue diuinarum studium literarum. Non videtur quid impedimenti sanctis sacerdotibus possit *auferri, quominus ad virtutes nequeant peruenire, quorum cura est ab occupationib. mundi aufugere, & diuinarum studijs literarum inhærere, qui non torpent otio, sed insistunt perfectionis suæ negotio, verbo Dei infatigabiliter vacant, sapientes veraciter fiunt, cœlestia capiunt, terrena despiciunt, obedientes instruunt, Sanctis virtutibus, quibus in dies singulos fiant Deo propinquiores incumbunt. Quę vita per fidem & spem in præsenti incipit seculo, sed in futuro permanet cum Domino.

Prosp. F *for. offerri

CAPVT III.

De Fide.

FIdes vero iustitiæ est fundamentũ, quam nulla opera bona præcedunt, ex qua omnia procedunt, ipsa nos à peccatis omnibus purgat, mentes nostras illuminat, Deo reconciliat, cunctis participib. nostræ naturæ consociat, spem nobis futuræ remunerationis inspirat, augẽs in nobis virtutes sanctas, ac nos in earum possessione confirmat. Ipsa quoq; gradus ascensionis eius per quam gressus omnis transeuntis vitæ dirigitur, vt errores humanæ vitę transfugiat, & ad cœlestia securus perueniat, quam sacerdos nosse debet vt doceat, & populus credere, vt ea quæ docentur intelligat, dicente propheta: *Nisi credideritis non intelligetis*, vnde datur intelligi quod non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat, ac per hoc vt bene agat quis intelligere studeat, & vt intelligat credat, decet doctorem ecclesiæ prædicare, quod audiat crediturus, quia sine prædicatione, nullus erit auditus, sicut scriptum est: *Quomodo audient sine prædicante*: Verbum fidei prædicandum est, vt audiens credat, credens intelligat, & intelligens opus bonum perseueranter exerceat. Quoniã nec opera, sine fide, nec sine operibus fides sola iustificat. Et ideo si *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Qui autem non crediderit, non habendo fidem nec iustitiam cordis habere poterit nec salutem. Est autem *fides*, vt apostolus ait: *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes, fide intelligimus apparata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent, fide plurimum hostiam Abel quam Cain obtulit, fide Enoch translatus est ne videret mortem, fide Abraham* obtulit Isaac cum tentaretur & cætera. Quia sicut idem ait Apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo.* & iterum. *Ex fide igitur iustificati pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*

G Esai. c. 7. Rom. 10. 14 Ibi. v. 10. H Heb. 11. 1. Ibid. v. 3. Ibid. v. 4. Ibid. v. 5. Ibi. v. 17. Ibid. v. 6. Rom. 5. 1.

A

CAPVT IV.

De Spe.

Prosper. Rom. 8. 24. Spes dicitur cum aliquid quod promittitur cum non videtur speratur, dicente Apostolo: *Spe enim salui facti sumus, Spes autem quæ videtur non est spes. Nam quod videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Et ideo ambulemus in spe proficientes de die in diem, & spiritu facta carnis mortificemus. Nouit enim Dominus qui sunt eius. Et quotquot spiritu Dei aguntur hi filij sunt Dei, non natura sed gratia. Vnicus enim natura Dei filius propter nos factus est hominis filius, vt nos natura filij hominis, filij Dei per illius gratiam fieremus. In actuali quippe vita in qua per spem peregrinatur ecclesia fides & spes sunt, adipiscendæ cum charitatis laude, vnde Apostolus ait. 1. Cor. 13. 13. *Nunc autem manent fides, spes & charitas, maior autem his est charitas.* Et ideo maior, quia non cum mundo transit perituro, sed hic incipit & permanet in æternum.

B

CAPVT V.

De Charitate.

Iam porro charitas quam duobus istis, id est, fide ac spe maiorem dixit Apostolus. Quanto, inquit, cumq; maior est, tanto melior in quo est. Cum enim quæritur vtrũ quisq; homo bonus sit, nõ quæritur quid credat, aut speret, sed quid amet. Nã qui rectè amat procul dubio rectè credit & sperat. Qui vero non amat, inaniter credit etiãsi sunt vera quæ credit. Inaniter sperat, etiamsi ad verã fœlicitatem doceantur pertinere quæ sperat, nisi hoc credat ac speret, quod sibi petẽti donari possit vt amet. Per charitatẽ igitur bona omnia iustificantur, quæ creduntur ac sperantur. 1. Cor. 13. 13. Quam excellentiorem viam apostolus nũcupat. Ad quam non pedum via, sed morũ est ascendendũ. Quia charitas est recta voluntas, ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter, & vnita igni quodam Sancti spiritus. Nulli vitio mutabilitatis obnoxia, Supra omnia quę carnaliter diliguntur excelsa, Diuinæ contemplationis auida. C In omnibus semper inuicta, mors criminum, vita virtutum. Quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium seruit, sine qua nullus Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare nec poterit, Hæc est charitas vera, germana, perfecta, & omnino via quæ ducit per se ambulantes ad patriam. Quia sicut sine via nullus est qui poterit peruenire quo tendit: ita sine charitate, quæ dicta est via, non ambulare possunt homines sed errare, vnde Apostolus ait. 1. Cor. 13. 4. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt.* Ibid. Et iterum: *Omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet.* In eos autem in quibus fuerit omnibus his bonis quæ habet impertit. Et quid illis esse potest in hac vita perfectius qui tantis abundant charitate in se regnante virtutib. Quapropter charitas hic quidem in præsenti necessaria est, quæ nos separat à diabolo, purificat à peccato, reconciliat Deo. Sed in futuro perfecta erit, cum perfectos Deo, à quo est donata coniunxerit.

D

CAPVT VI.

De Virtute.

Porro antequam de principalibus virtutibus quatuor dicatur aliquid, primo indagatione veritatis scire oportet, quid sit, aut quare virtus dicatur, quæ in tanto nominis præcellit honore, vt nulla quamuis videantur recta, sine virtute Deo fiant acceptabilia. Prosper. Virtus namq; omnis sancta, res est diuina, incorporea prorsus atq; mundissima. Quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatas emaculat, cuius participatione firmantur infirma, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur praua, reconciliantur aduersa. E Hanc non habet nisi Deus, & is cui dederit Deus, quæ in animo habitat, sed animam corpusq; sanctificat, ad quam nullus accedit inuitus: quam nullus amittit nisi propria volũtate deceptus, De qua rursũ alias dicitur, *Virtus quoq; animi habitus est naturæ, decusq; vitæ, ratio morum, pietatis cultus, diuinitatis honor, æternæ beatitudinis meritũ*, cuius partes sunt vt diximus principales quatuor; *prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia.*

CAPVT VII.

De Prudentia.

Prudentia est rerum diuinarum, humanarumq; prout homini datum est scientia. In qua intelligendum est quid cauendum sit, quidue faciendum. Vnde Psalmista loquitur; Psa. 33. 15. *Diuerte à malo & fac bonum*, Quia nulla melior sapientia quam ipsa qua Deus secundum humanæ mentis modulũ intelligitur, & timetur; atq; eius futurũ creditur iudicium, vbi bona boni: mala vero mali pro meritorum qualitate recipiunt. F Prosper. Prudentiam igitur & sapientiam pleriq; in indagatione veri & inuentione constituunt. Propterea quod nec sapiens dici rectè possit cui deest prudẽtia, nec prudens cui deest sapientia. Quapropter si nihil aliud prudentiæ ac sapientię munus accipitur, nisi inquisitio & cõprehensio veritatis, qui veritatẽ prudẽter quærere & sapienter inuenire potuerit, is prudens, is sapiens iure vocabitur, & quicquid de prudentia fuerit disputatum, id totũ de sapientia possit intelligi. Qui ergo prudẽtiæ participatione prudentes effecti, Deo suo non pedibus sed sanctis moribus appropinquant, ex ea parte, qua sunt Dei dono prudẽtes, nec suo petere possunt, nec alieno peccato, ex eo autẽ quod necdum ita est eorũ perfecta prudẽtia, sicut erit in illa vita, vbi perfectè viuentib. vllus error omnino obrepere non poterit, ẽt prudẽtes aliquoties peccatis fallentib. acquiescunt, non volũtate deprauati, sed humano errore vt homines lapsi, nec adhuc tota prudentiæ ac sapientię perfectione perfecti, sicut ibi erũt vbi nec ignorare aliquid nec peccare iam possunt. Tales Dominus in Euangelio fieri præcepit dicens. Matt. 10. 16. *Estote prudẽtes sicut serpentes & simplices sicut columbæ.* Quia nec simplices circũuenire aliquos possunt, nec prudentes se circũueniri permittunt. G Quandoquidẽ hęc virtus multũ à vitio secularis ac mundialis prudentiæ distat, quod illud corrũpit sana: hæc vero sanat vitij accessione corrupta, ac si omnib. quibus potest, prodesse festinat veraciter prudens, vt eius meritis omniũ qui per eum Domino acquiruntur fructus accrescat. Sed quoniã ordo disputationis poscit, vt ẽt de prudentia quæ principalis est virtus, primo poneretur in loco, restat quoque quid sit iustitia aperire.

CAPVT VIII.

De Iustitia.

Iustitia est animi nobilitas, vnicuiq; rei propriam tribuens dignitatẽ, in hac diuinitatis cultus, & humanitatis iura & iusta iudicia, & æquitas totius vitæ conseruatur, quid enim iustius, quam Deum diligere eiusq; mandata custodire, per quem dum non fueramus, creati sumus, dum perditi fuimus recreati sumus, & à seruitute diabolica liberati. H Prosper. Qui nobis omnia bona quę habemus cõcessit, ipsa quippe iustè ac rationabiliter dicitur iustitia, qua fiunt iusti qui eam fuerint operati, ex qua manat ęquitas, quæ nos facit vt omnium necessitates hominum nostras esse dicamus, nec nobis tantum, sed etiam generi humano nos natos esse credamus. Quapropter si in hac vita iustitiam conamur implere, cuius iustitiæ opus est propriũ, sua cuiq; tribuere, Deo nos à quo sumus facti reddamus, nec dominari nobis ea, quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus. Dominetur vitijs ratio, subijciatur corpus animo, animus Deo, & impleta est hominis iustitia, totaque perfectio. De iustitiæ adhuc fonte procedunt *liberalitas, beneficentia, charitas* & cætera huiuscemodi. quibus multipliciter iuuari homines possunt. *Liberalitas* est, quæ etiam in eos qui nihil indigere videntur, exuberat,

A

in qua liberalitate rei familiaris ponitur amplitudo. *Beneficentia* multa ſunt opera, quibus neceſſitati laborantium miſericorditer ſubuenitur, & de terreno cenſu, regni cœleſtis hæreditas comparatur.

CAPVT IX.

De fortitudine.

FOrtitudo eſt, magna animi patientia & longanimitas & perſeuerantia in bonis operibus, & victoria contra omnium vitiorum genera. Animi igitur fortitudo ea debet intelligi, quæ non ſolum diuerſis pulſata moleſtijs inconcuſſa permaneat, ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat. Alioquin, ſi impetus quidẽ malorum ſæuientium frangat, ſi calamitatibus quibuslibet *inpictis obſiſtat, ſi inter iniuriarum ſæua, inter procellas augentium preſſurarum, inter inimicitias & damna præſetia, atq; multimodas perſecutiones infatigata perſiſtat. Eos aũt, quos ad tolerantiam paſſionum fortes Dei charitas reddit, nulla delectatio carnis, nulla voluptas malè blanda corrũpit. Quia animi fortitudo ab illo eſt nobis, cui cum propheta cantamus: *Fortitudo mea & laudatio mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem*, fortitudo noſtra eſt, quæ ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroborat, vt animum noſtrum nec blanda diſſoluant, nec aduerſa deijciant. Et tunc laus noſtra Dominus ſit, ſi non nos de muneribus Dei, ſed diuina in nobis cupiamus munera prædicari. Et vtiq; animi fortitudo tam deſperandi ignauiam debet excutere, quam iactantiam contraire, Et quid hac fortitudine melius eſt quam diabolum vincere, omneſque eius ſuggeſtiones ſuperare, & aduerſa mundi pro Dei nomine fortiter tolerare.

Proſper.

videndus Proſper.

* *for. impetitus*

B

Pſal. 117. 14

CAPVT X.

De temperantia.

TEmperantia eſt totius vitæ modus, ne quid nimis homo vel amet, vel odio habeat, ſed omnes varietates huius vitæ, cõſiderata temperet diligentia. Vnde quidam philoſophorum ait; apprime in vita eſſe vtile, vt ne quid nimis. Temperantia igitur temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, verecundũ. Hæc virtus ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat. Omnia intra nos cõfuſa ordinat, ordinata corroborat. Cogitationes prauas remouet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, omnemq; intemperantiam noſtram ad honeſtũ modũ redigit. In cibo ipſo vel potu, vt contenti ſimus appoſitis. Tẽperantia eſt, quod reuerẽtiam ſenioribus exhibemus, æquales germanitus honoramus, iunioribus gratiã paternę dilectionis impendimus. Ita q; difficile quidem eſt nomina virtutum, quæ ex iſtis quatuor principalibus oriuntur, oſtendere, veruntamen hoc noſſe & tenere debemus, ꝙ iſtæ virtutes quatuor vel omnes, quæ ex illis exiſtunt, dona ſunt Dei, & quod nullus eas habet aut habuit vel habebit: niſi cui Deus, qui eſt virtutum omnium proprietas & origo contulerit. Principales quatuor eſſe virtutes non ſolum philoſophi ſentiunt, ſed etiam noſtri conſentiunt. Quia quaternarium numerum, perfectionis ſacramentum penè nullus ignorat. Siquidem totus orbis oriente, occidente, aquilone & meridie, quatuor terminari partibus inuenitur. Et ipſe Adam, qui eſt humani generis pater, vel generale nomen, quod dicitur homo, quatuor literis explicatur. Corpus quoq; quatuor elementis extructum, quaternarij numeri in ſe continet ſacramentũ. Ipſius etiam animæ quatuor eſſe affectiones quibus vel ad bona vtimur, vel ad mala. Quatuor etiã flumina, quæ de paradiſo fonte procedunt, vel quatuor euangelia, & ideo virtutes iſtæ, quæ tantum continent perfectionis in numero, ſollicitè conſiderare debemus, quantam ſanctitatem conferant animo chriſtiano, & quam nihil perfectionis vmquam ſit, quod in iſtis virtutibus non ſit. Nam ſi prudentia prudentem, iuſtitia iuſtum, fortitudo fortẽ, temperantia temperantem facit, eo quod prudenter & iuſtè & fortiter ac temperanter agit, nihil eſt quod poſſit eſſe perfectius. Quapropter ſicut ex elementorũ numero quaternarij cõpago mundi, necnon & corpora humana perficiuntur, quibus inſunt venæ, neruiq; ac cætera corporis vtilia: ita principalium numero virtutum, omnia quæcumque rectè viuendi ſunt inſtituta, nemo quis dubitet eſſe connexa.

C

D

E

Hæ ſunt enim ſacratiſſimis viris virtutes expoſitæ, quas ſacerdotes Domini, qui iura tenent eccleſiæ, necnõ ligandi atq; ſoluendi habentes poteſtatem, intenrè debent intelligere, ac frequentius prædicare, vt populus careat vitijs & opitulante ſuperno adiutorio conetur pro viribus quiſq; inhærere virtutibus. Satis vt opinor ex tribus gradibus cœleſtium ſcil. fide, ſpe, & charitate, necnõ & virtutibus quatuor quibus ad culmina virtutũ aſcenditur eſt diſputatum. Nunc iam qualiter vnumquodque iudicio ſacerdotali purgandum ſit vitium, breuiter eſt in ſequentis operis libello inſerendum.

F

Explicit liber ſecundus.

HRABANI MAVRI

LIBER TERTIVS.

De grauibus mortalibus peccatis & eorum ſatiſfactione.

Præfatio libri tertij.

DE mortalibus peccatis ac criminibus eorumq; pœnitudine & ſatisfactione ſeu & de octo principaliũ vitiorum origine, vexatione, iudiciis, obiectionibus, remediiſque, nec non & de pugna virtutum contra vitiorũ impugnationem, vel quibus modis cogitatione, locutione & opere perpetrantur peccata, tertius hic largiente Domino, ex dictis ſanctorum Patrũ defloratus, vt in prologo huius opuſculi pręfati ſumus, inchoat libellus. Tuis igitur meritis precibuſq; animatus, ſtudioſiſſime pater, & ſi non vt debeo, tamen pro vt potero, Deo fauente, præceptis tuis ſatisfacere humiliter ſtudẽbo.

G

Capitula eiuſdem.

H

CAPVT I.

De grauibus mortalibusque peccatis ac criminibus eorumque pœnitudine & satisfactione.

QVæ sint autẽ grauia & mortalia peccata Paulus prędicator egregius in Epist. ad Rom. cum nefandissima notaret crimina subdendo manifestauit dicens, *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detrectatores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum: parentib. non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia, qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniã qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientib.* Considerate igitur cum omni timore, quia qui supra scripta & his similia perpetrant, vel consentiunt, crimina, nisi ante exitũ vitæ per pœnitentiam & eleemosynas cæteraq; opera bona redimerint ea secundum B. Pauli Apostoli definitionẽ dignissimos esse morte, id est, perpetua morte, sine remedio, morte sine fine: Nã & de mortalib. criminib. idem Apostolus in Epist. ad Galatas loquitur. *Manifesta aũt sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immũditia, luxuria, idolorum seruitus veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, ebrietates, cõmessationes & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non cõsequentur:* Non n. dixit, qui talia egerunt regnũ Dei non consecuti sunt, sed qui talia agunt, vel qui in his perseuerant criminibus regnum Dei non consequentur: Multi denique supra scripta & similia perpetrauerunt crimina, & ante mortem per pœnitentiã & eleemosynas & alia bona opera expurgauerunt ea, & postmodũ ad regnũ Dei peruenerunt, & quotidie peruenire merentur, & in Epist. ad Ephesios idem Apostolus de peccatis criminalib. inter cætera ait, *Fornicatio autem aut omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos,* & paulo post, *hoc n. scitote, quod omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* De hoc & in Epistola ad Colossenses pręcepit dicens. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinẽ, concupiscentiam malam & auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus, propter quæ venit irã Dei super filios incredulitatis,* Is etenim Apostolus dilecto discipulo suo Timotheo ab hominib. qui grauib. erant vitijs irretiti, in secunda ad eundẽ discipulũ Epistola præcepit declinare dicens, *hoc autem scito, quod in nouissimis diebus, instabunt tẽpora periculosa & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatũ amatores magis quã Dei, habentes speciẽ quidem pietatis, virtutẽ eius abnegantes & hos deuita.* Nam & secũdum canonũ definitionem, hæc sunt capitalia crimina, Primò *superbia* quæ est mater & regina omnium vitiorũ, siue leuium siue principalium. Testante sacra scriptura. *Initium omnis peccati superbia*, ipsa est enim peccatorum omnium causa, quoniam non solum peccatum est ipsa; sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest aut poterit sine ipsa, si quidem nihil aliud omne peccatum nisi Dei contemptus, quo eius præcepta calcantur, quem contemptum Dei nulla res alia persuadet hominib. nisi superbia: Deinde *cupiditas mala*, de qua Paulus Apostolus ait, *Radix omnium malorum est cupiditas:* Cum enim Spiritus sanctus per Prophetã, initium omnis peccati superbiam esse pronunciet, & per Apostolũ radicẽ omniũ ma-

Marginal notes: *Rom. 1. 29* — F — *Gal. 5. 19.* — G — *Ephes. 5. 3* — *Ibid. v. 5.* — *Coloss. 3. 5* — *2. Timot. 3. 2* — H — *Prou. Eccli. 10. 15.* — *1. Tim. 6. 10*

A lorum cupiditatem esse affirmet, vnum idemque esse si-
gnificat, quia cupiditas & superbia in tantum est malum,
vt nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit
inueniri cupidus, solerter cōsiderare debent, qui de pec-
catis & vitijs tractant, quia superbia initiū est omnis pec-
cati, cupiditas vero omnium radix malorum, antea enim
vnaquęq; res initium habet, postea radicem emittit, &
tamen sicut initium & radix vna eademque res est & ma-
teria, ita superbia & cupiditas, licet vnum prius, alterum
posterius, vnum tamen est malum. Ac deinde in nume-
ro principalium vitiorum ponitur inuidia perniciosissi-
ma pestis, quæ semper aliena torquetur felicitate. Post-
modum *ingluuies ventris, fornicatio, ira, tristitia seculi*, quæ
mortem operatur, *inanis gloria, auaritia, sacrilegium*, id est,
*furtum sacrarum rerum, adulterium, furtum, rapina, falsum te-
stimonium; periurium, idolatria, ebrietas, molles masculorum
concubitores, sodomita, maledici, homicida*, & inter cætera
Paulus Apostolus in epistola ad Corinth. prima capita-
lia crimina manifestat, dicens. *Nolite*, inquit, *errare. Neque*
1. Cor. 6. *fornicatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles,*
B *neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque
ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*, id
est, si in istis perseuerauerint criminibus. Cæterum qui
ante vltimum huius vitæ diem deleuerunt ea pœnitēdo,
& eleemosynis redemerunt, & in bonis operibus perse-
uerauerunt, regnum Dei possidere posse credimus & af-
Matt. 10. 22. firmamus, dicente Domino; *qui autem perseuerauerit vsque
in finem, hic saluus erit*. Sane cauendum est, ne quisquā exi-
Aug. stimet nefanda illa crimina, qualia qui agunt, regnū Dei
non possidebunt, quotidie redimēda in melius, est quip-
pe vita mutanda & per eleemosynas de peccatis prętentis
est propitiandus Deus. Non adhoc emendandus quodā-
modo, vt ea semper liceat impune committere. Nemini
enim dedit laxamentum peccādi, quando miserando de-
leat iam facta peccata factio congrua negligatur, sane qui
sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam, moresque
corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosy-
nas frequentare non cessant, sine causa de tali opere sibi
blandiuntur. Qui enim vult ordinate dare eleemosynam,
à seipso debet incipere, & eam sibi primum dare, est enim
Eccli. 30. 24. eleemosyna opus misericordiæ, verissimeq; dictū, *misere-
re animæ tuæ placens Deo*. Non ergo se fallant qui per elee-
C mosynas quamlibet largissimas fructuum suorū cuiusq;
pecuniæ impunitatem se emere existiment, in facinorum
immanitate, ac flagitiorum nequitia permanendi. Non
solum n. hæc faciunt, sed ita diligunt, vt in eis semper o-
ptent, tantum si possint impune, versari, qui autem diligit
iniquitatem, odit animam suam, & qui odit animam su-
am, non est misericors sed crudelis. Diligendo eam quip-
pe secundum seculum, odit eam secundum Deum, si ergo
vellet ei dare eleemosynam, per quam illi essent munda
omnia, odisset eam secundum seculum, & diligeret secū-
dum Deum. Nemo autem dat eleemosynam qualemli-
bet, nisi vnde det, ab illo accipiat, qui non eget. Ideo di-
Ps. 58. 11. ctum est, *Misericordia eius præueniet me*, peccata enim mor-
Beda. talia, vt iam dictum est, tantum ab omni iustitiæ sorte
discordant, tanta iniquitate patrantur, vt absque vlla
contradictione factorem suum, nisi corrigantur, æter-
nam mergant in pœnam: de qualibus scriptum est. *Anima*
Ezech. 18. 4. 20. *quæ peccauerit ipsa morietur*, & de qualibus Apostolus dicit
Paulus, *quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequen-*
Gal. 5. 21. *tur*: Vnde & Ioannes Apostolus. *Omnis qui natus est ex Deo*
1. Ioan. 5. 18. *non peccat*, hoc de omni crimine capitali possumus intelli-
gere, sine qui natus est, ex Deo non peccat, id est, pecca-
D tum ad mortem non perpetrat, peccatum ad mortem est
peccatū vsq; ad tempora mortis protractū, quod peccatū
omnis, qui natus est ex Deo, nō peccat. Deniq; Dauid rex,
mortale crimen admisit, id est adulterium & homicidiū,
sed tamen quia ex Deo natus erat, & ad filiorū Dei socie-
tatem pertinebat, nō peccauit vsq; ad mortē, quia sui rea-
tus veniam mox pœnitendo promeruit: Sunt n. quædam
Aug. peccata quæ leuissima putarentur, nisi in scripturis de-
monstrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem
Mat. 5. 22 fratri suo fatue reum gehennæ putaret, nisi veritas dice-
ret, aut quis æstimaret quam magnum peccatum sit dies
obseruare & menses & tempora & annos, sicut obseruāt, E
qui certis diebus siue mensibus, siue annis volunt vel
nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas do-
ctrinas hominum fausta vel infausta æstiment tempora
nisi magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus quā-
do ait. *Timeo vos ne forte sine causa laborauerim in vobis*, sæpe Gal. 4. 11
enim quædam peccata magna & horrenda cum in con-
suetudinē venerunt aut parua aut nulla esse creduntur,
vsque adeo non solum non occultanda verum etiā præ-
dicanda, diffamanda videantur, quando sicut scriptum
est, *laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit* Psa. 10. 3.
benedicetur. Talis in diuinis scripturis iniquitas, clamor
vocatur. Vnde est illud in Genesi, *clamor Sodomorum & Go-* Gen. 18. 20
morrææ multiplicatus est, quia non solū iam apud eos nō pu-
niebantur illa flagitia, verum ēt publice veluti lege fre-
quentabārur, vnde scriptū est, *& peccatum suum quasi Sodo-* Isa. 3. 9.
ma prædicauerunt, nec absconderunt illud, Est n. hoc peccatum
grauissimē, qui non solū suos auctores verū etiam & eos
quos mortiferis sermonibus & actibus ad peccandū per-
trahit, perpetuam perducit ad pœnā. Cum n. hoc & huic
simile quisq; perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad
cæteros perditionis exempla transmittit. Nemo etenim F
tam magnum putaret cōcupiscentiam libidinis esse pec-
catum, nisi Dominus diceret, *qui viderit mulierem ad concu-* Mat. 5. 28
piscendum eam iam mœchatus est eam in corde suo, quis etenim
tam grande putaret esse peccatū, inutiliter reseruare di-
uitias, nisi Iacobus diceret Apostolus: *Agite nunc diuites,* Iacob. 5. 1.
plorate vlulantes in miserijs quæ aduenient vobis, aurū & argen-
tum vestrum æruginauit, & ærugo eorū in testimonium vobis erit, Greg.
& manducabit carnes vestras sicut ignis. Valde etenim peccāt,
qui verbum sacræ prędicationis vtiliter proferre possunt,
& tamen sub silentio abscondunt. Vnde per Salomonem
dicitur *qui abscondit frumenta, maledicitur in populis*, frumen- Prou. 11. 26.
ta quippe abscōdere est prædicationis sanctæ apud se ver-
ba retinere: In populis aūt talis quisq; maledicitur, quia in
solius culpa silentij permultorum, quos corrigere potuit,
pœna damnatur: Nemo n. sermonem maledictionis for-
sitan aliquis tam horrificum putaret esse peccatū, quam-
uis sectatores suos à Dei separat regno, nisi Paulus dice-
ret Apostolus, *neq; maledici regnum Dei possidebūt*. Est n. cau- 1. Cor. 6.
sa leuitatis vsitatissimum & grauissimum peccatū, & pœ-
ne nullus est, qui tanto immanissimo scelere linguam re-
stringat suam, neq; diues, neq; pauper, neq; nobilis, neq;
sapiens, neq; insipiens, neq; clericus, neq; laicus, neq; se-
nex, neq; iuuenis, neq; masculus, neq; fœmina, neq; liber,
neq; seruus, & non solū est maledicus sermo qui dicitur, G
maledicat illum Dominus aut maledicte fac hoc aut il-
lud, aut maledictus sit, sed etiā omnis sermo qui ab hoc
profertur vt infamet aliquem, aut deroget aut male com-
mendet. Quamuis non videatur esse iniuriosus, maledi-
cus est, vt illud de cæco, *maledixerunt illum Iudæi, & dixerūt* Basilius.
ei. Tu discipulus illius sis. Aut quis crederet tristitiam seculi Ioan. 9. 28
mortiferum esse peccatū, nisi Paulus Apostolus diceret,
tristitia seculi mortem operatur, Tristitia seculi est cū aliquid 2. Cor. 7. 10
de rebus humanis vel quæ ad seculum pertinent contri-
stamur. Tristitia vero secundum Deum est, cū pro nostris
proximorumque erratibus tristamur, de qua idem dicit
Apostolus, *Tristitia secūdum Deum salutem stabilem operatur*. Ibid.
Sunt & alia grauia peccata plurima de quibus per diuer-
sas sanctarum scripturarum paginas studiosus lector licet
sparsim si cupit, inueniet multa, quæ cum in consuetudi-
nē veniunt, vt supra scriptum est, aut parua aut nulla esse H
creduntur. Vnde clarissimus doctor S. August. Episcopus Aug.
in expositione Epistol. S. Pauli ad Gal. cum dolore nimio
exclamare cōpulsus est, dicens, væ peccatis hominū, quæ
sola inusitata exhorrescimus, vsitata vero pro quib. ablu-
endis filij Dei sanguis effusus est, quāuis tam magna sint,
vt omnino claudi contra se faciant regnum Dei, sæpe vi-
dendo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam
facere cogimur, atq; vtinam ô Dn̄e non omnia quæ po-
tuerimus prohibere faciamus. Nullatenus n. de ipsis cri-
minibus, quamlibet magnis in sancta Ecclesia remitten-
dis Dei misericordia desperanda est agentib. pœnitentiā
secundum modum cuiusq; peccati. In actione autē pœ-
nitentiæ, vbi tale cōmissum est, vt is qui cōmisit à Christi

etiam

A etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris, *Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit.* Psal. 50. 19. Verum quod plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit, cum sit coram illo cui dicitur, *Gemitus meus à te non est absconditus,* Psal. 37. 10. rectè constituuntur ab his qui Ecclesiis præsunt tempora penitentiæ, vt satisfiat etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata, extra eam quippe non remittuntur: Cui ergo tanta est lepra grauioris peccati, vt à saluberrimo corporis & sanguinis Domini medicamento non animo, sed corpore separetur, cõsilio & auctoritate antistitis debet se ab altario & cõmunione mensæ dominicæ non desperatione sed humilitate remouere ad agendam satisfactionis pœnitentiam, & postmodum secundum canonicam institutionem auctoritate & oratione sacerdotis reconciliari. Prius enim agenda est pœnitentia, ac sic deinde hoc salutiferum sacramentum suscipiendum: 1. Cor. 11. 29. *Qui enim mãducauerit indigne, iudicium sibi manducat & bibit,* hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. B Prosp. At si qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquod occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis videtur propterea communicare & officium suum implere debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt, qui autem ea commiserint, & ideo prodere metuunt, ne sententiam iustæ excommunicationis accipiãt, sine causa communicant, immo vero dupliciter contra se iram diuinæ indignationis exaggerant, quod & honoribus innocẽtiam fingunt, & contempto Dei iudicio abstinere se ab altari propter homines erubescunt, quapropter faciliùs sibi Deum placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, sed vltro crimen agnoscunt, quia aut proprius illud confessionibus produnt, aut nescientibus aliis, quales occulti sunt ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiã ferunt, & ab altari cui ministrabant non animo, sed officio separati, vitam suam tanquam mortuam agentes pœnitentiam plangunt. August. Nam & ipsa pœnitentia quando digna causa est, vt secundum morẽ Ecclesiæ agatur, plerumque infirmitate non agitur, quia C & pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio, quam iustitia, qua se quisque humiliat pœnitendo. Vnde non solum cum agitur pœnitentia, verum etiam, vt agatur, Dei misericordia necessaria est, alioquin non diceret Apostolus de quibusdam, *Ne forte det illis Deus pœnitentiam,* 2. Tim. 2. 25. & vt Petrus amare fleret, præmisit Euangelista & ait, *respexit eum Dominus.* Matth. 26. 75. Prosp. Porro illi quorum peccata humanam notitiam latent, Nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri vel emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt & vltorem, & quid eis prodest humanum vitare iudicium, cum si in malo suo permanserint ituri sunt in æternum Deo retribuente supplicium, quod si ipsi sibi iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hic in se voluntariam pœnam seueritsimæ animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabuntur æterna supplicia, & lachrimis ex vera cordis compunctione fluentibus restringent æterna ignis incendia, quicumque autem mortali crimine, siue occulto siue publico ita sunt irretiti, quibus differenda sunt saluberrima corporis & sanD guinis Domini medicamenta, ideo præsumptiue sine satisfactione & reconciliatione sui antistitis ad percipienda altaris sacramenta accedunt, quia multos forte vident ipsam dominicam percipere communionem, quorum talia crimina non ignorant, & non considerant quod multi corriguntur vt Petrus, multi tolerantur, vt Iudas, multi nesciuntur donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum & manifestet cogitationes cordis, hi autem qui aliquo mortali crimine sponte confessi aut aliquo, siue seculari siue Ecclesiastico iudicio accusati sunt atque conuicti & ob hoc medicinali prohibitione sequestrati sunt à dominica communione, si necessitate mortis vrgente viaticum petunt, & reconciliationem, nullatenus eis talis petitio denegetur. Leo. Multum enim vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur. E Ius autem, qui in tempore necessitatis & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere nec tempora definire, apud quem nullas patitur venite moras conuersio. Celest. Clementia enim Dei ad subueniendum morienti sufficere vel momento posse certissime credimus, perdidisset latro in cruce præmiũ ad Christi dexteram pendens, si illum vnius horæ pœnitentia non iuuisset: Cum esset in pœna pœnituit, & per vnius sermonis professionem, habitaculum paradisi, Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conuersio in vltimis positorum, mente potius est æstimanda quam tempore, propheta hoc taliter asserente, *cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris,* & illud. Ezech. 33. 12. *Peccator in quacumq; die conuersus fuerit, peccata eius nõ reputabuntur ei,* & iterum *nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat,* Ibid. 11. & illud: *Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris,* Isaie 43. 26. Item, *quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio,* Ps. 129. 7. In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium gemitus, lachrimasq; negligere, F cũm ipsam pœnitendi affectionem Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo, *Ne forte det illis Deus pœnitentiam vt resipiscant à Diaboli laqueis,* 2. Tim. 2. 26. à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. Eorum autem vt sanctissimus Martyr Cyprianus in Epistola quam scripsit ad Romanos ait, Cypr. Quorum vitæ suæ fine vrgens exitus dilationem non potest ferre acta pœnitentia & professa, frequenter suorum de festinatione factorum, si lachrymis, si gemitibus, si fletibus * dolentes ac vere pœnitentes animi signa * proderint, cum spes viuendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute & sollicite subueniatur, Deo ipso, quid de talibus faciat & qualiter iudiciis suis examinet pondera; Nobis tamen anxiis & curantibus vt nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem: Ipsi autem pœnitentes, quorum vita incoluimis esse constat, tam grandia defleat, quam grandia commiserunt, & tam grande experant consilium, quam late propagatum videtur esse delictum, non sit minor medicina quam vulnus est, non sint minora remedia, quam funera; & vt prodictus martyr Cyprianus in libro de lapsis ait. G Orare oportet pœnitentes impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, strato solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari, post indumentum Christi perditum, nullum iam velle vestimentum, post Diaboli cibum malle ieiunium, iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosinis frequenter incumbere, quibus à morte animæ liberantur, sunt etenim vt iam dictus doctor ait in Epistola ad Cornelium Romanæ vrbis Episcopum tertia, qui propria non intelligunt delicta, quorum mens est percussa, animus amens & sensus alienus, quibus ita est Dei non intelligere delicta ne sequatur pœnitentiam; sicut scriptum est, *Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis, ne reuertantur scilicet,* & curentur & deprecationibus ac satisfactionibus iustis post peccata sanentur. Paulus Apostolus in Epistola sua exponit & dicit. *Delictum veritatis non habuerunt vt salui fierent, ac propterea mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur, omnes qui non crediderint veritati, sed sibi placent in iniustitia,* 2. Thess. 2. 10. H primus felicitatis gradus est non delinquere, secundus delicta cognoscere, illic currit innocentia integra & illibata, quæ seruet, hic succedit medela, quæ sanet. Porro sunt quidã, qui magnitudinem & innumerositatem suorum considerant peccatorum, & ob hoc desperantes de ineffabili & incomprehensibili omnipotentis Dei misericordia diffidunt, & id circo nolunt agere pro peccatis & scelebus suis pœnitentiam, sed impœnitentes corde in malis suis obdurati permanent, & rebelles contra Spiritus sancti gratiam, infeliciter existunt, de quibus ait Apostolus, *Nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens, thesauri-* Rom. 2. 5.

[Margin notes: * Forte, dolentis ac vere pœnitentis. * Forte, prodiderint.]

A *zas tibi iram in die iræ & reuelationis, iusti iudicij Dei.* Hæc autem duritia cordis impœnitentis blasphemia est in Spiritu sancto, quæ non remittetur vlli homini. Vnde
Marc.3.29. Dominus in Euangelio ait, *qui dixerit blasphemiam in Spiritum Sanctum non remittetur ei.* De qua blasphemia cau-
August. tissimus ac præclarissimus Doctor Augustinus cum de irremissibili blasphemia in Spiritū sanctū sermonem faceret ad populum inter cætera ait. Hæc omnino impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc seculo, neq; in futuro, quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro, sed ista impœnitentia vel cor impœnitens, quamdiu quisque in hac carne viuit non potest iudicari, de nullo enim desperandum est quam diu patientia Dei ad pœnitentiam ducit. Item post pauca ait. Omne prorsus peccatum & blasphemia remittetur hominibus, vbi hoc peccatum non fuerit cordis impœnitentis contra Spiritum sanctum, quo in Ecclesia peccata soluuntur, cuncta alia dimittūtur: quomodo autem hoc remittetur, quod etiam remissionem
B impedit aliorum. Omnia ergo dimittuntur eis, in quibus hoc non est, quod numquam dimittetur. In quibus autem est, quoniam hoc numquam dimittetur, nec alia dimittuntur quia omnium remissio vinculo istius impeditur. De qua blasphemia id est, impœnitentia vel cor impœnitens supra dictus pater Augustinus enucleatissime valdeque prolixe in sermone ad populum more solito secundum sanctarum scripturarum adfirmationem disseruit. Nemo ergo pro multitudine & enormitate suorum desperet peccatorum, sed potius confidens de misericordia Dei agat pro peccatis, dum in hoc corpore viuit pœnitentiam, ne in futuro æterni iudicis examine pro duritia cordis impœnitentis, quæ est blasphemia in Spiritum sanctum, vt iam dictum est, secundum Domini Saluatoris sententiam damnatus absque
Iohan. vlla remissione existat. Nullum est enim scelus & nulla iniquitas, quæ non medicamento pœnitentiæ sanetur, si tantummodo contrito & humiliato corde cum lachrimis, gemitibus, vigiliis, orationibus, ieiuniis, eleemosinisque, secundum vitium suarum possibilitatem ad
C Deum, à quo peccando discessit redeat, scripsit enim præclarissimus Doctor Ioannes Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus, optimum valde librum de reparatione lapsi per pœnitentiam, quem quicumque peccator legerit, puto quod vltra, donante Deo, pro numerositate peccatorum suorum desperare non poterit, sed & sanctissimus martyr Cyprianus de lapsis elegantissimum scripsit librum, quorum duorum auctorum quisquis animarum medicus habuerit, & intellexerit libros congrue, in omnibus animarum vulneribus iuuante Deo, qui est medicus medicorum saluciferam poterit appone-
August. re medicinam. Nec illud in præsenti excerptione puto esse reticendum, quod beatus Augustinus in libro de ciuitate Dei quarto decimo de superbis vel occulte peccātibus, inquit, vtile est in aliquod apertū manifestumq; peccatum cadere vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant, Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit, quam sibi placuit quando præ-
Psal.82.17. sumpsit: Hoc dicit & sacer Psalmus, *imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*, id est, vt tu eis
D placeas quærentibus nomen tuum, quod sibi placuerant quærendo suum, sed est, peior, damnabiliorque superbia quærentium in peccatis manifestis suffragium excusationis, inquirentes sicut illi primi homines, quo-
Gen.2.12. rum & illa dixit, *serpens seduxit me, & manducaui*, & ille dixit, *mulier quam dedisti sociam ipsa mihi dedit de ligno & comedi.* Nusquam hic sonat petitio veniæ, nusquam imploratio medicinæ, sed & illud non est prætereundum, quod iisdem S. Augustinus ait, in libro de fide & operibus. De his, qui homines male securos faciunt, vt propter tectam fidem etiamsi in criminibus permanserint non damnentur, caueamus, inquit, diligenter in adiutorio Domini Dei nostri non facere homines male securos dicētes eis, quod si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint eos ad salutem æternam
Iac.2.14. esse venturos. Iacobus enim Apostolus ait, *si quis fidem*

E *dixerit se habere opera autem non habeat, numquid fides saluare poterit eum? Fides enim sine operibus mortua est*, sicut enim fides recta absque bonis operibus nihil cuiquam prodest, ita opera bona sine fide prodesse alicui non possunt testante sancta Scriptura, *sine fide enim impossibile est placere Deo*, vt enim fides recta sine operibus bonis saluare quemquam nequeat, idem clarissimus Doctor Augu- Heb.11.6.
stinus in libro de baptismo quarto diuinis ex testimoniis contestando affirmat dicens. Constituamus aliquem fornicatorem, immundum, luxuriosum, auarum, veneficum, discordiosum, contentiosum, seditiosum, inuidum, ebriosum, comessatorem, Catholicum: Nunquid propter hoc solum, quod Catholicus est, regnum Dei possidebit, agens talia, de quibus sic concludit Apostolus, *quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, & alibi dicit. *Hoc autem scitote* Gal.5.21
cognoscentes, quoniam omnis fornicator aut immundus aut auarus, quod est, idolorum seruitus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Verax est enim Sancti Iacobi Aposto- Eph.5.5.
li sententia, qua dicit, *Fides sine operibus, otiosa est*, quæritur à multis vtrum parentes baptizatis paruulis noceant Iacob.2.
cum eos Dæmoniorum sacrificiis sociare conantur, vel 20.& 26.
F quantum in hoc ipsi parentes delinquant, plenius de hac re S. Augustinus in Epistola ad Bonifacium Episcopum de paruulis requirentem edocet nos dicens, qui semel generatus fuerit per aliorum spiritalem voluntatem, deinceps non posse vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consentit, Parentes autem vel quicumque maiores filios seu quoslibet, paruulos baptizatos Dęmoniorum sacrilegio obligare conantur, spiritaliter homicidæ sunt. Nam in illis quidem interfectionem non faciunt sed quantum in ipsis est, interfectores fiunt. Multa alia, & innumerabilia sunt testimonia in diuinarum scripturarum auctoritate de criminibus mortalibusque peccatis, quæ in præsenti excerptione noster pauperculus non potuit colligere stilus. Nimis enim longum & arduum est etiam sapientibus & apprime eruditissimis viris cuncta veteris, nouique testamenti, Catholicorumque vniuersorum de hac materia colligere dicta quanto magis mihi omni ex parte sermone & vita in eruditissimo, sed quia sancta charitati tuę
G inobediens, vt credo, apparere non debui, præsumpsi vltra vires meas facere quod peritia mihi non ministrat, nec facultas tribuit, nec infirmitas permittit. Huc vsque de grauibus mortalibusque peccatis ex multis sanctarum scripturarum auctoribus pauca excerpta si placet sufficiant: Nunc autem de octo principalium vitiorum origine eorumque remediis prout auctor lucis æternæ mis pro meritis donare dignabitur, secundum modicam capacitatis meæ virtutem ex sanctorum patrum opusculis testimonia huic operi adiungere procurabo.

CAPVT II.

De materia octo principalium vitiorum eorumq́; origine sobolum.

HVmani generis creator & conditor Deus propter immensam pietatis suæ misericordiam volens libe-
H rare populum suum à præsentibus perpetuisque malis & ad vitam feliciter perducere felicem, dat præcepta ac salutaria monita quæ agere vel obseruare debeat, vnde inter cætera præcepta deuteronomij ait Istaeli, *Cum in-* Deut.6.10.
troduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus es ingrederis & deleuerit gentes multas coram te & Ibeum & Ger- Cass.
geseum & Amorrheum & Cananæum & Ferrezæum & Euæum & Hebuzæum septemq́; gentes multo maiores numeri quam tu es & robustioris tradideritq́; eos Dominus tibi percuties eos vsq́; ad internecionem, septem istæ gentes, septem sunt principalia vitia, quæ per gratiam Dei vnusquisque spiritalis miles exuperans exterminare penitus admonetur, quod vero maiores numeri esse dicuntur, hæc ratio est, quia plura sunt vitia quam virtutes, & ideo in Catalogo quidem dinumerantur septem nationes, in expugnatione vero earum, sine numeri adscriptione ponuntur. Ita enim

dicitur

A dicitur, *& deleuerit gentes multas coram te*. Numerosior est enim quam Israel carnalium passionum populus, qui de hoc septenario fomite vitiorum a radice procedit. De gestrimargia namque nascuntur comessationes, ebrietates, de fornicatione, turpiloquia, scurilitas, ludicra, atque stultiloquia. De Philargiria, mendacium, fraudatio, furta, periuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentiæ, inhumanitas, ac rapacitas, de ira, homicidia, clamor, & indignatio, de iustitia rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio, de accidia, otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, peruagatio, instabilitas mentis & corporis, verbositas & curiositas: De Cenodoxia, contentiones, hæreses, iactantia, ac præsumptio nouitatum. De superbia contemptus, inuidia, inobediëtia, blasphemia, murmuratio, detractio, aliaque quamplura similia, quæ cum sint, multo maioris numeri quam virtutes, deuictis tamen illis septem principalibus vitiis, ex quorum natura ista procedunt, omnes protinus cõquiescunt ac perpetua pariter cum his internecione delētur.

B Quod autem hæ pestes etiam robustiores sint, manifeste naturæ ipsius impugnatione sentimus, fortius enim militat in membris nostris oblectatio passionum carnalium, quam studia virtutum, quæ non nisi summa contritione cordis & corporis adquiruntur. Quod vero istarum perniciosarum gentium regiones salubriter possidere præcipimur, ita intelligitur: Habet enim vnumquodque vitium in corde nostro propriam stationem, sed si cum Israelis populo, id est, virtutibus contra se dimicãtibus fuerint vitia superata, locũ quem sibi in corde nostro concupiscentiæ vel fornicationis spiritus retentabat, deinceps castitas obtinebit, quem furor cœperat, patientia vindicabit, quem tristitia morte operante occupauerat, salutaris & plena gaudio, lætitia possidebit, quem accidia vastabat, incipit excolere fortitudo, quem superbia conculcabat, incipit excolere humilitas, & ita singulis vitiis expulsis eorum loca, id est, affectus contrarios possidebunt filii Israel, id est, animæ videntes Deum. Illud vero quod cum Abraham de futuris Dominus loqueretur, non septem gentes legitur dinumerasse sed decem, quarum terra semini eius danda promittitur,

C qui numerus adiecta idolatria gentium, blasphemia Iudæorum, errore hæreticorum, euidentissime adimpletur, quibus ante notitiam Dei, & gratiam baptismi, vel impia gentilium, vel * blasphemia Iudæorum multitudo subiecta est, donec * intellectualis Ægypto commoratur, si autem abrenuntians quis & egressus inde per Dei gratiam ad eremum perueneerit spiritalem de impugnatione trium gentium liberatur, contra septem tantum quæ per Moysen denumerantur bella suscipiet. Hactenus hæc pauca de octo principalibus vitiis Cassiani facundissimi doctoris sunt dicta, quæritur autem cur Cassianus & Gregorius in Catalogo eorundem principalium vitiorum inter se dissentiant, ita vt Cassianus in eorum numero philargiriam & accidiam adnumeret: Econtra Gregorius non hæc duo vitia, philargiriam scilicet & accidiam in eorum ponit numero, sed inuidiam & auaritiam inter eadem adnumerat vitia, quod Gassianus nullatenus facit, ait enim Cassianus aduersus octo principalia vitia adiuuante Domino colluctationem debemus

D arripere, sunt autem hæc, primum gastimargiæ vitium, quod interpretatur gulæ concupiscentia vel ingluuies ventris, secundum fornicationis, tertiũ philargiæ, quod intelligitur auaritia vel vt proprius exprimatur amor pecuniæ. Quartum iræ, quintum tristitiæ, sextum accidiæ quod est anxietas siue tædium cordis, septimum cœnodoxiæ, quod interpretatur vana gloria, octauum superbiæ. Beatus autem Papa Gregorius ita principalia vitia dinumerat & describit in ordine: Primum superbia, secũdum inanis gloria, tertium inuidia, quartum ira, quintũ tristitia, sextum auaritia, septimum ventris ingluuies, octauum luxuria, soluta est autem veraciter ab eruditis doctoribus ita hæc quæstio, auaritia inquiunt, quæ in Græco dicitur philargiria, vnde & Cassianus, non solum eam Apostolus radicem esse omnium malorum verũ etiam idolorum seruitutem pronunciauit, dicens, *& auaritia* quod in Græco dicitur philargiria, *quæ est simulacrorum seruitus*.

** Forte leg. blasphema.*

** Forte intellectuali.*

E *Col 3. 5.* Claret autem quia hi duo doctores Gregorius & Cassianus, quamuis vnus diceret philargiriam, alter auaritiam, nullatenus inter se in hoc nomine discrepauerũt, quia vnum est auaritia & philargiria, inuidiam autem quã Cassianus inter cætera vitia non dinumerauit; dicunt sub titulo superbiæ eam intellexisse, ideo quia diabolus per superbiam de cœlo decidisset, inuidendo autem de sedibus paradisi, primos homines expulisset, ob hoc vnum volunt esse morbum, vnde Prosper ait, *Prosp.* in tantum vnum est malum vt nec superbus, sine inuidia, nec inuidus sine superbia possit inueniri: Accidiam autem vnde Gregorius, in supra dicta principalium vitiorum dinumeratione nil dixit, aiunt eam sub tristitiæ nomine intelligere voluisse, vnde & Cassianus, *Cass.* Accidia, quam nos, inquit, tædium siue anxietatem cordis possumus nuncupare, affinis est tristitiæ. His autem sententiis manifeste probatur, quia Gregorius & Cassianus de octo principalibus vitiis vniformiter senserũt. Quæritur & illud cur Gregorius in ipsa vitiorum adnumeratione, primum vitium

F superbiam ponit, & Cassianus vltimum, ipse enim dicit. Licet morbus superbiæ octauus & vltimus sit, in conflictu vitiorum atque in ordine ponatur extremus, origine tamen & tempore primus est, item alio loco, cum sit superbia posterior in ordine conflictuum, origine tamen anteriorem esse omnium peccatorum & criminum principium, & cunctarum interfectricem virtutum, abhinc quemadmodum ipsa octo principalia vitia eorumq; soboles à beato Papa Gregorio in expositione beati Iob, posita sunt * & ordinatum præfixa iuuante domino persequamur. Ait enim vitia quippe tentantia, quæ inuisibili contra nos prælio repugnant super se superbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus, subsequuntur, ipsa namque vitiorum regina superbia, cum deuictum plene cor cœperit, mox illud septem principalibus vitiis quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit, quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex ijs proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur, quod melius ostendimus, si ipsos duces, atque

**Forte ordinatim.*

G exercitus vt possumus enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua scriptura attestante dicitur, *Initium omnis peccati superbia*, *Eccl. 10. 15.* de hac quoq; virulenta radice septem principalia vitia proferuntur, scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitijs nos captos doluit, idcirco redemptor noster ad spiritalis liberationis prælium * spiritus septiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra hæc singula exercitum suum. Nam de inani gloria hæc oriuntur, inobedientia, iactantia, hypocrysis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ & nouitatum præsumptiones. De inuidia, odium, susurratio, detractio, exultatio, in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur, de ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ, proferuntur, de tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De auaritia, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur,

**Forte spiritu.*

H de ventris ingluuie, inepta lætitia, scurrilitas, immũditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur, de luxuria, cæcitas mentis, inconsiderantia, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi horror vel desperatio futuri generatur. Quia ergo septem principalia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt, cum ad cor veniunt, quasi subsequentis exercitus cateruas trahunt, ex quibus videlicet septem quinque spiritalia, duoque carnalia sunt, sed vnumquodque eorum tanta sibi cognatione iungitur vt non nisi vnum de altero proferatur, prima namque superbiæ soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corruperit, mox inuidiam gignit, quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat tabescit. *Inuidia* quoq; iram generat, quia quanto interno liuoris vulnere animus sauciatur, tanto etiã mansuetudo tran-

A tranquillitas amittitur, & quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus velut grauius pressa sentitur, ex ira quoque tristitia oritur, quia turbata mens, quo inordinate se conceutit, eo addicendo confundit, & cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit, tristitia quoque ab auaritia deriuatur: Quia dum confusum cor bonum lætitiæ intus amiserit. Vnde consolari debeat foras quærit, & tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto non habet ad quid intrinsecus recurrit, posthæc vero duo carnalia vitia, id est, ventris ingluuies & luxuria supersunt, sed cunctis liquet quod de ventris ingluuie, luxuria nascitur, dum in ipsa distributione membrorum ventri genitalia subnixa videantur, vnde dum vnum inordinate reficitur, aliud proculdubio ad contumelias excitatur, bene autem duces exhortari dicti sunt, exercitus vlulare, quia prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se inferunt, sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt,
B quasi bestiali clamore confundunt, sed quia huc vsque de octo principalibus vitiis pauca carpendo deprompsimus, deinceps necessarium valde reor, vt ex multis sanctorum patrum opusculis latius secundum quid Dominus dare dignabitur, primum origines & naturas eorundem, tam minutas, tam obscuras inuestigemus. Deinde causas & vexationes eorum, ac demum idoneas curationes eorum ac remedia, vt cœpimus carpêdo indagemus.

CAPVT III.

De natura & origine superbiæ.

Cass. QVemadmodum vero huius morbi virus perniciosissimum deuitemus instrui poterimus, si ruinæ ipsius causas atque originem persequamur. Nunquam enim curari languor, nec remedia poterunt malis valetudinibus exhiberi, nisi prius inquisitione sagaci origines earũ inuestigentur & causæ. Archangelus namq; ille qui pro nimietate splendoris ac decoris sui lucifer nuncupatus
C est, nullo alio quam superbiæ vitio deiectus est de illa beata angelorum statione, & ad inferna collapsus. Hic namque indutus diuina claritate, & inter cæteras supernas virtutes conditoris largitate præfulgens, splendorem sapientiæ & virtutum pulchritudinem, qua ornabatur gratia creatoris, naturæ suæ potentiæ non munificentiæ illius beneficio se credidit obtinere, & ob hoc elatus tanquam qui ad perseuerantiam puritatis huius diuino non egeret auxilio Deo se similem iudicauit, hæc enim sola cogitatio facta ruina est. Ob quam desertus à Deo beatitudinem qua Dei munere fruebatur amisit: Hæc est primæ ruinæ causa & origo principalis morbi, omnium etenim vitiorum fomites de superbia pullularunt testante
Eccl. 10. 15. sacra Scriptura, *Initium omnis peccati superbia*. Non alicuius, sed omnis peccati quoniam non solum peccatum est
Prosp. ipsa vt Prosper ait, sed etiam nullum peccatum fieri potest aut potuit vel poterit sine ipsa: Hæc enim est natura & origo superbiæ per quam inuentor superbiæ de cœlestibus corruit, & postmodum primos homines corrupit & omne genus humanum de immortalitate ad mortali-
D tatem adduxit, de quo dicit Apostolus, *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors & ita in omnes homines pertransit.*

CAPVT IV.

Quod superbia duo sint genera.

Cass. DVo sunt genera superbiæ, vnum, quod spiritales summosq; pulsat, aliud quod incipiẽtes carnalesq; complectitur, & licet vtrumque superbiæ genus tam in Deum, quam in homines noxia inflet elatio, tamen illud primum specialiter refertur ad Deum, secundum ad homines proprie pertinet, quia enim vt dictum est, duo sunt superbiæ genera, vna videlicet superbia dicitur spiritalis, eo quod spiritales sanctosque homines pulsat, altera carnalis, quæ carnales impugnat, sed primum de spiritali superbia dicendum est, illos enim solummodo pulsare solet spiritalis superbia, qui deuictis superioribus vitijs iam propemodum sunt in virtutum culmine collocati, quos quia lapsu carnali subtilissimus hostis superare non quiuit, spiritali ruina deijcere ac supplantare conatur, per hanc illos vniuersis veterum stipendiorum meritis multo labore quæsitis spoliare contendens. Carnalis autem superbia carnales inobedientes facit & asperos, mites atq; affabiles esse non patitur. Vitam eis facit longæuam, & ne confessionem de peccatis faciant confusionẽ incutit, ac pudorem, pro suis negligentijs obiurgari rebellant & murmurant, & quid amplius? cum miserabilẽ possederit mentem ad veram Christi humilitatẽ descendere nõ permittit, de cuius miserrimo lapsu plura dicere curabimus cum de eius indicijs tractare cepetimus.

CAPVT V.

F *Quod tantum sit malum superbia vt ipsum Deum aduersarium habere mereatur.*

Cass. TAntum malum est superbia, vt nõn Angelum, non alias virtutes sibi contrarias, sed ipsum Dominum aduersarium habere mereatur, testante Scriptura *Deus*
Iac. 4. 6. *superbis aduersatur*, & iterum, *immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum*, notãdum siquidem est, quod nequaquam dixerit super his, qui cæteris sunt vitiis inuoluti, quod habeant sibi Dominum resistentem, sed solis superbis.

CAPVT VI.

Qualiter superbia superbos vexat.

Cass. ILlis enim quos vexat superbia non opportunus est sermo sed risus leuis ac fatuus, effrenata atq; indisciplinata cordis elatio, discipulos contra sanctos Ecclesiæ Dei rectores incautos reddit, & elatos, sequaces suos in prosperitate facit elatos, in aduersitate desperantes & tristes, in oratione tardos, in vigilijs pigros, in eleemosinarũ lar-
G gitate tenaces, in ieiunijs auidos, in obedientia desides, in hospitalitate inhumanos, & quid amplius? in omnibus bonis inhonestos & immisericordes reddit.

CAPVT VII.

Quibus indicijs possit superbia cognosci.

Cass. HIs igitur indiciis superbia declaratur, inest primitus in loquela vis clamoris, in taciturnitate, amaritudo, excelsus & effusus in lętitia, risus irrationabilis, in serietate tristitia, in responsione rancor, facilitas in sermone, verba passim sine vlla cordis grauitate erumpentia, expers patientia est, charitas aliena, audax ad contumelias irrogandas, ad tollerandas pusillanimis, ad obediendum difficilis, ad recipiendam exhortationem implacabilis, ad resecandas voluntates suas infirma, ad succumbendum alienis durissima, semperq; suas definitiones statuere cõtendens, ipsa vero nequaquam cedere, locumq; dare alteri adquiescens & ita fit vt etiam capax consilij salubris effecta, in omnibus suo potius credat quam seniorum iu-
H dicio, vnde & Prosp. ait: Hi quos superbiæ mentis tabes
Prosper. virulente corruperit seniorum suorum nõ obtemperant imperatis sed iudicant, de suis negligentijs obiurgari, aut rebellant, aut murmurant, de loco superiori decertant, præferri se melioribus affectant, suas sententias procaciter iactant, non seruant in obsequio reuerentiam, hæc sunt superbiæ tumoris indicia, quibus Deus offenditur & his malis diabolus pastus exultat.

CAPVT VIII.

Quod nullum vitium tam declinat à mandatis Dei quam superbia & ipsa magis iram Domini prouocat.

Hilar. IN expositione cuiusdam Psalmi excellẽtissimus valde doctor Hilarius Pictauiensis Episcopus cum dolore procla-

A proclamauit dicens; ô infœlix superbia, quæ dedignatur sub præceptis cœlestibus viuere, quæ mandata diuina animi infidelis tumore fastidit. Plurima sunt humanorum vitiorum crimina, & diuersæ atque innumerabiles peccatorum operationes, sed nulla magis prouocandæ in nos Dei iræ quam superbiæ causa est. Per superbiam enim plures humana contemnunt, & Deo obsequi spernunt, sed licet sint præclara cætera fidei opera, & in omni diuinorum præceptorum custodia deuotio immoretur, tamen subrepente superbia, memoria eorum, quæ recte operamur, abolebitur, per hanc pharisæus ille Euangelicus dicendo, *non sum peccator sicut hic publicanus*, ex ingentibus operibus cecidit in crimen. Apostolus enim Paulus angelum sathanæ qui se colaphizaret accepit: ne magnitudine reuelationum extolleretur. Est enim superbia grauissimum vitium, per quam humana despicimus & diuina negligimus, ipsa pariter omnes exhaurit virtutes, ipsa hominem iustitia & sanctitate expoliat, ipsa est interfectrix cunctarum virtutum, ipsa est sæuissima & superioribus cunctis immanior bestia, sine qua nullum fuit, aut est aut esse poterit peccatum, *Initium*, inquit, *omnis peccati superbia*. Nil est enim aliud omne peccatum, nisi Dei contemptus, quo eius præcepta calcantur. Denique ipse diabolus inuentor superbiæ per ipsam de cœlestibus corruit, quem Deus fecerat sine vllo peccato & hæc est omnium malorum causa, per hanc versutus serpens diabolus primum parentem interemit, per hanc mortem intulit mundo. Est enim superbia mater & regina vitiorum cuius rex est, diabolus, dicente scriptura, *ipse est rex super vniuersos filios superbiæ*.

Luc. 18. 11. 1. Cor. 12. 7. Cass. B Eccl. 10. 15. Prosp. Iob. 41. 25.

CAPVT IX.

Obiectio vel increpatio aduersus superbos diuersa super hoc testimonia.

Dicendum itaque est, superbis, *vt quid superbit terra & cinis*, & illud, *Deus superbis resistit*, & illud: *Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum*, & illud, *omnis qui se exaltat humiliabitur*, & illud, *ante ruinam exaltatur spiritus*, & illud, *Dominus alta à longe cognoscit*, & illud, *initium omnis peccati superbia*: Deus humilis factus est erubescat homo esse superbus. Occasio igitur perditionis nostræ facta est superbia Diaboli & argumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei, hostis enim noster inter omnia conditus videri supra omnia voluit elatus: Redemptor autem noster magnus manens super omnia fieri inter omnia dignatus est paruus. Ergo dicatur humilibus, quia dum se deijciunt ad Dei similitudinem ascendunt. Dicatur elatis, quia dum se erigunt in apostatæ angeli imitationem cadunt.

Eccl. 10. 9. 1. Pet. 5. 5. C Luc. 14. 11. Prou. 16. 18. Ps. 136. 7. Eccl. 10. 15.

CAPVT X.

Quemadmodum superbiam superare possumus.

Itaque hunc nequissimi spiritus laqueum taliter poterimus euadere, si in singulis quibus senserimus nos virtutibus profecisse, illud Apostolicum dixerimus: *Non ego sed gratia Dei mecum, & gratia Dei sum quod sum, & Deum esse qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate*, dicente etiam ipso auctore salutis nostræ, *qui manet in me & ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* & cætera talia. Superbia enim omnium depopulatrix virtutum per veram potest extingui humilitatem, ideoque vniuersitatis creator & medicus Deus causam principiumque morborum superbiam esse cognoscens, contrarijs sanare contraria procurauit, vt ea scilicet, quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Diabolus namque dicit, *in cœlum conscendam*. Dominus dicit: *humiliata est in terra anima mea*, ille dicit, *ero similis altissimo*: Dominus, *cum esset in forma Dei exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, humiliauitque se factus obediens vsque ad mortem*: ille dicit, *super astra Dei exaltabo solium meum*: Ille dicit. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*: si principalis ruinæ causam & salutis nostræ fundamẽta perspeximus, à quo & qualiter vel ista iacta sint, vel illa emerserint, quemadmodum deuitare tam atrocem mortem superbiæ debeamus, vel illius ruina vel illius doceamur exemplo.

D 1. Cor. 15. 10. Philip. 2. 13. Ioh. 15. 5. Isa. 14. 13. Ps. 43. 25. Isa. 14. 14. Phil. 2. 7. Isa. 14. 13. Matt. 11. 29. E

CAPVT XI.

Remedia aduersus morbum superbiæ.

Si superbiam ferocissimam bestiam & deuoratricem cunctarum virtutum omnimodis festinamus extinguere, nosmetipsos omnibus hominibus inferiores iudicemus, & viliores & vniuersa, quæ nobis fuerint irrogata, & si sint iniuriosa vel tristia, vel damnosa, tanquam à superioribus nostris illata patientissime toleremus, & mente iugiter recolamus vel Domini nostri vel sanctorum eius passiones, considerantes tanto leuioribus nos iniurijs attentari, quanto longius à meritis eorum & conuersatione distamus. Pariter etiam cogitantes cito nos de hoc seculo migraturos. Deinde posthæc hanc eandem humilitatem erga Dominum firmissime retentemus, quod à nobis ita complebitur vt nihil nosmetipsos absque illius opitulatione vel gratia quod ad virtutum consummationem pertinet posse perficere cognoscamus sed & hoc ipsum quod intelligere meruimus eius esse muneris in veritate credamus. Nam & sanctus pater Basilius de curatione & remedio superbiæ sic ait, impossibile est curari hoc vitium nisi abstrahat se & recedat ab omnibus occasionibus elationis, sicut impossibile est extingui linguæ alicuius vel gentis loquelam vel artificium aliquod, nisi quis omni genere se abstrahat non solum ab agendo vel loquendo vel mouendo, sed etiam ab audiendo eos, qui agunt id, quod obliuisci cupit, & hoc obseruandum de omnibus vitijs.

Cass. F Basil.

CAPVT XII.

De natura & origine inanis gloriæ.

Coenodoxia, quam nos vanam siue inanem gloriam appellamus, multiformis & varia atque subtilis est passio, ita vt quibuslibet perspicacissimis oculis non dicam caueri, sed prouideri & deprehendi vix possit. Nascitur enim, vt dictum est, ex superbia, per hoc enim vanitatis vitium diabolus de angelica est eiectus beatitudine cum diceret, *ero similis altissimo*, & per hunc inanis gloriæ morbum primos homines decepit cum eis diceret, *eritis sicut Dij scientes bonum & malum*. Est enim inanis gloria multiplex & multiformis, ac varia, vt dictum est, passio vndique bellatore ex omni parte victori occurrens. Nam & in habitu & in forma & in incessu, in voce, in opere, in vigilijs, in oratione, in remotione, in lectione, in scientia, in taciturnitate, in obedientia, in humilitate, in longanimitate, Christianum vanitate conatur, per hoc vanitatis vitium decipitur, quisquis in bonis suis laudari desiderat, & non Domino Deo honorem & laudem & gratiarumactiones refert: Nec diuinæ imputat gratiæ, quicquid boni cogitauit aut dixit vel fecit, sed quasi ex se habeat, quod recte cogitauit, vel dixit, vel opere impleuit, seu & dignitatem & sublimitatem terreni honoris vel spiritalis decorem sapientiæ vel ex suo merito, vel ex suo studio, adquisisse se gloriatur, dum nemo hominum potuit, potest aut poterit boni quicquam absque Dei gratia vel adiutorio vel inspiratione cogitare, vel dicere, vel facere vel habere, sicut dominus in Euangelio discipulis suis ait,
sine me nihil potestis facere.

G Cass. Isaia 14. 14. Gen. 3. 5. H Ioh. 15. 5.

A

CAPVT XIII.

Qua comparatione monstretur natura cænodoxiæ, id est, inanis gloriæ.

Caß. PVlchre seniores naturam morbi huius in modum cæpæ pultorumque describunt, quæ vno decorata tegmine, alio rursum inueniuntur induta totiesque reperiuntur obtecta, quoties fuerint explicata.

CAPVT XIV.

Qualiter vel quibus modis inanis gloria sectatores suos pulset ac vexet.

Caß. NOn solum enim vt cætera vitia in parte carnali, sed etiam in spiritali hominem pulsat subtiliore se nequitia ingerens menti, & quem non potest carnalibus vitiis decipere, de spiritalibus bonis conatur sauciare, tantoque est pernitiosior ad conflictum quanto B obscurior ad cauendum. A dextris enim & à sinistris Christianum impugnare non cessat. Ait enim sapientissimus Salomon, *Ne diuertaris ad dextram vel ad sinistram:* (Prou. 4. 27.) Qui enim se de virtutibus & operibus bonis extollunt & inaniter blandiuntur ad dextram diuertuntur, qui vero de vitijs gloriam sibi in sua confusione conquirunt, ad sinistram per elationis & inanis gloriæ vitium diuertuntur. Quem de specie succinctæ ac nitidæ vestis cœnodoxia non potuit generare pro squalida & inculta ac viliore conatur inferre, quem non potuit per honorem deijcere, humilitate supplantat, quem scientiæ & locutionis ornatu non potest extollere, grauitate taciturnitatis elidit, si ieiunet, palam gloria vanitatis pulsatur, si illud contemnendæ gloriæ causa contexerit, eodem vitio elationis obtunditur, ne vanæ gloriæ contagione maculetur, orationes occultas exercet, & quod nullum habeat huius facti conscium non effugit aculeos vanitatis. Hic enim C morbus ne eos, qui in solitudine cunctorum mortalium consortia gloriæ causa fugerunt, persequi cessat, quantoque amplius vniuersum quis dispexerit mundum, tantum alacrius persequitur & insectatur, alium quod patientissimus sit operum ac laboris, alium quod ad obediendum promptissimus, alium quod humilitate cæteros præponderet, conatur extollere, alius scientiæ, alius lectionis, alios vigiliarum prolixitate tentatur, solet autem hic vanæ gloriæ morbus quosdam in clericali ordine constitutos propter sonum vocis extollere, eo quod latius psallant, aut quod sint forma corporis decori, aut quod parentes diuites ac nobiles habeant, aut quod sint eruditi sapientia, aut quod eloquentes & facundissimi in sermone, aut quod sint diuersis imbuti artibus & disciplinis, & quid amplius? semper hæc vanitatis pestis ad hoc hominem tam clericum, quam laicum, tam virum, quam fœminam, tam senem quam iuuenem impugnat, vt de bonis, quæ agit, laudem ab hominibus requirat.

D

CAPVT XV.

Quibus indiciis possit inanis gloria cognosci.

Basil. HIs enim indiciis inanis gloria cognoscitur, cum quis præsentibus illis qui laudare possunt, aliquid agit operis boni. Nullo autem tali præsente vel etiam his qui vituperare possunt segnis esse & pigrior in opere, si enim Domino placere vellet semper vtique & in omni loco idem esset, eadem gereret, adimplens quod scriptum est, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam vt seductores & veraces: Est enim vanitas inflata quædam circa delectationes varias animi languentis affectio, potiendi honoris accida simul & nescia, morbo, excellentiæ inanis inflata, turbulenta, animorum leuium domina, male fundatis omnibus blanda, repugnantibus fumea, capiendis seductoria, captiuis inuicta, simulatio quædam virtutum, appetitio dignitatum, dulcis miseris, amara perfectis. Cui seruiunt tumidi, sub qua iacent elati, qui se de operibus, quorum sibi conscij non sunt turpiter iactant, qui se prædicari ab hominibus per nefas affectant, qui sanctos viros sui comparatione depretiant, his & similibus delinitos vanitas premit, nec eos morbum suum sentire aut ad medicum venire permittit, & quid est ad medicum venire, nisi infirmum suas infirmitates cognoscere? tantamque eos ardor humanæ laudis inflammat, vt laboriosa opera quæ populus admiretur, & quibus fama diffunditur, sine labore suscipiant, & libenter exerceant, inde est quod ieiunare, abstinere, vigilare, Ecclesiam frequentare, vel psallere, cum hæc omnia sine labore non faciunt, etiam cum delectatione faciunt, vt ab hominibus, quibus placere non Deo desiderant, videantur, vnde veritas ait: *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* (E) (F) (Matth. 6. 2. & 5.)

CAPVT XVI.

Increpatio aduersus eos, qui inanis gloriæ morbo vexantur, diuersa super hoc testimonia.

EGregius prædicator Paulus monet dicens, *Nolite fieri inanis gloriæ cupidi*, & Dominus Pharisæos castigans, *quomodo*, inquit, *potestis vos credere qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis.* De his & beatus Dauid cum interminatione dicit, *quoniam Deus dissipauit ossa hominum sibi placentium*, Idem propheta docet non nostram sed Domini gloriam esse deprecandam cum orando dicit, *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam:* & Paulus Apostolus, *Qui gloriatur in Domino glorietur*, & illud, *gratia Dei sum id quod sum*, his autem sententijs eruditus caue ô inanis gloriæ, cupide vt de bonis, quæ agis laudem ab hominibus non requiras, firmiter autem crede, quamuis eleemosinas multas facias aut longas orationes, aut ieiunia multa, aut castitatem aut virginitatem custodias, aut qualicumque bona facias, si propter laudes hominum agis, à Deo mercedem pro his bonis nullatenus recipies. (Caß. Gal. 5. 26. Iohan. 5. 44. Ps. 52. 6. Ps. 113. 1. Hieron. 1. Cor. 1. 31. 1. Cor. 15. 10.) (G)

CAPVT XVII.

Remedia quibus inanem gloriam superare possimus.

TAli autem remedio hanc multiformem variamque inanis gloriæ bestiam poterimus euadere, si cogitemus illud Dauidicum eloquium: *Dominus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent*, primitus nihil pro vanitatis & inanis gloriæ capiendæ gratia faciamus: Deinde ea quæ bono initio fecerimus obseruatione simili custodire nitamur, ne omnis laborum nostrorum fructus post irrepens cœnodoxiæ morbus euacuet, etenim ea, quæ nos possunt inter cæteros nobiles reddere, ac velut solis facientibus laus apud homines sit conquirenda vitemus: Nam & ad hunc euitandum morbũ, necesse est, vt consideremus non solum fructus laborum nostrorum nos amissuros quocumque inanis gloriæ proposito fecerimus, sed etiam reos magni criminis factos æterna supplicia, veluti sacrilegos soliciturros, vtpote quia ad iniuriam Dei opus, quod eius obtentu nos oportuit, hominum gratia maluimus exercere, ab eo, qui occultorum est conscius, homines Deo & gloriam mundi gloriæ Domini prætulisse conuicti: Est etenim huius vitij medicina, prout sanctus Basilius Episcopus ait, vt omnia propter Deum & ex mandato eius faciamus bona, & in nullo sectemur hominum laudes, & item alio loco, si certus sit, quis de præsentia Dei & (Caß. Ps. 52. 6.) (H)

fixam

A fixam habeat sollicitudinem Deo placendi, & multo desiderio teneatur earum beatitudinum, quæ à Domino repromissæ sunt, ab hoc vanitatis iuuante Domino poterit curari vitio.

CAPVT XVIII.

De natura & origine inuidiæ.

Cypr. NIhil magis Christiano cauendum est, nihil cautius prouidendum, quam ne quis inuidia & liuore capiatur, ne quis fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia conuertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. Quod vt colligere plenius & manifestius perspicere possimus, ad caput eius atque ad originem recurrimus. Videamus vnde inuidia & zelus & quando & quomodo ceperit, facilius enim à nobis malum tam pernitiosum vitabitur, si eiusdem mali & origo & magnitudo noscatur: Hine diabolus inter initia stantis mundi & perit primus & perdidit, ille angelica maiestate subnixius, ille Deo acceptus & carus, per quam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum maleuolo liuore prorupit, non prius alterum deijciens instinctu zeli, quam ipse zelo ante deiectus: Captiuus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum stimulante liuore homini gratiam immortalitatis eripit, ipse quoque id, quod prius fuerat, amisit: exinde inuidia grassatur in terris, dum liuore periturus magisterio perditionis obsequitur, dum diabolum, qui inuidit, imitatur sicut scriptum est: *Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum*, imitantur ergo illum, qui sunt ex parte eius, hine patricidia nefanda ceperunt, dum Abel iustum Cham inuidit iniustus, & Esau fratrem suum Iacob inuidendo inimicus extitit. Et Ioseph ab inuidis fratribus est venditus, & Saul rex inuidendo est persequutus Dauid & Iudæi inde perierunt, dum Christo malunt inuidere quam credere.

B

Sap. 2. 24.

CAPVT XIX.

Qualiter inuidos vexat inuidia.

C NEmo existimet malum istud vna specie contineri aut breuibus terminis & angusto concludi, late patet zeli multiplex & fœcunda pernicies, radix est malorum omnium, fons *grandiū, seminarium delictorum, materia culparum, inde odium surgit, animositas inde procedit, *auaritia zelus inflammat dum suo quis non potest esse contentus, videns alterium ditiorem, ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem, zelo excitante sensus nostros atque inditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, iudicij dies non prouidetur, inflatur superbia, exacerbatur seruitia, perfidia præuaricatur, impatientia cæcutit, furit discordia, ira feruescit, nec se iram potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ, hinc dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hine adulteratur veritas, vnitas scinditur, Est enim inuidia animæ tinea, quæ cogitationum tabescet pectoris, inuidit autem in altero, vel virtutem eius, vel felicitatem, id est, vel merita propria, vel beneficia diuina, in malum proprium bona aliena conuertunt inuidi; illustrium prosperitate torquentur, aliorum gloriam suam faciunt pœnam, quibus cibus lætus non est nec potus iucundus, suspirat semper & ingemescit & dolet, dumque ab inuidis nunquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur, mala cætera habent terminum, & quodcumque delinquitur delicti consummatione finitur, inuidia terminum non habet, permanens iugiter malum & sine fine peccatum, quantoque ille cui inuidet successione meliore profecerit, tanto inuidus & maleuolus in maius incendium liuoris ignibus inardescit: Quis facile potest, quale sit hoc malum

Cypr. *Al. generaliū. *Forte auaritiā.

D

verbis exprimere, quod inuidus odio hominis persequitur diuinum munus in homine, cum potius amari homo debeat etiam pro sui meriti sanctitate. Tantos inuidus habet iusta pœna tortores, quantos inuidiosus habuerit laudatores, siquidem inuidiosum facit excellentia meriti, inuidum pœna peccati. Inter inuidum autem & inuidiosum hoc interest, quod inuidus feliciori inuidit, inuidiosus autem is est, qui ab alio patitur inuidiam, inuidia enim semper aliena felicitate torquetur & in duplicem scinditur passionem, cum aut ipse est in eo in quo alium esse non vult, aut alium videns esse meliorem dolet se ei non esse consimilem, pulchre quidam Poeta de inuidia lusit dicens: E Hieron.

Iustius inuidia nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit excruciatq; animum.

CAPVT XX.

Quibus indicijs inuidiorum dignoscitur inuidia.

F

EST enim inuidorum vultus minax & toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida & effrenata conuitia, manus ad cædis violentiam prompta etiamsi gladio interim vacua odio tamen furiatæ mentis armata, odia intra se inuidi abscondunt, in suos cruciatus enutriunt, proficientibus inuident, peccantibus fauent, de bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, immicitijs gratuitis ardent, deprehendi pectoris sui malitiam timent, semper amari, nunquam certi, amici diaboli, inimici etiam sui, opinionem bonorum mundati decolorant, in spiritalibus carnalia laudant, vt spiritalia bona eisdem esse persuadeant. Cypr. Prosp.

CAPVT XXI.

Increpatio aduersus inuidos.

O Quicumque es inuidus & malignus videris quam sis eis, quos odisti, insidiosus, perniciosius, infestus nullius magis quam tuæ salutis inimicus, & quisquis ille est, quem zelo persequeris subterfugere & vitare te poterit, tu te non potest fugere, vbicunque fueris aduersarius tuus tecum est, hostis semper in pectore est, pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, inuidia etiam dominante captiuus es, nec solatia vlla tibi subueniunt, perseuerans malum est hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem, Calamitas sine remedio est odisse felicem, si homo lucis esse cepisti, quæ sunt Christi gere, quia lux & dies Christi es. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo liuoris inuoluis, quid inuidiæ cæcitate omne pacis & charitatis lumen estinguis? quid ad Diabolum cui renunciaueras redis? Quid Cain similis existis? quid sub vestitu ouium lupus latitas? quid gregem Christi, qui Christianum te mentiris infamas? Christi nomen induere & non per Christi viam pergere quid aliud quam præuaricatio est diuini nominis? quam desertio itineris salutaris? Quapropter considera, ô inuide, in quanta cæcitate es, qui alieno profectu deficis, qui aliena exultatione contabescis, quantæ infelicitatis es, qui melioratione proximi deterior existis, perpende quæso; quia dum te à liuore minime custodis, in antiquam versuti hostis nequitiam cedis, si enim aliena bona diligere voluisses, ea quasi tua propria facere potuisses. Cypr. G H

CAPVT XXII.

Remedia aduersus morbum inuidiæ.

HVius autem vitij hæc esse poterit medicina, & istius curatio morbi, si diuinis meditationibus & exercitationibus corroboretur animus contra omnia Diaboli iacula firmandus, & si in manibus diuina sit lectio in sensibus dominica cogitatio, & si oratio iugis Cypr.

A omnino non cesset, salutaris operatio perseueret, spiritalibus semper actibus animus occupetur, vt quotiescumque inimicus accesserit, quoties adire tentauerit, clausum aduersum se pectus inueniat & armatum, & qui fueras inuidia & liuore possessus, omnem illam malitiam qua prius tenebaris abiice, ad viam vitæ æternæ vestigijs salutaribus reformare, euelle de pectore tuo spinas & tribulos, venena fellis euome, discordiarum virus exclude, purgetur mens, quam serpentinus liuor infecerat, vnde vulneratus fueras inde curare, ama eos quos ante oderas, dilige illos, quibus iniustis obtrectationibus inuidebas, bonos imitare si sectari potes, si sectari non potes collætare certe & gratulare melioribus, fac te illis adunata dilectione participem, fac te consortio charitatis & fraternitatis vinculo coheredem, cogita ea, quæ diuina & iusta sunt, habes autem multa, quæ cogites, paradisum cogita, quo Cain non redijt, qui inuidia fratrem peremit, cogita cœleste regnum, * quod non nisi concordes atque vnanimes dominus admittit, cogita quod filij Dei hi soli possint vocari, qui sint pacifici, qui natiuitate & lege diuina ad similitudinem Dei patris & Christi respondeant adunati, cogita sub oculis Dei nos stare spectante ac iudicante ipso conuersationis ac vitæ nostræ curricula decurrere, cogita cito nos ab hoc seculo migraturos, si enim hæc quæ dicta sunt cogitaueris & opere impleueris, ab inuidiæ morbo Deo protegente curari poteris.

* For. deest ad

B

CAPVT XXIII.

De natura & origine iræ ac furoris.

IRa enim ex inuidia generatur, cum in externo vulneris liuore animus sauciatur, & tanto mansuetudo tranquillitatis amittitur, quanto plus inuidia cuiusque mentem obsederit, postquam diabolus propter superbiam de cœlesti eiectus est beatitudine, inuidus & iracundus homini per deceptricem nequitiæ suæ artem de C beatissimis Paradisi sedibus expulit seducendo, & hæc est natura & initium iræ quæ species est * futuris, inter furorem autem & iram hæc est differentia, quia qui irascitur intra animos suos hoc voluit, sicut ex ipso indicatur, quod dicit. *Irascimini & nolite peccare*, qui vero furit iam plus aliquid per motum gerit, *furor enim*, inquit, *eis secundum similitudinem serpentis*, inter iracundiam autem & iram hoc interest, quod iracundus semper irascitur, iratus pro tempore comitatur.

Basil. * Forte legendū furotis. *Psal. 4.5.* *Hieron.* *Ps. 75.5.*

CAPVT XXIV.

Qualiter ira vexat iratos ac furibundos.

Cass. IRa denique in nostris cordibus insidente, nec iudicium recte discretionis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum, nec maturitatem consilij possidere, nec vitæ participes, nec iustitiæ tenaces, sed ne spiritalis quidem ac veri luminis capaces poterimus existere, *quia exacerbatus est*, inquit, *præ ira oculus meus*, nec sapientiæ participes efficiam & si sapientes omnium pronunciari opinione videamur, quia ira in sinu insipientiū requiescit. Duplex autem non solum apud nos, verum etiam apud philosophos iræ nomen accipitur, vel cum iniuria lacessiti naturalibus stimulis comitamur, vel cum requiescente impetu & furore restricto potest mens habere iudicium & nihilominus super eo, qui putatur læsisse desiderat vltionem, hoc autem vitium iræ humanitatem & clementiam & mansuetudinem aufert ab eo, qui eam familiarius possidet.

Psal. 6.8. D *Hieron.*

CAPVT XXV.

Quibus indiciis dignoscitur iracundus.

Cass. CVm miserabilem hic irę morbus obsederit mentem aduersus qui commotus fuerit rancorem animi reseruat, negat quidem se verbis irasci, sed reipsa & opere indignari grauissime comprobatur, * namque ei congruo sermone compellat, nec affabilitate ei solita colloquitur, sed est ei responsio amara, sermo durus, vultus toruus, aspectus auersus, mens turbida & aduersa quem ira retentat semper paratus ad irridendum, ad exasperandum, ad reprehendendum, & bona eius non recte pronunciandum, hoc enim vitium mentem turbat, rectum consilium dissipat, iustitiam alienat.

E * neque eum.

CAPVT XXVI.

Increpatio aduersus morbum iræ.

Cass. SI ad perfectionem tendis, & agonem spiritalem legitime cupis decertare, ab omni ira, & furore alienus existe, audi quid Dominus noster præcepit dicens, *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio*. Et Paulus Apostolus, *Omnis*, inquit, *ira & indignatio & clamor & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia*, cum dicit, *Omnis ira tollatur à vobis*, nullam penitus velut necessariam & vtilem nobis excepit. Quod autem dicit Psalmista: *Irascimini & nolite peccare* iubet, nobismetipsis vitiisque nostris ac suggestionibus prauis irasci, & non peccare ad effectum scilicet eas noxium perducere, hoc autem iræ vitium caue ne vel leuiter in corde resideat tuo, adimit enim vbi fuerit sanctam multarum virtutum catenam, ait enim scriptura. *Vir iracundus inhonestus est*, & iterum, *ira in sinu insipientium requiescit*, Et, *iracundus agit sine consilio, & vir animosus parit rixas, vir autem iracundus effodit peccata*, & Apostolus, *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.*

Matth. 5.22. *Ephes. 4.31.* F *Psal. 4.5.* *Eccl. 7.10.* *Prouerb. 15.18.* *Iac. 1.20.*

CAPVT XXVII.

Remedia quibus iram de cordibus nostris eradicare possimus.

Cass. HÆc est huius morbi medicina perfecta, vt primitus credamus nullo modo siue iniustis siue iustis ex causis licere nobis irasci, secundo scientes nos templum Spiritus sancti effici omnino non posse iracundiæ in nobis spiritu commorante, postremo vt cogitemus nequaquam licere nobis orare nec iratos fundere preces ad Deum, & in certum humanæ conditionis statum considerantes quotidie nos credamus è corpore migraturos, nihilque nobis continentia castitatis, nihil ieiuniorum, orationum, eleemosinarum, vigiliarumque laboribus conferendum, quibus propter iracundiam solam & odium ab vniuersitatis iudice supplicia promittuntur æterna.

G

CAPVT XXVIII.

De natura & origine tristitiæ mortiferæ.

EX ira quoque tristitia oritur, quia perturbata mens quo inordinate se concutit eo addicendo confundit & cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex turbatione subsequens mæror pascit. Nonnunquam tamen iræ præcedentis vitio subsequi seu concupiscentiæ lucriue cuiusdam minus indepti generari tristitia solet, cum se harum rerum quadam spe mente concepta quis viderit excidisse, interdum vero etiam nullis existentibus causis diabolico instinctu tanto repente mærore deprimimur, vt quicquid benigna affabilitate, quicquid competenti confabulatione à quoquā prolatum fuerit, importunum nobis ac superfluum iudicetur, nullaque à nobis reddatur eis grata responsio vniuersos cordis nostri recessus felle amaritudinis occupante.

H

A

Caput XXIX.

De natura & origine tristitiæ salutiferæ.

Cass. PRædicator egregius de hac tristitia ait, quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, hæc enim aut alienum peccatum luget aut proprium, nec de hoc dolet, quod diuina iustitia agitur, sed de eo mæret, quod humana iniquitate committitur, hæc namque tribus generatur modis, primo pro pœnitudine delictorum, secundo pro desiderio perfectionis, tertio pro contemplatione futuræ beatitudinis, his enim indiciis salutifera dignoscitur tristitia, est namque obediens, affabilis, humilis, mansueta, suauis ac patiens, habens in semet ipsa omnes fructus Spiritus sancti quos enumerat idem Apostolus. Gal.5.22. *Fructus autem spiritus est charitas gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia*, hæc est enim vt dictum est, salubris tristitia, secundum Deum, quæ pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, quæ sectatores suos à mundanis & noxiis separat actibus, & ad cœli dirigit arcem. B Absque ista enim omnis tristitia tanquam seculi, & quæ mortem inferat æqualiter repellenda est, nunc ad propositum ordinem iræ mortiferæ reuertendum est.

Caput XXX.

Qualiter tristitia mortifera sectatores suos vexat ac propulsat.

Cass. QVem enim hic pestifer possidet morbus ab omni eum separat diuinæ contemplationis intuitu, mentemque eius ab omni puritatis statu labefactat ac deprimit. Non orationes ei cum cordis alacritate permittit explere, non sacrarum lectionum sinit remediis incubare, tranquillum ac mitem esse non patitur, & ad cuncta operationum vel religionis officia, impatientem & asperum reddit, omniq; salubri consilio perdito & cordis constantia perturbata velut amentem facit & ebrium, sensum frangit, quem & obruit desperatione pœnali. C

Caput XXXI.

Quibus indiciis mortifera declaratur tristitia.

Cass. HÆc vero tristitia asperrima est, impatiens, dura, plena rancore & mærore infructuoso, ac desperatione pœnali, quem vero possidet ab orationis segregat studio, à lectionis abstrahit exercitio, ad sacras meditationes negligentem reddit & desidem, ad sancta vigiliarum studia tardum facit, & pigrum, vniuersos fructus spiritales euacuat, quos nouit illa conferre quæ secundum Deum est tristitia.

Caput XXXII.

Increpatio aduersus morbum mortiferæ tristitiæ.

Cass. QVisquis es huic pestifero irretitus morbo, memento quia sicut tinea vestimento & vermis ligno ita tristitia nocet cordi tuo: Euome igitur hoc amaritudinis venenum, vt quid enim pro amissione lucri præsentis tristaris? vt quid pro illato detrimento? vt quid pro irrogatis iniuriis? vt quid mortifera desperatione, pro innumerositate peccatorum tuorum, sicut Cain post fratricidium, & Iudas post proditionem tristando concuteris, D audi dicentem Dominum Ezech.33.11. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*, vbi & quando & in quacunque re tristitia seculi contra se erexit dic ore & opere, Isa.61.10. *gaudens gaudebo in Domino, & exultabo in Deo salutari meo.*

Caput XXXIII.

Remedia quibus tristitiam mortiferam de cordibus nostris exterminare possimus.

Cass. HAnc ergo perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, si mentem nostram spiritali meditatione iugiter occupatam futura spe & contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus, pro æternarum rerum intuitu semper læti atque immobiles perdurantes, nec casibus deiecti præsentibus nec prosperis fuerimus elati, vtraque velut caduca & mox transeuntia contemplantes, & Apostolus Iacobus huius vitii medicinam nobis congruenter insinuat dicens: *Tristatur aliquis vestrum oret, æquo animo est psallat*, Iac.5.13. his enim modis vniuersa malarum tristitiarum genera opitulante Domino possumus superare si volumus. E

Caput XXXIV.

De natura & origine auaritiæ.

AVaritia, quæ in Græco dicitur Philargiria, quæ est simulachrorum seruitus. Cass. Apostolo dicente, radix omnium malorum, sic enim ait, 1.Tim.6.10. *radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide & inseruerunt se doloribus multis*, Oritur autem hæc insatiabilis pestis ex superbia, quæ est Dei contemptus. Nam angelicus ille ordo, qui de cœlo infeliciter cecidit propter superbiam & auaritiam corruit, vbi & hæc insaturabilis rabies auaritia, quæ & cupiditas dicitur principalem sumpsit originem, dum Domino concupiuit esse similis, cum diceret. F Isaiæ14.14. *Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo*, quia auaritia non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis, per hanc diabolus primos homines de claustris eiecit Paradisi, per hanc & Dominum ausu improbo tentauit, cum ei omnia regna mundi ostendit dicens, Matth.4.9. *Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraueris me*, hæc autem inexplebilis pernicies vt Prosper luculentissimus doctor ait Prosp. sine superbia inueniri non potest, sic enim ait, sane cupiditas atque superbia in tantum vnum est malum, vt nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit inueniri cupidus. Denique si quodlibet peccatum perpetrare non possum nisi meæ delectationi consentiam, quod cupiditatis est proprium & Dei præcepta contemnam, quod est superbiæ malum, quomodo non ex cupiditate quæ est radix malorum omnium & ex superbia, quæ Eccl.10.15. *initium omnis peccati* dicitur procedit omne peccatum. G

Caput XXXV.

Qualiter auaritia vexat auaros.

Cass. AVaritia enim quosdam sectatores suos vexat in acclamatione, & laude boni nominis facta populari, quosdam de sublimitate honoris, quosdam de adquirendis rebus superfluis: Nonnullos de rapiendis aliorum facultatibus, nonnullos vt proprias retineant inutiliter diuitias propulsat, solet namque auarus cogitare vel dicere, si pecunias reconditas non habuero, quid filii mei post mortem facient, quid si infirmitas corporis mei euenerit, quid si longa senectus prolongauerit, hæc & alia Ierem. his similia tractantes auari pecunias vtcumque conquirentes nummos per fas & nefas habere desiderant, & pleno sacello delectantur, currunt enim & discurrunt, nunc huc, nunc illuc, negotiando, rapiendo, mentiendo iurando, rixando, tunc enim putat bonum habuisse se diem, quando denarium reponit auarus in arca & ideo H Cass. insatiabilis & inexplebilis per omnia turpitudinum genera * lasciuia æquè discurrit, vbi pecunias reponat, cui eas credat ambiguus, deinde quid ex iis coemere, qualeque commercium valeat duplicare cura grauiori distenditur, cumque illi * & ex hoc voto cesserit, auidior famis adcrescit auaritiæ, tantoque vehementior suscitatur, quanto etiam summa lucri maior apponitur. Cum pecuniæ etenim incremento rabies cupiditatis augetur, sicut enim hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit, ita auarus quanto magis habet, tanto magis habere desiderat, nihilq; aliud respicit cordis intuitu, quam vnde pecuniam parare valeat procreatrix nãque est omnium malorum auaritia, quæ sequaces suos vbi spes nummi aliqua potuerit refulgere, nullam fidem exhibere permittit, pro hoc non mendacii, non periurii, non

* Videtur redundare las. & legendum auia.
* Forte & hoc ex voto. Cass.

A non furti facinus perhorrescit. Fitque per omnia vt aliis venter, ita auaro aurum & spes lucri pro Deo. Vnde beatus Apostolus *auaritiam simulachrorum seruitutem* pronuntiauit, eo quod figura Dei & imagine prætermissa, quam deuote seruiens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire, hominum figuras impressas auro diligere pro Deo maluit & tueri. Cunctos igitur pene omnes agitat auaritia, nullum de his quietum esse permittit, qui nihil habent cupiditate torquentur, illi qui diuitias possidēt, sollicitudine cruciantur. Nec ipsis enim bene est, qui recondito auro incubant, imo ipsis est grauius, semper enim sunt anxij, mæsti, solliciti, ne hoc seruus auferat, ne fur effodiat, atque ideo retrudentes illud tenebris, ita abscondiunt, vt omnium subterfugiat notionem, nihil ex eo proferentes aliquando ad vsum, ne apertio tenebrarum sit causa perdendi, seruant autem illud & non vtuntur, seruant inquam, custodes ergo dixerim istos esse *dominos & alienum attendere diligenter, non propriū conuenienter expendere: auarus enim solicitius seruat, quam acquirit, molestius custodit quam rapuit, suspirat, enim vigilans acquirendo, suspirat dormiens reseruando, nec vigiliæ lætæ, nec somnus securus, nec dies lætus, nec nox quieta est, discurrit, torquetur & gemit, & quasi illi proficiat, quod acquirit. Qui possessionibus longe lateque diffusis in confinio alium possidere non patitur, dum terminos iungit, fines producit, calumniatur pauperi, mediocrem premit, vicinum excludit, & omnes circumcirca positos infestando ac persequendo depellit, qui non acquirit, nisi alius fleuerit, lucra non condit, nisi alius gemuerit: Cui soli bonum est, quod publicum malum est, dum aut fructus seruat, aut annonam captat, aut inflat pretia, aut fœnus exaggerat, dum acquirendi lucra per nocendi exquirit ingenia, cui pupillorum dulcis est gemitus, & viduarum suauis est fletus, dum præda, huiusmodi pascitur, & spolijs talium delectatur. Qui diues est archa, non merito, possessione non genere, nomine non dignitate, cuius auaritiæ nec proprium sufficit, nec modum imponit alienum, solet namque auaritia deuictum animum quasi ex ratione exhortari cum dicit, valde sine culpa est, quod quædam habenda concupiscis, quia non multiplicari appetis, sed egere pertimescis, & quod male alius retinet ipse melius expendis.

Col. 3. 5.

*Forte interponendum (non)

B

C

CAPVT XXXVI.

Quibus indiciis cognoscitur auaritia.

QVem enim auaritia possidet, magis ad forum quam ad Ecclesiam properari suadet, magis intentis oculis perspicit aurum, quam cœlum, magis auro textas & olosericas vestes considerat, quam animæ suæ virtutes, magis denariū amat, quam pauperem, magis huius vitæ lucrū, quam animæ suæ remedium, magis aurum quam Deum, nullam enim humilitatem, nullam obedientiam, nullam charitatem, nullam reuerentiam, nullam virtutē tem exhibet, sed indignatur, ad omnia & ad singula opera murmurat atque suspirat & velut equus durissimus ad præcipitium fertur infrenis.

Cass.

D

CAPVT XXXVII.

Increpatio aduersus auaros, diuersa super hoc testimonia.

O Quisquis es auare & cupide audi Dominum in Euangelio suo dicentem, *Cauete ab omni auaritia sua*, & Apostolum comminantem, *neq; auari, neq; rapaces, regnum Dei possidebunt*. Audi & Salomonem dicentem, *fructum non capiet ex eis*, Item, *auaro nihil est scelestius*, & item alio in loco dicit Scriptura, *auarus pecuniis non implebitur*, pertimesce ô auare has diuinarum scripturarum sententias, & noli in archa cubiculi terreni tuas reponere diuitias, sed eas potius per manus pauperum orphanorum, viduarumque, in cœlestibus transmitte thesauris: Audi ô auare, ô cupide, Paulum dicentem Apostolum, *Auaritia nec nominetur in vobis*, Item *auaritia quæ est simulachrorum seruitus*. Quam sit hæc rabies humano generi noxia audi adhuc ipsum dicentem Apostolum: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli & desideria multa & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*, Audi & Iacobum Apostolum eius noxia vulnera aperientem, *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis quæ aduenerint vobis, diuitiæ vestræ putrefacta sunt, vestimenta vestra à tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras quasi ignis*, his sacris perterritus sententiis, caue ô miser auare, ne aurum retineas in archa, & peccatum in anima, ne vestes in camera, & scelus in conscientia, ne fruges & subsidia in cellaria, & miseram te serues animam in inferno cum diabolo sine fine miserabiliter cruciandam. Da pauperibus, ô auare quod habes in terra, vt inuenias reseruatum in cœlo ab Angelis, quod pro Christi amore distribuisti pauperibus in terra, si enim in hac vita pauperibus tuam non distribueris substantiam, post mortem autem scias te cum purpurato diuite & auaro sine misericordia in inferno cruciandum. *Nihil enim prodest, si vniuersum mundum lucraueris*, sic Dominus ait, *& post mortem detrimentum animæ tuæ patiaris.* Caue ne cuiquam molestus existas, ne iniuste aliquem opprimas, ne potentibus, aut pauperibus, ne vicinis aut extraneis, ne viduis aut pupillis, sua iniuste abstrahas, voces enim eorum & lachrimæ ad iustum & districtum iudicem Deum ascendunt.

Luc. 12. 15.
1. Cor. 6. 10.
Eccl. 5. 9.
Ecc. 10. 9.
Eccl. 5. 9.

E
Eph. 5. 3.
Col. 3. 5.
1. Tim. 6. 9.
Iac. 5. 1.

F

Matth. 16. 26.

CAPVT XXXVIII.

Remedium contra morbum auaritiæ.

HÆc est enim medicina & curatio perfecta, huius pestiferæ cladis, si super omnia considerantes conditionem fragilitatis humanæ, caueamus, ne dies Domini, sicut fur in nocte superueniens, audiamus illud quod in Euangelio diuiti dictum est, *stulte hac nocte animā tuam expetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* qui enim ab hoc vitio sanari desiderat, sine cessatione diem mortis ante oculos præcogitet, & quod post hominem in sepulchro vermis, & post vermem puluis futurus sit, penset, & vbi tunc erunt eius diuitiæ pertractet, hæc & his similia pertractando sit eleemosinis largus, oratione compunctus, timore Domini ornatus, pœnitentia feruens, caritate ardens. Hactenus diuina opitulante gratia de quinque spiritalibus vitijs vt * exiguis nostra potuit ex orthodoxorum patrum opusculis succinctim huic exceptioni æterna inseruit testimonia, nunc quoque restat, vt de duobus carnalibus, gula videlicet atque luxuria eo donante, qui abstinentes castasque diligit mentes, carpendo vt cæpimus, pertractemus.

Cass.

Luc. 12. 20.

G

* Forte exiguitas vel exiguis nostra doctrina. Sed habet etiā cap. 48. exiguitas.

CAPVT XXXIX.

De natura & origine gastrimargiæ, quæ interpretatur ventris ingluuies.

EXcepta superbia, quæ est principalis ruina & regina, materque omnium vitiorum, septem sunt eius soboles, quinque videlicet, spiritales, id est inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, duoque carnales, ventris ingluuies scilicet, atque luxuria, sunt autem simul octo, principalia vitia, iam de quinque vitiis cum matre sexta pariter supra disputatum est, ab hinc de gastrimargia & luxuria vt octonarium expleant numerum, pertractandū est. Ventris autē ingluuies, quæ & coucupiscentia gulæ dicitur, vbi vel quando, qualiterq; sumpsit originē plenius Prosper insinuat dicens. Videamus qualiter illi homines primi cōmiserint tā grande peccatū quod & ipsos de paradiso proiecit, in hoc vitę pœnalis exitiū, & in eis originaliter totū damnauit genus humanū, prohibitū siquidem à Domino fuerat, quod de ligno scientiæ boni & mali ne comederent, sed gulæ vitio decepti come-

H

Prosp.

A comederunt, nisi enim comedissent, perpetuo immortales essent, si sub Deo suo viuentes præceptum, quod acceperant custodissent, nec desereretur à Deo nisi Deū prius ipsi desererent, & idcirco in hanc ærumnosam huius vitæ miseriam gulæ delicto atque morti traditi sunt deiecti, vbi omnis homo per peccatum nascitur, per laborem viuit, per dolorem moritur.

Capvt XL.

Qualiter ventris ingluuies vexat ac propulsat amatores suos.

Cass. TRibus enim modis ventris ingluuies suum quē possidet hominem vexat, primo vt ante horam Canonicam & statutam gulæ cauta cibos potumque degustet, secundo quæ tantummodo ventris ingluuie & saturitate quarumlibet gaudet escarum, tertio quod accuratioribus & pretiosioribus cibis delectatur, quod nec corporis sui necessitas, nec suæ qualitas personæ congruit, sunt e-B nim, vt Isidorus ait, quatuor genera districtionum in gulæ appetitu, id est, quid, quando, quantum & quomodo appetatur. Quid ad rem ipsam pertinet quæ appetitur, quando, si ante legitimum tempus quid appetatur: Quātum vero ad immoderationem refertur, quomodo ad impatientiam festinationis accipitur. Gastrimargia enim, id est, ventris ingluuies, quem possidet patienter, viuere nō permittit. Nam illum nocturnis horis frequenter de suo facit surgere lecto, & vt celeriter ad secessum festinet, certatim cum magno impetu vrget. Digestio ventris & gut-Hieron. turis vno occupatur officio. Nimiæ enim eo tempore illū circumdant luxuriosæ cogitationes, quia vbi saturitas & ebrietas fuerint, ibi libido dominatur, nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Postquam enim à suo misero surrexerit somno discurrit huc illuc, anxian-C do, perquirendo, quomodo qualiter, vel quibus cibis, potibusq; suum iterum possit onerare ventrem, quacumque enim hora à somno surrexerit, sine media nocte, siue gallicantu, siue illucescente die, statim dolorem capitis sentit nimium, sitim ardentem, & statim vt voracissimus lupus auide potum cibumque cum omni anxietate perquirit, & vbi inuenerit, mox labia sicca, fauces amaras, pulmones inflatos, viscera collidentia, vorando vt gluto & gastrimargus refrigerat.

Capvt XLI.

Quibus possit indiciis cognosci gastrimargus, id est, gulæ deditus.

QVem hæc miserabilis lacerat bestia, his potest dignosci indicijs. Nam delitiosus semper & auidus est, cibos enim lautiores & pretiosos requirit. Quantacumq; ciborum fercula ante se polita viderit, vt de omnibus sumere possit, pertractat, tempus & horam edendi solicite per horologia anxius inuestigat, sępiusq; egreditur, & in-D greditur cellam ac solem velut ad occasum tardius properantem crebrius intuetur, si autem disputationem aliquam audierit de abstinentia & ieiunio aurem auertit aliunde fabulas sumit, & vt citius potest illo de loco fugit & quibuscumq; potest ingeniis huc illucq; peruolat, inquirendo vnde sibi diuersos cibos poculaq; conficiat, & vt solus hos percipiat horam expectat secretam.

Capvt XLII.

Increpatio aduersus gulæ deditos.

Luc. 21. 34. ADuersus vos, ô gastrimargi & gulosi, diuina per Euangelium intonat sententia dicens, *Attendite ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate*, & Paulus, aduer-1. Cor. 6. 13. sus vos clamitat Apostolus. *Esca ventri & venter escis, Deus autem & hunc & hanc destruet.* Nam & de vobis idem Apo-Phil. 3.9. stolus dicit, *quorum Deus venter est & gloria in confusione hu*-Cass. *qui terrena sapiunt.* Considerate, quia Sodomitæ non vini crapula, sed saturitate panis submersi sunt, audite Domini Prophetam Hierusalem increpantem, *Quid enim peccauit soror tua Sodoma nisi quia panem suum in saturi-* E *tate & abundantia comedebat*, pensate igitur si Sodomitę de sola nimietate panis corruerunt, quid facient illi, qui sano corpore carnium ac vini perceptione immoderata libertate præsumunt, non quantum expetit imbecillitas, sed quantum animi libido suggesserit vsurpantes? Audi-Isidor. te pariter ô gulæ dediti, ô ebriosi & vinolenti quam vehementer arguantur comessatio & sumptuosa conuiuia per Prophetam ita vt comminetur dominus se non dimissurum hanc iniquitatem his qui eam libenter ambiunt dicit enim per Esaiam: *Ecce gaudium & letitia occide-* Isa. 22. 13. *re vitulos & iugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum, si dimittitur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*, sicut omnes carnales cupiditates abstinentia resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruūtur, inde est quod & idem Propheta dicit. *Princeps coquorum destruxit muros Hierusalem*, quia & venter cui seruitur à coquis virtutes animæ distruit. Quapropter audiant ebriosi, *nolite ine-* Eph. 5. 18. *briari vino, in quo est luxuria*, audiant & illud Propheticū, Ose. 4. 11. *Fornicatio & ebrietas auferent cor*, ebrietas, sicut in Loth F sensus ratione captiuat, audiant qui multum bibunt & non inebriantur. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum,* Isa. 5. 22. *& viri fortes ad miscendam ebrietatem*, audiant vino multo dediti & luxuriose viuentes per Esaiam Prophetam. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam vsque ad vespe-* Ibid. v. 11. *rum vt vino æstuetis*: Audiant gulosi, audiant ebriosi Apostolum Paulum dicentem, *Non in comessationibus, & ebrie-* Rom. 13. 13. *tatibus*, & iterum *esca nos non commendat Deo.* Quapropter 1. Cor. 6. 8. admonendi sunt gulæ dediti ne in eo quod escarum delectationi incumbunt luxuriæ se * mucro transfigant. * leg. for. mucrone. Quanta sibi per esum loquacitas, quanta mentis leuitas insidietur aspiciant, ne dum ventri molliter seruiunt, vitiorum laqueis crudeliter astringantur.

Capvt XLIII.

Remedia contra morbum gastrimargiæ id est ventris ingluuiem.

QVi autem hoc vitium plene superare desiderat, nō G solum in sumendis dapibus parsimoniam teneat, vt scilicet refectionem semper esuries temperet verum etiam acuratiores simul & suauiores epulas excepta corporis infirmitate & hospitum susceptione contemnat & Cass. non solum mentem & corpus suum constringat ieiuniis, verum etiam vigiliis, lectione quoq; & crebra compunctione cordis, vbertate quoq; lachrymarum & oratione assidua, seu & eleemosinarum largitate, nec non & assiduitate cuiuslibet boni operis, mentemq; suam contemplationi diuinæ defigat amore virtutum potius & pulchritudine cœlestium delectetur, & ita velut caduca despiciet vniuersa præsentia. Nam & contra triplicem impugnationem quæ in huius vitij vexatione superius descripta est, triplicem obseruantiam necesse est, custodire, id est, vt primum legitimum tempus & horam absolutionis & refectionis expectet, secundo vt absq; summa necessitate corporis, vt supra dictum est, delitiosas sibi epulas præparare non lubeat. Tertio vt qualibuscumque escis, viliotibusq; contentus sit. H

Capvt XLIV.

De natura & origine luxuriæ ac fornicationis.

Cass. EX quo etiam hic immundissimus spiritus luxuriæ atque fornicationis oriatur voce dominica declaratur. Matth. 15. 19. *De corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia* & cætera, hic enim fornicationis infestissimus morbus cum à primo tempore pubertatis, impugnare incipiat hominum genus non nisi prius cetera vitia superentur, extinguitur. Oritur Isod. etenim luxuria ex vitio superbiæ exemplo primi hominis, qui mox vt per superbiam tumuit contra Deum, statim carnis sensit libidinem, & pudenda operuit, inter cætera septem vitia, quæ mater vitiorū superbia generat, fornicatio maxima est sceleris, quia per carnis immunditiam templum Dei violat & tollens membra Christi facit

A

faciti membri meretricis: Diuersa sunt autem fornicationis genera. Est autem fornicatio carnalis, in qua fit corporis inquinatio, est & spiritalis, in qua non corpus polluitur, sed mens inquinatur, de qua Christus ait. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iam mœchatus est eam in corde suo.* (Matt. 5. 28.) Omnis enim immunda pollutio, fornicatio dicitur, quamuis quisque diuersa turpitudinis voluptate prostituatur, ex delectione enim fornicandi, varia gignuntur flagitia, (Hier.) quibus regnum Dei clauditur, & homo a Deo separatur, vnde & in veteri lege de nefandis criminibus, quæ in occulto fiunt, & ei nominare turpissimum est, ne & dicentis os & aures audientium polluerentur, generaliter scriptura complexa est dicens. *Verecundos vel reuerentes facite filios Israel ab omni immunditia*, (Matth. 5. 28.) de qua & Paulus Apostolus loquitur. *Fornicatio autem & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos.* (Ephes. 5. 3.) Nam & Prophetarum in locis plurimis inuenimus, idolatriam, fornicationem appellatam, vt illud, *fornicabantur*, inquit, *post idola sua & spiritu fornicationis seducti sunt.* (Ezech. 6. 9.)

B

CAPVT XLV.

Qualiter luxuria vexat luxuriosos.

PLerumque hi, quos hæc immundissima vexat passio, turpes & luxuriosos proferunt sermones & nimio libidinis ardore succensi ad speciosas mulierum formas petulantes ingerunt oculos, & anxii hac illucque sollicitando currentes, quomodo & vbi qualitercque etiam in nefandissimis criminibus, quod nimis turpe est dicere, suam immundissimam possint explere libidinē. Nam & ideo sæpe comptæ pretiosis se induunt vestibus, vt amari possint ab his, quos in sua miseria cupiunt participes habere, & qualicumque diabolico stibio & ornatu possunt, suas decolorant facies.

CAPVT XLVII.

Quibus possit indiciis cognosci luxuriosus.

C

(Cypr.) QVibus est enim vita luxuriosa & impudica frequenter verba vana & falsa atque luxuriosa loquuntur, vagos oculos semper per formas illices & speciosas permittunt, pompatico & illæcebroso gressu incedunt, lasciuiam diligunt, libidinem amant, cupiditatem applaudunt, verba multiplicant, gulæ concupiscentias sectantur, ebrietatem diligunt, lites & iras non deuitant, auaritiam & philargiam non refrenant, otiositatem amant, bonis moribus non delectantur, inter eos qui de castitate & continentia loquuntur tacent, scripturas diuinas, de vita pudica, fastidiunt, habitum ordinatum propositumque conuenientem tam capillorum quam vestium sicut decet non habent, Omnem immunditiam non deuitant, sed amant.

CAPVT XLVII.

Increpatio aduersus luxuriosos & fornicatores.

D

AVdiant luxuriosi, qui carnalem sectantur luxuriā Paulum Apostolum terribiliter comminantem. *Neq; fornicatores*, inquit, *neq; idolis seruientes, neq; molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt*, (1. Cor. 6. 9.) & rursum. *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus*, (Heb. 13. 4.) & rursum idem Apostolus ait: *Fugite fornicationem fratres, quodcumq; enim peccatum fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat.* (1. Cor. 6. 18.) Audiant & hi qui spiritalem sectantur luxuriam, id est, qui in corde libidini consentiūt, & ad opus concupitæ libidinis non pertranseunt: *Qui viderit*, inquit Dominus, *mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est eam in corde suo*. (Matt. 28.) Et per beatū Iob dicitur: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine, quam enim partem haberet Deus in me desuper & hereditatem omnipotens de excelsis.* (Iob. 31. 1.) Nisi enim * actori nostro cogitatio, praui consensus, displiceret, nequaquam per Esaiam diceret,

(* Fort. auctori.)

E

Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. (Isa. 1. 16.) Et in Euangelio Phariseis, *Quid cogitatis mala in cordibus vestris.* (Isid. Matth. 9. 4.) Ex corde enim primum fornicationes sunt auferendæ vt non prorumpant in opera, hinc est, quod per prophetam dicitur, *Accingite lumbos vestros super vbera vestra*, (Isa. 32. 11.) hoc est, in corde libidines resecate, quæ ad lumbos pertinent. Nam cor super vbera est, non in lumbis, Audiant & hi qui sectantur immunditiam, id est, qui non grande putant esse facinus, quod sine concubitu maris & feminæ in diuersis diabolicis prostitutionibus, suam prouocant libidinem. Apostolum, inquit, Paulum audiant dicentem. *Neq; immundi regnum Dei possidebunt*, (1. Cor. 6. 10.) Et rursum, *fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis.* (Eph. 5. 3.) Non enim diceret, *omnē immunditiam*, nisi diuersis ex modis influxu seminis fieret, fieret & sordidissima titillatio carnis. (Hier. Cass.) Audiant Paulum Apostolum dicentem, omnes pariter adulteri, luxuriosi, fornicatores, immundi, molles masculorum concubitores. *Non enim*, inquit, *vocauit vos Deus in ignominiam sed in sed in sanctimoniam*, itaque qui hæc spernit, sed Deum qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis, & illud,

F

Hæc est, inquit, *voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisq; vestrum vas suum possidere in honore & sanctificatione*, (1. Thess. 4. 3.) Non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum, & illud in Epistola ad Hebræos *Pacem*, inquit, *sectamini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*, (Heb. 12. 14.) hic quoque videntur sine sanctimonia quam solet integritatem mentis vel puritatem corporis appellare pronunciauit. Deum penitus videre non posse, siquidem & hic similiter infert, eundem sensum explanans, ne quis fornicator, aut profanus, vt Esau, audiant hi qui non carnis corruptione sed cordis delinquunt, sententiam sancti Basilij Cæsariensis Episcopi, Mulierem inquit ignoro, & virgo non sum, vbi intelligitur non tam in mulieres esse abstinentiam, quam integritatē cordis, vnde & Augustinus Episcopus, virginitas carnis, corpus intactum, virginitas animæ fides incorrupta.

CAPVT XLVIII.

G

Remedia contra morbum luxuriæ ac fornicationis, omniumque immundorum nefandorumq; criminum.

(Cass.) DVplex namque oppugnatio est fornicationis atque luxuriæ, armata vitio consurgens ad prælium & idcirco similiter ei gemina est acie resistendum, siquidem vt morbo carnis animæque concretum vitus acquirit, ita nisi vtrisq; pariter dimicantibus nequeat debellari. (* Fort. ucquit.) Nec enim sufficit ei qui ab hoc immundissimo vitio desiderat sanari solum corporale ieiunium; nisi præcedat contritio spiritus & oratio, & continua sanctarum scripturarum meditatio, sed & spiritalis intelligentia & scientia, ad expurgationē huius impurissimæ passionis plurimum prodest, labor etiam opusque manuum ad huius vitij refrenationem optime adiuuat, & ante omnia humilitas vera, sine qua nullius vitii penitus poterit vnquam triumphus acquiri, summo etenim studio ad excoctionem istius morbi, parsimonia ieiuniorum sectanda est; ne escarum abundantia refecta caro rectorem suum spiritum deiiciat. Hic enim morbus cum corporis afflictione & contritione cordis, solitudine quoque ac remotione indiget, vt possit ad integrum sanitatis statum perniciosa æstuum febri deposita peruenire.

H

Valde enim noxium est, in oculorum fornicatorum obtutibus, speciosas habere formas, & non solum speciosas, verum etiam qualescumque vbi fornicatio aut fornicationis suspicio esse potest, (Hier.) Dauid enim sanctus & secundum cor Domini electus, Bersabeæ captus est nuditate, quapropter adulterio iunxit homicidium, Salomon enim quod noluit recedere à mulieribus, recessit à Domino, & ne aliquis de sanguinis propinquitate confidat, in illicitum Thamor sororis Ammon frater exarsit incendium. (Cass.) Valde enim prodest ad extinguendum fornicationis ardorē longe recedere ab his quorum aspectus nos pertrahere & prouocare potest ad incitamentum libidinis: Illud enim primitus expiandum est, vnde fons vitæ mortisque manare

A manare cognoscitur, dicente Salomone. *Omni custodia serua cor tuum*, exinde enim procedunt cogitationes luxuriosæ, dicente Domino, *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes* &c. sed & qui pleniter vult suggestionem huius diabolicæ calliditatis extinguere, primum recordationem omnium fœminarũ de corde suo expellere festinet, earumq; consortium quibuscumq; congruis modis potest effugiat, Vnde & beatissimus antistes Ambrosius inter cætera ait, si intraueris in castellũ ne appropinques mulieribus & non demoreris in sermonib. apud illam, quomodo enim si quis degluriat hamũ, sic attrahitur anima tua: Nam & optime iuuat ad extinguendam fornicationis flammam recordatio perpetuæ damnationis ignisque æterni & præteritorum rememoratio scelerum seu & præmeditatio mortis, diesq; tremẽdus futuri iudicij, sed & pro absolutione præteritorũ delictorum, & pro adipiscenda perpetua mentis & corporis puritate multum adiuuat eleemosynarum pia largitio, & quod maius est, hunc immundissimum fornicationis spiritum, omni mentis intentione non nostris viribus confidentes credamus nos expugnare posse, hoc enim perficere industria humana non præualet, sed opitulatio & misericordia Domini, nec labore & studio proprio victoriã obtinere nos posse credamus, nisi fuerimus diuino auxilio ac protectione suffulti, impossibile est enim hominem suis, vt ita dixerim, pennis ad tam præcelsum cœlesteque præmium subuolare, nisi eum gratia Dei de terræ luto & cœno munere castitatis eduxerit. Quapropter, vt cuncta huius morbi remedia breuiter replicem. Oportet eum, qui ab hac pestifera valetudine vult curari, imprimis indesinenter nocturnis & diuturnis precibus, à Domino se postulet purgari, vigilijsque lectionibus sacris scripturarum, meditationibus, compunctione scilicet, contritione cordis & corporis remotione, manuum operatione, atq; indefesso ieiunio peruigilet: Huc vsque eo quo sancti ecclesiarum Dei Doctores octo principalia vitia descripserunt, prout exiguitas sensus nostri potuit largiente Domino ex diuersorum patrũ edictis de origine, vexatione, indicijs, increpationib. remedijsq; eorundẽ vitiorũ pauca excerpsimus testimonia, nunc quoq; restat, vt secundum traditionem sanctorum patrum Ægyptiorum Orientaliumq; eadem vitia, eorumq; ordinem, vt bonorum omnium auctor date dignabitur, breuiter carpendo prosequamur.

Prou. 4. 23. Matt. 15. 19. Ambros. B C

CAPVT XLIX.

De Gastrimargia cæterorumq; principalium vitiorum recapitulatio.

Cass. GAstrimargia græcè, latine concupiscentia gulæ, siue ingluuies ventris dicitur. Est enim primum corporale peccatũ, per quod primi homines eiecti sunt de Paradiso & per quod Esau primogenita sua vendidit concupiscendo lenticulam, hoc enim vitium tribus modis videtur regnare in homine, id est, dum homo non necessitate, sed gulæ concupiscentia anticipare cupit, statutam refectionis horam, secundo quæ tantummodo ventris ingluuie & saturitate, quibus, qualibusque escis onerare desiderat ventrem. Tertio quæ pretiosioribus acuratioribusq; oblectatur epulis: Contra hanc triformem rabiẽ, triformis adhibenda est curatio, id est, vt primũ expectet tempus refectionis legitimum. Tempus enim Christiani hominis legitimum refectionis, nisi pro corporis infirmitate, ante horã diei tertiam auctoritate Canonica non est statutum sed prohibitum, secundo vt etiam *ipsis vilioribus cibis, non pro desiderio, sed pro necessitate & sustentatione corporis sumat. Ipsa enim aqua cibiq; vilissimi si pro desiderio gulæ, & non pro necessitate corporis assumantur, peccatum gastrimargiæ ex diuinis scripturarum testimonijs esse cognoscitur. Tertio vt qualibuscumque escis vilioribusque contentus sit, sed & per orationem, ieiunium, abstinentiam, assiduitatemque quorumlibet operum bonorum, hoc miserrimum superatur vitium.

D *for. de ipsis

CAPVT L.

De fornicatione.

E Isid. FOrnicatio est omnis immunda pollutio. Prima fornicationis oculorum tela sunt, secunda verborum, sunt autem principalia genera fornicationis duo, primum *in qua fit per commixtionem carnis siue cũ fœmina, vel etiam alia quacumq; immunditia ad explendum libidinis ardorem. Hæc autẽ carnalis dicitur fornicatio. Secunda autem spiritalis dicitur fornicatio quæ sola concupiscẽtia & desiderio perpetratur: De qua Dominus dicit, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iam mœchatus est eam in corde suo.* Hæc autẽ est huius impurissimæ passionis perfecta curatio, vt subtrahat se modis omnibus ab eorum consortio & visu, vbi hæc latitat miserrima passio, & cum oratione assidua, lectione crebertima, vigilijsque continuis recordationem ignis æterni ac timorem præsentiæ Dei, diemq; mortis absq; vlla intermissione pertimescat, & ieiunia, esuriemque diligat, & saturitatem ventris refugiat, pulchre S. Ambrosius Episcopus, vt peritissimus medicus cuidam tale dedit consilium: statue in pondere panem tuum, & bibe mensura aquam tuam & spiritus fornicationis fugiet à te.

*for. legen. (inquam) Matth. 5. 28 F Ambr.

CAPVT LI.

De Philargiria.

PHilargiria, quæ interpretatur auaritia, siue amor pecuniæ omnium criminum materia est, vnde & Apostolus ait: *Radix omnium malorum est cupiditas*, omni peccato peior est, auaritia & amor pecuniarum. Vnde per Salomonem dicitur. *Nihil est scelestius quam amare pecuniam*, hæc enim animam suam venalem facit, quoniam in vita sua proiecit intima sua. Est enim philargiria pestis insaturabilis, vt ait quidam semper, inquit, auarus eget, quia, quanto magis acquirit tanto amplius quærit. Non solum desiderio augendi excruciatur, sed etiam amittendi metu afficitur, fit enim hæc insatiabilis bestia, in acquirendo, habendo, tenendo, & sicut Hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit, sic & hæc passio vt dictum est, quanto plus habet, tanto plus desiderat. Quamuis omni humano generi sit inimica hæc passio, maxime autem monachis, omnibusque clericis diuinis consecratis officijs perniciosissima est, impugnat enim eos tripliciter: Primo facit eos velle acquirere ea, quæ ne antea quidem possederant, sicut Giezi discipulus sancti Elisei. Vnde cum eo æterna lepra sancti Elisei maledictione perfunduntur. Secundo facit eos resumere pecunias, vt Iudam proditorem Domini, quas antea, Christum secuti abiecerant. Tertio facit eos aliquam reseruare partem, cum de diuitijs seculi ad paupertatem Christi transeunt, vt Ananiam & Sapphiram, pro quo vna cum eis Apostolico ore morte mulctantur. Hæc est igitur huius vitij perfecta curatio si illud Apostolicum recordetur dictum. *Habentes*, inquit, *victum & vestitum his contenti simus* & illud quod in Euangelio diuiti dictum est. *Stulte hac nocte animam tuam expetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* sed & assiduus Dei timor & recordatio præteritorum scelerum & fraterna charitas & opera misericordiæ, eleemosynarumque pia largitio, spesque futuræ beatitudinis, & oratio cum cordis, *cognatione, assidua, hanc serpentinam & virulentam mortificant passionem.

Isid. 1. Tim. 6. 10. Eccli. 10. 9. G Cassianus 1. Tim. 6. 8. Luc. 12. 20 H *for. cõtritione

CAPVT LII.

De Ira.

Cass. IRæ duo sunt genera, vnum salutiferum, alterum mortiferum. Ira salutaris est, quando homo contra propria irascitur peccata & contra se ipsum indignatur, dum male agit, & contra lasciuientes cordis sui motus indignanter infremit, & ea, quæ agere turpe est coram hominibus

A

vel proloqui, in latebras ascendisse sui pectoris indignatur, Angelorum scilicet ac Dei ipsius praesentiam, cui nulla latent secreta pertimescens. Taliter nos irasci etiam ille propheta docet, qui dicit. *Irascimini & nolite peccare,* id est, irascimini vestris vitijs ac suggestionibus prauis, & nolite peccare, id est, prauas & malas cogitationes vestras ac suggestiones ad effectum & opus malum non perducere, ille etenim cum aquam de Cisterna Bethlemitica concupisset* eamque sibi allatam iratus contra cupiditatis suae desideria, statim fudit* eam in terra, dicens. *Propitius sit mihi Dominus, non faciam hoc, num sanguinem istorum hominum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Alia est autem ira mortifera, quae multa generat mala, haec enim si cordi insidet, oculum mentis noxijs tenebris obcaecat, nec iudicium rectae discretionis acquirere, nec honestae contemplationis intuitum, nec maturitatem consilij possidere permittit, nec vitae participes, nec iustitiae tenaces, nec veri luminis capaces poterunt existere morbo huic irretiti, fit autem haec ira aliquando propria amaritudine, aliquando alterius prouocatione diabolico instinctu, haec autem ita mentem turbat, rectum consilium perdit, quae si ratione non regitur, in furorem vertitur, ita vt homo sui animi impotens sit, faciesque non* conuenit. Cuius morbi haec erit medicina perfecta, vt primitus credamus, nullo siue iniustis, siue iustis ex causis licere nobis irasci: dicente Apostolo. *Omnis ira & indignatio tollatur à vobis,* nullam reliquit huius generis iram, sed & per patientiam & mansuetudinem ac longanimitatem, & per veram cordis compunctionem, & per rationem intellectualem quam Deus inseruit mentibus humanis, & per timorem* illud Euangelici dicti, *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio,* & per recordationem orationis Dominicae, vbi Deo dicitur, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* optime vincitur.

Psal. 4. 5. — *for. eaque sibi allatam vel redundat postea — *in eam — 1. Reg. 24. 7. — B — *for. cõueniat — Ephes. 4. 31. — *forte (illius) — Matth. 5. 22. — Mat. 6. 12.

CAPVT LIII.

De tristitia.

DVo sunt enim genera tristitiae, vnum secundum Deum, alterum secundũ seculum, illa quae secundũ Deum tristitia est, salutifera est: illa quae secundum seculum mortifera, secundum Deum, est tristitia, cum pro mandati negligentia, vel pro praeuaricatione tristamur, secundum quod scriptum est, *tristitia tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam,* fit vero haec tristitia modis tribus, *primo,* pro poenitudine delictorum, *secundo* pro desiderio perfectionis, *tertio* pro contemplatione futurae beatitudinis, de qua & beatus Paulus Apostolus, *quae secundum Deum est,* inquit, *tristitia poenitentiam ad salutem stabilem operatur, seculi autem tristitia est, quae mortem operatur* cum aliquis de rebus humanis, quae ad seculum pertinent, contristatur, haec miserabilis passio in bono opere nihil perficere valet, haec animum turbat, & saepe perniciosissimam desperationem animae inijcit, delinquenti, & bonorum futurorum spem abstrahit, fit autem haec saeculi tristitia modis sex, aliquando ex praecedente ira descendit, aliquando pro amissione lucri, aliquando pro detrimento illato aduenit, aliquando pro irrogatis generatur iniuriis, aliquando de irrationabili mentis confusione procedit, aliquando mortali desperatione pro scelerum magnitudine nascitur. Quae omnia tristitiarum genera vincuntur per spiritalem laetitiam & meditationem, & per bonorum spem futurorum, & psalmorum consolationem scripturarum, seu & per fraternum in spiritali iucunditate colloquium, sanctorumque operum exercitium.

Basil. — C — Cass. — 2. Cor. 7. 10. — Cass. — D

CAPVT LIV.

De Accidia.

ACcidia graecè, latinè taedium siue anxietas cordis, vel etiam otiositas dicitur: Affinis haec tristitiae, excaecat enim mentem accidia, ab omni contemplatione virtutum, & ab vniuerso intuitu spiritalium sensuum tacit animam dormitare, sicut beatus,* eleganter expressit, *dormitauit, inquiens, anima mea prae taedio,* id est, prae accidia, proprie satis non corpus dixit, sed animam dormitasse, fit enim aliquando in mente, aliquando corpore, aliquando mente simul & corpore, omnibus enim modis Deo famulantib. multum nocere probatur, dũ ab omni actu spiritali redduntur otiosi, ac vacui, hoc autem vitiũ sancti Ecclesiarum Dei doctores inter octo vitia principalia non adnunciauerunt, sed sub tristitiae titulo eum posuerunt, & in Catalogo praedictorum vitiorum, vnde accidiam subtraxerunt, vt eadem vitia, octo fierent, inuidiam posuerunt, sed èconta S. Patres Ægyptij & Palestini orientaliumq; regionũ, qui institutiones & correctiones monachorum maxime descripserunt, in adnotatione principalium vitiorum, inuidiam rectè sub superbiae titulo ordinauerunt, Accidiam vero vnum ex octo principalibus vitijs esse, affirmauerunt, ob hoc videlicet quod monachis ac solitarijs magis experta est haec passio, & in eremo conuersantib. infestior hostis ac frequẽs, sed quia in prima eorundẽ principalium vitiorũ descriptione, de accidia nil tetigimus, restat quoq; vt de origine ac vexatione indicijsq; & increpationib. remedijsq; illius, sicut & de caeteris principalibus vitiis excerpsimus adiuuante Domino ex sanctorum patrum opusculis breuiter congrua capiamus testimonia.

Cass. — E — *for. deest (David) — Psal. 118. 28. — F

CAPVT LV.

De natura & origine accidiae.

ORitur autem accidiae spiritus ex intermissione & negligentia boni operis, necnon & ex lectionis orationisque tarditate seu & ex huius saeculi tristitia, ac ex aspernatione atque contemptu diuinorum & principalium praeceptorum.

CAPVT LVI.

Qualiter accidia vexat accidiosos.

QVem haec miserabilis possidet passio ad omne opus bonum facit, desidẽ, pigrum & inertem, non eum in proprio residere loco permittit, lassitudinem corporis vbiq; esuriem quinta sextaq; hora tantã suscitat, vt velut longo itinere, grauissimoq; labore confectus sibimet lassus videatur, & tunc huc, illuc perambulat anxius, saepiusq; ingreditur & egreditur cellam ac solem velut ad occasum tardius properantem crebrius intuetur omniq; actu spiritali redditur otiosus ac vacuus, nihilq; aliud procurans, quam vbi quoque colore occasionem refectionis futurae valeat praeparare, mens enim otiosi nihil aliud cogitare nouit, quam de escis ac ventre, *in desiderijs enim est,* vt sacra testatur scriptura, *omnis otiosus.*

Cass. — G — Prou. 31.

CAPVT LVII.

Quibus indiciis cognoscitur accidiosus.

BEatus Paulus Apostolus vt verus & peritissimus medicus accidiae vulnera in Epist. ad Thessal. plenitet aperit dicens, *Rogamus vos fratres, vt abundetis magis, & operã detis, vt quieti sitis, & vt vestra negotia agatis & operemini manibus vestris, & vt honestè ambuletis & nullius aliquid desideretis.* His enim indicijs cognoscitur accidiosus, primo quia inquietus est, secundo quia aliena curat negotia, quod curiositatis est malum, tertio quia dedignatur proprijs operari manibus, quarto quod inhonestè ambulat, quinto quod aliena desiderat, & in alio loco idem Apostolus notat accidiosos: *Audiuimus,* inquit, *inter vos quosdam ambulare inquietè,* & subiungit statim, *secundum languorem, qui inquietudinis huius est radix; nihil,* inquit, *operantes,* tertium quoque morbum, qui ex isto velut quidam ramusculus oritur, sed curiosè agentes, ecce in hac sententia accidiosos inquietos esse, & otiosos, ac curiosos confirmat, quẽ enim haec miserabilis nequissimaque cruciat passio, adorationis studium facit pigrum, & desidem & somni telo elidit, ad lectionis vero exercitium fatigatum, inertem, dormitantem reddit & pigrum, & quasi toto corpore vermibus grauiter scatentem, ad exercitationem quoq;

Cass. — 1. Thess. 4. 10. — H — 1. Thess. 3. 11.

cuiuslibet

cuiuslibet boni operis tardum facit & pigrum, & vt ab oratione, à lectione, à prædicatione, ab honesta & sancta collocutione, nec non & vt ab exercitatione boni operis, se celeriter possit subtrahere, diuersas ac multiplices, cogitatione & opere inquirit occasiones & causas.

CAPVT LVIII.

Increpatio contra spiritum accidiæ diuersa super hoc testimonia.

Cass. VT quid infelix anima talibus inimicorum machinis impedita, accidię spiritu, velut ariete validissimo fatigata somni telo elisus cōcidis, aut cellulæ tuæ ostijs abscedis. Non ti. declinando accidiæ impugnationē fugies, sed resistendo superabis, quisquis es ô monache, qui spiritu accidiæ vexatis, audi antiquissimam verissimamq; à sanctis patribus prolatam sententiam, operantem monachum dæmone vnō pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus deuastari, audi sanctam & verissimorum Patrum B sententiam. Qui accidiam superare desiderat, nec somnum diligat, nec cellulam deserat, sed vigiliis & orationibus insistat, & cellulæ suæ claustris operibus manuum suarum interitus consistat, Audi & sanctum Ambrosium Amb. Episcopum dicentem; si spiritus accidiæ ascendet in te, domum tuam non derelinquas, & ne derelinquas in tempore luctum vtilem, spiritum accidiæ abigunt lachrymæ, spiritum autem tristitiæ conturbat oratio, & ne des teipsum somno multo, quia somniculosus & accidiosus monachus incedit in malis, qui autem vigilat, sicut passer erit, somnus multus adducit tentationes; qui autem vigilat effugiet eas, Audiant pariter omnes, in Cass. sanctæ matris Ecclesiæ gremio constituti, qui accidiæ nequissimo spiritu pulsantur, audiant intente sancta- Prou. 31. rum testimonia scripturarum, ait Salomon, *In desiderijs est omnis otiosus*, in desiderijs scilicet malis, de hoc iner- Eccli. 33. 29 tiæ morbo rursus idem Salomon ita commemorat. *Via nihil operantium strata sunt spinis*, id est, vitijs. Item, *mul- Prou. 28. 19. ta enim mala docuit otiositas*, & iterum, *qui sectatur otium replebitur paupertate*, vel visibili scilicet, vel inuisibili; de C hac autem otiosi paupertate alibi quoque ita describi- *For. deest (veste) tur, *& * vestietur conscisa & pannosa omnis somniculosus*: id est, non metebitur illo vestimento ornari, de quo Apostolus præcepit. *Induite vos Dominum Iesum Christum*, Rom. 13. 14. & iterum, *induti lorica iustitia & charitatis*, & de quo etiam Dominus ad Hierusalem loquitur per prophe- 1. Thess. 5. 8. tam, *Exsurge, exsurge Hierusalem, induere vestimentis gloriæ tuæ*, Audiant & Paulum Apostolum: *Omnes accidio- Isa. 52. 1. si & otiosi, si quis non vult operari non manducet*: & iterum: 2. Thess. 3. 10 *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est; vt habeat, vnde tribuat ne- Ephes. 4. 28 cessitatem patientibus*: Non solum enim verbis damnat Apostolus otiositatem sed & exemplis nam cum venisset: Corinthum accessit ad Aquilam & Priscillam, *eo quod eiusdem essent artis & manebat cum eis, & operabatur, erat enim scenofactoria artis.* & alibi loquitur. *Quæ mihi necessaria erant, & his qui mecum fuerant; ministrauerunt manus istæ*: Multa enim & infinita mala generat otiositas in mente Christiani, & econtra multa vitia amputat operatio manuum. Quapropter inertiæ & otiositatis malum velut serpentem totis viribus fugiant Christiani, & manuum suarum operibus, bonorumque omnium studijs occupati, in diuinis laudibus, D corde, ore, & opere, cum sancto Dauid propheta Ps. 127. 1. persistant dicentes, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius: Labores manuum tuarum quia manducabis beatus es, & bene tibi erit.*

CAPVT LIX.

Remedia quibus accidiam superare possimus.

VIncitur autem hic nequissimus accidiæ morbus, per orationis, & vigiliarum instantiam & per studium lectionis diuinæ, & per sactam bonorum hominum collocutionem, & admonitionem, necnon & per recordationem & confessionem peccatorum, seu & per desiderium futuræ beatitudinis, ac per stabilitatem loci deuotionisque suæ, & per exercitium cuiuslibet artis & laboris, sed & per infirmitatem corporis, & silentium oris & locutionis, seu & per timorem Domini, ita vt credat se præsentem esse Deum scrutantem corda & renes. Nec non & per refrenationem vanarum cogitationum, propter quod dictum est, *prouidebam Dominum in conspectu meo* Ps. 15. 18. *semper quoniam à dextris est mihi ne commouear*, & per separationem eorum, qui iactantiam & otiositatem sectantur & contemplationem diuinæ maiestatis, ita vt semper se F credat adsistere ante oculos Dei.

CAPVT LX.

De cœnodoxia, id est, vana gloria.

COenodoxia græcè, latinè inanis gloria, siue vana Cass. gloria dicitur, quæ varia & multiformis atque subtilis est bestia omnibus, quos superat nimis nociua, quæ Christianum non solum vt cætera vitia, in parte carnali, sed etiam in spiritali pulsat, ita vt si non potest carnalibus vitijs decipi, spiritalibus successibus acrius sauciatur, & secundum definitionem antiquorum patrum xv. modis & eo amplius militem Christi vulnerare conatur, id est, in habitu, in forma, in incessu, in voce, in opere, in vigilijs, in ieiunijs, in oratione, in remotione, in lectione, in scientia, in taciturnitate, in obedientia, in humilitate, in longanimitate, tantoque hic morbus perniciosior ad conflictum quanto obscurior ad cauendum, fit enim tam Isid. in factis quam in dictis, dum sibi magis quam Deo placere; & laudem ab hominibus comparare studet, dum nihil sibi homo arrogare debeat propter peccatum. G Quanto enim hæc rabies deiecta fuerit, tanto acrius re- Cass. surgit ad luctam, omnia vitia superata marcescunt, & deuicta per singulos dies infirmiora redduntur, hoc vero deiectum potentius resurgit ad pugnam, & cum putatur extinctum sua morte viuacius conualescit, nec ætate enim, nec solitudine deferuet, quod nec loco nocuit * exaudi, nec ætate marcescere, sed de successib. vir- *for. excludi tutum animatur, & non solum paruos, verum etiam magnos & angelicos viros de culmine virtutum deijcit, Graue est iactantiæ & vanæ gloriæ vitium & pericu- Iohannes Iesu. losum nimis, & quod de ipso etiam perfectionis fastigio deijcit animas. Est autem species mali huius duplex quædam; nonnullus enim accidit in ipsis statim initiis operum bonorum cum parum aliquid vel abstinentiæ impenderint, vel pecuniæ in pauperes prærogauerint, & cum de eo ita sentire debeant, qui quasi quod impenderint, adiecerint, ita agunt & ita sentiunt, quasi eminentiores sint illis, quibus aliquid largiti sunt. Alia vero est iactantiæ & vanæ gloriæ species, cum quis ad summam virtutem perueniens, non totum Deo sed suis laboribus ac studiis deputat, & dum ab hominibus gloriam quærit, perdit eam, quæ à Deo est, propter quod omni gene- H re fugiamus iactantiæ vitium, ne forte incurramus eum lapsum, quem diabolus incurrit. Hi enim, quos hæc vexat passio, laudem humanam de bonis quæ agunt recipere desiderant, & de operibus, quorum sibi, conscij Prosp. non sunt turpiter iactant, & se ab hominibus prædicari per nefas affectant, sanctosque viros sui comparatione depravant, & ideo bona faciunt aliquando cum magno labore, vt ab hominibus, quibus placere non Deo desiderant laudem recipiant. Vnde & veritas ait. *Amen dico* Matth. 6. 2. & 5. *vobis receperunt mercedem suam.* Cum enim pro recto opere, vt S. Papa ait Gregorius, laus transitoria quæritur, æterna

A retributione res digna vili pretio venundatur. Cuius miseræ passionis hæc est perfecta & salubris medicina, recordatio diuinæ bonitatis assidua, per quam omnia bona humano generi collata fuerunt, sunt eruntq; nec non & oratio continua cum lachrymis cordisq; compunctione, & diuinarum scripturarū intentissima lectio, seu & præteritorum recordatio peccatorū; eorumq; rememoratio bonorū qui vanæ gloriæ morbo deiecti sunt, sed & recordatio Dñi sententiæ, *quomodo*, inquit, *potestis vos credere qui* Ioan. 5. 44. *gloriam abinuicē accepistis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis*, Gal. 1. 10 & Apostoli Pauli, *si hominibus placerem, Christi seruus nō essem.* Gal. 5. 26 & *noli fieri inanis gloriæ cupidi*, & sancti Dauid Prophetæ. Ps. 52. 6. *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placēt*, & super omnia si intentissima diuinæ bonitatis laus in corde, ore atq; opere cum timore mortis, vitæ præsentis semper ante oculos cum lachrymis versetur.

CAPVT LXI.

De superbia.

B SVperbia est mater & origo ac regina omnium vitiorum per quam angeli ceciderunt de cœlo; & sicut est origo omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum, ipsa est enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema, hæc enim aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut nouissimæ de virtutibus deijcit, & inde omnium peccatorum est maxima, quia tam per virtutes quam per vitia humanam mentem exterminat, omnis peccans superbus est, eo quod faciendo vetita contemptui habeat diuina præcepta. Eccli. 10. 15. *Recte ergo initium omnis peccati superbia*, quia nisi præcesserit mandatorum Dei inobedientia, transgressionis nō sequitur culpa: Cuius duo sunt genera, vnum quod spiritales summosque pulsat, aliud quod etiam incipientes carnalesq; complectitur, & licet vtrumque superbiæ genus tam in Deum quam in homines noxia inflet elatio, tamen illud primum specialiter referrur ad Deum, secundum ad homines proprie pertinet; superbia enim, vt dictum est, omnes pariter virtutes euacuat, cunctaque iustitia & sanctitate hominem Prosp. expoliat, & quid amplius, non solum peccatum est ipsa, C sed etiam nullum peccatū fieri potest aut potuit, vel poterit sine ipsa. Cass. Qui morbus licet vltimus sit in conflictu vitiorum atque in ordine ponatur postremus, origine tamen & tempore primus est, sæuissima & superioribus cunctis immanior bestia, perfectos maxime tentans & propemodum iam positos in consummatione virtutum Basil. morsu diriore depascens. Cognoscitur quidē hic nequissimus morbus ex eo quod semper ea quæ eminentiora sunt quærit & exoptat cunctosque despicit, vt cunctis semetipsum superiorem efficiat. Curatur autem si credat Iaco. 4. 6. sententiæ eius qui dixit. *Deus superbis resistit*, & si se abstrahat Cass. & recedat ab omnibus occasionibus elationis, & si vero & humili corde omnibus se viliorem & inferiorem mente & voce credat ac pronunciet, & si vniuersa quæ fuerint ei irrogata, tristitia, vel damnosa patientissime toleret, & si semper Domini & sanctorum eius recolat passiones, & si se cogitet cito de hoc seculo migraturum, & sic certissimè credat absq; Dei adiutorio nil boni posse cogitare, loqui vel facere & si orationi, lectioni assidue D cum compunctione cordis insistat.

CAPVT LXII.

De sex vitiorum concordia & duorum ab iis dissidentium cognatione.

Strap. HÆc igitur octo vitia licet diuersos ortus ac dissimiles efficientias habeant, sex tamen priora, id est, gastrimargia, fornicatio, philargiria, ira, tristitia, accidia, quadam inter se cognatione, & vt ita dixerim concatenatione, connexa sunt, ita vt prioris exuberantia sequentis efficiatur exordium. Nam de abundantia gastrimargiæ, fornicationem, de fornicatione, philargiriam, de philargiria, iram, de ira, tristitiā de tristitia, accidiam, necesse est pullulare, ideoque simili contra hæc modo atq; eadem ratione pugnandum est, & à præcedentibus semper aduersus sequentes oportet nos inire certamina facilius enim cuiuslibet arboris noxia latitudo ac proceritas exarescit, si ante radices eius, quibus innititur vel nudatæ fuerint, vel succisæ, & infestantes humores aquarum continuo siccabuntur, cum generator earum fons ac profluentes venæ solerti industria fuerint obturatæ, quamobrem vt accidia vincatur, ante superanda tristitia est, vt tristitia propellatur, ira prius est extrudenda, vt extinguatur ira, philargiria calcanda est, vt euellatur, philargiria, fornicatio compescenda est, vt fornicatio subruatur, gastrimargiæ est vitium castigandum, Residua vero dico, id est cænodoxia & superbia, sibi quidem similiter illa, qua de superioribus vitijs diximus ratione iunguntur, ita vt incrementum prioris, ortus efficiatur alterius. Cænodoxiæ enim exuberantia superbiæ fomitem parit, sed ab illis sex prioribus vitijs penitus dissident, nec simili cum eis societate fœderantur, siquidem non solum nullam ex illis occasionem suæ generationis accipiant, sed etiam contrario modo atque ordine suscitentur: F Nam illis euulsis hæc * euentius fructificant, & illorum morte viuatius pullulant atque succrescunt, Vnde etiam diuerso modo ab his duobus vitiis impugnamur, in vnumquodque sex vitiorum tunc incidimus, cum à præcedentibus eorum fuerimus elisi, in hæc vero duo victores & vel maxime post triumphos periclitamur incurrere. Omnia igitur vitia quemadmodum incremento præcedentium generantur, ita illorum diminutione purgantur, & hac ratione, vt superbia possit explodi, cænodoxia est præfocanda, & ita semper prioribus superatis, sequentia conquiescent, & extinctione præcedentium residuæ passiones atque labore marcescent, & licet hæc quæ prædiximus octo vitia illa qua commemorauimus, ratione sibi inuicem connexa atque permixta sint, specialius tamen in quatuor coniugationes & copulas diuiduntur. Gastrimargiæ namque fornicatio peculiari consideratione fœderatur, philargiriæ, ira, tristitiæ, accidia, cœnodoxiæ, superbia familiariter coniugatur.

* for. feruentius, vel euidentius.

G

CAPVT LXIII.

De origine & qualitate vniuscuiusq; vitij.

Strap. ET vt singillatim nunc de vniuscuiusque vitij generibus disputemus, gastrimargiæ genera sunt tria, primū quod ad refectionem perurget hominem, ante horam statutam ac legitimam festinare, secundum quod expletione ventris & quarumlibet escarum vorocitate lætatur, tertium, quod accuratiores ac delicatissimos desiderat cibos. Quæ tria non leui dispendio christianū feriunt, nisi ab omnibus istis pari studio atq; obseruantia semetipsum expedire contenderit. Nam quemadmodum absolutio ieiunii ante horam Canonicam legitimamque nullatenus præsumenda est, ita & ventris ingluuies & escarum sumptuosa atque exquisita præparatio similiter amputanda, ex his enim tribus causis diuersæ ac pessimæ valetudines animæ procreantur: Nam de prima, congregationis odium gignitur, atque exinde horror & intollerā-H tia eiusdem concrescit habitaculi, quam sine dubio mox discessio, ac fuga velocissima subsequitur. De secunda igniti luxuriæ ac libidinis aculei suscitantur, Tertia etiam inextricabiles philargiriæ laqueos nectit ceruicibus captiuorum, nec aliquando hominem sinit perfecta Christi nuditate fundari. Cuius nobis passionis inesse vestigia, isto quoque * deprehensus indicio. Cum forte ad refectionem detenti ab aliquo fratrū contenti non sumus eo sapore cibis sumere, quo ab exhibente conditi sunt, sed quiddam superfundi eis vel adijci importuna atq; effrenata possimus libertate, quod fieri penitus non oportet tribus de causis, primo quia mēs Christiani, semper debet in omni tolerantia ac parcitatis exercitatione versari, & secundum Apostolū discere in quib. est sufficiens esse. Nullatenus n. poterit vel occulta vel

*for. deprehendemus

maiora

A maiora corporis desideria refrænare, quisquis de gustatione modicę in suauitatis offensus, n ad momentū quidē delicias gutturis sui valuerit castiga re, secundo quod nōnunquam euenit, vt ad horam desi t illa species, quæ postulatur à nobis, & verecundiam necessitati vel frugalitati suscipientis incutimus, public ntes scilicet paupertatem eius, quam soli Deo cognitam esse maluerat. Ter tio quod interdum solet sapor ille, quem nos adipiscimur alijs displicere, & inuenimur iniuriam multis, dum nostræ gulæ, ac desiderio satisface re cupimus, irrogare, propter quod omnimodis hæc in nobis est castiganda libertas. Fornicationis genera sunt tria. Primum quod per cōmixtionem sexus vtriusq; perficitur, secundum absq; fœmineo tactu, pro quo patriarchæ Iudæ filius à Domino percussus legitur quod in scri pturis sanctis immunditia nūcupatur, super quo Apostolus. *Dico autem innuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneserint sicut & ego, quod si non continent, nubant, melius est enim nubere quam vri.* Tertium quod animo ac mente concipitur, de quo Dominus in Euangelio ait, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Quæ tria genera B. Apostolus pari modo extinguenda pronuncians, *mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem* &c. & iterum de duobus ad Ephesios, *Fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis.* & iterum, *illud autem scitote quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Quæ tria vt à nobis pari obseruatione caueantur similis nos eorum à regno Christi atque vna deterret exclusio. Philargiriæ genera sunt tria, primum quod abrenuncianres diuitijs ac facultatib. suis spoliari non finit, secundum quod ea, quæ à nobis dispersa sunt, vel indigentibus distributa, resumere nos maiore cupiditate persuadet, tertium quod ea quæ nec antea quidem possedimus desiderari *adquiriue compellit. Iræ genera sunt tria, vnum quod exardescit intrinsecus, quod græcè θyilloc dicitur, aliud quod in verbum & opus effectumque prorumpit quod opthi nuncupatur, de quibus & Apostolus. *Nunc autem deponite*, inquit, *& vos omnem iram, indignationem*, Tertium quod non vt illa efferuens ad horam digeritur, sed per dies & tempora reseruatur, quæ ILHNIC dicitur. Quę omnia æquali sunt à nobis horrore damnanda. Tristitiæ genera sunt duo, vnum quod vel iracundia desinente vel de illato damno ac desiderio præpedito, cassatoq; generatur, aliud quod de irrationabili mentis anxietate, seu desperatione descendit. Accidiæ genera sunt duo, vnum quod ad somnum præcipitat ęstuantes, aliud quod cellam deserere ac fugere cohortatur. Cœnodoxia licet multiformis ac multiplex sit, & in diuersas species diuidatur, genera tamē eius sunt duo, primum quo pro carnalibus rebus ac manifestis extollimur. Secundum quo pro spiritualibus & occultis desiderio vanæ laudis inflamur.

1. Cor. 7. 9.
Matth. 5. 28.
B
Colos. 3. 5
Ephes. 5. 3
Ephes. 5. 5
*fort. adquirereue
Colos. 3. 8
C

CAPVT LXIV.

De varia oppugnatione omnium vitiorum.

Cass.
D

HÆc octo vitia cum omne hominum genus pulsent, non tamen vno modo impetunt cunctos, in alio namq; spiritus fornicationis locum obtinet principalē, in alio superæquitat furor, in alio cœnodoxia vindicat tyrannidem, in alio arcem superbia tenet, & cum constet omnes ab omnibus impugnari, diuerso tamen modo & ordine singuli laboramus.

CAPVT LXV.

De instituendo aduersus vitia certamine secundum ipsorum infestationem.

Serap.

QVamobrem ita nobis aduersus hæc arripienda sunt prælia, vt vnusquisque vitium quo maxime infestatur, explorans, aduersus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem obseruationemque defigens aduersus illud quotidiana ieiuniorum dirigens spicula, cōtra illud cunctis momentis cordis suspiria crebraque gemituum tela contorquens, aduersus illud vigiliarū labores ac meditationes sui cordis impendens, indesinentes quoq; orationum fletus ad Deum fundens & impugnationis suæ extinctionem, ab illo specialiter ac iugiter poscens impossibile namq; est de qualiber passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriā certaminis semet obtinere non posse, cum tamen vt valeat emundari, necesse sit eum die noctuq; se in omni cura & sollicitudine permanere, eumq; se ab ea senserit absolutū, rursus latebras sui cordis simili intentione perlustret, & excipiat sibi quā inter reliquas perspexerit diriorem, atque aduersus eam specialius omnia spiritus arma commoueat, & ita semper validioribus superatis celerem de residuis habebit facilemq; victoriam, quia & mens triumphorū processu redderur fortior & infirmior pugna succedens promptiorē ei prouentum faciet præliorum, & fieri solet ab his, qui coram regibus mundi huius omnigenis congredi bestijs præmiorum contemplatione consuerunt, quod spectaculi genus vulgo pancarpum nuncupatur, hi, inquam, feras quascumq; fortiores robore vel feritatis rabie conspexerunt diriores, aduersus eas primę congressionis certamē arripiunt, quibus extinctis reliquas quæ minus terribiles minusq; vehementes sunt exitu faciliore prosternunt, ita & vitijs semper robustiorib. superatis atq; infirmiorib. succedentib. parabitur nobis absq; vllo discrimine perfecta victoria. Nec tamen putandum, quod principaliter quis contra vnum dimicans vitium & velut incautius aliorum tela prospiciens inopinato ictu facilius valeat sauciari quod nequaquam fiet, impossibile namq; est eum qui pro cordis sui emūdatione sollicitus erga impugnationem vitij cuiuslibet intentionem suæ mētis armauerit, aduersus cætera quoq; vitia, generalem quendā horrorem, & custodiam similem non habere, quo n. modo vel de illa, qua absolui desiderat passione merebitur obtinere victoriam, qui se indignum purgationis pręmio aliorum facit contagio vitiorum, sed cum principalis nostri cordis intentio velut specialē sibi pugnam aduersus vnam exceperit passionem, pro ipsa orabit attentius peculiari sollicitudine ac studio supplicans, vt eam diligentius obseruare, & per hæc celerem mereatur obtinere victoriam: Hūc namq; nos ordinem præliorū exercere debere, nec tā de nostra virtute confidere ēt legislator his docet verbis. Nō timebis eos, quia Dn̄s Deus tuus in medio tui est. Deus magnus & terribilis, ipse consumet nationes has in cōspectu tuo paulatim, *atq; per partes. Nō poteris delere eas pariter; ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ, dabitq; eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, & interficiet illos, donec pœnitus deleantur.

E
F
G
*in M.S. adq.

CAPVT LXVI.

De duobus vitiorum generibus & efficientia eorum quadripertita.

HOrum igitur vitiorum genera sunt duo, aut n. naturalia sunt, vt gastrimargia, aut extra naturam vt philargiria, efficientia vero quadripartita est, quædam enim sine actione carnali consummari non possunt, vt est gastrimargia & fornicatio, quædā vero etiam sine vlla corporis actione complentur, vt est superbia & cœnodoxia, Nonnulla commotionis suæ causa extrinsecus capiunt, vt est philargiria & ira, alia vero intestinis motibus excitantur, vt est accidia atque tristitia. Cass. H

CAPVT LXVII.

Recapitulatio de Gastrimargia & fornicationis passione & curatione earum.

GAstrimargia & fornicatio cum naturaliter nobis insint, nam nonnunquam etiam sine vllo animi

incitamento solius instigatione ac prurituc arnis oriuntur, materia tamen vt consumantur egent extrinsecus, & ita in effectum corporali actione perueniunt. Hæc duo specialiter vitia, quæ ministerio carnis explentur extra illam spiritalem animæ curam egent peculiarius etiam continentia corporali, quæ ieiunijs, vigilijs, & operis contritione perficitur, * his quæ fuerit remotio localis adiuncta, quia sicut amborum vitio, id est, animæ & corporis generantur, ita superari nisi vtriusque labore non poterunt.

* for. hisq;

CAPVT LXVIII.

Quæ carnalia vel quæ spiritalia dicantur esse vitia.

Cass. QVamuis beatus Paulus Apostolus omnia vitia generaliter pronunciauerit esse carnalia, siquidem inimicitias & iras, atque hæreses, inter cætera carnis opera numerauerit. Nos tamen ad illorum curationes atque naturas diligentius colligendas duplici ea diuisione distinguimus. Nam ex his quædam dicimus esse carnalia, quædam vero spiritalia, & illa quidem carnalia, quæ specialiter ad motum sensumque pertinent carnis, quibus illa ita delectatur ac pascitur, vt etiam quietas incitet mentes, inuitasque eas nonnunquam pertrahat ad suæ voluntatis assensum, de quibus beatus Apostolus, *in quibus*, ait, *& nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluptates carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ sicut & cæteri.* Spiritalia vero dicimus, quæ instinctu animæ solius orta non solum nihil voluptatis conferunt carni, sed etiam grauissimis eam languoribus afficientia miserrimæ iucunditatis pastu animam tantum nutriunt ægrotantem, & idcirco hæc quidem simplici cordis indigent medicina. Quæ autem carnalia sunt non nisi duplici, quemadmodum diximus ad sanitatem curatione perueniunt, vnde puritati studentibus plurimum confert, vt harum carnalium passionum ipsas materias sibi primitus subtrahant, quibus potest vel occasio vel recordatio earundem passionum ægrotanti adhuc animæ generari. Necesse est enim vt morbo duplici duplex adhibeatur correctio, nam corporis, ne concupiscentia in effectum tentet prorumpere, necessario effigies & materia illiciens subtrahenda est, & animæ nihilominus ne eam vel cogitationem concipiat attentior meditatio scripturarum & sollicitudo peruigil ac remotio solitudinis vtiliter apponenda. In cæteris autem vitiis humana consortia nihil obsunt, quinimo etiam plurimum conferunt his, qui carere ijs in veritate desiderant, quia frequentia hominum magis arguuntur, & dum lacessita crebrius manifestantur celeri medicina perueniunt ad salutem.

Ephes. 2. 3

CAPVT LXIX.

Testimonia diuersa super significationem octo vitiorum.

Matt. 12. 43 DE his octo vitijs & in Euangelio ita significatur, *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida, quærens requiem & non inuenit, tunc dicit. Reuertar in domum meam vnde exiui & veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam, tunc vadit & assumit alios spiritus septem nequiores se & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Ecce vt ibi septem gentes legimus, excepta Ægyptiorum de qua egressi fuerant filij Israel, ita & hic septem reuersi spiritus dicuntur immundi, excepto eo qui ab homine prius narratur egressus, de hoc septenario fonte vitiorum Salomon quoque in Prouerbijs ita describit, *si te rogauerit inimicus tuus voce magna, nec consenseris ei, septem enim nequitiæ sunt in anima eius*, id est si superatus gastrimargiæ spiritus cœperit tibi sua humiliatione blandiri, rogans quodammodo, vt aliquid relaxans à cœpto feruore, impertias ei, quod continentiæ modum & mensuram iustæ districtionis excedat, ne resoluaris eius subiectione, vel suggestione, ne arridente impugnationis securitate qua videris paulisper à carnalibus incentiuis factus quietior ad pristinam remissionem vel prætoritas gulæ concupiscentias reuertaris, per hoc enim dicit spiritus ille quem viceras, *reuertar in domum meam, vnde exiui* &, procedentes ex eo confestim septem spiritus vitiorum erunt ibi acriores quam illa passio quæ in primordijs fuerat superata, qui te mox ad deteriora pertrahent genera peccatorum.

CAPVT LXX.

Quod deuicta passione gulæ impendendus sit labor ad virtutes cæteras obtinendas.

QVapropter & continentiæ incubantibus nobis festinandum est, vt gulæ passione superata protinus animam nostram vacuam esse à necessarijs virtutibus non sinamus, sed eis vniuersos recessus cordis nostri studiosius occupemus, ne reuersos concupiscentiæ spiritus inanes nos ab ipsis vacantesque reperiat, & non sibi iam soli aditum parare contentus, introducat secum in animam nostram septenarium hunc fomitem vitiorum & faciat nouissima nostra peiora prioribus. Turpior enim erit posthæc & immundior anima ac supplicio grauiore plectetur, quæ se renunciasse huic seculo gloriatur dominantibus sibi octo vitiis, quam fuerat quondam in seculo constituta, cum nec disciplinam monachi fuisset professa, nec nomen. Nam & nequiores hi septem spiritus illo priore qui egressus fuerat, idcirco dicuntur, quia desideriũ, id gulæ, id est, gastrimargia per se non esset noxia, nisi intromitteret grauiores alias passiones, id est, fornicationis, philargyriæ, iræ, tristitiæ, siue superbiæ, quæ per semet noxia animæ ac peremptoria esse non dubium est, & idcirco perfectionis puritatem numquam poterit obtinere, quisquis eam de hac sola cõtinentia, id est, ieiunio corporali sperauerit adquirendã, nisi nouerit ob id se hanc exercere debere, vt humiliata carne ieiunijs, facilius possit aduersus alia vitia inire certamen, non insolescente carne saturitatis ingluuie.

CAPVT LXXI.

Quod non idem præliorum ordo sit qui ponitur in Catalogo vitiorum.

SCiendum tamen, non eundem esse in omnibus nobis ordinem præliorum, quia sicut diximus non vno modo impugnamur omnes, & oportet vnumquemq; nostrũ secundum qualitatem belli, quo principaliter infestatur, concertationum luctamina arripere, ita vt alium necesse sit aduersus vitium, quod tertium ponitur, primũ exercere conflictum, alium contra quartum, siue quintũ, & ita prout ipsa vitia in nobis obtinent principatum, vtque impugnationis exigit modus nos quoq; oportet ordinẽ instituere præliorum, secundum quem prouentus quoq; victoriæ, triumphiq; succedens, faciat nos ad puritatem cordis & perfectionis plenitudinem peruenire.

CAPVT LXXII.

Quomodo secundum octo vitia, octo gentium numerus impleatur.

OCto sunt principalia vitia, quæ humanum impugnant genus, quæ figuraliter sub gentiũm vocabulo nominata sunt, egressis enim ex Ægypto filijs Israel daturum se Dominus repromittit eis septem gentiũ terras, ita enim dicitur. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingredieris & deleuerit gentes multas coram te, Cethæum & Gergesæum, Amorrheũ, & Cananæum, Pherezæum, & Eueum, & Iebusæum septem gentes multo maioris numeri quam tu es, & robustiores te, tradideritque eas Dominus tibi percuties eas vsq; ad internecionem*, idcirco hic septem dinumerantur gentes, eo quod egressis iam de Ægypto & liberatis Deut. 7. 1

A beratis ab vna gente validissima, id est, Ægyptiorum contra has residuas septem gentes, quæ supra commemoratæ sunt, similitatione habere conflictum. Prima scilicet, quę iam deuicta, est minime computata cuius etiam terra in possessionem Israel non datur, sed vt deserat eam perpetuo & egrediatur ab ea Domini, præceptione sancitur, vna quidem gens Ægypti deseri, septem vero iubentur extingui, gens enim Ægypti, quæ iubetur deseri, vitium est gastrimargiæ cui quotidiano commercio nequaquam ex toto carere possumus, debemus enim ex necessitate non ex desiderio alimenta percipere, sicut ait Apost. Paulus, *& curam carnis ne feceritis in desiderijs.* Cum enim carnis desideria respuimus, gentem Ægyptiam deserimus. Reliquas vero septem, quæ septem sunt vitia, id est, fornicatio, philargiria, ira, tristitia, accidia, cœnodoxia, & superbia penitus iubentur extingui, quia igitur ex sanctorum Patrum opusculis pauca, donante Deo, de octo vitijs principalibus excerpsimus testimonia, nunc de pugna virtutum vel qualiter cogitatione, locutione & opere perpetrantur peccata carpiamus. — Ro. 13. 14

CAPVT LXXIV.

Quod contra vnumquodque vitium singulæ virtutes sunt opponendæ.

Isid. B IGitur contra singula vitia virtutes singulæ opponendę sunt, & aduersus impetus vitiorum contrarijs virtutib. est pugnandum, contra ingluuiem enim ventris parcitas & abstinentia est opponenda, contra luxuriam cordis, cordis est adhibenda munditia, contra luxuriam carnis, cordis & corporis est castitas exhibenda, contra auaritiā largitas, cōtra philargiriam, id est, amorem pecuniæ, nuditas & expoliatio diuitiarum, contra inuidiam charitas & fraterna congratulatio, contra odium dilectio, contra iræ incendia mansuetudo, contra tristitiam seculi spiritale gaudium, cōtra accidiam dissolutamq; vagationē, stabilitas firma, contra vanam gloriam, Dei timor, cōtra superbiam Diaboli, opponitur humilitas Christi, ira & cōtra cætera vitia vnaquæq; propria boni operis virtus opponatur, principalium enim septem vitiorū regina & mater superbia est, eademq; septem principalia multa de se parturiunt vitia, quia ita sibi & quadam cognatione iunguntur, vt ex altero alterum oriatur, sicut Dauid, qui dum C non euitauit, adulterium perpetrauit & homicidium & qui non restringit nimiam ventris ingluuiem cadit infeliciter in luxuriam.

CAPVT LXXV.

Quibus modis committitur peccatum.

QVatuor modis committitur peccatum in corde, quatuor perpetratur & opere. Admittitur in corde suggestione Dæmonum, delectatione carnis, consensione mentis, defensione elationis. Committitur opere, nūc latenter, nunc palam, nunc consuetudine nunc desperatione, istis ergo gradibus & corde delinquitur & opere malitiæ perpetratur. Trib. modis peccatum geritur, hoc est, ignorantia, infirmitate, industria, periculo autem pœnatum diuerso. Ignorantiæ namq; modo peccauit in Paradiso Eua, sicut Apost. dicit: *Vir non est seductus, mulier autē seducta in præuaricatione fuit.* Ergo Eua peccauit ignorantia. — 1. Tim. 2. 14.
D Adam vero industria, quia non est seductus, sed sciēs prudensque peccauit. Qui vero seducitur, quis consentiat euidenter ignorat. De infirmitate autem Petrus deliquit, quando ad metum interrogantis ancillæ Christum negauit, & post peccatum amarissimè fleuit. Grauius enim infirmitate est quam ignorantia quē quām delinquere, grauiusq; industria, quam infirmitate peccare, industria nāq; peccat, qui * studium ac deliberationis mentis malum agit, infirmitate autem qui casu vel præcipitatione delinquit. Nequius autem & industria peccant, qui non solum non bene viuunt, sed adhuc bene viuētes, si possunt à veritate diuertunt. Sunt enim qui ignorantes peccant, & sunt qui scienter, & sunt etiam & qui pro ignorantiæ excusatione scire nolunt, vt minus culpabiles habeantur, qui tamē seipsos non minuunt, sed magis decipiunt. Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet. Noluisse vero — * for. cor. studio ac deliberatione

E scire ad contumacē superbiam. Voluntatem quippe proprij Domini velle nescire quidē aliud quam velle Dominum superbiendo contemnere: nemo ignorās Dei ignorantia se excuset, quia Deus non solum eos indicat qui à cognitione sua reuertuntur, sed etiā illos, qui nescierunt, testante eodem Domino per Prophetā: *disperdam*, inquit, *homines, à facie terræ & eos qui auertuntur post tergum Domini & qui non quæsierunt Dominū nec inuestigauerunt eum*, & Psalmus. *Effunde*, inquit, *iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.* Sunt enim, qui leuia & minima committunt peccata in cogitatione, locutione, atq; opere, sunt & qui grauia perpetrant in cogitatione, locutione, & opere, scelera. Leuia namque in cogitatione admittunt peccata, qui lubricas & ventosas cogitationes delectantur, vnde & Dñs per Esaiam Prophetam ait: *auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Grauiter enim in cogitatione delinquūt, qui prauas & pestiferas cogitationes in tantum delectantur vt eas ad effectum peruersi operis perducere cupiant. de quibus sacra testatur Scriptura, *peruersæ cogitationes separant à Deo.* Leniter enim delinquit sermone, qui otiosum verbum loquitur: vnde Domino dicente, *reddēda est ratio*, grauiter enim peccat in verbo qui falsitatis crimen incurrit, quia os, quod mētitur occidit animam. Leuiter. n. peccat opere qui otiositatē sectatus fuerit, grauitèr qui furtū & rapinam fecerit, leuiter qui pauperem exasperauerit, grauiter qui eum expoliauerit, leuiter qui mortuum non sepelierit, grauiter qui hominem occiderit & multa his similia in locutione, & opere inuenies peccata. — Soph. 1. 3. Ps. 78. 6. Isa. 1. 16. Sap. 1. 3. F

CAPVT LXXVI.

De his qui cogitatione delinquunt.

Isid. QVamuis ab opere malo quisque vacet, pro solius tamen cogitationis prauæ malitia non erit innocens, vnde & Dominus per Esaiam: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*, non solum enim factis, sed & cogitationibus delinquimus, si eis illicite occurrētibus delectemur. Nam cogitationes illicitas occurrere Dæmonum est, cogitationibus oblectari peruersis nostrum est; sciendum autem, quia triplex est modus cogitationum nequā, vnus earū quę deliberatione & proposito peccandi mentem contaminant. Alius earum, quæ delectatione quidē peccati mentem perturbant, nec tamen hanc ad peccandi consensum pertrahunt: tertius earum, quæ naturali motu mentem percurrentes non tam hanc ad patranda vitia illiciunt, quam à bonis, quæ cogitare debuit, impediunt, veluti est cum phantasmata rerū, quæ aliquando superuacue gesta vel dicta nonimus, ad memoriā reducimus, quarū crebra retractatio quasi importuna muscarū, improbitas oculos cordis circumuolare ac spiritalem eius aciem inquietare magis, quā excæcare consueuit. A cunctis autem his cogitationum nequam generibus castigari monuit Salomon, cum dicit: *Omni custodia serua cor tuum quoniam ex ipso vita procedit*, cuius monita sequentes agamus solliciti, vt si quid consensu perpetrandi facinoris in animo deliquimus, cita hoc confessione & dignis pœnitentiæ fructibus abstergamus, si delectatione peccandi nos tentari senserimus noxiā delectationē crebris precibus ac lachrymis, crebra amaritudinis perpetuæ recordatione pellamus, & si nos solos ad hanc propulsandam sufficere nō viderimus, fratrū quæramus auxilia, vt quod nostris viribus nequimus, illorū consilio & intercessione sumamus. Multū enim valet deprecatio assidua, & sicut idem præmisit: *oratio fidei saluabit infirmum & alleuabit eum Dominus & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quia si superuacuis cogitationibus ad integrum carere non valemus, has in quantum possumus immissione bonarū cogitationum & maxime frequenti scripturarum meditatione fugemus iuxta exemplum Psalmistæ, qui dicit: *quomodo dilexi legem tuam Domine tota die meditatio mea est.* Magna itaque obseruantia circa cordis est custodiam adhibenda, quia aut bonæ, aut malæ rei ibi consistit origo. Nam sicut scriptum est, *ex corde exeunt cogitationes malæ*, ideoque si prius prauæ cogitationi resistimus in lapsum operis non incurrimus. — Isa. 1. 16. G Pr. 4. 23. Iac. 5. 15. H Ps. 118. 97. Isid. Matt. 15. 19.

A *Quam periculosum sit cogitationibus malis delectari.*

FVit quidam vir S. Eologius nomine, qui in offerendis sacramentis tantum gratiæ acceperat à Domino vt vniuscuiusq; accedentium merita culpasque cognosceret. Deniq; quosdam volentes accedere ad cōmunionem retinebat, dicens. Quomodo ausi estis accedere ad sacramenta diuina cum mens vestra & propositum sit in malo. Deniq; aiebat, tu habuisti cogitationes fornicandi, tu vero dixisti in corde tuo, nihil interest siue iustus ad sacramenta siue peccator accedat, & alius dubitationem habuit in corde dicens. Quid enim me sanctificare communio potest, hos ergo singulos remouebat à communione sacramenti, & dicebat eis, secedite paululum & agite pœnitentiam vt purificati per satisfactionem & lachrymas
B digni habeamini communione Christi.

CAPVT LXXVII.

Quod omnia cogitationum secreta diuinis aspectibus sunt aperta.

APertum namq; diuinitatis indicium est cogitationū nostrę secreta Salomone affirmante, quidem supplicans ait. *Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum*: & Apost. Paulus: *viuus est enim sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingens vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagū quoq; & medullarū & discretor cogitationū & intentionum cordis & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius*. Vnde etiā Ieremias ait; *Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas iuste & probas renes & corda*. Neque hæc transeunter aut negligenter commemoranda, sed solerter inuigilandū est fratres mei, vt non verba tantum & opera nostra, sed ipsa quoq; cordium secreta diuinis aspectibus digna reddamus. Non in templo nostri pectoris odiorum, non inuidiæ rubigo resideat, non inde turpis vel contumeliosi sermonis radix oriatur, non ibi meditatio facti nocentis innascatur, memores Dominicæ cōminationis, qua dicitur. *Ego enim opera & cogitationes eorum venio vt congregem & expulsis vitiorū ruderibus talem cordis nostri paret mansionem*, cuius ipse dignetur inesse mansor qui eius inuitabilis inspector & iudex est.

Pr. 15.11.
Heb. 4.12
Ier. 11.20
C

CAPVT LXXVIII.

De his qui sermone offendunt.

DIuina enim Scriptura dicit, *mors & vita in manib. linguæ*, ideoque valde cauendum est, ne ea loquamur, vnde mors animæ nostræ acquiratur, fit enim multis modis peccatum in locutione, id est, in otiosis verbis, in vaniloquijs, in multiloquijs, in turpiloquijs, in scurrilitatib. risumq; mouentibus, & quod deterius est, & grauius, in mendacijs, in falsitatibus, in derisionibus, in opprobrijs in detractionibus, in susurrationibus, in maledictionib. in periurijs, & in hoc, quod ait Propheta: *Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum*, &c. his similia, sollicite enim cauendum est non solum à peruersis & criminosis sermonibus pro quibus æterna pœna exsoluitur, sed etiam ab otiosis & cæteris superfluis verbis, refrenanda est lingua, sicut enim falsitatis crimen à proficientib. pertimescitur, ita otiosa verba à perfectis viris vitātur. Nā sicut vt ait quidam, pro otioso verbo ratio ponitur, pro sermone iniusto pœna exsoluitur. Aut enim malum male, aut bonum male proferendo peccamus, malum male loquitur quando quodlibet flagitium persuadere conamur, bonū male loquimur, quando quodcunq; rectum arroganter prędicamus: nam & corde male loquimur, quando interius cogitationes noxias meditamur & cogitamus, lingua male loquimur, quādo pro eo, quod male agimus flagellamur, & murmuramus, factis male loquimur, quando male viuendo exemplis nostris alios ad praue agēdum informamus: omnib. enim modis cauendæ sunt supra scriptæ locutiones & similia, quia si contra Domini sanctorumque eius præceptum est, otiosa & turrilia verba & his similia

Isa. 5.20.
D

E loqui, vnde dicente Domino reddenda est ratio, quanto magis periuri falsitates, maledictiones & c. talia, pro quibus æterna plectenda damnatio, verbi gratia: *de omni verbo otioso*, ait mundi Saluator, *quod locuti fuerint homines reddent rationem in die iudicij*: otiosum quippe verbū est, quod nec dicentis nec audientis habet vtilitatem. De mendacijs audi, inquit, grauius. *Os quod mentitur occidit animam*. De detractionibus, *qui detrahit*, inquit, *eradicabitur*. De maledictionibus, *neque maledici regnum Dei possidebunt* &c. talia de similibus verbis.

Matt. 12. 36.
Sap. 1.11.
1. Cor. 6. 10.

CAPVT LXXIX.

De mendacio.

OMne enim mendacium aut fit meditatione, aut præcipitatione, nonnunquam peius est mēdacium meditari, quām loqui. Nam interdum quisq; incautus solet ex præcipitatione loqui mendacium. Meditari autem nō potest nisi per studium graue, peius ergo ille ex studio mentiri perhibetur, quam is qui ex præcipitatione sola mentitur, summopere cauendum est omne mendacium, quamuis aliquando sit aliquod mendacij genus culpę leuioris, si quisquam pro salute hominum mentiatur, sed quia scriptum est: *os quod mentitur occidit animā, & perdes eos qui loquuntur mendacium*, hoc quoq; mendacij genus perfecti viri summopere fugiunt, vt nec vita cuiuslibet, pro eorum fallacia defendatur, nec suæ animæ noceant dum præstare nituntur alienæ carni, quamquā hoc ipsum peccati genus facilime credimus relaxari. Nā si quælibet culpa sequenti mercede purgatur, quanto magis hæc facile abstergitur, quam merces comitatur. Cauendum namq; est omnibus modis mendacium, siue pro malo, siue etiam pro bono proferri videatur, quia omne mendacium non est ex Deo, sed sicut Saluator ait, *à malo est*.

F
Sap. 1.11.
Psal. 5.7.

CAPVT LXXX.

De diuersis mendaciorum generibus.

OCto enim genera sunt mendacij vt S. Augustinus Episc. in libro de mendacio dicit. Est, inquit, primū capitale mendacium longeq; fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci, secundum vt aliquem lædat iniuste, quod tale est, & vt nulli prosit & obsit alicui. Tertiū quod ita prodest alteri, vt obsit alteri, quāuis non ad immunditiam obsit corporalem. Quartum sola mentiendi fallendiq; libidine, quod merum mendacium est: Quintum quod fit placendi cupiditate, sequitur sextū genus, quod & nulli obest, & prodest alicui, velut si quispiam pecuniā alicuius iniuste tollendam sciens, vbi sit nescire se mētiatur, septimum quod & nulli obest, & prodest alicui, velut si nolens, hominem ad mortem quæsitum prodere mentiatur, non solum iustum atq; innocentem, sed & reum, qui ex Christiana disciplina fit vt neq; de cuiusquam correctione desperetur neque cuiquam pęnitendi aditus intercludatur, de quibus duobus generibus, quæ solent habere magnam controuersiam, satis tractauimus, & quid nobis placeret ostendimus, vt suscipiēdis incommoditatibus, quæ honestè ac fortiter tolerantur, hæc quoq; genera deuitentur à fortibus & fidelibus & veracibus viris ac fęminis: non ergo mentiendum quærenti vbi sit qui se fidei cuiuspiam cōmiserit, sed fortius respondendū, nec perdam, nec mentiar. Fecit hoc Episc. quondam Tagastēsis Eccl. firmus nomine, firmior voluntate: nam cū ab eo quæreretur homo iussu Imperatoris per apparitores ab eo missos quem ad se confugientem diligētia quanta poterat occultabat. Respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominem perdere, passusque tam multa tormenta corporis, (nondum enim erāt Imperatores Christiani) permansit in sententia. Deinde ad Imperatorem ductus vsque adeo mirabilis apparuit, vt ipse * hominem, quem seruabat * indulgentia sine vlla difficultate impetraret. Quid hoc fieri potest fortius atque constantius? Octauum est genus mendacij, quod & nulli obest & adhuc prodest vt ab immunditia corporali aliquem

G
H
* fort. homini.
* for. indulgētiā

tueatur,

A tueatur. In his autem octo generibus tanto quisque minus peccat cum mentitur, quanto emerget ad octauum, tanto amplius quanto mergit ad primum. Quisquis autem esse aliquod genus mendacij, quod peccatum non sit putauerit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum *graue est enim mendacium, & aliud quodlibet peccatum, quod animo nocentis quam quod animo subuenientis efficitur, tamen nullum mendacium sine peccato, scriptum est enim. *Os quod mentitur occidit animam*, & *omne mendacium non est ex Deo sed à malo est*. & ideo pro omnibus mendacijs secundum qualitatem modumque mendacij satisfactio & pœnitentia digna agenda est, ne à veritatis iudice Deo, qui nec fallit, nec fallitur, seueriter iudicemur.

*fort. grauius

Sap. 1. 11.

CAPVT LXXXI.

De diuersis grauioribus mortalibusque peccatis ac sceleribus quæ perpetrantur locutione.

B Egregius prędicator Paulus generaliter cunctos ab omnibus malis & pestiferis refrænare cupiens sermonibus ait: *omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus*, & super hæc adijcit: *nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis, quo vtique grauius malum nullum esse poterit.* Patet igitur quia omnis sermo prolatus, qui non proficit ad ædificationem fidei audientium, contristat Spiritum sanctum Dei. Et si sermo prolatus non ædificat, & ab Apostolo Christi est prohibitus, ne Spiritum sanctum contristet, quanto magis ille sermo, qui destruit & polluit os dicentis & aures audientis sicuti est falsitas, detractio, maledictio, & similia.

Ephe. 4. 29. Ibi. v. 30.

De Falsitate.

F*Alsus testis*, ait Salomon, *impunitus, qui falsum testimonium profert contra proximum suum extinguetur lucerna eius in die vltimo.*

*for. deest (non erit) Pro. 20. 20.

De Detractione.

QVi detrahit fratri, dicit Scriptura, *detrahit legi*, & Psalmista, *detrahentem*, inquit, *occulte aduersus proximum suum hūc persequebar*, & alibi dictum est, de eo, qui libenter audit detrahentem: *noli*, inquit Scriptura, *audire detrahentem ne forte eradiceris.*

Iac. 4. 11. Ps. 110. 5

C

De Maledictione.

APostolus Paulus dicit, *neque maledici regnum Dei possidebunt*, omnis sermo malus qui ob hoc profertur, vt infamet aliquem, aut male commendet, maledicus est, etiamsi videatur non esse iniuriosus, confirmat illa sententia, *maledixerunt*, inquit, & *dixerunt ei, tu discipulus illius es.*

1. Cor. 6. 10. Ioa. 9. 28

De Murmuratione.

DIcit enim Apostolus Paulus. *Neque murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt in deserto & perierunt ab exterminatore.* His enim diuinarum Scripturarum testimonijs claret, quia pro his & similibus vitijs quæ fiunt locutione, perpetua imminet pœna, nisi in hac vita per satisfactionem & pœnitentiam fuerint deleta.

1. Co. 10. 10.

D

CAPVT LXXXII.

De his qui opere & actu modis diuersis peccant.

PLura sunt enim peccata leuia, perpetrantur opere pro quibus in præsenti vita necesse est agere pœnitentiam, ne post huius vitæ terminum ante oculos nostros adducantur causa accusationis. Nihil enim, vt ait Scriptura, *impunitum derelinquit Dominus*. Ideoque non solum grauia sed & leuia sunt cauenda peccata, sancti enim viri sic leuia quasi grauissima lugent peccata, multa enim leuia vnum grande efficiunt, sicut solent paruis & minimis guttis immensa flumina crescere. Numerositas enim in vnum coacta exundantem efficit copiam, sunt & plura grauia & mortalia peccata & crimina quæ perpetrantur actu & opere pro quibus regnum cœlorum clauditur his, qui ea commiserunt, & in hac vita per pęnitentiam & lachrymas, & eleemosynas & cætera bona opera non redemerunt, sunt autem hæc, *sacrilegium, homicidium, adulterium, furtum, rapina, atque ebrietas*, & cætera similia, quę Paulus Apostolus enumerat. Quicumque enim aliquid de istis peccatis in se dominare cognouerit, nisi digne se emendauerit, & si habuerit spatium, longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleemosynas erogauerit, æterna illum flamma sine vllo remedio trucidabit. Sunt autem minima & leuia peccata, quoties in cibo aliquis aut potu plus accipiat, quam necesse est, quoties plus loquitur, quam oportet, plus tacet quam expedit, quoties pauperem importune petentem exasperat quoties cum sit corpore sanus alijs ieiunantibus prādere voluerit, & somno deditus tardius ad Ecclesiam surgit, quoties excepto desiderio filiorum vxorem suam cognouerit, quoties tardius in carcere requisierit, infirmos tardius visitauerit, si discordes ad concordiam reuocare neglexerit, si plus aut proximum aut vxorem aut seruum exasperauerit quam oportet, si amplius fuerit blanditus, quam oportet, si cuicumque maiore possessione aut ex voluntate aut ex necessitate adulari voluerit, si pauperibus esurientibus nimium delitiosa vel sumptuosa cibi conuiuia parauerit, si aut in Ecclesia aut extra Ecclesiam fabulis otiosis locutus fuerit. Hæc enim & his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quę enumerari vix possunt. Quibus peccatis quamuis occidi animam non credamus, tamen ita eam velut quibusdam postulis & quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt. Quicquid enim de istis peccatis per orationes & ieiunia & eleemosynas & præcipue per indulgentiam eorum, qui in nobis peccant in hac vita redemptum non fuerit igni purgandum est, de quo Apostolus dicit: *Quia in igne reuelabitur, & cuius opus arserit, detrimentum patietur.*

E

F

G 1. Cor. 3. 13.

CAPVT LXXXIII.

Item de diuersis ac multiformis modis peccantium.

SVnt enim peccantes quidam, qui scienter peccant, sunt & qui ignoranter & alij occulte, & alij necessitate, alij consuetudine & alij amore peccati, & alij non amore peccati, & alij non amore peccati sed timore hominis delinquunt. Isid.

De his qui scienter & ignoranter offendunt.

GRauius namque ira Dei est, quę prouocatur, quam ea, quæ meretur. Nam meremur, quando ignorando peccauimus, prouocamus, quando scimus bonum facere nec volumus.

H

De manifestis occultisque peccatis.

MAior est culpa manifeste quam occulte peccare, dupliciter enim reus est, quia per se delinquit, quod & agit & docet. De talibus Esaias dicit: *& peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt nec absconderunt*: Peccatum enim perpetrare crimen est, peccatum enim prædicare clamor est. De quo dicit Apostolus Paulus, *& clamor auferatur à vobis cum omni malitia.* Isa. 3. 9.

De his qui peccandi necessitate delinquunt.

PLerique non voluntate, sed sola necessitate peccant pertimescentes temporalem inopiam, & dum præsentis sæculi necessitatem refugiunt, à futuris bonis priuantur.

De his qui voluntate non necessitate peccant.

NOnnulli peccatum voluntate non necessitate committunt, nullaque coacti inopia existunt iniqui, sed tantum grati cupiunt esse mali.

A

De his qui consuetudine peccant.

NEquissimum est peccare, peius est peccandi consuetudinem facere, ad illud facile, ab hoc cum labore resurgitur, dum mala consuetudine repugnatur.

De his qui amore peccati delinquunt.

QVidam & diligunt peccatum & faciunt, quidam diligunt tantum & non faciunt, nonnulli peccatum non faciunt & tamen iustitiam oderunt, grauius autem peccat qui non solum peccatum diligit, sed & facit, quam qui non facit & diligit, grauiusque interdum, qui diligit & non facit, quam qui facit & odit, grauissimum est non solum facere sed & diligere peccatum, sunt qui peracto flagitio mox confunduntur, sunt qui non solum non dolent gessisse malum, sed etiam de ipso malo opere gloriantur.

De his qui timore hominum delinquunt.

*for. deest (qui) B SVnt quidam miseri * magis timentes hominem terrenum similem sui, quam Deum creatorem suum, perpetrant scelera, non cogitantes illud: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, (Act. 5.29) *melius enim erat illis vitam temporalem perdere quam peccatum committere.*

Quod aliquando ex peccatis quadam generantur peccata.

SÆpe peccatum alterius peccati causa est, quod cum committitur, aliud ex ipso quasi sua soboles oritur sicut fieri solet, nasci libidinem ex nimia ventris ingluuie. Pœna vero peccati peccatum admittitur, quando pro merito cuiusque peccati Deo deserente, in aliud peccatum itur deterius, de quo amplius qui admiserit sordidetur. Ergo præcedens peccatum causa est sequentis peccati, sequens vero peccatum pœna est præcedentis delicti. Præcedentia itaque peccata sequentium sunt criminum causa, vt illa quæ sequuntur sint præcedentium pœna. Præcedentium peccatorum pœna ipsa vocatur induratio veniens de diuina iustitia, hinc est quod ait Propheta: (C, Isa. 63.17) *Indurasti cor nostrum ne timeremus*, neque enim dum quicunque iusti sunt à Deo impelluntur, vt mali fiant, sed dum mali iam sunt indurantur vt deteriores existant. Huc vsque, qualiter cogitatione, locutione, & opere peccata perpetrantur, ex multis sanctorum Patrum edictis pauca donante Domino excerpsimus quæ forsitan simplicioribus prodesse poterunt.

FINIS LIBRI TERTII.

HRABANI MAVRI POENITENTIVM LIBER AD OTHGARIVM.

D

De ortu &c. Antichristi.
Martyrologium 4.

PRÆFATIO.

Domino, in Domino Dominorum dilectissimo, Othgario Archiepiscopo, Hrabanus peccator, in Christo optat Salutem.

QVamdiu vos sancte pater sperabamus ad nos venturos, citius fore aduentum vestrum optabamus. Sed quia postquam abijstis à nobis, & mœstos nos de abscessu vestro reliquistis, orandum nobis esse censebamus, vt diuina maiestas incolumes vos seruans, concedat nob. iterum vos sanos videre, quia sanitas vestra, sospitas est nostra. Si autem aliquid vobis aduersi contigerit, tristes nos ac conturbatos sine dubio efficiet. De cætero quoq; quia quando hic præsentialiter fuistis, placuit sanctitati vestræ, cum paruitate nostra aliquid tractare atq; conferre, de diuersis transgressionibus, in quibus fragilitas humana, diuina præcepta transgreditur, quomodo per pœnitentiam restaurari possint, atq; Deo reconciliari hi, qui in diuersis sceleribus præuaricantur legem Dei. Ideo quę iussistis mihi, vt de Canonibus & sanctorum Patrum sententijs, breuiter excerperem atq; in vnũ colligerem, quæ à magistris Ecclesiæ huiusmodi personis ad emendationẽ vitiorum promulgata sunt. Feci quod mandastis, & in vno libello ea descripsi, quo haberetis in promptu ante oculos ad legendum, quod mihi necesse erat ex diuersis libris in vnum congregare, vt noster labor vestræ voluntati aliquo modo satisfaceret. Et ne forte necessarium vobis foret, in diuersis voluminibus id quærere, quod vos iam constat in breui exquisitum habere, huic quoque libello subiunxi alterum, quem nuper de consanguineorum nuptijs, & de magorum præstigijs, falsisq, diuinationibus confeceram, vt haberetis eos simul, quos ordo rationis concordes fecit. Legite ergo opusculum quod vobis directum est, & si quid in eo minus recte positum videatur, vestro sacro studio ad vtilitatem legentium corrigatur. Bene valete, & in sacris orationibus vestris, mei peccatoris memoriam habetote in nomine Domini.

E F

ELENCHVS CAPITVLORVM.

A

B

CAPITVM FINIS.

HRABANI MAVRI MOGVNTINENSIS ARCHIEPISCOPI, POENITENTIVM LIBER, INCIPIT.

CAPVT I.

De his qui post sacram ordinationem capitalia crimina committunt: & eorum pœnitentia seu excommunicatione.

C

IN primis ergo visum est vobis conscribi de his, qui sacros ordines habent, & ante vel post ordinationem, contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur: in quibus vt mihi videtur hæc distantia debet esse, vt hi qui deprehensi vel capti fuerint publice in periurio, furto atque fornicatione, & cæteris huiusmodi criminibus, secundum sacrorum Canonum instituta, à gradu proprio deponantur: quia scandalum est populo Dei, tales personas super se positas habere, quas vltra modum vitiosas constat esse. Nempe inde detrahunt homines sacrificio Dei: & rebelles hinc atque contrarij existentes, eorum prauis exemplis quotidie peiores fiunt: sicut quondam filijs Heli peccantibus fecisse leguntur. Qui autem de prædictis vitiis per occultam confessionem male à se absconse commissa, coram oculis Dei præsente etiam sacerdote qui eis indicturus est pœnitentiam confitentur, & semetipsos grauiter deliquisse accusant, si veraciter pœnituerint, & se per ieiunia & eleemosynas, vigilias, atque sacras orationes, cum lachrymis purgare certauerint, his etiam gradu seruato spes veniæ de misericordia Dei promittenda est, qui omnes homines vult saluos

D

fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, neque vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.

Nam de illis qui ad honorem presbyterij sine examinatione prouecti sunt, in Niceno concilio, capitulo 8. taliter scriptum est: si qui presbyteri sine examine sunt prouecti, vel cum discuterentur peccata sua confessi sunt, & homines contra Canones commoti, manus confessis imponere tentauerunt, tales regula non admittit: quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.

Item in Neocæsariensi concilio, cap. viij. de hoc ita definitum est: Presbyter si præoccupatus corporali peccato proueharur, & confessus fuerit de se quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officijs propter studium bonum. Nam peccata reliqua plerique dixerunt per manus impositionem posse dimitti. Quod si de se non fuerit ipse confessus, & argui manifeste non quiuerit, potestatis suæ iudicio relinquatur.

Item in eodem concilio cap. x. Simili modo etiam Diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerij subtrahatur.

E

De illis quoque qui post acceptum gradum peccauerint, in Apostolorum Canone ita legitur: Episcopus aut presbyter aut Diaconus, qui in fornicatione aut periurio aut furto captus est, deponatur: non tamen communione priuetur. Dicit enim Scriptura: *Non vindicabit Dominus bis in idipsum.*

Item in eodem concilio cap. xxviij. Si quis Episcopus aut presbyter aut Diaconus, depositus iustè super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab Ecclesia penitus abscindatur. Accusationem autem aduersus sacri ordinis viros facile non recipiendam, sed prius causam diligenter examinandam, & postea iudicium inferendum, Apostolus docet scribens ad Timotheum: *Accusationem*, inquit, *aduersus presbyterum non recipias, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes autem coram omnibus argue, vt cæteri metum habeant.* Quales autem ipsi testes esse debeant, in Africano concilio cap. xcvi. manifestatur, vbi ita scriptum est: Placuit, vt omnes serui vel proprij liberti, ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina, leges publicæ non admittunt. Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est, histriones ac turpitudinibus subiectæ personæ. Hæretici etiam siue pagani seu Iudæi: sed tamen omnibus quibus accusatio denegatur in causis proprijs, accusandi licentia deneganda est. Naum. 1. 1.Tim. 5.

F

Item in eodem concilio cap. xcviij. Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem, intra annos xiv. ætatis suæ, non admittatur.

Item in eodem concilio cap. xcvij. Placuit, vt quotiescunque Clericis ab accusatoribus multa crimina obijciuntur, & vnum ex ipsis de quo prius egerit probare non valuerit, ad cætera non admittatur.

G

De his autem quorum occulta peccata sunt, nec manifeste ab aliquo argui possunt, si salubriter compuncti pro peccatis suis, confessionem Episcopo siue presbytero occulte faciant, bonum mihi videtur, vt secundum id quod sibi decretum fuerit ab Episcopo siue presbytero, pœnitentiam agant, non trepide nec tarde, sed feruenter & sollicitè: ac sic se veniam peccatorum à Domino percepturos, & gradum se recuperaturos confidant. Quod etiam beatus Gregorius Papa, in Epistola quam ad Secundinum seruum Dei inclusum scripsit, ita probat dicens: Nam tua sanctitas inde à nobis requisiuit, vt tibi rescriberem de sacerdotali officio post lapsum resurgendi, dum dicis de hoc Canones, diuersas te legisse, diuisasque sententias: alias resurgendi, alias nequaquam posse. Nam nos generaliter à Nicena incipientes, hanc cum reliquas quatuor veneramur, quæ ipsam sequentes, cęterę in cunctis sententijs vnanimes concordant. Nos ergo præcedentes nos patres sequimur: quia auctore Deo, à sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes, vsq; in quartum altaris ministrum hanc formam seruādam cognoscimus: vt quem minorem maior præcedit, sicut honore est maior, ita sit in crimine. Et quem maior sequitur culpa, maior ei implicetur vindicta: & sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare, & fructum illius non colligere? Aut domum construere, & non illic habitare? Post dignam enim satisfactionem, credimus posse redire ad honorem, Propheta dicente: *Nunquid qui cadit, non adijciet vt resurgat? & qui auersus est, non reuertetur?* Idem peccatori ait: *In quacunque die conuersus ingemuerit, tunc saluus erit.* Vnde & Psalmista ait: *Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Dum enim petijt ne à Deo proijceretur prolapsi culpa, (Alienam quippe rex & Propheta rapuisse se vxorem tremefactus expauit, Propheta indicante flagitium suum, pœnitentiam agens addidit: Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me. Si enim ipse dignam Deo pœnitentiam non fecisset nequaquam alijs prædicaret. Ait enim: docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur. Dum Psal. 40. Eze. 3.18. Psal. 50.

H

A enim peccata ſua proſpexit Propheta mandata per pœnitentiam, non dubitauit prædicando caſtigare aliena: & ſic ſacrificium de ſemetipſo Deo offerre ſtuduit, cum
Ibid. diceba. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Ad hæc iſta ſufficerent: ſed omnis ſententia quo plus ſacræ Scripturæ teſtimonijs confirmatur, facilius creditur. De hoc e-
Ezec. 18. nim Propheta dicit: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* De hoc peccantibus dicitur: *Peccator in quacunque die conuerſus ingemuerit, omnes iniquitates eius in obliuionem traduntur.* Si enim redemptor noſter, qui peccatores non perdere, ſed iuſtificare venit, in obliuione peccantium delicta dereliquit, quis hominum condemnanda reſeruet, cum Apoſtolus dicat: ſi Deus iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Ad fontem etiam miſericordiæ re-
Luc. 15. currentes, Euangelicam proferamus ſententiam: *Gaudebo,* inquit, *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, plus quam ſuper nonagintanouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia*: & ouem perditam nonageſimamnonam, non errantibus relictis, humero ad ouile reportauit. Si ouis errans poſt inuentionem ad ouile humero reportatur, cur iſta poſt pœnam ad Eccleſiæ miniſterium non reuocetur? Quid
B eſt ergo grauius, carnale delictum admittere, ſine quo non multi ſed pauci inueniuntur, aut Dei filium timendo negare? In quo peccato ipſum beatum principem Apoſtolorum Petrum, ad cuius nunc corpus indigni ſedemus, lapſum eſſe cognoſcimus: ſed poſt negationem pœnitentia ſecuta eſt: & poſt pœnitentiam miſericordia data: quia illum ab Apoſtolatu non deiecit, qui ante ſeipſum negare prædixit. Tibi hæc fili chariſſime dicta ſufficiant: vt illum quem conſpicis delicta fletu delere, in conſpectu diuinitatis non dubites miſericordiam conſequi: quia nullum peccantem reuerſum deſpicit, qui peccatores ſanguine ſuo redimere venit. Hinc etiam & beatus Auguſtinus ad Petrum Diaconum de fide ſcribens, ait: omni homini in hac vita eſſe poteſt vtilis pœnitentia: quam quocunque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annoſus, ſi toto corde renunciaue-
C rit peccatis præteritis, & pro eis in conſpectu Dei non ſolum corporis, ſed etiam cordis lachrymas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curauerit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus Prophetico promittit eloquio, dicens: ſi conuerſus ingemueris, ſaluus eris. Et a-
Eccl. 21. lio loco dicitur: *Fili, peccaſti: ne adijcias iterum: ſed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur.* Nunquam peccanti eſſet indicta pro peccatis deprecatio, ſi peccanti non eſſet remiſſio concedenda. Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodeſt, ſi eam in Eccleſia Catholica gerat: cui Deus in perſona beati Petri, ligandi ſoluendique tribuit
Matt. 18. poteſtatem, dicens: *Quæ alligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæ ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in*
D *cælis.* In quacunque igitur homo ætate veram peccatorum ſuorum pœnitentiam egerit, & vitam ſuam Deo illuminante correxerit, non priuabitur indulgentiæ munere: quia Deus ſic per Prophetam dicit: *Nolo mortem morientis: tantum vt reuertatur à via ſua mala, & viuat anima*
Ezec. 18. *eius.* Veruntamen nullus hominum debet ſub ſpe miſericordiæ Dei, in ſuis diutius remanere peccatis: cum etiam in ipſo corpore, nemo velit ſub ſpe futuræ ſalutis, diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus ſuis recedere negligunt, & ſibi à Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec conuerſionis tempus, nec beneficium remiſſionis inueniant. Ideo vnumquemque veſtrum ſancta Scriptura benigne præmonet dicens: Ne tardaueris conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira eius: & in tempore vindictæ diſ-
Pſ. 94. perdet te. Dicit etiam beatus Dauid: *Hodie ſi vocem eius*
Heb. 3. *audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Cui quoque beatus Paulus concordat his verbis: *Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum, incredulitas diſcedendi à Deo viuo: ſed adhortemini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur: vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Obdurato igitur corde viuit, ſiue qui non conuertitur deſperans de indulgentia peccatorum: ſiue qui ſic miſericordiam Dei

ſperat, vt vſque in finem vitæ præſentis, in ſuorum criminum perſeuerſitate remaneat. E Proinde diligentes miſericordiam Dei, metuenteſque iuſtitiam, nec de remiſſione peccatorum deſperemus, nec remaneamus in peccatis: ſcientes quia illa, omnium hominum debita ſit exactura æquitas iuſtiſſimi iudicis, quæ non dimiſerit miſericordia clementiſſimi redemptoris. Sicut enim miſericordia ſuſcipit abſoluitque conuerſos, ita iuſtitia repellet & puniet obduratos. Hi ſunt qui peccantes in Spiritum ſanctum, neque in hoc ſeculo, neque in futuro remiſſionem accipient peccatorum. Nam de hoc Iſidorus Iſidorus.
Hiſpalenſis Epiſcopus, ad inquiſitionem Maſſionis Epiſcopi, ita reſcripſit dicens: verum quod ſequenter in Epiſtolis venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla eſt in huiuſmodi ſententijs decretorum diuerſitas intelligenda, quod alibi legitur, in lapſu corporali reſtaurandum honoris gradum poſt pœnitentiam, alibi poſt huiuſmodi delictum, nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diuerſitas hoc modo diſtinguitur: Illos enim ad priſtinos officij gradus redire Canon præ- F
cepit, quos pœnitentiæ præceſſit ſatisfactio, vel digna peccatorum confeſſio. At contrahi qui neque à vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipſum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam ſuperſtitioſa temeritate nituntur, nec gradum vtique honoris, nec gratiam communionis accipiunt. Ergo ita eſt vtraque dirimenda ſententia; vt neceſſe ſit illos reſtaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem meruerunt diuinæ pietatis. Hi nec immerito conſequuntur adeptæ dignitatis ſtatum, qui per emendationem pœnitentiæ, recepiſſe noſcuntur vitæ remedium. Id enim ne forte magis ambiguum ſit, diuinæ auctoritatis ſententia confirmetur. Ezechiel enim Propheta ſub typo præuaricatricis Ieruſalem, oſtendit poſt pœnitentiæ ſatisfactionem, priſtinum reſtaurari poſſe honorem. *Confundere,* inquit, *O Iuda, & porta ignominiam tuam.* Et poſt paululum: *Et tu,* inquit, *& filia tua reuertimini ab iniquitate veſtra.* Ezec. 16.
Quando dixit, *confundere,* oſtendit poſt confeſſiones id eſſe peccati opus, debere quenquam erubeſcere: & pro admiſſis ſceleribus, verecundam frontem humi proſtratam demergere: pro eo quod dignum G
confuſionis perpetrauerat opus. Deinde præcepit, vt portet ignominiam depoſitionis ſuæ, lugens cum humilitate quod peccauerat. Sic quoque reuocari ſecundum Prophetam ad priorem ſtatum poterit. Item Ioannes Euangeliſta Angelo Epheſi Eccleſiæ, inter cætera ſimile quiddam ſcripſit: *Memor eſto,* inquit, *vnde cecideris, & age* Apoc. 2.
pœnitentiam, & prima opera fac, alioquin veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco eius. In Angelo Eccleſiæ præpoſitum vtique, id eſt, ſacerdotem oſtendit, iuxta Malachiam, qui dicit: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam: & le-* Mal. 2.
gem exquirunt de ore eius, quia Angelus Domini eſt. Præpoſitus ergo lapſus in vitium, per Euangeliſtam monetur, vt memor ſit vnde ceciderit, & pœnitentiam agat, & prima faciat opera: vt non moueatur candelabrum eius. Nam candelabrum Angeli, doctrina eſt ſacerdotalis: vel honor poteſtatis quam geſtat, intelligitur, iuxta quod ſcriptum eſt apud Samuelem in damnationem Heli: *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam ex-* 1. Reg. 3.
tingueretur. Lucerna quippe Dei fuerat, quando dignitate ſacerdotali pollens, iuſtitiæ claritate fulgebat. Quam H
extinctam Propheta aſſerit, dum ob ſcelera filiorum, ſacerdotis poteſtatem, meritorumque lumen amiſit. Candelabrum ergo ſiue lucerna ſacerdotis, quæ intelliguntur chariſmata honoris, tunc iuxta Ioannem extinguitur vel mouetur, quando poſt delicti caſum, neglecta pœnitentia, admiſſa ſcelera non deflentur. Non enim dixit, pro eo quod cecidiſti commouebo candelabrum tuum, ſed niſi pœnitentiam egeris, mouebo candelabrum tuũ. Ergo quenquam præpoſitum peccantem, ſi præuenerit pœnitentia, delicti vtique ſequitur & venia. Et in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirige-* Prou. 28.
tur: qui confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Nam & ipſum quod Canonum cenſura poſt ſeptem annos remeare pœnitentem in ſtatum priſtinum præce-

pit,

A pit, non hoc electione proprij arbitrij sancti patres, sed potius ex sententia diuini iudicij sanxerunt. Nam legitur, quod Maria soror Aaron Prophetissa, dum ob detractiones aduersus Moysen incurrisset delictũ, *ilico stigmate*
Num. 12. *lepra perfusa est. Cumq; peteret Moyses vt emundaretur, praecepit eam Dominus extra castra septem diebus egredi, & post emundationem rursus eam in castra admitti.* Maria ergo soror Aaron, caro intelligitur sacerdotis: quę dũ superbię dedita sordidissimis cogitationũ contagijs maculatur, extra castra septẽ diebus, hoc est, extra collegium sanctæ Ecclesiæ septẽ annis proijciatur: vbi post emundationem vitiorum, loci vel pristinę dignitatis recipiet meritum. Ecce inquantum valuimus, Concilij antiquam planè & plena auctoritate sententiam, sacris testimonijs explanaui, ostendens eum posse restaurari proprio honore, qui per pœnitentiæ satisfactionem, nouit propria delicta deflere. Eum vero nõ posse restaurari, qui nec luget quæ egit, & lugenda sine vllo pudore religionis, vel timore iudicij diuini committit. In fine autem Epistolæ hoc adijciendũ putaui, vt quoties-
B cunque in gestis Conciliorum discors sententia inuenitur, illius magis teneatur sententia, cuius antiquior & potior extitit auctoritas.

In Concilio igitur Hiletdensi cap.v. de his qui altario seruiũt, si subito carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente digne pœnituerint, ita vt mortificato corpore cordis, contriti sacrificium Deo offerant, maneant in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspẽdere, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregare: ita tamen, vt sic officiorum loca recipiãt, ne possint ad altiora officia vlterius promoueri. Quod si iterato velut canes ad vomitum reuersi fuerint, non solũ dignitate officij careant, sed etiam sanctam communionem nisi in exitu non percipiant.

C Item in Concilio Carthag. ca.xxvij. scriptum est, quod presbyteri & Diaconi in grauiori culpa conuicti, manus impositionem tanquã laici nequaquam suscipiant. Confirmatum est, vt si quando presbyteri vel Diaconi in aliqua grauiori culpa conuicti fuerint, qua eos à ministerio necesse sit remoueri, non eis manus tanquam pœnitentibus laicis imponatur: neque permittendum, vt rebaptizati, ad clericatus gradum promoueantur.

CAPVT II.

De incæstis coniunctionibus.

DE incæstis coniunctionibus in Concilio Agathensi ca.lxi. ita scriptum est: Incæstis coniugijs, nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi cum adulterium separatione sanauerint. Incæstos vero nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Hos enim esse censemus: Si quis relictam fratris quæ pene prius soror
D extiterat, carnali coniunctione violauerit. Si quis fratris germanam vxorem acceperit. Si quis nouercam duxerit. Si quis consobrinæ suæ se sociauerit. Quod ita præsenti tempore prohibemus, vt ita ea quæ sunt ante nos constituta, non dissoluamus. Si quis relictæ vel filiæ aut auunculi misceatur, aut patris filiæ vel priuignæ suæ cõcubitu polluatur. Sane quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.

Item de eisdem in Concilio Aurelianensi cap.xiv. scriptum est: Ne frater super thorum defuncti fratris ascendat. Ne quisquam amissa vxore, sorori audeat sociari. Quod si fecerit, ab Ecclesiastica districtione feriatur.

Item de eisdem in Concilio Hiletdensi ca.iv. ita dictũ est: Qui se incæsti pollutione commaculant, placuit quousq; in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerãt, vsq; ad missam tantum catechuminorũ in Eccle-
1. Cor. 5. sia permittantur. Cum quibus etiam nec cibum sumere vlli Christianorum, sicut Apostolus iussit, oportet.

Item de his in Ancyrano Concilio ca.xxiv. ita scriptum est: Quidam sponsam habens, sororem eius violauit, & grauidam reddidit: postmodum desponsatam sibi duxit vxorem. Illa vero quæ corrupta est, laqueo se peremit. Hi qui fuerunt conscij, post decennem satisfactionem iussi sunt suscipere gradus pœnitentiæ constitutos.

E Item in Neocæsariensi Concil. cap.ij. ita dictum est, de his quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores vxores acceperint: Mulier si duobus fratribus nupserit, abijciatur vsque ad mortẽ. Veruntamen in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis, huius coniunctionis vincula dissoluat, fructũ pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit mulier aut vir in talibus nuptijs, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

Item de his qui duabus sororibus copulantur, in Heliberritano Conc. ca.lxi. ita scriptum est: Si quis post obitũ vxoris suæ sororẽ eius duxerit, & ipsa fuerit fidelis, quinquennium à communione placuit abstineri: nisi forte velocius dari pacem necessitas coegerit infirmitatis.

Item de muliere, quæ duos fratres sumit in coniugio, vel vir qui duas sorores habuerit, in Concilio Martini Episcopi ca.lxxviij. ita scriptum est: Si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores duxerit, à communione abstineant vsque ad mortem. In morte eis cõmunio pro misericordia detur. Si vero superuixerint, communione F accepta, & de infirmitate conualuerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto.

Item in Canone Apostolorum, cap.xix. scriptum est: Qui duas in coniugium sorores acceperit, vel filiam fratris, Clericus esse non poterit.

CAPVT III.

De his qui adulterium committunt.

ADulterium autem non solum lex damnat, sed etiam Euangelica auctoritas omnino fieri vetat. Vnde & sancti patres cælesti magisterio imbuti, de hoc quid seruandum sit, sanciuerunt. Nam in Ancyrano Concilio ca. xviij. ita scriptum est: Si cuius vxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentiam agentem, oportet eum perfequi secundum pristinos gradus. G

Item in Africano Conc. cap.lxix. de his qui vxores aut quæ viros dimittũt, vt sic maneant, scriptum est: Placuit, vt secundum Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungatur, vt ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur: in qua causa legem imperialem petendam promulgari.

Item in decretis Innocentii Papæ ca.xxiv. scriptum est: quod viri cum adulteris non conueniant. Et illud desideratum est sciri, cur cõmunicantes viri cum adulteris vxoribus non conueniant, cum contrà vxores in consortio adulterorũ virorum manere videantur. Super hoc Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictã. H Viri autem liberius vxores adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt: & ideo mulieribus prodito earũ crimine, communio denegatur. Virorum autem latente cõmisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur. Qui vtique submouebitur, si eius flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

Item in eiusdem decretis ca.xxvij. scriptum est: Quod hi qui intercedente repudio diuortium pertulerunt, si se alijs nuptijs adiunxerint, adulteri esse monstrẽtur. De his etiam requisiuit dilectio tua, qui interueniente repudio, alij se matrimonio copularunt: quos in vtraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel vxore viuente, quãuis dissociatum videatur esse cõiugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri: intantum etiam, vt hę personę quibus tales coniuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur: secundum illud quod legimus in Euangelio: *qui dimiserit vxorem suã,* Matt. 5.
& aliam duxerit, mœchatur. Similiter & qui dimissam duxerit, mœchatur. Et ideo oẽs à communione abstinendos. De parentib. autem aut propinquis eorum nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortij fuisse detegantur.

In Concilio quoq; Heliberritano ca.ix. de fœminis quę

A adulteros maritos reliquerunt, & alijs nubunt, scriptum est: Fœmina fidelis quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterũ ducit, prohibeatur ne ducat. Si duxerit, nõ prius accipiat communionẽ, nisi quem reliquit, de seculo exierit: nisi forte necessitas infirmitatis dare cõpulerit.

De his qui mœchantur.

CAPVT IV.

ITem in Concilio Heliberritano ca.xxx. de mœchis scriptum est: Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint mœchati: eo quod per subreptionem ad altiorem gradum promouebantur: si qui sunt in tempore præterito ordinati, amoueantur.

B Item in eodem Concilio ca.xxxj. de adolescentib. qui post lauacrum mœchantur, scriptum est: Adolescentes qui post fidem lauacri salutaris fuerint mœchati, cum duxerint vxores acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem eos admitti.

Item in eodem Concilio ca.xlij. de eo qui vxorem habens, sæpius mœchatur, scriptũ est: Si quis fidelis habens vxorẽ, non semel, sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis est conueniendus. Quod si promiserit se cessaturum, detur ei cõmunio. Si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit vlterius non ludere eum de communione pacis.

Item in eodem Concilio ca.xiij. de virginibus Deo sacratis si adulterauerint: Virgines quæ se Deo dicauerunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini seruierint, non intelligentes quid admiserint, placuit hæc in finem eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasu suo ab infirmi corporis lapsu post commissa vitia tempore vitæ suæ huiusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, vt abstineant se à coitu, placuit eas in finem, cõmunionem accipere debere.

C Item in eodem Concilio ca. xiv. de virginibus secularibus si mœchati fuerint, scriptum est: Virgines quæ virginitatem suam non custodierint, si eos qui easdem violauerint duxerint, & tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violauerint, post annum sine pœnitentia recõciliari debebũt. Vel si alios cognouerint viros, eo quod mœchatæ sunt, placuit post quinquennij tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem oportere.

Item in Ancyrano Conc. ca. xviij. de his qui virginitatem professi sunt, & de his qui sub sororis habitu cum aliquibus commorantur, scriptum est. Quotquot virginitatem promittentes, irritam faciunt sponsionem, inter bigamos censeantur. Virgines autem quæ conueniunt cum aliquibus tanquam sorores habitare prohibemus.

CAPVT V.

De his qui sacris virginibus se sociant, & de virginibus velatis si mœchatæ fuerint.

D ITem in decretis Gelasij Papæ ca.xx. de his qui se sacris virginibus sociant, & fœdera incæsta cõmittunt, quod communicare non possint, nisi forte publicam pœnitentiam gesserint, dictum est: Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognouimus, & post dicatum Deo propositum, incæsta fœdera sacrilegaque miscere: quas protinus æquum est à sacra communione detrudi: & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi: aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.

Item in decretis Innocentij Papæ ca.xx. de virginibus non velatis si deuiauerint, scriptum est: Hæ vero quę necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulauerant permanere, licet velatæ non fuerint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est: quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, quomodo solui sine vindicta poterit? Nam si Apostolus Paulus, illas quæ à proposito viduitatis discesserunt, dixerat habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto potius virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ. E 1.Tim.5.

CAPVT VI.

De his qui irrationabiliter fornicantur.

IN Concilio Ancyrano ca.xv. de his qui fornicantur irrationabiliter, id est, qui miscentur pecoribus, aut cum masculis polluuntur, scriptum est: De illis qui irrationabiliter versati sunt, siue versantur, quotquot ante vicesimum annum, tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, quales tempore pœnitudinis extiterint: & ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, & vxores habentes hoc peccato prolapsi sunt, vigintiquinque annis pœnitudinem gerentes, in communionem suscipiantur orationũ. In qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quod si qui & vxores habentes, & transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur. F

Item in eodem de his qui in pecudes vel in masculos aut olim polluti sunt, aut hactenus hoc vitio tabescunt, ca.xvj. scriptum est: Eos qui irrationabiliter vixere, & lepra iniusti criminis alios polluerũt, præcepit sancta synodus, inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo.

CAPVT VII.

De coniugatis, si quis eorum ductus fuerit in captiuitatem. G

IN decretis quoque Innocentij Papæ cap.xxxvij. scriptũ est: Quod si cuius vxor in captiuitatem fuerit abducta, & alteram maritus acceperit, reuertente prima, secunda mulier debet excludi. Innocentius Probo scripsit: Conturbatio procellæ Barbaricæ, facultati legum intulit casum. Nam bene constituto matrimonio inter Fortunium & Vrsam, captiuitatis incursus fecerat nęuum, nisi sacræ religionis statuta prouiderent. Cum enim in captiuitate prędicta Vrsa mulier teneretur, aliud coniugiũ cum restituta Fortunius memoratus inijsse cognoscitur: sed fauore Dñi reuersa Vrsa, nos adijt: & nullo diffidente, vxorem se memorati esse perdocuit. Quare Dñe fili merito illustris, statuimus fide Catholica suffragante, illud esse coniugiũ, quod erat primitus diuina gratia fundatum. Conuentumque secundæ mulieris priore superstite, nec diuortio reiectæ, nullo pacto posse esse legitimum.

CAPVT VIII.

Quod aliud sit vxor, aliud concubina, & quod non sit coniugij duplicatio, quando ancilla reiecta, vxor assumitur. H

IN decretis Leonis Papæ cap. xix. scriptum est, quod aliud sit vxor, & aliud concubina. Nec erret, quisquis filiam suam in matrimonium tradiderit ei, qui habuit concubinam. Non omnis mulier viro iuncta, vxor est viri: quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales. Et multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium Romani iuris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ: *Ejice ancillam & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio meo Isaac.* Vnde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum, dubium Gen.21.

non

A non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit, nisi forte illa mulier & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptijs honestata videatur: paterno arbitrio viris iunctæ, carent culpa, si mulieres quæ à viris habeantur, in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina.

Item in eiusdem decretis ca. xx. scriptum est: quod non sit coniugij duplicatio, quando ancilla reiecta, vxor assumitur. Ancillam à thoro abijcere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugij, sed profectus est honestatis. Culpanda sit sane talium negligentia: sed non penitus desperanda: vt crebris exhortationibus incitati, quod necessarie expetiuerunt, fideliter exequantur. Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiori perficitur, in matrimonio videtur esse.

CAPVT IX.

De eo qui vxorem capti sortitus est in matrimonium.

B ITem in decretis Leonis Papæ cap. xliij. scriptum est: quod non videatur esse culpabilis, qui vxorem capti sortitus est: nec tamen culpabilis iudicetur, & tanquam alieni iuris peruasor habeatur, qui personam eius mariti, qui iam non esse existimabatur, assumpsit. Sic enim multa quæ ad eos qui in captiuitatem ducti sunt pertinebant, in ius alienum transire potuerunt: & tamen plenum iustitiæ est, vt ijsdem reuersis propria reformentur. Quod si in mancipijs vel agris aut etiam in domibus ac possessionibus rite seruatur, quanto magis in coniugiorum redintegratione faciendum est, vt quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur.

CAPVT X.

De illo qui concubinam super vxorem habet.

C IN Toletano Concilio cap. vij. scriptum est, de eo qui vxorem habet, si concubinam habuerit, quod non communicet. Si quis habens vxorem fidelis, si concubinam habeat, non communicet. Cæterum is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur: tantum vt vnius mulieris aut vxoris aut concubinæ, vt ei placuerit, sic coniunctione contentus. Alias vero viuens, abijciatur donec desinat: & ad pœnitentiam reuertatur.

CAPVT XI.

De parricidio, & his qui partus suos necant.

D PArricidium autem quam sit detestabile crimen, in iudicio facto inter Cain & Abel fratrem suum, Dominus ipse ostendit, cum ad Cain parricidam ait: *Male dictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Fructus eius: vagus & profugus eris super terram.* In quo etiam posuit signum, hoc est vt tremens & gemens profugus semper viueret, nec auderet iam vspiam sedes habere quietas. Sed quia in modernis temporibus parricidæ profugi discurrunt per diuersa loca, & varijs vitijs atque gulæ illecebris deseruiunt, melius mihi videtur, vt in vno loco manentes, pœnitentia districta semetipsos castigent, si forte à Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit vltrà militiæ cingulum sumere, & nuptijs atque coniugij copula vti: quia sacri Canones hoc eis non consentiunt: sicut modo de pœnitentibus pro culpis grauium criminũ decreta synodalia decernere, ostensuri sumus.

Gen. 4.

Itaq; in Aneyrano Conc. cap. xx. scriptum est, de his qui partus suos ex fornicatione diuersis modis interimunt. De mulieribus quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt secum, vt vtero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio vsq; ad exitum vitæ eas ab Ecclesia remouet. Humanius autem nunc definimus, vt eis decem annorum tempus secundum præfixos gradus pœnitentiæ largiamur. E

Item in Concilio Heliberritano cap. lxiij. scriptum est de his, quæ filios ex adulterio necant: Si qua per adulterium absente marito conceperit, idque post facinus occiderit, placuit vix in fine dandam esse communionem, eo quod geminauerit scelus.

Item in Conc. Hilerdensi ca. ij. scriptum est de his, qui abortum faciunt, vel natos suos extinguunt. Hi vero qui male conceptos, ex adulterio factos vel editos necare studuerint, vel in ventribus matrum, potionibus aliquibus collliserint in vtroque sexu adulteris, post septem annorum curricula, communio tribuatur: ita tamen vt omni tempore vitæ suæ, fletibus & humilitati insistant.

CAPVT XII.

F

De homicidijs voluntarie commissis.

IN Concilio Neocæsariensi cap. xxj. de homicidijs scriptum est: Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem iugiter se submittant, perfectionem vero circa exitum consequantur.

CAPVT XIII.

De homicidijs & falsis testibus.

ITem in Conc. Agathensi ca. xxxiv. de homicidijs & falsis testibus scriptum est: Itaque censuimus, homicidas & falsos testes, à communione Ecclesiastica submouendos, nisi pœnitentiæ satisfactione, crimina admissa diluerint.

CAPVT XIV.

G

De his qui seruos suos extra iudicem necant: & Domina quæ per zelum ancillam occiderit.

ITem in Conc. Agathensi ca. lxij. scriptum est de his, qui seruos suos extra iudicem necant: Si quis seruum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennij, reatum sanguinis emundabit.

Item in Conc. Heliberritano ca. v. scriptum est, si Domina per zelum ancillam occiderit: Si qua fœmina furore zeli accensa, flagris verberauerit ancillam suã, ita vt intra tertium diẽ animam cũ cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit, si voluntate, 7. annos, si casu, per quinqnẽnij tẽpora, acta legitima pœnitẽtia, ad cõmunionem placuit admitti. Quod si infra tẽpora constituta fuerit infirma, accipiat communionem.

CAPVT XV.

H

De homicidijs non sponte commissis: & illis qui se excusant quasi insontes ab homicidio in prælio commisso iussu principum.

IN Conc. Neocæsariensi ca. xxij. scriptum est de his, qui non sponte homicidium commiserunt: De homicidiis non sponte commissis, prior quidẽ definitio, post septennem pœnitentiam, perfectionem consequi præcepit. Secunda vero, quinquennii tempus explere.

Quod autem quidam homicidium quod nuper in seditione & prælio principum nostrorum perpetratum est, excusant, quasi necesse sit pro hoc cuilibet agere pœnitẽtiam, eo quod iussu principum peractum sit, & Dei indicio ita finitum. Scimus enim quod Dei iudicium semper iustum est, & nulla reprehensione dignum: de quo etiam scriptum est: *Iustus Dominus in omnibus vijs suis: & sanctus in omnibus operibus suis: Qui iudicat orbem terrarum æquitate: & po-* Ps. 144.

A pulos in veritate sua. Sine quo nec passer cadit super terram. Sed nemo omnia iudicia Dei penetrare potest, quoniam scri-
Ps. 35. ptum est. *Iudicia Dei abyssus multa.* Vnde oportet eos considerare, qui hanc necem nefariam defendere cupiunt, vtrum illos coram oculis Dei quasi innoxios excusare possint, qui propter auaritiam quæ omnium malorum radix est, & idolorum seruituti comparatur, atque propter fauorem Dominorum suorum temporalium, æternum Dominum contempserunt, & mandata illius spernentes, nō casu sed per industriam homicidium perfecerunt. Nam de his legimus qui homines non sponte interfecerunt, Deum per legislatorem vrbes refugij deputasse: ad quas confugientes, saluarentur ab vltore sanguinis proximi sui, & non morerentur. Inde in Deuteronomio scriptum
Deut. 19. est: *Hæc erit lex homicidæ, cuius vita seruanda est. Qui percusserit proximum suum nesciens, & heri & nudiustertius nullum contra eum habuisse odium comprobatur, sed abijsse simpliciter cum eo in syluam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit de manu, aut ferrum lapsum de manubrio, amicum eius percusserit & occiderit, hic ad vnam vrbium supradictarum confugiet &*
B *viuet: ne proximus eius cuius sanguis effusus est, stimulo doloris percutiat animam eius.* De eo vero, qui per industriam aliquē
Exod. 21. occiderit, in Exodo ita præceptum est: *Si quis de industria & per insidias occiderit proximum, ab altari meo euelles eum, vt*
Deu. 19. *moriatur.* Et in Deuteronomio: *Si quis,* inquit, *odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ eius, & surgens percusserit illum, & mortuus fuerit, & fugerit ad vnam de supradictis vrbibus, mittent seniores ciuitatis illius, & eripient eum de loco refugij: & tradent eum in manus proximi eius, cuius sanguis effusus est, & morietur, nec misereberis eius.* Si ergo eum quem Dominus dignum morte esse iudicauit, reum non esse quis dicit, quomodo contrarius legi Dei non existit, qui hoc quod Dominus præcepit, cassum esse contendit? Videndum ergo illi est, ne forte in illorum numero sit, quib. per Pro-
Ezec. 13. phetam dicitur: *Væ vobis qui consuitis puluillos sub omni cubito,*
Esa. 5. *& ceruicalia ad decipiendas animas.* Et alibi: *Væ vobis,* inquit, *qui dicitis bonū malū, & malum bonū: ponentes lucem tenebras & tenebras lucē, dicentes amarum dulce, & dulce amarum. Tales ergo mortificant animas quæ non moriuntur, & viuificant quæ non vi-*
C *uunt.* Quisquis ergo malorum operum sine cōdigna pœnitentia quemquam veniam à Deo percipere posse dixerit, penitus errat. Et cum deceptus alios decipere festinat, duplici noxa constringitur, hoc est, proprij erroris & alienæ deceptionis. Sed inter hæc sciendum, quod magna distantia est inter legitimum principem & seditiosum tyrānum. Inter eum qui subuertere nititur Christianæ pacis tranquillitatem, & illum qui armis contra iniquitatem, certat defendere æquitatem. De quo plurima sub lege vetere & sub testamento nouo, fortium virorum inueniuntur exempla: quæ nos possunt instruere, quid de huiuscemodi facto debemus sentire.

CAPVT XVI.

De administratoribus: & his qui preces criminales dictant.

D DE administratoribus autem qui iudicia secularia secundum legem maiorum suorum exercent, quid sacri Canones inde sentiant, facile est inuenire. Nam in decretis Innocentij Papæ ca. xxiij. ita legitur: Quæsitum est ergo super his, qui post baptismum administrauerunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulerunt sententiam, de his nihil legimus à maiorib. definitum. Meminerant enim à Deo potestates has fuisse concessas: & propter vindictam noxiorum, gladium fuisse promissum: & Dei ministrum esse datum, vindicem esse in huiusmodi. Quemadmodum igitur reprehenderent factum, quod auctore Domino viderunt esse concessum? De his ergo ita vt hactenus seruatum est, sic habemus: ne aut disciplinam euertere, aut contra auctoritatem Domini venire, videamur. Ipsi autem in ratione reddenda, gesta sua omnia seruabunt.

Item in eiusdem decretis cap. xxx. scriptum est, quod qui preces criminales dictant, habeantur immunes. Illud autem sciscitari voluisti, an preces dictantibus libe- E rum concedatur. Vtique propter baptismi regenerationem à principibus poscere mortem alicuius, vel sanguinem de reatu. Quam rem principes nunquam sine cognitione concedunt: sed ad iudices commissa ipsa vel crimina semper remittunt: vt causa cognita vindicetur. Quæ cum quæsitori fuerint delegata, aut absolutio, aut damnatio pro negotij qualitate profertur. Et dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.

CAPVT XVII.

De populi necessario commissu.

DE populi autem necessario commissu quomodo inultum soleat præteriri, idem Papa quibusdam Episcopis de Macedonia ad interrogata respondens, ita scripsit, dicens: Præuideat ergo dilectio vestra hactenus talia mansisse: & aduertite, quod vtique vt dicitis, necessitas
F impetrauit: in pace etiam Ecclesias constitutas non posse præsumere. Sed vt sæpe accidit, quoties à populis & à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solere transire. Priora ergo dimittenda dico Dei iudicio: de reliquo maxima sollicitudine præcauendum. Non enim hic vt mihi videtur, iste Doctor Apostolicus dicit non necessarium esse populo pro male commissis agere pœnitentiam, sed quod in omnes propter multitudinem non potest vindicari, priora dimittenda Dei iudicio: de reliquo maxima sollicitudine præcauendum, ne fiant.

CAPVT XVIII.

De furto.

DE furto vero, in Concilio Agathensi cap. v. ita scriptum est: Si Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

G Item in eodem Conc. cap. xxvj. scriptum est: Si qui vero Clerici documenta quibus Ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut aduersarijs forsasse tradere damnabili & punienda obstinatione præsumpserunt, quicquid per abstinentiam documentorum damni Ecclesiæ illatum est, & de proprijs facultatibus reddant, & communione priuentur, etiam qui in damno Ecclesiæ impie sollicitati à traditoribus susceperint.

CAPVT XIX.

De coniuratione vel conspiratione.

DE coniuratione vel conspiratione in Conc. Chalcedonensi cap. xiv. scriptum est: Coniurationis vel
H conspirationis crimen, & ab exteris legibus est omnino prohibitum: multo magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat, admonere conueniet. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti fuerint coniurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis aut Clericis, à gradu proprio penitus abijciantur.

CAPVT XX.

De his qui sacramento se obligant ne ad pacem redeant.

DE his vero qui sacramento se obligant, ne ad pacem redeant, in Concilio Hilerdensi cap. vij. ita scriptum est: Qui sacramento se obligauerit, vt litiget cum quolibet, ne ad pacem vllo modo redeat, pro periurio, vno anno à communione corporis & sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis & fletibus, & quantum potuerit, ieiunijs absoluat. Ad charitatem vero quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.

A

CAPVT XXI.

De his qui noxia iuramenta conficiunt, quomodo pœnitere oporteat.

DE iniquo ergo iuramento & ad proximi noxam pertinente, in Toletana synodo cap. ita scriptum continetur: Etenim dum periurare compellimur, creatorem quidem offendimus: sed nos tantummodo maculamus. Cum vero noxia promissa complemus, & Dei iussa superbe contemnimus, vt proximis impia crudelitate noceamus, & nosipsos crudeliori mortis gladio trucidamus. Illic enim duplici culparum telo percutimur: hic tripliciter iugulamur. Restat ergo, vt eo nostra pergat sententia, quo misericordiæ patuerit via. Quæ ita Domino probatur accepta, vt plus eam cupiat quam sacrificia veneranda, dicente ipso: *Misericordiam volui & non sacrificium.* Hac indulgentiæ concessa licentia, miserationis ipsius opus in gloriosi principis potestatem redigimus: vt quia Deus illi miserandi aditum patefecit, remedia pietatis, ipse quoque non deneget, quæ ita principali discretione moderata persistant, vt & illis ita sit, quatenus misericordia contributa, vt nunquam gens aut patria per eosdem aut periculum quodcumque perferat aut iacturam, hæc miserationis obtentu temperasse sufficiat. Cæterum quia iuramenta pro regiæ potestatis salute, vel constitutione gentis & patriæ, vel hactenus sunt exacta, vel deinceps extiterunt exigenda, omni custodia omnique vigilantia indissolubiliter decernimus obseruanda, membrorum truncatione mortisque sententia, religione penitus absoluta. Sed ne prauarum mentium versuta nequitia nosmet ad periurij aliquando prouocet culpam, neve à sanctæ fidei regula, hanc adserat venire sententiam, tam diuinæ auctoritatis oracula, quam præcedentium patrum huic narrationi curauimus innectenda. Sic enim per Ieremiam dixit: *Repente loquar aduersus gentem, aduersus regnum, vt eradicem & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei.* Et per Ezechielem: *Si dixero, inquit, iusto quod vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur: & in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam, vita viuet & non morietur.* Si ergo nostra conuersio sic diuinam mutat sententiam, cur miserorum tantæ lachrymæ vel pressura, tam crudam non temperent ex miseratione vindictam? Hinc populo etiam Israelitico sæpe vltio promissa suspenditur: & Niniuitarum perditio, diuinæ sententiæ permutatione sedatur. Nam sanctus Ambrosius in libro tertio, de Officijs, cap. xij. ita ait: Purum igitur ac syncerum oportet esse affectum, vt vnusquisque simplicem sermonem proferat: vas suum in sanctitate possideat, ne fratrem circunspectione verborum inducat: nihil promittat inhonestum. At si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe sit. Sæpe plerique cõstringunt seipsos iurisiurandi sacramento: & cum ipsi cognouerint promittendum non fuisse sacramentum, tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt. Sicut de Herode supra scripsimus: qui saltatrici præmium turpiter promisit: crudeliter soluit. Turpe quod regnum pro saltatione promittitur: crudele, quod mors Prophetæ pro iurisiurãdi religione donatur. Quanto tolerabilius tale fuisset periurium sacramento. Et post pauca de Iephthe discernens, Miserabilis necessitas, quæ soluitur parricidio. Melius est non vouere id, quod sibi is cui promittitur, nolit exolui. Et post paululum. Non semper igitur promissa soluenda omnia sunt. Denique ipse Dominus sicut Scriptura indicat, frequenter suam mutat sententiam. Vir quoque sanctissimus Augustinus, inuestigationis acumine acutus: Inueniendi aditus patet, minora semper eligantur. Quia & qui murorum ambitu ne fugiat clauditur, ibi se in fugam præcipitat, vbi breuior murus inuenitur. Hinc & Isidorus ait: Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio. Similiter in Synonymis: In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incaute vouisti, ne facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Vnde necesse est vt male iurans dignam pœnitentiam agat, eo quod nomen Domini contra præceptum illius sumpsit in vano: quia in Exodo scriptum est: *Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomẽ Domini Dei sui frustra.* Et in Leuitico: *Non periurabis in nomine meo: nec polluet nomen Domini Dei tui: ego Dominus.* Tamen malum quod facturum se sacramento deuouerat, omnino non faciat: quoniam stulta vota frangenda sunt.

B Matt. 9. Iere. 18. C Ezec. 18. Ambro. D Matt. 14. Augustin. Isidorus. E Exod. 20.

CAPVT XXII.

F

De his qui ad Ecclesiæ patrocinium confugiunt, ne tradantur persequentibus se sine fœdere pacti.

DE his ergo qui ad Ecclesiæ patrocinium confugiunt, ne tradantur, in Concil. Arausico ca. v. ita scriptum est. Eos autem qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non oportere: sed loci sancti reuerentia & intercessione defendi. In Conc. Aurelianensi cap. 1. de homicidis & adulteris & furibus, si ad Ecclesiam confugerint, ita scriptum est. Id constituimus obseruandum, quod Ecclesiastici Canones decreuerunt, & lex Romana constituit, vt ab Ecclesiæ atrijs vel domo Episcopi eos abstrahere omnino non liceat: sed nec altari consignari, nisi ad Euangelia datis sacramentis, de morte & debilitate & omni pœnarum genere sint securi: Ita vt ei cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conueniat. Quod si sacramenta sua conuictus fuerit violasse reus periurij, non solum à communione Ecclesiæ vel omnium Clericorum, verumetiam & à Catholicorum conuiuio separetur. Quod si cui reus est noluerit sibi intentione faciente componi, & ipse reus de Ecclesia actus timore discesserit, ab Ecclesiæ Clericis non quæratur.

G

Item in eodem Conc. cap. secundo scriptum est de raptoribus, si ad Ecclesiam confugerint: De raptoribus autem, id constituendum esse censuimus, vt si ad Ecclesiam raptor cum rapta conuenerit, & fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris: & raptor mortis vel pœnarum impunitate concessa, ad seruiendum subiectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si vero quæ rapitur patrem habere constiterit, & puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur: & raptor à patre superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.

Item in eodem Conc. cap. tertio scriptum est de seruis, si ad Ecclesiam confugerint: Seruus si ad Ecclesiam confugerit pro qualibet culpa, si à Domino omissa culpa sacramentum susceperit, statim ad seruitium Domini sui redire cogatur. Et postea quàm dato sacramento Domino suo fuerit consignatus, si aliquid pœnæ pro eadẽ culpa qua excusatur probatus fuerit pertulisse, pro contemptu Ecclesiæ & præuaricationis fidei, à communione & conuiuio Catholicorum sicut superius comprehensum est, extraneus habeatur. Si vero seruus pro culpa sua ab Ecclesia defensatus, sacramenta Domini Clericis exigentibus de impunitate perceperint exire nolentem, à Domino liceat occupari.

H

CAPVT XXIII.

De his qui diuinationes expetunt, & incantationibus siue auguriis deseruiunt.

IN Ancyrano Conc. cap.... de his qui diuinationes expetunt, & morem gentiliũ subsequuntur, aut in domos suas huiuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennij iaceant secundum gradus pœnitentiæ definitos.

In Conc. Laodicensi ca. xxxvj. de his qui incantationib. & phylacterijs vtuntur, ita scriptum est: Quod non oporteat sacris officijs deditos vel Clericos, magos aut incan-

A tatores existere, aut facere phylacteria, quæ animarũ suarum vincula esse comprobantur: eos autem qui his vtuntur, ab Ecclesia pelli præcipimus.

In Conc. Agathensi de sortilegis vel augurium seruãtibus, vt ab Ecclesia separentur, cap. xlij. scriptum est: Ne de eo fortasse videatur omissum, quod maxime fidem Catholicæ religionis infestat, quod aliquanti Clerici siue laici, student augurijs, & sub nomine fictæ religionis qua sanctorum sortes diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque inspectione futura promittunt, hoc quicunque Clericus vel laicus detectus fuerit, vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.

In Conc. Toletanensi ca. xxix. ita scriptum est: Si quis Episc. aut presbyter siue Diaconus, vel quilibet ex ordine Clericorum, magos aut aruspices aut ariolos vel sortilegos, aut eos qui profitentur artem aliquam curiosam, aut aliquis eorum similia exercentes consulens fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, monasterij curam excipiat: ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegij soluat.

In synodo Martini cap. lix. ita scriptum est: Non liceat sacerdotibus vel Clericis incantatores esse & ligaturas facere: quod est colligatio animarum. Si quis hæc facit, de Ecclesia proijciatur.

B

CAPVT XXIV.

Quod non liceat Christianis seruare traditiones gentilium: nec vllis obseruationibus festis eorum communicare.

ITem in eadem synodo ca. lxxij. scriptum est: non liceat Christianis tenere traditiones gentilium, & obseruare lunæ aut stellarum cursum. Non liceat Christianis obseruare vel colere elementa, aut lunæ aut stellarum cursum, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, vel segetibus, vel arboribus plantandis, vel coniugijs sociandis. Scriptum est enim: *Omnia quæ facitis, aut in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo.* 1.Cor.10

Item in eodem Conc. cap. lxxij. ita scriptum est, quod non liceat calendas obseruare: Non liceat iniquas obseruationes agere calendarum, & otiosis vacare rebus: neq; lauro aut viriditate arborum circuire domos. Omnis hæc obseruatio, paganismi est.

C

Item in eodem Conc. ca. lxxiij. scriptum est, quod non liceat medicinales herbas aliqua obseruatione colligere. Non liceat in collectione herbarũ quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes aut incantationes intendere, nisi tantum cum symbolo diuino & oratione Dominica: vt tantum Deus creator omnium & Dominus, honoretur.

In Conc. Laodicensi ca. xxxix. scriptum est de his Christianis, qui celebrant festa gentilium: Quod non oporteat cum gentilibus festa celebrare, & communicare prauitatibus eorum qui sine Deo sunt.

CAPVT XXV.

D

Quod non sit cum paganis conuiuandum.

IN Conc. Africano cap. xxvij. scriptum est de paganorum conuiuijs auferendis: Illud etiam petendum, vt quoniam contra præcepta diuina, conuiuia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili adtracta sunt, ita vt nunc à paganis Christiani ad hæc celebrãda cogantur, ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum, persecutio altera fieri occulte videatur, vetari talia iubeant: & de ciuitatibus & possessionibus imposita pœna prohiberi: maxime cum etiam natalibus beatissimorum martyrũ per nonnullas ciuitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident: quibus diebus etiam quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atq; plateas exerceant, vt matronalis honor & innumerabiliũ fœminarum pudor, deuote venientium ad sacratissimum diem, iniurijs lasciuientium appetatur: vt etiam ipsius sanctæ religionis pene fugiatur accessus.

E In decretis Leonis Papæ ca. xxx. scriptum est de his, qui conuiuio gentilium & escis immolatitijs vsi sunt: Si qui conuiuio solo gentiliũ & escis immolatitijs vsi sunt, possunt ieiunijs & manus impositione purgari: ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possunt esse participes. Si autem aut idola adorauerunt, aut homicidijs aut fornicationibus cõtaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.

CAPVT XXVI.

De Christianis qui cum Iudæis vescuntur: & quod Iudæis non liceat habere Christianas vxores vel concubinas, seu mancipium Christianum.

IN Conc. Heliberritano ca. lv. scriptum est de Christianis, qui cum Iudæis vescuntur: Si vero quis Clericus vel fidelis cum Iudæis cibum sumpserit, placuit eum à communione abstinere, vt debeat emundari. F

In Conc. Toletanensi cap. xiv. scriptum est de Iudæis: Suggerente Concilio, id gloriosissimus Dñs noster Canonibus inserẽdum præcepit, vt Iudæis non liceat Christianas habere vxores vel concubinas: neque mancipium Christianũ in vsus proprios comparare. Sed & filij qui ex tali coniugio nati sunt, assumendos esse ad baptismũ: nulla officia publica eos opus est agere, per quæ eis occasio tribuatur, pœnam Christianis inferre. Si qui vero Christiani ab eis Iudæis in ritu sunt maculati, vel etiam circuncisi non reddito pretio, ad libertatem & religionem redeant Christianam.

CAPVT XXVII.

Quod non congruat Christianis, comessationibus interesse: nec histriones fieri: nec saltare in nuptijs, neque in conuiuijs.

IN Concil. Laodicensi ca. lv. scriptum est, non congruere Christianis, comessationibus interesse: Quod non oporteat sacerdotes aut Clericos ex collatis vel comessationibus conuiuia celebrare. Hoc autem nec laicis posse congruere. G

In Conc. Africano ca. xxx. scriptum est de histrionibus, Christianis factis, & de his etiam petendum, vt si quis ex qualibet ludicra arte ad Christianitatis gratiã venire voluerit, ac liber ab illa macula permanere, non eum liceat à quoquam iterum ad eadem exercenda reduci vel cogi.

In Conc. Laodicensi ca. liij. scriptum est, vt in Christianorum non saltetur nuptijs. Quod nõ oporteat Christianos euntes ad nuptias, plaudere vel saltare: sed venerabiliter cœnare vel prandere, sicut Christianos decet.

CAPVT XXVIII.

Vt ad mensam Episcopi scriptura diuina legantur: & quod sacris ordinibus deditos viros, non conueniat ebrietatem sectari.

IN Conc. Toletanensi ca. vij. scriptum est, vt ad mensam Episcopi scripturę diuinę legantur: Pro reuerentia Dei & sacerdotum, id vniuersa sancta constituit synodus, vt quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali conuiuio lectio scripturarum diuinarũ misceatur. Per hoc enim & animę ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur. H

In Canone Apostolor. cap. xlij. scriptum est, quod Episc. presbyter, aut Diaconus, aleator & ebriosus esse non debeat: Episcopus, presbyter, aut Diaconus, aleæ atq; ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certe damnetur.

CAPVT XXIX.

De continentia & castitate Clericorum.

IN Concil. Carthaginensi cap. iij. de continentia & castitate Clericorum, ita scriptum est: Aurelius Episcopus dixit: Cum præterito Concil. de continentiæ & castitatis modera-

moderamine tractaretur, gradus isti tres qui constrictione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt, Episcopos inquam, presbyteros & diaconos, ita placuit vt condecet, sacros antistites ac Dei sacerdotes, necnon & leuitas, vel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod à Deo postulant, impetrare. Vt quod apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoq; custodiamus.

CAPVT XXX.

Quod non debeant sacerdotes qualibet in ecclesia familiis truncationes facere: nec aliquid quod morte plectendum sit, iudicare.

IN Concilio Toletanensi cap. vi. scriptum est, non debere sacerdotes, quaslibet in ecclesiæ familiis truncationes facere, nec aliquid quod morte plectendum, iudicare: His vero à quibus Domini sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet: & ideo magnopere talium excessibus prohibendum est, ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria iudicare præsumant: aut truncationes quaslibet personis aut per se inferant, aut inferenda præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut in ecclesiæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, & concessi ordinis honore priuatus & loco, sub perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo. Cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est, propter Domini misericordiam: qui non vult peccatoris mortem, sed vt conuertatur & viuat.

CAPVT XXXI.

De clericis qui in mutuam cædem prorumpunt.

IN Concilio Hilerdensi cap. xi. scriptum est de clericis, qui in mutuam cædem prorumpunt: Si qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessus contumelia pertulerit, à pontifice districtius vindicetur.

CAPVT XXXII.

De auaritia & cupiditate: & quod non sit vsura exigenda.

IN Concilio Carthaginensi cap. v. de auaritia scriptum est: Aurelius Episcopus dixit: Auaritiæ cupiditas detestanda: quam rerum omnium malarum matrem esse nemo dubitat. Proinde inhibendum est, ne quis alienos fines vsurpet, aut per præmium terminos patrum statutos transcendat, nec cuiquam clericorum liceat de qualibet re fœnus accipere: quanquam nouellæ suggestiones quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ à nobis, formam accipient: cæterum de quibus apertissime diuina scriptura sanxit, non est differenda sententia, sed potius exequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari. Vniuersum Concilium dixit: Nemo contra prophetas, nemo contra euangelia facit sine periculo.

In Concilio Toletanensi cap. xxxiii. scriptum est de auaritiæ malo: Auaritia radix cunctorum malorum: cuius sitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amore Christi & martyrum, in patrhocijs episcoporum basilicas construunt, oblationes conscribunt: sacerdotes hæc auferunt, atque in vsus suos conuertunt. Inde est, quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium basilicarum ruinæ non reparantur: quia auaritia sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est à præsenti Concilio, episcopos ita diocæses suas regere, vt nihil ex earum iure præsumant auferre: sed iuxta priorum auctoritatem Conciliorum, tam de oblationibus, quam de tributis ac frugibus, tertiam partem consequantur. Quod si amplius quippiã ab eis præsumptum extiterit, per Concilium restauretur: appellantibus aut ipsis conditoribus, aut certe propinquis eorum, si iam illi à seculo discesserunt. Nouerint autem conditores basilicarum, in rebus quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere: sed iuxta Canonum instituta sicut ecclesiam, ita & dotem eius ad ordinationem Episcopi pertinere.

In Concilio Niceno cap. xvii. de clericis vsuras accipientibus, scriptum est: Quod multi sub regula constituti, auaritiam & turpia lucra sectantur, oblitique diuinæ scripturæ dicentis: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, mutuum dantes, centesimos exigunt, iuste censuit sancta & magna synodus, vt si quis inuentus fuerit post hanc diffinitionem vsuras accipiens, aut ex inuentione aliqua vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiola, id est, sescupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, deijciatur à clero, & alienus existat à regula.

In decretis Leonis papæ cap. iij. scriptum est, quod vsuram non solum clerici exigere non debeant, sed nec laici Christiani. Nec hoc quoque prætereundum esse duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos, vsuras iam exercere: quod nos non dicam in eos qui sunt in clericali officio constitutos, sed & in laicos cadere qui Christianos se dici cupiunt, condolemus: quod vindicari acrius in eos qui fuerint confutati, decernimus: vt omnis peccandi oportunitas adimatur.

CAPVT XXXIII.

De apostatis.

IN decretis Siritij papæ cap. iij. de apostatis scriptum est: Adiectum est etiam, quosdam Christianos ad apostasiam quod dici nefas est, transeuntes, & idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos, quos Christi corpore & sanguine quo dudum redempti fuerant renascendo, iubemus abscindi. Et si resipiscentes forte aliquando fuerint ad lamenta conuersi, his quam diu viuunt, agenda pœnitentia est. Et in vltimo fine suo, reconciliationis gratia tribuenda: quia docente Domino, *Nolo mortem peccatoris: tantum conuertatur & viuat.* Ezech. 18

In Concilio Arelatensi cap. xxii. de apostatis scriptum est: Qui tardius reuertuntur, nisi per dignam pœnitentiam non recipiantur. De his qui apostatant, & nunquam se ad ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate arrepti, petunt communionem, placuit non dandam eis communionem, nisi reualuerint & egerint fructus dignos pœnitentiæ.

Item in eodem Concilio cap. xxv. de apostatis si non reuertantur scriptum est: Hi qui post sanctæ religionis professionem apostatant, & ad seculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant: quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti. Et quicunque ille, post pœnitentiam habitum secularem non præsumat: quod si præsumpserit, ab ecclesia alienus habeatur.

CAPVT XXXIV.

De professione monachi.

IN Synodo Toletana cap. lix. scriptum est de professione monachi: Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum reuerti interdicimus aditum: & omnes ad seculum interdicimus regressus.

A

CAPVT XXXV.

De pœnitentiæ temperamento: & quando reconciliandi sunt ipsi pœnitentes.

IN Africano Concilio cap. x. de pœnitentibus ita scriptum est. Vt pœnitentibus secundũ differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur, & vt presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absentia Episcopi necessitate cogente. Cuiuscunq; autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod vniuersam ecclesiam commouerit, ante absidam manus ei imponatur.

In decretis Innocentij papæ cap. vij. de pœnitentibus scriptum est: De pœnitentibus autem, qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interuenit ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Romanæ ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare: vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus & lachrymas corrigentis: ac tum iubere dimitti, cum viderit satisfactionem. Sane quisquis in ægritudinem inciderit, atque vsque ad desperationem deuenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum: ne de seculo absque communione discedat.

B

CAPVT XXXVI.

De his qui in pœnitentia positi, vita excesserunt.

IN Concilio Arelatensi cap. xij. scriptum est de his, qui in pœnitentia positi, vita excesserunt: Placuit nullum communione vacuum dimitti, sed pro eo quod orauit pœnitendo, oblatio illius recipiatur.

In Concilio Arausico cap. iij. scriptum est de pœnitentibus, qui de corpore exeunt: Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione, eis communicare: quod morienti sufficit consolationis, *secundum diffinitionem congruentem, viaticum nominauerunt. Vt si superuixerint, stent in ordine pœnitentium: vt ostensis necessarijs pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.

* C

CAPVT XXXVII.

De his qui pœnitentiam violantes spernunt: & rursus præuaricantur.

IN Concilio Aurelianensi cap. iiij. scriptum est de his, qui pœnitentiam violant: Eos vero qui susceptam pœnitentiam, religionemque suæ professionis obliti, ad secularia relabuntur, placuit à communione suspendi: & ab omnium catholicorum conuiuijs separari. Quod si post interdictum cum eo quisque præsumpserit manducare, & ipse communione priuetur.

In Concilio Toletano cap. lv. scriptum est de secularibus accipientibus pœnitentiam, qui se totondere, & rursus præuaricantes, laici effecti sunt: Comprehensi ab Episcopo suo, ad pœnitentiam ex qua recesserunt, reuocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irreuocabiles sunt, nec admoniti reuertuntur, vere vt postea coram ecclesia anathematis sententia condemnentur. Non aliter & hi qui detonsi à parentib. fuerint, aut sponte sua missis parentibus seipsos religioni deuouerunt, & postea habitum secularem sumpserunt, & iidem à sacerdote comprehensi, ad cultum religionis acta prius pœnitentia reuocentur. Quod si reuerti non possunt apostatæ, anathematis sententia abijciantur. Quæ forma seruabitur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctum monialem habitum induere, & postea aut vestem mutauerunt, aut ad nuptias transierunt.

D

E

CAPVT XXXVIII.

Quod nulli sit vltima pœnitentia deneganda.

IN decretis Cælestini papæ cap. xv. scriptum est, quod nulli sit vltima pœnitentia deneganda: Agnouimus enim pœnitentiam morientibus non denegari, nec illorum desiderijs annui, quod obitus sui tempore animæ suæ cupiunt subueniri remedio. Horremus fateor tantæ impietatis aliquem reperiri, vt de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurrere: & periclitantem sub horrore peccatorum hominem, pondere quo se ille expedire desiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud est, quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate ne absoluta esse possit, occidere? Cum Deus ad subueniendum paratissimus, inuitans ad pœnitentiam sic promittat. *Peccator in quacunque die conuersus fuerit, peccata eius non reputabuntur ei.* Ezech. 18.
Et iterum: *Nolo mortem peccatoris, sed tantum conuertatur & viuat.* Ibid.
Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegarit. Et desperauit de clementia Dei, qui eum ad subueniendum morienti sufficere, vel momento posse non credidit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum vnius horæ pœnitentia non iuuisset. Cum esset in pœna pœnituit, & per vnius sermonis promissionem, habitaculum paradisi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conuersio in vltimis positorum, mente potius est æstimanda quam tempore: propheta hoc taliter asserente: Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quouis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti: cum ille se obliget iudici, cui occulta omnia nouerit reuelari.

F

CAPVT XXXIX.

Quod oporteat eum qui pro illicitis veniam poscit, etiam à multis licitis abstinere: & quod non oporteat eum tempore pœnitentiæ lucra negociationis exercere.

G

IN decretis Leonis papæ capite xxij. scriptum est, quod oporteat eum qui pro illicitis veniam poscit, etiam à multis licitis abstinere. Aliud quidem est debita iusta reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem, oportet etiam à licitis abstinere, dicente Apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* 1. Cor. 6.
Vnde si pœnitentes habent causam quam negligere forte non debeant, melius expedit eis ecclesiasticum quam forense iudicium.

Item in eisdem decretis cap. xxiij. scriptum est, quod pœnitenti nulla lucri negociationis exercere conueniat. Qualitas lucri negociantem aut excusat, aut arguit: quia est inhonestus quæstus & turpis. Veruntamen pœnitẽti vtilius est dispendia pati, quam periculis negociationis obstringi. Quia difficile est inter ementis vendentisque commercium, non interuenire peccatum.

H

CAPVT XL.

Quod ad militiam secularem, post pœnitentiam rediri non debeat.

ITem in eisdem decretis cap. xxiiij. scriptum est, quod ad militiam secularem post pœnitentiam rediri non debeat: Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem, redire ad militiam secularem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus.* 2. Tim. 2.
Vnde non est liber à laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.

Epilogus.

HÆc tibi sancte pater pauca capitula, ex sanctorum patrum Concilijs colligere curaui: vt haberes in promptu ex eorum sententiis, quo iudicare possis rudes & indomitos animos nouellæ gentis, apud quam modo conuersaris: vt sciant se impunite peccare non posse, sed paratam sententiam semper à vobis fore: orientia vitia peruersorum citius resecare: & humilibus atq; digne satisfactione peccata sua plorantibus, opportunum solamen consolationis conferre. Oportet enim, vt quia vestra sanctitas inter illos modo consistit, per prædicationem verbi Dei, & custodiam veræ religionis omnibus sacrum studium vestrum innotescat: quatenus hic fructus boni laboris laudem vobis adquirat: & in futuro mercedem & gloriam pariat sempiternam, Amen.

Libri pœnitentium finis.

HRABANI MAVRI MOGVNTINENSIS ARCHIEPISCOPI, QVOTA GENERAtione licitum sit connubium, Epistola.

Domino vere sancto ac beatissimo patri Humberto, gratia Dei Episcopo, Rabanus vilissimus seruorum Dei seruus, in Christo salutem.

NVper venerunt ad me literæ de tua sanctitate directæ, quæ inter alia ex quibus mecum tua dilectio decreuit tentare, continebant de nuptijs: vt quota generatione legitimum esse posset, tibi edicerem: vbi & commemorabas te quædam capitula legisse Papæ Gregorij ad Augustinum gentis Anglorum Episcopum: necnon & decreta Zachariæ de eadem re: similiter quoque quid Isidorus Hispalensis Episcopus, in Etymologijs suis inde senserit, notum habere: & quid ego super hæc omnia sentirem, tibi à me rescribi postulabas. Vnde ego tunc vidés quantitatem negotij, breuiter respondi: quod tanta res, & spatium temporis, & otium scribentis quæreret: nec cito me posse ad ea quæ rogabas, in multis occupatum condigue respondere: sed multorum dicta & sacrorum librorum volumina ante perscrutari velle: & sic ad rescribendum, manum mittere. Sed cum postmodum te sentirem ad primissa exequenda auidius anhelare, præoccupaui tempus, & festinanter tuę voluntati obtemperare decreui: breuiter hæc commemorans, quę legisse me recordatus sum: vel quæ subito dictanti in mentem venerant. Igitur de nuptijs quid licitum sit vel illicitũ, Dominus per legem & euangelium innotuit, qui bono coniugali vti concessit: atq; omnem incæstum & fornicationem omnino prohibuit. Quomodo autem consanguinitas honoranda sit, liber Leuiticus ostendit: *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Ego Dominus Deus vester: iuxta consuetudinem terræ Aegypti in qua habitastis, non facietis: & iuxta morem regionis Chananææ, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis: nec in legitimis eorum ambuletis: facietisque iudicia mea & præcepta seruabitis, & ambuletis in eis. Ego Dominus Deus vester: custodite leges meas atque iudicia, quæ homo faciens, viuet in eis. Ego Dominus. Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius, Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies. Mater tua est: non reuelabis turpitudinem eius. Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre siue ex matre quæ domi vel foris genita est, non reuelabis. Turpitudinem filiæ filij tui, vel neptis ex filia non reuelabis: quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ vxoris patris tui quam peperit patri tuo, & est soror tua, non reuelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non reuelabis: eo quod caro sit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non reuelabis: nec accedes ad vxorem eius, quæ tibi affinitate coniungitur. Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, quia vxor filii tui est: nec discooperies ignominiam eius. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem vxoris tuæ & filiæ eius non reuelabis: filiam filii eius, & filiam filiæ illius non sumes, vt reueles ignominiam eius: quia caro illius sunt, & talis coitus incæstus est. Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies: nec reuelabis turpitudinem eius.* (Leuit. 18.) Cum enim Dominus populum suum de contaminationibus gentium voluisset separare, primum generali vocabulo ad proximitatem sanguinis prohibuit quenquam accedere, ne reuelaret turpitudinem eius. Deinde ipsam generalitatem ferme in duodecim species subdiuisit: quæ tamen vltra tertiam vel quartam generationem non procedunt: ac ideo reor Dominum Gregorium papam Augustino interroganti, tertia vel quarta generatione iam illicite connubia iungi respondisse. Similiter & in Theodori Archiepiscopi gentis Anglorum capitulis, quæ de necessariis rebus conscripsit, inuenimus, quod in tertia propinquitate carnis secundum Græcos liceat nubere: in quinta vero secundum Romanos. Qui tamen coniugia in tertia propinquitate facta non soluerent, si antea ab inscientibus compacta fuissent: æqualiterque coniungerentur in matrimonia eis, qui sibi consanguinei sunt, & vxoris suæ consanguineis post mortem vxoris. Hunc autem Theodorum Tarso Ciliciæ natum, Vitellianus papa, Romæ episcopum ordinans, Britanniam misit: vnde etiam Orientalium ecclesiarum consuetudinibus pleniter institutus fuerat: nec eum aliqua latere potuerunt, quæ in obseruationibus legitimis Græci vel Romani eo tempore habuerunt: maxime cum in vtraque lingua perfecte instructus esset. Quod autem proximis temporibus Romanorum pontificum scripta contineant, vsque ad sextam vel septimam generationem coniugij vsum differendum, magis ex consuetudine humana, quam ex lege diuina hoc eos præcepisse credendum est. Quod ita sentiens beatus Bonifacius martyr, nosterque patronus, de eadem re Episcopos gentis suæ credidit consulendos: vt ipsi quid in sanctorum patrum sententiis inde explanatum inuenirent, sibi rescriberent. Nam quod Isidorus in Etymologiis suis, vsque ad sextam generationem consanguinitatis abstinendum, & sic legitime connubio coniungendum asseruit, inde reor eum fecisse, quod genealogiæ seriem retexens, quousque ordinem numerando perduxit, eo cognationem sanguinis seruandam æstimauit: sicq; ad nouationem generis & amicitiæ eius confirmandam, redire ad connubium sanciuit, quando iam cognationis ordo numerari desiuit. Cæterum ante omnia considerandum est, vt sic censura disciplina temperetur, ne per immoderationem correptionis, peccati cumulus augeatur. Scimus enim, quod qui in lege cognationis ius obseruare constituit, ipse in euangelio fœdus coniugij non dissoluendum præcepit: ita sane, *vt si quis dimitteret vxorem excepta causa fornicationis, faceret eam mœchari: & qui dimissam duceret, mœcharetur.* (Matth. 5.) Sic & Apostolus eandem rationem sequens in epistola sua, iussit *mulierem à viro non discedere: quod si discederet, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* (1. Cor. 7.) Si enim vbicunque aliquid proximitatis vel consanguinitatis licet longinquæ, inter coniugatos inueniri potest, statim matrimonium dissoluitur, ne (reor) quod adulterium & fornicationis scelus multiplicetur, qui cum coniugato adolescenti vel iuueni societas comparis suæ denegatur: nec aliquid ei solatij impenditur, vnde continentiam seruare possit, libidine inflammatus, per diaboli instigationem, multiplici fornicatione forsan polluitur: ac sic in præcipitium mortis æternæ, anima demergitur. Vnde Apostolus huiuscemodi vitium amputare volens, scripsit dicens: *Bonum est mulierem non tangere: propter fornicationem autem, vnusquisque vxorem suam habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro:* (Eodem.) & paulo post: *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tẽpus, vt vacetis orationi:* & iterũ: *reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam.* His ergo

omnibus

A omnibus consideratis, bonum mihi videtur, vt legis diuinæ constitutio inuiolata seruetur: & scandalum quantum ad homines pertinet, pro facultate virium declinetur. vbi autem sine maiori detrimento scandalum toleretur: quoniam maximum propter * incaute iam efficiatur. Igitur quia à mea paruitate voluisti, quid sentirem de hac re, tibi rescribi, propter infirmitatem instantis temporis, reor hoc quod Theodorus Archiepiscopus inter Gregorium & Isidorum medius incedens, in suis capitulis diffiniuit, magis sequendum: vt post quintam generationem iam licitum connubium fiat: quia lex diuina hoc non contradicit: nec etiam sanctorum patrum dicta hoc prohibent. Si autem & in quinta ab inseijs copula fuerit peracta, melius mihi videtur, vt cum pœnitentiæ humiliatione, si se vxoratus continere non vult, Deo satisfaciat: & tamen ei prædicetur, quoniam bonum sit, vt ab huiuscemodi copula semetipsum abstineat: si forte det illi Deus pœnitentiam, & resipiscat à diaboli laqueis: gratamque continentiæ suæ spontanea voluntate oblationem, postmodum offerat Deo: & sic ni B fallor, cautela erit in iudicio: atque iustitia seruatur in facto.

EPISTOLAE FINIS.

HRABANI MAVRI MOGVNTINENSIS ARCHIEPISCOPI, DE CONSANGVINEORUM nuptijs.

&

DE MAGORVM PRAESTIGIIS, FALSISQVE C *diuinationibus, Tractatus.*

MAgnorum virorum & clarissimorum doctorum mos semper fuit, ad ea de quibus interrogati fuerant, competenter responsum quærere, & adnitentes auctoritati sanctarum scripturarum, sanctorumque patrum sententijs, ea quæ ab eis postulata fuerant, breuiter, dilucideque referere. Sed cum hæc ipse indoctus, & non tam sermone quam etiam scientia imperitus, pro modulo meo imitari solebam: & his qui me de aliquibus quæstionibus pulsabant, per scripturas sacras & sententias sanctorum patrum, respondere curabam. Nunc ita apud te charissime virorum, & solertissime custos gregis Dei Bonose, mihi euenit: quoniam in his in quibus aliquo modo satis egi, tibi nullo modo satisfacere potui, sed semper iuxta consuetudinem tuam, astutius inquirebas, & diligentius inuestigabas, quomodo ea quæ prolata sunt, inuiolata constare possent. Vnde modo difficilem exitum in quæstionibus à te mihi propositis inuenire potui: eo quod testimonia de vetere lege adsumpta, in epistola rescripta ad Humbertum episcopum, quota generatione liceret cognatis connubia iungere, redarguebas: quasi non conuenientia huic tempori, hoc est, religioni D Christianæ, sed quia in nouo testamento de hoc plane scriptum non inueni, necessarium æstimaui, quid sancti patres de ipsis sententijs legis Dei senserint, de opusculis eorum, tibi exempla proferre: vt qui mihi propter vilitatem meæ personæ difficulter credis, saltem illis qui magnæ auctoritatis sunt, coactus credas. Proponebas enim mihi duas quæstiones: vnam de consanguineis, quota generatione eis liceret seinuicem nuptijs copulare. Alteram quid de his sentiendum esset, qui magicis præstigijs siue incantationibus dæmoniaeis, dicuntur homines fallere: & à statu suo pristino euertere posse. Vnde primum de præfatis nuptijs, deinde de magicæ artis argumentis, scribendum tibi esse arbitramur. Sed prius notandum est, quod vbi veteris legis præcepta necessaria sunt in testimonium adsumenda, non sunt despicienda: quia vnus atque idem auctor veteris & noui testamenti est, Deus. Idcirco ipse mediator E Dei & hominum, de lege & prophetis exempla sumens, confirmabat & commendabat doctrinam euangelicam auditoribus suis, sicut scriptum est de eo in euangelio, *quod ipse in synagoga surrexerit legere: & datus sit illi liber Esaiæ* Luca 4. *prophetæ. Qui cum aperuisset librum, inuenit locum vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me: euangelizare pauperibus misit me. Sanare contritos corde: prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum: dimittere confractos in remissionem. Prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro & sedit, & omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris: & omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius:* & post resurrectionem legitur, quod duobus discipulis secum in via ambulantibus & dubitantibus, dixerit: *O stulti & tardi corde ad credendum in* Luca vlt. *omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens à Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ* F *de ipso erant,* & in alijs pluribus locis idem fecisse inuenitur, nec immerito. Nam in monte vbi coram tribus discipulis transfiguratus est, *apparuerunt Moyses & Helias cum* Matt. 17. *eo loquentes, & dicebant excessum quem completurus erat in Hierusalem, vt intelligeretur eum testimonium habere velle, à lege & prophetis.* Vnde & Apostolus, gratiam noui testamenti testificatam asserit à lege & prophetis: quia *lex spiritalis est &* Rom. 7. *sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum.* Ex quo notandum est, quod ipsa lex in aliquibus locis secundũ historiam tantum, in aliquibus vero secundum allegoriam, in aliquantis autem secundum historiam simul & allegoriã intelligenda est. Quia vt B. Ambrosius scripsit, triplex S. Ambr. quidem lex est. Ita vt prima pars de sacramento diuinitatis, sit Dei: secunda autem quæ congruit legi naturali, quæ interdicit peccatum: tertia vero, lex est factorum, i. e. sabbati historica obseruatio, neomeniæ & circumcisio: quæ spiritaliter, non carnaliter, temporibus gratiæ seruanda sunt. Similiter autem & lex naturalis, quæ concordat in multis legi Moysi, tres habet partes. Cuius prima hæc est, vt agnitus honoretur creator: nec eius claritas & maiestas, G alicui de creaturis deputetur. Secunda autem pars est moralis, hoc est, vt bene viuatur modestia gubernante. Congruit enim homini habenti notitiam creatoris, vitam suam lege frenare, ne frustretur agnitio. Tertia vero pars est docibilis: vt notitia Dei creatoris, & exemplum mox cæteris tradatur: vt discant quemadmodum creatoris meritum collocetur: hæc est enim vera & Christiana prudentia: & omni catholico ad discendum, atque ad seruandum necessaria, quia per hanc in hoc seculo vita honesta ducitur, & in futuro ad præmia æterna peruenitur. Igitur vbi de sacramento diuinitatis sermo fit, vel de vitandis vitijs ac virtutibus assequendis præcepta dantur, bona est historica, & moralis intelligentia. Vbi autem vmbra futurorum exprimitur, vt de lege factorum diximus, spiritalis omnino intellectus, ibi quærendus est. Cæterum vbi historia narrat transitum filiorum Israel de Ægypto per mare rubrum, & in deserto constructionem tabernaculi, & signa miraculorũ, quæ in priori populo Domini iussu facta sunt, præliaque Israelitarum cum Chananæis & cæteris gentibus, hæc H quidem historialiter ita facta esse credenda sunt, & tamen in mysterijs veneranda. Vnde Paulus Apostolus facta priorum mystice intelligens, ad Corinthios scripsit, dicens: *Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres no-* 1. Cor. 10 *stri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra. Petra autem erat Christus.* Similiter autem & ad Galatas scribens duos filios Abrahæ, vnum de ancilla natum, & alterum de libera, duobus populis per similitudinem comparauit dicens: *Scriptum est quoniam Abraham* Gal. 4. *duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnẽ natus est. Qui autem de libera, per repro-*

missionem:

A *missionem:* quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta: vnum quidem à monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem, & seruit cum filijs suis. Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est: quæ est mater nostra. Scriptum est enim:
Esa.54. *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij desertæ, magis quam eius quæ habet virum,* &c. Si ergo ipsa veritas & discipuli eius, ex testimonijs legis doctrinam suam probauerunt, & auditoribus suis commendauerunt, quis est qui ipsam legis assertionem audeat reprehendere, quando eam viderit euangelicæ doctrinæ concordare? Cum enim salubria præcepta in lege de charitate, de castitate, de continentia, & de misericordia, cæterisquê virtutibus auctoritate diuina proferuntur, omni cum honore suscipienda, & cum magna diligentia seruanda sunt: quia in hoc se quisque probat ipsius veritatis deuotum esse discipulum, & mandatorum Dei custodem diligentissimum, si consentiat legi Dei, & credit illis quæ in ea scripta sunt. Hinc quoque
B ipse ad incredulos Iudæos, & contra altercantes, ait:
Ioan.5. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo*
Luc.16. *meis verbis credetis?* Hinc & alibi in Euangelio legitur, *Abraham diuiti de inferno ad se clamanti,* & postulanti, vt Lazarum transmitteret in domum patris sui, quatenus testaretur illis, ne & ipsi venirent in locum ipsum tormentorum, respondisse: *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* At ille dixit: *Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexit, credent.* Ac si patēter diceret: Si legi & prophetis, iustitiam & veritatem docentib. non adquiescunt, nec Christo qui ex mortuis resurrexit, & euangelicam doctrinam adnunciat, rite obediunt.

Denique de consanguinitate Dominus ipse qui legem dedit, & postmodum euangelij benedictionem addidit, vt electi sui ambularent de virtute in virtutem, in Leuiti-
Leu.18. co ad Moysen locutus est dicens: *Loquere filiis Israel & dices ad eos: Ego Dominus Deus vester: Iuxta consuetudinem terræ Aegypti in qua habitastis, nō facietis, & iuxta morē regionis Cha-*
C *naan ad quam ego introducturus sum vos, non agetis. Neque in legitimis eorum ambulabitis. Facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis, & in eis ambulabitis: ego Dominus Deus vester. Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius: ego Dominus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est: non reuelabis turpitudinem eius. Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies: turpitudo n. patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre siue ex matre quæ domi vel foris genita est, non reuelabis. Turpitudinem filiæ filij tui vel nepotis ex filia, non reuelabis, quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ vxoris patris tui quam peperit patri tuo, & est soror tua, non reuelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non reuelabis, eo quod caro sit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non reuelabis, nec accedes ad vxorem eius, quæ tibi affinitate coniungitur. Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, quia vxor filij tui est, nec discooperies ignominiam eius. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem vxoris tuæ & filiæ eius non reuelabis: filiam filij*
D *eius, & filiam filiæ eius non sumes, vt reueles ignominiam eius, quia caro illius sunt: & talis coitus, incestus est. Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc illa viuente.* Cuius capituli expositionem, ex dictis beati patris Augustini hic interserendam esse, censuimus: vt lector sobrius, eius sensui non diffidat credere atque consentire, quem videt nullo modo à veritatis tramite deuiare. Turpitudinem, inquit, patris tui, & turpitudinem matris tuæ non reuelabis. Turpitudo enim eorum est. Prohibet cum matre concumbere. Ibi enim est turpitudo patris & matris. Nam propterea prohibet & nouercæ, vbi dicit: Turpitudinem vxoris patris tui non reuelabis: turpitudo enim patris tui est. Vbi exposuit, quomodo in matre vtriusque sit turpitudo, id est, patris & matris: in nouerca autem, tantum patris. Turpi-

E tudinem sororis tuæ ex patre tuo, aut ex matre tua, quæ domi vel foris nata est, non reuelabis. Turpitudo enim earum est. Quæ domi nata est, intelligitur ex patre: quæ foris nata est, intelligitur ex matre: si forte de priori viro eam mater susceperat, & cum illa in domū venerat, quādo patri eius nupserit: quoniam monet scriptura, ne reuelet turpitudinē sororis suæ, hic videtur non prohibuisse & quasi prætermisisse concubitum cum sorore de vtroque parente nata: non enim dicit turpitudinem non reuelabis sororis tuæ ex patre & ex matre: sed ex patre aut ex matre. Verum quis non videat etiam illud esse prohibitum multo maxime? Si enim non licet sororis turpitudinem reuelare ex quolibet parente natæ, quanto magis ex vtroq;. Quid est autem, quod interposita prohibitione concubitus etiam cum suis neptibus siue de filio siue de filia, sequitur & dicit: Turpitudinem filiæ vxoris patris tui non reuelabis? Si enim hucusque dixisset, intelligeremus etiam cum filia nouercæ prohibitum fuisse concubitum, quam ex priore viro nouerca peperisset, nec huius qui prohibetur, soror esset
F vel ex patre vel ex matre. Cum vero addidit, quæ ex eodem patre soror tua est, non reuelabis turpitudinem eius, manifestat de sorore factam esse istam prohibitionem, cum fuerit ex patre & ex nouerca, de qua iam superius dixerat: an ideo iterum hoc apertius voluit prohibere, quia superius subobscurum fuit. Sæpe enim hoc facit scriptura. Turpitudinem fratris patris tui non reuelabis, & ad vxorem eius non introibis. Exposuit quid dixerit, Turpitudinem fratris patris tui, id est, patrui tui nō reuelabis, hoc est enim, Ad vxorem eius non introibis. In vxore quippe patrui tui, voluit intelligi turpitudinem patrui tui. Sicut in vxore patris, turpitudinem patris. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: turpitudo enim fratris tui est. Quæritur vtrum hoc viuo fratre, an mortuo, sit prohibitum: & non parua quæstio est. Si enim dixerimus de viui fratris vxore locutam scripturam vno generali præcepto, quo prohibetur homo ad vxorem accedere alienam, etiam hoc vtiq; continetur. Quid est ergo, quod tam diligenter has personas quas appellat domesticas, proprijs prohibitionibus distinguit a cæteris? Non enim & quod prohibet de vxore patris, hoc est, de nouerca viuo patre accipiendum esset, & non po-
G tius mortuo. Nam viuo patre, quis non videat multo maxime prohibitum, si cuiuslibet hominis vxor aliena prohibita est maculari adulterio? De his personis ergo videtur loqui, quæ possent non habentes viros in matrimonium conuenire, nisi lege prohiberentur, sicut fertur esse consuetudo Persarum. Sed rursus si fratre mortuo intellexerimus prohibitum esse ducere fratris vxorem, occurrit illud, quod excitandi seminis causa, si ille sine filijs defunctus esset, iubet scriptura esse faciendum: ac per hoc collata ista prohibitione cum illa iussione, ne inuicem aduersentur, intelligenda est exceptio, id est, non licere cuiquam defuncti fratris ducere vxorem, si defunctus posteros dereliquit, aut etiam illud esse prohibitum, ne liceret ducere fratris vxorem, etiam quæ à fratre viuo per repudium recessisset: tunc enim sicut Dominus dicit, *ad duritiam Iudæorū Moyses permiserat dari* Marc.10.
H *libellum repudij: & per hanc dimissionem potuit putari,* quod licite quisquam sibi vxorem copularet fratris: vbi adulterium non timeret, quoniam repudio discessisset. *Turpitudinem mulieris & filiæ eius non reuelabis,* id est, ne putet quisquā licere sibi ducere filiam vxoris suæ. Simul *enim mulieris & filiæ eius, non licet reuelare turpitudinem eius.* i. ambabus misceri, & matri & filiæ. *Filiam filij eius & filiam filiæ eius non accipies:* etiam neptem vxoris de filio vel de filia duci prohibuit vxorem. *Super vxorem sororem eius non accipies in zelum.* Hic non prohibuit superducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis. Sed sororem sorori noluit superduci, quod videtur fecisse Iacob: siue quia nondum fuerat lege prohibitum, siue quia supposita alterius fraude, deceptus est. At illa magis de placito veniebat, quam posterius accepit: sed iniustum erat priorem dimitti, ne faceret eam mœchari. Hoc autem quod ait, *in zelum:* vtiq; ideo positū est ne fit zelus inter sorores φ inter illas quæ sorores non

A essent, contemnendum fuit: an ideo potius, ne propter hoc fiat, id est, ne hoc animo fiat, vt in zelum sororis, soror superducatur. Qualiter autem in cognatis ius matrimonij seruandum sit, memoratus doctor ostendit dicẽs: Quod autem postea legitur, *Quicunque dormierit cum cognata, turpitudinem cognationis suæ reuelabit: sine filiis morietur*: quæritur, quousque sit intelligenda ista cognatio, cum ex longo gradu licet vtique accipere vxorem, semperque licuerit. Sed intelligendum est ex his gradibus, quos prohibuit non licere: & secundum ipsos dictum: *Quicunque dormierit cum cognata sua*. Vbi & aliqua non commemorata intelligenda dimisit. Sicut sororem de vtroque parente. Sicut vxorem fratris matris, id est, auunculi. Nam de vxore patrui primum prohibuit, quamuis hæc non cognatio, sed affinitas perhibetur. Sed quid est, *Sine filiis morientur*, cum filij ex huiusmodi coniunctionibus & antè nati sunt, & hodie nascantur? An hoc intelligendum est, lege Dei constitutum, vt quicunque ex eis nati fuerint, non deputentur filij? Id est, nullo parentibus iure succedant. Quod autem quidam reprehendunt rescripta beati
B Gregorij ad interrogationem Augustini episcopi gentis Anglorum, qui ab eo sciscitatus est, vsque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi coniugio copulari, & nouercis, & cognatis si liceat copulari coniugio, non caute faciunt, quia qui irreprehensibilis est in cæteris dogmatibus suis, in hac etiam responsione non potest rite reprehendi, quia legi Dei, & sanctorum patrum sententijs magis studuit concordare, quam noua ex suo sensu condere, qui inter cætera sic ait: *Quædam terrena lex in Romana republica permittit, vt siue frater & soror, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur*. Sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere: & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Vnde necesse est, vt iam tertia vel quarta generatione fidelium, licenter sibi iungi debeat. Nam secunda quam prædiximus, à se omni modo debet abstinere. Cum nouerca autem misceri, gra-
Leu. 18. ue est facinus, quia & in lege scriptum est: *Turpitudinem patris tui non reuelabis*. Neque enim patris turpitudinem
Gen. 2. filius reuelare potest. Sed quia scriptum est, *Erunt duo in*
C *carne vna, qui turpitudinem nouercæ quæ vna caro cum patre fuit, reuelare præsumpserit, profectò patris turpitudinem reuelabit*. Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quia per coniunctionem priorem caro fratris fuerit facta: pro qua re etiam Ioannes Baptista capite truncatus est, & sancto martyrio consummatus. Cui non est dictum vt Christũ negaret, & pro Christi confessione occisus est. Sed quia
Ioan. 6. Dominus noster Iesus Christus dixerat, *Ego sum veritas*, pro veritate Ioannes occisus est videlicet, & pro Christo sanguinem fudit. In hoc ergo responso facile potest lector diligens agnoscere vtrum hanc relationem ad præcepta legis diuinæ, quæ superius commemorata sunt, hic præsul sedis apostolicæ referret, an de suo aliquid nouiter constituerit. Non enim mihi videntur eius dicta discordare à supramemoratis sententiis beati Augustini; sed eius sensui paria sentire. In Canonibus autem patrum, quid de incestis coniugiis decretum sit, inserendum arbitror: vt ibi perspiciatur, vtrum eorum senten-
D tiæ, ad prædictorum doctorum scripta concordent, an non. Nam in Agathensi Concilio ita scriptum est: Incæstos vero nullo coniugij nomine deputandos censemus: quos etiam designare funestum est, id est, si quis relictam fratris quæ prius soror extiterat, carnali coniunctione violauerit. Si quis frater germanam vxorem accipiat. Si quis nouercam duxerit. Si quis consobrinæ suæ se sociauerit: Quod ita præsenti tempore prohibemus, vt ea quæ sunt ante nos constituta, non dissoluamus. Si quis relictæ vel filiæ auunculi misceatur, aut patris filiæ, hæc coniunctio illicita interdicitur. Habebunt enim, ineundi meliores coniugij libertatem. In Aurelianensi quoque synodo ita decretum legitur de incæstis, vt communicentur: Ne superstes super thorum defuncti fratris accedat: neve quisq; amissa vxore sorori audeat sociari: quod si fecerit ab ecclesiastica districtione feriatur. Item in Capitulari Orientalium patrum, quod à Martino epi-
E scopo cæterisque episcopis constitutum est, ita scriptum reperitur: Si quæ mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, à communione abstineant vsque ad mortem. In morte eis communio per misericordiam detur. Si vero superuixerint communione accepta, & de infirmitate conualuerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto. In decretis quoque Gregorij papæ, qui apud Romanos à primo secundus dicitur, ita scriptũ est: Si quis commatrem spiritalem duxerit in coniugio, anathema sit: & responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis fratris vxorem duxerit in coniugio, anathema sit: & responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis neptem duxerit in coniugio, anathema sit: & responderunt omnes tertio, anathema sit. Si quis nouercam aut nurum suam duxerit in coniugio, anathema sit: & respõderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis consobrinam duxerit in coniugio, anathema sit: & responderunt omnes tertio, Anathema sit. Non enim hic de trinepote, siue de trinepte, aut de trinepotis nepote, seu trinepotis nepte aliquid dicitur, aut specialiter enumeratur. Vnde
magis arbitror hoc sequendum, quod diuina auctoritas in duobus testamentis sanciuit: & quod iuxta eius exemplum, plurimorum patrum sententia in communi conuentu seruandum constituit: quam quod quilibet iuxta libitum suum coniectura propria sequendum esse, decernit. Veruntamen, si quis voluerit se continere vsque ad quintam vel sextam vel etiam septimam generationem, non prohibendus est, sed magis hortandus: quia quanto longior est à discrimine, tanto securior erit de internecione. Nam Apostolo testante, *honorabiles sunt nuptiæ, & thorus immaculatus*. Ideo Christianum decet omnia honeste & secundum ordinem facere. Ego quoque, quia ex meo aliquid nouiter non ausus sum proferre, maiorum scripta vel dicta, secundum id quod inueni, simpliciter posui: non præiudicans alteri melius intelligenti. De his sentiat quisque quod velit: ita tamen, vt discretionem in iudicio, & veritatem conseruet in facto. F Heb. 13.

De magicis artibus.

G DE magicis autem artibus atque incantationibus, & de superstitionibus diuersis, quos gentiles & falsi Christiani in diuinationibus suis & obseruationibus peruersis sequi videntur, quid lex diuina sanciat, in auctoritate veteris testamenti ac noui, facile est inuenire. Detestatur enim eos lex diuina: quæ in libro Exodi ita dicit,
Maleficos in terra tua non patieris viuere. & item: *Qui immolat*, Exod. 22.
ait, *dijs, occidetur, præter Domino soli*. Et in Leuitico: *Non co-* Ibid.
medetis, inquit, *carnem cum sanguine. Non augurabimini, nec* Leu. 19.
obseruabitis somnia: & super mortuo non incidetis carnem vestram: neque figuras aliquas & stigmata facietis vobis. Ego Do-
minus Et item: *Non declinabitis*, ait, *ad magos: nec ab hariolis a-* Ibid.
liquid sciscitemini, vt polluamini per eos. & item: *Vir*, inquit, *si-* Leu. 20.
ue mulier, in quibus pythonicus vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super
eos. In Deuteronomio quoque sic dicit: *Quando ingressus fu-* Deut. 18.
eris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inueniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam suam ducens per ignem, aut qui hariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria. Non sit maleficus neque incantator, neque qui pythones consulat, neque diuinos: & quærat à mortuis veritatem. Omnia autem hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera, delebit eos in introitu tuo. Perfectus eris, & absq; macula, cum Domino Deo tuo. Gentes istæ quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. Et quid sequendum sit vel obaudiendum, mox subsequitur dicens: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus. Ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est atque dixisti: Vltra non audiam vocem Domini Dei mei: & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar, & ait mihi Dominus: Bene omnia sunt locuti: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, au-* H

A *dire noluerit, ego vltor existam. Propheta autem qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi vt diceret, aut ex nomine aliorum deorum, interficietur.* Quis autem ille propheta fuerit, cuius sermones audire debēt, & cui tota intentione animi obediendum est, patet cum in Euangelio legitur, quod turba fideliū videns miracula *Iohan.6.* & signa quæ faciebat Iesus, clamaret dicens: *Vere hic est Luca 7.* *propheta, qui venturus est in hunc mundum.* Et alibi de eo scriptum est: *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.* Hic ergo propheta, & Dominus omnium prophetarum, qui est via, veritas & vita, conditor vtriusq; testamenti, non solum in veteri, sed etiam in nouo omnes errores & diuinationes atq; artes noxias respuit atq; cōdemnat: nec ab alio quam à se requiri veritatem aut sanitatē vult, quia ipse cum Patre & Spiritu sancto, vnus verus atque omnipotens est Deus, faciens mirabilia magna solus. Vnde & in Euangelio omnes ad se *Matt. 11.* inuitat dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati* B *estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem ani-* *Ibidem.* *mabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* & item: *Ego sum,* inquit, *lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Hic ergo iuxta Pauli sententiam, saluator est omnium hominum maxime fi- *Actu.4.* delium. De quo & Petrus ait: *Non est enim aliud nomen datum hominibus super terram, in quo oporteat homines saluos fieri.* In quo etiam nomine, quotidie signa magna & sanitates in Ecclesia per orationes fidelium fiunt: quoniā ipse discipulis suis in Euangelio ait: *Ecce ego do vobis potestatem* *Luc.10.* *calcandi super serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici. Euntes prædicate Euangelium, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.* De quo etiam Mar- *Marc.3.* cus testatus est dicens: *Multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent. Quotquot autem habebant plagas & spiritus immundos, cum illum videbant, procidebant ante eum, & clamabant, dicentes: Tu es filius Dei. Et vehementer cōminabatur eis, ne manifestarent illum: & ascendens in montem, vocauit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum, & fecit vt essent duodecim* C *cum illo, & vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia.* Quid ergo necesse est salutem ab alio, quam à medico competente quærere? aut quæ ratio est, scientiam aut sapientiam ab alio quolibet discere velle, quam ab omni sapientiæ & scien- *Eccl. 1.* tiæ fonte? De quo scriptum est: *Omnis sapientia à Domino Deo est, & apud illum fuit semper, & est ante æuum. Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies seculi, quis dinumerauit? Altitudinē cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis mensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inuestigauit? Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis: & ingressus illius mandata æterna.* Qui enim sine Saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non saluus sed æger, non prudens, sed stultus, in ægritudine, assidua laborabit: & in cæcitate noxia stultus & demens permanebit: ac proinde omnis inquisitio & omnis curatio, quæ à diuinis & magis, vel ab ipsis dæmonijs in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est, quam vita: & qui ea sectantur, si se non correxerint, ad æternam D perditionem tendunt: quoniam Psalmista dicēte, *Omnes* *Psal. 95.* *dij gentium sunt dæmonia, qui perceptos homines alios decipere quotidie gestiunt, vt perditionis suæ faciant eos esse participes.* Itaque hæc vanitas magicarum artium, ex traditione angelorum malorum in toto terrarum orbe plurimis seculis valuit, per quandam scientiam futurorum & infernorū, & per inuentiones eorum inuenta sunt aruspicia, augurationes, & ipsa quæ dicuntur oracula, & necromantia: nec mirum, de magorum præstigijs: quorum intantum prodiere maleficiorum artes, vt etiam Moysi simillimis signis resisterent, vertentes virgas in dracones, aquas in sanguinē. Fertur etiam in gentilium libris, quod quædam maga famosissima socios Vlyssis mutauerit in bestias. Legitur & de sacrificio, quod Arcades Deo suo Lycco immolabant. Ex quo quicunq; sumerent, in bestiarum formas conuertebantur. Sed hæc omnia magicis præsti- gijs potius fingebantur, quam rerum veritatē complebā- E tur. Vt ergo ipsi errores ignorantibus manifesti fiant, de eorum proprietate atque inuentoribus, iuxta traditionē maiorum primum dicere congruum arbitramur. Magi sunt, qui vulgo malefici, ob facinorum magnitudinem *Magi.* nuncupantur. Hi permissu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus in Deo confidentium, ac sine vllo veneni haustu violentia tantum carnis, interimunt. Vnde & Lucanus: Mens hausti nulla sanie pollu- *Lucanus.* ta veneni, Incantata perit. Dæmonibus enim accitis, audent ventilare, vt quisque suos perimat malis artibus inimicos. Hi etiam sanguine vtuntur, & victimis sæpe contingunt corpora mortuorum. Necromantici sunt, quo- *Necromantici.* rum præcantationibus videntur resuscitari mortui: diuinare, & ad interrogata respondere. νεκρὸς enim Græce mortuus: μαντεία diuinatio nuncupatur: Ad quos suscitandos, cadaueri sanguis adijcitur. Nam amare dæmones sanguinem dicuntur: ideoque quoties necromantia fit, cruor aquæ miscetur, & colore sanguinis facilius prouo- F cantur. Hydromantia, ab aqua dicta. Est enim hydromā- *Hydromantia.* tia in aquæ inspectione vmbras dæmonum euocare, & imagines ludificantes eorum videre, ibiq; ab eis aliqua audire: vbi adhibito sanguine, etiam inferos perhibentur suscitari. Quod genus diuinationis, à Persis fertur allatum. Varro dicit, diuinationis quatuor esse genera, terram, aquam, aerem & ignem. Hinc geomantiam, aeromantiam, pyromantiam dictam autumat. Diuini dicti, quasi Deo pleni. Diuinitate enim plenos se esse assimilant, & astuta quadam fraudulentia, hominibus futura coniectant. Duo autem sunt genera diuinationis, ars & furor. Incantatores vero dicti sunt, qui artem verbis peragunt. Arioli vocati sunt, propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt: hisque celebritatibus, dæmonum responsa accipiunt. Aruspices nuncupati, quasi horarum inspectores. Dies enim & horas in agendis negotijs operibusque custodiunt: & quid per singula tempora obseruare debeat homo, intendunt. Hi etiam exta pecudum inspiciunt, & ex eis futura prædicunt. Augures sunt, qui volatus auium & voces intendunt, aliaque signa rerum vel obser- G uationes improuisas, hominibus occurrentes, ferunt. Sunt etiam & auspices. Nam auspicia sunt, quæ iter facientes obseruant. Dicta sunt autem auspicia, quasi auiū aspicia. Et auguria, quasi auium garria, hoc est, auium voces & linguas. Item augurium, quasi auigerium, quod aues gerunt. Duo sunt autem genera auspiciorum, vnum ad oculos, alterum ad aures pertinens: ad oculos scilicet volatus, ad aures vox auium. Pythones à Pythio Apolline dicti, quod is auctor fuerit diuinandi. Astrologi dicti, eo quod in astris augurantur. Genethliaci appellati sunt, propter natalium considerationes dierum. Geneses enim hominū per duodecim cœli signa describunt, syderumque cursu, nascentium mores, actus & euenta prædicare conantur. i. quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ qui nascitur. Hi sunt qui vulgo Mathematici vocantur. Cuius superstitionis genus, constellationes Latini vocant, id est, notationes syderum quomodo se habeant, cum quis nascitur. Primū autem ijdem stellarum interpretes, magi nuncupantur: sicut de his legitur, qui in Euangelio natum Christum H adnunciauerunt. Postea hoc nomine soli Mathematici dicti sunt: cuius artis scientia, vsque ad Euangelium fuit concessa, vt Christo edito, nemo ex inde natiuitatem alicuius, de cœlo interpretaretur. Horoscopi dicti, quod *Horoscopi.* horas natiuitatis hominum specularentur, dissimili & diuerso fato. Sortilegi sunt, qui suo nomine, fictæ religio- *Sortilegi.* nis per quasdam quas sanctorum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; scripturarum scientiæ inspectione, futura promittunt. Salisatores vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcunque *Salisatores.* salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari prædicunt. Ad hæc omnia pertinent & ligaturæ execrabilium remediorum, seu in præcantationibus, seu in characteribus, vel in quibuscunq; rebus suspendēdis atque ligandis, in quibus omnibus ars dæmonum est ex

A quadam pestifera societate hominum, & angelorum malorum exorta. Vnde cuncta vitanda sunt Christiano, & omni penitus exectatione repudianda atque damnanda. Auguria autem auium Phryges primi inuenerunt: præstigium vero Mercurius primus dicitur inuenisse. Dictum autem præstigium, quod præstringat aciem oculorum. Aruspicinæ artem primus Hetruscus tradidisse dicitur: quidam Phryges. Hic ex horis aruspicinam dictauit, & postea non apparuit. Nam dicitur fabulose, arante quodam rustico subito hunc ex glebis exiluisse, & aruspicinam dictasse, qua die & mortuus est. Quos libros Romani ex Hetrusca lingua, in propriam mutauerunt. His ergo portentis per dæmonum fallaciam illuditur curiositas humana, quando id impudenter appetunt scire, quod nulla ratione eis competit inuestigare: ac ideo datur potestas immundis spiritibus, vt per vasa sibi apta, hoc est prauos homines, seducant illos, qui spernunt veritatem, & credunt mendacio: & iuxta Pauli sententiã,
2.Tim.4. *Sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem*
B *auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Onerati pec-*
2.Tim.3. *catis ducuntur varijs desiderijs, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Quemadmodum autem Iamnes & Mambres restiterunt Moysi, ita & isti resistunt veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed vltra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Nec ideo quisquam credere debet quoslibet magicis artibus aliquid facere posse, sine permissu Dei, quoniam quæ fiunt, aut iusto iudicio facit, aut permissu suo ita fieri sinit, quòd prædicti magi leguntur similia fecisse Moysi, *qui virgam*
Exod.7. *suam proiecit; & conuersa est in draconem: proieceruntque ipsi singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Non ergo fuerunt creatores draconum, nec magi, nec angeli mali, quibus ministris illa operabantur. Insunt enim rebus corporeis per omnia elementa mundi, quædam occultæ seminariæ rationes: quibus cum data fuerit oportunitas temporalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus: & sic non
C dicuntur angeli qui ista faciunt animalium creatores, sicut nec agricolæ, segetum vel arborum vel quorumcunq; in terra gignentium creatores dicendi sunt, quamuis nouerunt præbere quasdam visibiles oportunitates & causas, vt illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc illi inuisibiliter. Deus vero solus, vnus creator est, qui causas ipsas & rationes seminarias rebus
1.Reg.18. inseruit. Præterea quidam quærendum putant, quomodo scriptura narret, pythonissam Samuelem prophetam suscitasse ad colloquium Saul impijssimi regis, si pythonica diuinatio errori magicæ artis deputanda sit. Quibus ita respõderi potest, indignum omnino facinus esse, si secundum verba historiæ, commodetur adsensus. Quomodo enim fieri poterat, vt arte magica attraheretur vir, & natiuitate sanctus, & vitæ operibus iustus? Aut si non attractus est, consensit: quod vtrumque de viro iusto credere aduersum est. Si enim inuitus adductus est, nullum suffragium habet iustitia. Si autem voluntarius, amisit meritum spiritalis, * quem positus in carne, quæsiuerat: quod valde absurdum est: quia hinc qui iustus recedit, permanet iustus. Porro autem hoc est præ-
D stigium Sathanæ, quo vt plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingit: quod Apostolus inter cæ-
2.Cor.11. tera ostendit dicens: *Ipse Sathanas transfigurat se in angelum lucis.* Vt enim errorem faceret in quo gloriaretur, in habitu viri iusti & nomine se subornauit: vt nihil proficere speciem quam prædicabant, Dei cultoribus mentiretur, quando hinc exeuntes, iustos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saul & filij eius, non sit mentitus, quasi magnum sit Diabolo ante occasum, mortem corporis præuidere, cum signa quædam soleant apparere morituris: quippe à quibus Dei protectio amota videtur: quanto magis Diabolus, quem angelica maiestate sublimem, prophetica oracula fuisse te-
Apoc.2. stantur: de cuius magnitudine Apostolus ait: *An ignoratis altitudinem Satanæ? Quid mirum ergo, si imminentem*

E *prope mortem potuit præuidere, cum hoc sit vnde fallit, & se in Dei potestate vult adorari.* Nam tanta hebetudine demens effectus est Saul, vt ad pythonissam confugeret. Deprauatus enim, causa peccati, ad hæc se contulit, quæ damnauerat. Sed si quis propter historiam vt ea quæ verbis expressa sunt, putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit, recte faciet quidem, si tamen minime istud ad veri rapiat rationem, sed ad visum & intellectum Saul. Neque enim reprobus factus, poterat bonum intellectum habere. Historicus enim mentem Saul & habitum Samuelis descripsit, ea quæ dicta & visa sunt exprimens: prætermittens si vera an falsa sint. Quid enim ait? Audiens in quo habitu esset excitatus, Intellexit inquit hunc esse Samuel. Quia intellexerit, retulit: & quia non bene intellexit, contra Scripturam alium adorauit quam dominum: & putans Samuelem, adorauit diabolum vt fructum fallaciæ suæ haberet. Satanas hoc enim nititur, vt adoretur quasi Deus. Si enim vere Samuel illi apparuisset, non vtique vir iustus permisisset se adorari,
F qui prædicauerat dominum solum esse adorandum: & quomodo homo Dei qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ, dignum ardore gehennæ. Cras mecum eris. His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prouidit improuidus satanas: quia & adorari se permisit sub habitu & nomine Samuelis contra legem: & virum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum & iustorum sit, cum Samuele iustissimo futurum mentitus est, verum potest videri, si de Samuelis nomine taceatur: quia Saul cum diabolo futurus erat: ad eum enim transmigrauit quem adorauit. Semper ergo diabolus sub velamine latens prodit se, dum ea confingit, quæ horreant personæ per quas fallere nititur. Si autem aliquis mihi opponit ac dicit, Quomodo eueniunt illa, quæ illi diuini & prophetæ falsi prædicunt futura? aut quomodo possunt ægris præbere medelam, aut sanis immittere ægritudinem, si aliquid propriæ virtutis ac potestatis non habent? Hoc à me recipiat responsum, quod ideo quisquam non debet eis credere, quia aliquando eueniunt quæ prædicunt, aut sanare videntur
G languidos vel lædere sanos: quia hoc permissu Dei fit, vt ipsi qui hæc audiunt vel vident, probentur: & appareat quali fide sint vel deuotione erga Deum. Sicut in Deuteronomio legitur Moyses verbo Domini populo Dei præcepisse ita dicens: *Si surrexerit in medio tui prophe-* Deut.13.
tes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & venerit quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba prophetæ aut somniatoris huius, quia tentat vos Dominus Deus vester vt palam fiat vtrum diligatis eum an non in toto corde & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, mandata illius custodite, & audite vocem eius: ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis, &c. Vbi sane intelligi voluit etiam illa, quæ à diuinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non accipienda: vel etiam si fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potestatem Deus ostendit esse, quod ista contingunt: sed quasi quæreretur, cur ea permittit, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam vtique eorum dilectionem, v-
H trum eam habeant erga Deum suum: cognoscendum vero ab ipsis potius quam ab illo, qui scit omnia antequam fiant. Sciendum vero est, hanc dæmonum esse naturam, vt aerei corporis sensu, terrænorum corporum sensum facile præcedant. Celeritate etiam propter aerei corporis superiorem mobilitatem, non solum cursus quorumlibet hominum vel ferarum, verum etiam volatus auium incomparabiliter vincant: quibus duabus rebus quantum ad aereum corpus attinet, præditi, hoc est acrimonia sensus & celeritate motus, multo ante cogitata prænunciant vel nunciant, quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longe maior experientia, quam potest hominibus propter breuitatem vitæ prouenire. Per has efficacias quas aerij corporis natura sortita est, nõ solum

multa

A multa futura prædicunt dæmones, verum etiam mira multa faciunt: quæ quoniam homines dicere ac facere non possunt, eos dignos quidam quibus seruiant, & quibus diuinos honores deferant, arbitrantur: instigante maxime vitio curiositatis, propter amorem felicitatis falsæ atque terrenæ & excellentiæ temporalis. Qui autem se ab eis cupiditatibus mundant, nec eis se ferendos rapiendosque permittunt, sed inquirunt & amant aliquid, quod eodem modo semper est, cuius participatione beati sint, primum considerant non ideo sibi præponendos esse dæmones, quod aeriore sensu corporis præualent, aeris scilicet, hoc est subtilioris elementi: quia nec ipsis terrenis corporibus bestias sibi præponendas putant, quæ acrius multa præsentiunt: veluti sagacem canem, quia latentem feram olfactu acerrimo sic inuenit, vt ad eam capiendam, ducatum quendam homini præbeat: non vtique prudentiore intellectu animi, sed acutiore corporis sensu: vel vulturem, quia proiecto cadauere, ex improuisa longinquitate aduolat: nec aquila quia subli-
B miter volans, de tanto interuallo natantem sub fluctibus piscem dicitur prouidere: & grauiter aquis illisa, exertis pedibus atque vnguibus rapere: nec alia multa animantium genera, quæ inter herbas saluti suæ noxias, pascendo circumerrant, nec aliquis earum quo lædantur, attingunt: cum eas homo vix experiendo cauere didicerit: & multa innoxia quum sint inexperta, formidet. Vnde conijcere facile est, quantum possit in aereis corporibus sensus esse acrior: nec ideo tamen dæmones qui eo præditi sunt, bonis hominibus præponendos prudens quisque censuerit. Hoc & de corporum celeritate dixerim. Et hæc enim præstantia non solum à volucribus homines, verum à multis etiam quadrupedibus ita superantur, vt in eorum comparatione plumbei reputandi sint: nec tamen ideo sibi hæc animantium genera existimant præponenda: quibus capiendis atque in suæ voluntatis vsum commodumque redigendis, non vi corporis, sed rationis imperitant. Illam vero tertiam dæmonum potentiam, quod diurna rerum experientia quemadmodum prænoscant atque prænuntient, multa didicerunt, ita contemnunt, qui hæc vigilanter curant à verissimæ
C lucis veritate discernere, vt nec malos senes plura expertos, & ob hoc quasi doctiores ideo probi adolescentes sibi antecellere existiment: vt nec medicos, nec nautas, nec agricolas, quos prauæ voluntatis & iniquis moribus viderint, ideo putent sibi esse præferendos, quod illi de valetudinibus, illi de tempestatibus, illi de arbustorum fructuumque generibus multa ita prænunciant, vt harum rerum inexperto diuinare videantur. Quod vero non solum quædam dæmones futura prædicunt, verum etiam quædam mira faciunt, pro ipsa vtique sui corporis excellentia, cura non contemnatur à prudentibus: cum plerique iniqui ac perditi homines, ita exerceant corpora sua, tantaque diuersis artibus possint, vt ij qui hæc nesciunt, nec aliquando viderunt, etiam narrata vix credant, quam multa funambuli cæterique theatri artifices, quam multa opifices maximeque mechanici, miranda fecerunt. Num ideo meliores sunt bonis, & sancta pietate præditis hominibus? Quæ ideo commemoraui, vt qui hæc sine peruicacia & sine vana resistendi animosi-
D tate considerat, simul cogitet, si de subiacenti crassiore materia, vel sui quisque corporis vel terræ & aquæ, lapidum atque lignorum, metallorumque variorum tanta quidem homines possunt, vt eos illi qui hæc nõ possunt, plerumque stupendo in sui comparatione diuinos vocent: cum quidam illorum sint artibus potentiores: quidam istorum moribus meliores, quanto meliora & maiora pro subtilissimi corporis, hoc est, aeris facultate ac facilitate dæmones possint: cum tamen sint prauitate voluntatis, maximeque superbiæ fastu, & inuidentiæ malitia spiritus immundi atque peruersi. Quantum autem valeat aeris elementum, quo eorum corpora præualent, ad multa visibilia inuisibiliter molienda, mouenda, mutanda atque versanda, longum est nunc demonstrare: & puto quod vel mediocriter consideranti facile occurrat. Quæ cum ita sint, primum sciendum

E est, quoniam de diuinatione dæmonum quæstio est, illos ea plerumque prænuntiare, quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpe potestatem & morbos immittere, & ipsum aerem vitiando morbidum reddere: & peruersis atque amatoribus terrenorum commodorum, malefacta suadere: de quorum moribus certi sunt, quod sint eis talia suadentibus consensuri. Suadent autem miris & inuisibilibus modis, per illam subtilitatem corporum suorum, corpora hominum insensibiliter penetrando: & se cognationibus eorum per quædam imaginaria visa miscendo, siue vigilantium, siue dormientium: aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, ante prædicunt. Neq; enim quia præuidet medicus quod præuidere nescit huius artis ignarus, ideo iam diuinus habendus est. Quid autem mirum, si quemadmodum ille in corporis humani vel perturbata vel modificata temperie, seu bonas seu malas futuras præ-
F uidet valetudines, sic dæmon in aeris affectione atque ordinatione sibi nota, nobis ignota, futuras præuidet tempestates: aliquando & hominem dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas: cum signa quædam ex animo exprimuntur, in corpore tota felicitate perdiscunt: atque hinc etiam multa futura prænuntiant, alijs videlicet mira, qui ista disposita non nouerunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, vt ab hominibus quoque aliquid forinsecus agnoscatur, quod intrinsecus agitur, ita non debet esse incredibile, sic etiam leuiores cognationes dant aliqua signa per corpus, quæ obtuso sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem dæmonum possunt. Hac atque huiusmodi facultate, multa dæmones futura prænuntiant, cum tamen ab eis longe sit altitudo illius prophetiæ, quam Deus per sanctos angelos & prophetas operatur. Nam si quid de illa Dei dispositione prænuntiant, audiunt vt prænuntient, & cum ea prædicunt quæ inde audiunt, non fallunt. Veracissima enim sunt angelica & prophetica oracula. Si autem indignanter accipitur, quod aliqua etiam talia dæmones audiant &
G prædicant, quasi aliquid indignum sit, vt quod ideo dicitur vt hominibus innotescat, hoc non solum boni verum etiam mali non taceant. Cum in ipsis hominibus etiam vitæ bonæ præcepta videamus pariter à iustis peruersisque cantari: nec obesse aliquid, immo etiam prodesse ad maiorem notitiam famamque veritatis. Cum de illa etiam hi quicquid nouerunt, dicunt: quæ ei peruersis moribus contradicunt. In cæteris autem suis prædicationibus dæmones plerumque & fallunt & falluntur. Fallunt quidem, quia cum suas dispositiones prænuntiant, ex improuiso desuper aliquid iubetur, quod eorum consilia cuncta perturbat: velut si aliquid disponat quilibet homines quibusque potestatibus subditi, quod nõ prohibituros suos præpositos arbitrentur, idque facturos se esse promittant, at illi penes quos maior potestas est, & alio superiore consilio, hoc totum dispositum atque præparatum repente prohibeant. Falluntur etiam, cum causis naturalibus, sicut medici, & nautæ, & agri-
H colæ: sed longe acutius longeque præstantius, pro aerei corporis sensu, sollertiore exercitatione prænoscunt: quia & hæc ab angelis Deo summo pie seruientibus ex alia dispositione ignota dæmonibus, ex improuiso ac repente mutantur, tanquam si aliquid ægro extrinsecus accedat quo moriatur, quem medicus veris salutis præcedẽtibus signis, victurum esse promiserat: aut si aeris qualitate præuisa, diu flaturum illum ventum, nautarum aliqui prædixisset, cum dominus Christus cum discipulis nauigans, vt quiesceret imperauit, *& facta est tranquillitas magna*. Marc. 4. Vel si agricola illo anno fructificaturam vitem aliquam polliceatur, naturam vtiq; terræ ex numero seminum callens: quo tamen anno eadem vel improuisa cœli temperies arefaciat: vel aliqua iussio potentior eradicet: ita multa etiam ad præscientiam prædictionemque dæmonũ pertinentia, quæ minoribus & vsitatioribus causis futura præuidentur, eadem maioribus & occultioribus causis impedita mutantur. Fallunt

A autem etiam studio fallendi, & inuida voluntate, quia hominum errore lætantur. Sed ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittant, id agunt, vt interpretibus suis signorumque suorum coniectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti. Nonnunquã vero ipsi maligni spiritus, & illusores hominum atq; inuisores salutis eorum, solent prædicere defectum culturæ suæ, & idolorum ruinam: quatenus præscij videantur, quid in singulis regnis aut locis euenturum sit: & quid aduersi suæ factioni contingere possit: quod etiam illi qui gentilium historias legunt, non ignorant. Quid ergo mirum, si iam imminente templorum & simulacrorum euersione, quam prophetæ Dei summi, tanto ante prædixerant Serapis dæmoniali: cui cultorum hoc de proximo prodidit, vt suam quasi diuinitatem recedens vel fugiens commendaret. Fugantur enim ipsi, vel etiam iussis superioribus colligati abstrahuntur, & alienantur à locis suis, vt de rebus in quibus colebantur, fiat voluntas Dei, qui hoc tanto ante per omnes gentes futurum B esse prædixit: & vt per suos fideles fieret, imperauit. Cur autem hoc non sineretur dæmon prædicere, cum sibi iam prænosceret imminere? cum hæc prædictio & in prophetis attestaretur, à quibus sunt ista conscripta, & prudentibus daret intelligi, quam vigilanter esset dæmonum cauenda fallacia, cultusque fugiendus: qui cum ante per tam longum tempus in templis suis hæc futura tacuissent, quæ per prophetas prædicta ignorare non possent, postea quam appropinquare cœperunt, voluerunt ea quasi prædicare, ne ignari victique putarentur. Cum igitur tam longe ante prædictum esset, atq; conscriptum, vt alia interim taceam, illud quod Sophonias Propheta (Sopho. 2.) dicit, *Praualebit Dominus aduersus eos, & exterminabit omnes Deos gentiũ terræ: & adorabunt eum vnusquisq; de loco suo: omnes insulæ gentium, aut non credebant ista sibi euentura, qui templa gentium colebantur*, & hæc ideo per suos vates ad phanaticos frequẽtare noluerunt: aut cum ea ventura certissime scirent, ideo per sua templa tacuerunt, ne iam tunc inciperent ab hominibus intelligentibus deseri atque contemni, quod de templorum & simulacrorum suorum C futura euersione eis à prophetis attestarentur, qui eos coli prohibebant. Nunc vero postea quam tempus aduenit, quo complerentur vaticinia Prophetarum Dei vnius, qui istos falsos Deos interdicit, & ne colantur vehementissime præcipit, cur non hoc etiam ipsi compertum prædicere sinerentur, vt inde clarius appareret eos hæc antea vel minime credidisse, vel suis cultoribus enunciare timuisse? In fine autem tanquam nihil amplius habentes quod agerent, etiam ibi voluisse suam ostentare diuinitatem, vbi iam produntur diu simulasse diuinationem: tamen nec ista ipsa quæ ab eis vix taro & clanculo proferuntur, mouere nos debent, si cuiquam dæmonum exortum est id prodere cultoribus suis, quod didicerat ex eloquijs prophetarum, vel ex oraculis angelorum: quod cur non fieret, cum & ista non sit oppugnatio, sed attestatio veritatis? Illud enim quod solum ab ipsis phanaticis flagitandum est, nec vnquam antea protulerunt, nec vnquam præterea nisi forte confictum, proferre conabuntur aliquid Deos suos per vates suos contra Deum Israel ausos fuisse prædicere: aut dicere de D quo Deo doctissimi eorum auctores, qui omnia illa legere ac nosse potuerunt, magis quæsiuerunt, quis Deus esset, quam Deum negare potuerunt. Porro autem Deus iste quem nullus eorum negare ausus est verum Deum, quia & si negaret, non solum subiaceret debitis pœnis, verum etiam certis conuinceretur effectis. Iste ergo Deus quem nemo vt dixi illorum negare ausus est, verum Deũ, illos falsos esse Deos, & omnino deserendos, eorumque templa & simulacra & sacra euertenda, per suos vates, hoc est, prophetas, aperta denuntiatione prædixit: aperta potestate præcepit: aperta veritate compleuit. Vnde, quis est qui vsque adeo desipiat, vt non eum potius colẽdum eligat, quem coli non prohibent quos colebat? quem proculdubio cum colere cœperit, illos vtique non est culturus, quos prohibet coli quem colit. Quod autem ipsum essent culturæ gentes exterminatis dijs falsis quos antea colebant, à prophetis eius esse prædictum, E paulo ante commemoraui, & nunc repeto. *Praualebit*, (Soph. 2.) inquit, *dominus aduersus eos: & exterminabit omnes Deos gentium terræ: & adorabunt eum, vnusquisq; de loco suo, omnes insulæ gentium.* Neque enim solæ insulæ hic intelligendæ sunt, sed potius omnes gentes in his positæ adorant Deũ. Nec mirum: quando quidem alibi non insulas nominat, sed vniuersum orbem terrarum, dicens: *Commemorabuntur & conuertentur ad dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gentium. Quoniam domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* (Psal. 21.) Hæc autem per Christum fuisse complenda, & alijs pluribus testimonijs, & in eodem ipso psalmo, vnde commemoraui, satis apparet. Cum enim paulo superius futuram passionem suã per prophetam ipse loqueretur dicens, *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* (Eodem.) *Ipsi vero considerauerunt & conspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, paulo post infert illud, quod posui: *Commemorabuntur, & conuertentur ad* F *dominum, vniuersi fines terræ, &c.* Quanquam & illud testimonium quod prius adhibui vbi dictum est, *Praualebit dominus aduersus eos, & exterminabit omnes Deos gentium terræ, in eo quod positum est, praualebit*, satis ostenditur etiam hoc prænuntiatum, quod pagani prius oppignaturi essent Ecclesiam, nomenq; Christianum quantum valerent, persecuturi: vt si fieri posset, de terra omnino deleretur. Et quia eos patientia martyrum, & magnitudine miraculorum, & consequente fide populorum erat superaturus, ideo sicut dictum est, præualebit dominus aduersus eos. Non enim diceretur, *praualebit aduersus eos*, nisi oppugnando illi resisteret. Vnde & in psalmo ita prophetatum est: *Vt quid fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius*, & paulo post dicitur: *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* (Psal. 2.) His atque huiusmodi propheticis documentis prædictum ostenditur, quod videmus impleri per Christum futurum fuisse, vt Deus Israel, G quem vnum verum Deum intelligimus, non in vna ipsa gente, quæ appellata est Israel, sed in omnibus gentibus coleretur: & omnes falsos Deos gentium, & à templis eorum, & à cordibus cultorum suorum amoliretur. Eant nunc isti, & adhuc contra Christianam religionem, contra verum Dei cultum vanitates pristinas defensitare audeant, vt cum strepitu pereant. Nam & hoc de illis prædictum est in psalmis, dicente propheta: *Sedisti super thronum qui iudicas æquitatem. Increpasti gentes, & periit impius, nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi. Amici defecerunt framea in finem, & ciuitates eorum destruxisti. Periit memoria eorum cum strepitu: & dominus in æternum permanet.* (Psalm. 9.) Necesse est ergo, vt impleantur hæc omnia, nec etiam illud quod adhuc audent ipsi pauci qui remanserunt, vaniloquas suas ostentare doctrinas, & Christianos tanquam imperitissimos irridere, nos commouere debet, dum eis impleri ea quæ prædicta sunt, videamus. Ex quo enim fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, aduersus dominum & aduersus Christum eius, quando ab eis fundebatur sanguis sanctorum, & vastabatur Ecclesia vsque ad hoc tempus, & deinceps quotidie mi- H nuuntur. Nos autem aduersus eorum opprobria & superbas irrisiones fortissimos reddunt oracula Dei, quæ de hac quoque re videmus, & gaudemus impleri. Sic enim nos alloquitur per Prophetam: *Audite me qui scitis iudicium populi meus, in quorum corde lex mea. Opprobria hominũ nolite metuere, & detractione eorum ne superemini: nec quod vos spernant, magni duxeritis. Sicut enim vestimentum, ita per tempus absumuntur, & sicut lana à tinea, comedentur. Iustitia autem mea in æternum manebit.* Attendendum est ergo, atque omni studio cauendum, ne nostris temporibus in quibus videmus Christianam religionem in toto orbe dilatatam, propter desidiam magistrorum, & inertiam doctorum, pauci illi qui adhuc supersunt, confundant ritum culturæ veri Dei & dæmoniacis illusionibus deprauati, diuinationes falsas in populo Dei agunt, rusticos & impe-

A imperitos seducentes: ita vt deserta ipsa veritate quae *lux est mundi, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* tenebrarum harum, quaerant scientiam futurorum, & à deceptoribus hominum quaerant salutem animarum, siue etiam corporum suorum. His enim praeuaricationibus maxime irritatur Deus, & ad vindictam prouocatur. Vnde per Ezechielem comminatur dicens: *Vae* Ezech. 13. *prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum & nihil vident, quasi vulpes in deserto prophetae Israel erunt. Nunquid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mendaciorum locuti estis & dicitis, ait dominus, cum ego non sim locutus? Propterea haec dicit dominus Deus: Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos ait dominus Deus: & erit manus mea super prophetas qui vident vana, & diuinant mendacium, in concilio populi mei non erunt: & in scriptura domus Israel non scribentur: nec in terram Israel ingredientur.* Ad doctores autem, per eundem prophetam increpans eorum inertiam, ita Ibidem. loquitur dicens: *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in praelio in die Domini.* Et B rursum: *Vae*, inquit, *pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* Eodem. *Nonne greges pascuntur à pastoribus. Lac comedebatis, & lanis eorū operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod aegrotum, non sanastis: quod fractum est, non alligastis: & quod abiectum, non reduxistis: quod perierat, non quaesistis. Sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia: & dispersae sunt oues meae, eo quod non esset pastor: & factae sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersae sunt.* Hinc Ierem. 8. & per Hieremiam dicitur: *A minimo vsq; ad maximum, omnes auaritiam sequuntur. A propheta vsque ad sacerdotem, cuncti locuti sunt mendacium: & sanabant contritionem filiae populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax pax, cum non esset pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt. Idcirco haec dicit dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego cibabo populum istum absinthio, & potum dabo eis aquam fellis: & dispergam eos in gentibus, quas non nouerunt ipsi neque patres eorum: & mittam post eos gladium donec consumantur.* Qualiter ergo Deo omnipotenti pastorum negligentia, & subditorum error displiceat, non solum prophetica testimonia ostendunt, C sed etiam facta antiquorum declarant. Cum in libro 3. Reg. 22. Regum legitur, *quomodo malignus spiritus deceperit Achab regem Israel per falsos prophetas: ita vt credens eis, interierit: & quomodo Ochozias filius eius aegrotans, misit nuntios ad consulen-* 4. Reg. 1. *dum Beelzebub Deum Accaron, vtrum viuere atque conualescere posset de infirmitate sua*: ob quod Helias propheta à Deo Eodem. missus, increpabat eum dicens: *Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Mortuus est igitur ipse iuxta sermonem Domini quem locutus est Helias: & salutem quam quaerebat, non inuenit.* Quapropter curandum summopere est omnibus nobis, hoc est praelatis, & subditis, maioribus & minoribus sacerdotibus, & plebi, ne aliquē seducat per huiuscemodi illusionem fraus, dolus & nequitia hostis antiqui ita vt à mendacibus velimus discere veritatem: & à pestiferis morbis mortisque auctoribus quaeramus infirmitatis nostrae remedium. Sed magis ad dominum viuum & viuificatorem omnium confugiendo, deuoto corde properemus per orationes sacras, ieiu- D nia & eleemosynas illum deprecantes, vt ipse propter benignitatem suam consulat seruis suis, eripiens nos de omnibus inimicis nostris, doceatque nos facere voluntatem suam quia ipse est, dominus Deus noster Spiritumque suum bonum in nobis tribuat, qui nos deducat in viam rectam, viuificetque nos in aequitate sua, quatenus eius magisterio omni tempore vitae nostrae gratum seruitium ei exhibentes, post hanc vitam per eius gratiam, mereamur beatitudinem possidere sempiternam, Amen.

E

HRABANI MAVRI MOGVNTINENSIS ARCHIEPISCOPI, IN OPVSCVLVM de anima, ad Lotharium Regem.

PRAEFATIO.

Domino praecellentissimo nobisq; Dei munere dato, magno & pacifico atque coronato Regi Lothario, vltimus vestrae seruitutis famulus, Maurus.

QVum nobilitatis vestrae ingenium auiditatemque multa sciendi & copiosa inuestigandi perspiciam, sensus etiam vestri perspicaciam quo apprime sublimitas vestra floret demirer, statui pro ingenioli mei paruitate, quoddam de manu deputare. Quod videlicet è quorundam eruditorum libris decerptum, facile memoriae mandari possit: quo veteris ingenij feruor exuberantior foret, & mei ingenioli quodammodo vestrae seruituti fidelitas deseruiret. Scripsi itaque vobis quaedam de diffinitione animae, quare anima dicatur, vel quid sit anima: necnon & de origine ipsius, vtrumne formam habere credatur. De quantitate etiam ipsius, vtrum in paruulis minor, in fortioribus maior: vel vbi maxime sedem habere credatur. Deinde quae sint virtutes eius morales: pauca etiam de habitaculo eius, hoc est corporis possessione. Quae cuncta ex cuiusdam magni Aurelij Cassiodori Senatoris dictis excerpsi: aliqua vero ex libro Prosperi eruditissimi viri. Quaedam vero ex proprij ingenioli sensu addere curaui. Sed quia excellentiam vestram multa decet cognoscere, annexui quaedam capitula de disciplina Romanae militiae: qualiter antiqui tyrones instituti solebant. Quod ideo feci, quia necessarium fore id aestimaui, propter frequentissimas Barbarorum incursiones. Quae scilicet ex cuiusdam Flauij Vegetij Renati Libello, quem de antiquissimis scripsit Romanis excerpsi atque compegi breuiusq; annotare studui, cauens scilicet prolixitatem & ne forte ea scribere viderer, quae tēpore moderno in vsu non sunt: illud etiam praeuidens, ne si nimius fierem, fastidio potius quam delectationi inseruirem. *Hoc opusculū nōdū inuenimus alioqui adiunxissemus.* G

CAPITVM ELENCHVS.

CAPITVM FINIS.

H

HRABANI MAVRI MOGVNTINENSIS ARCHIEPISCOPI, DE ANIMA TRACTATVS.

CAPVT I.

De Anima proprietate, etymologia, ac diffinitione.

ANIMA igitur propriè hominum dicitur, non etiam pecorum. Anima namque hominum longe distat à vita pecorum. Vita namque pecorum in sanguine

A guine constat: adeo, vt cum defectione sanguinis, & fine corporis, ipsa etiam vita cum spiritu finiatur. Anima autem hominis non cum sanguine finem accipit. Ideoque recte dicitur anima, quasi anaema, id est, discreta longe à sanguine: quoniam & post mortem corporis in sua substantia viuit: quæ potest etiam ita diffiniri: *Anima diffinitio.* Anima dicitur, eo quod animet id est viuificet proprij corporis substantiam. Significantissime autem anima dicitur spiritualis substantia, quæ nulla sanguinis effusione consumitur: atque ideo à sanguine longe discernitur quamuis defectione sanguinis habitaculum corporis deserere videatur. Sed aliud est quacunque occasione habitaculum deserere: aliud cum ipso habitaculo finiri. Quorundam vero talis est diffinitio, vt anima à vento nomen accipiat: quia ventus Græce ἄνεμος dicitur. Et idcirco etymologiam à vento ducere: quod nos spiritum ore retrahentes, viuere videamur. Hæc breuissime de eo quare anima dicatur: nunc vero dicendum, quid sit anima. *Anima diffinitio secundum philosophos.* Philosophi autem animam dicunt esse substantiam simplicem, naturalem, specie distantem à materia sui corporis, organum membrorum, habentem virtutem vitæ. B Quam idcirco substantiam simplicem dicere voluerunt, quia nihil in ea præter spiritualē substantiam inueniri potest. Distantem vero à materia corporis, quia nihil in se corporeum habet. Organum vero membrorum, quia omnia membra corporis ea agente, disponuntur. Virtutem autem vitæ habentem idcirco dixerunt, quoniam vbi corpus repleuerit, viuentem continuo reddit. Hæc est diffinitio animæ, secundum adinuentionem magistrorum secularis literaturæ. Cunctorum vero doctorum veracium, in hoc consentit auctoritas, quia anima est à Deo creata spiritualis propriaque substantia, viuificatrix sui corporis, rationalis & immortalis: sed conuertibilis ad vtraque .i. ad bona & ad mala. A Deo auté creatam animam dicimus contra illorum opiniones, qui eam aliquam partem diuinitatis habere asserentes, errores potius quàm veritatem texuerunt. Nullus namque recte sapientium, animam creatam esse dubitat. Hoc idem Salomone testante, qui de sapientia dicit: *Omnem flatum ego feci.* *Sap. 24. Eccl. vlt.* Et iterum: *Et reuertetur puluis in terram vnde erat, & spiritus reuertetur ad Deum, qui dedit eum.* C Hæc etiam spiritualis esse affirmatur, quia nihil in se corporeum retinet. Omne namque corpus, longitudine, latitudine atque profunditate comprehenditur: quæ omnia desunt animæ. Et quamuis grauetur mole corporis, spiritualiter tamen multa longius & prope posita perpendit: inuisibilia quadam intuitus perspicacia rimatur. De cœlestibus cogitat: de ipso etiam summo Deo quædam ardua nosse desiderat. Quæ si esset corporalis, nil vtiq; horum perpendere valeret. Propria vero substantia est, quoniam nullus alter spiritus ita carnem suscipit, vt proprij corporis passionibus condoleat aut lætetur. Viuificatrix autem sui corporis est, quia statim vt à Deo corpori indita fuerit, ineffabiliter illud viuificat atque diligit: in tantum, vt quicquid corpus sustinere cognoscitur, ad ipsam referatur: & quæ mori nequit, interitum mortemque pertimescat. Rationalis autem est, quoniam de diuinis tractat: humana sapit: & quicquid ex artibus & disciplinis doceri potest, ipsa quadam subtilitate comprehendit: atque hinc omnia animalia docibili intellectu antecellit, D quod cum ratione decentia cuncta componit. Ipsius namque actu quicquid ornatus mundo additur, inuentum est. Ipsa ciuitatibus muros attribuit, arma de sensibilia inuenit, amictus vestium diuersa varietate componit, vias per deuia sternit, maria quadam artis industria transmeat. De ipsius itaque ratione nullus dubitare debet, cum tot & tanta, auctoritatis sui largitate perquirere & perficere valet. *Animam immortalem esse asseris.* Quod autem immortalis sit, multifarie comprobatur. Philosophorum namque talis est assertio, vt omne quod in se viuit & aliud viuificat, immortale sit. Quod anima vtrumque faciat, manifestum est. Nam & ipsa viuit, & corpus viuificat. Dicunt enim omnia immortalia simplicia esse. Anima vero ex simplici constat substantia: ideoque immortalis est. Sunt & aliæ propositiones philosophorum,

E animam immortalem approbantes, quæ enumerare non est necesse propter breuitatem. Nostri vero, veridicis assertionibus animam immortalem approbant. Anima quippe ad imaginem Dei facta est. Et quia Deum omnimodis immortalem scimus, & credimus, & confitemur, restat vt quam ad imaginem suam condidit, immortalem fecerit. Neque enim vllo modo fieri poterat, vt quæ ad imaginem Dei & similitudinem facta fuerat, mortalis foret. In eo namque quod immortalis est, Deo similis est. Sed in eo quod anima Deo similis esse dicitur, potest aliquis dicere, quomodo sum similis Deo, qui similia illi facere nequeo? Cui respondendum est, quia homo picturam, similitudinem hominis habentem, perficit: ipsa vero pictura non potest imitari quæ homo facit. Sic & homo ad similitudinem Dei factus, non potest in creandis rebus Deum imitari. Dicitur namque anima conuertibilis ad vtraq;, quod scilicet multis experimentis quotidie approbamus. Nam quos nunc videmus magna exultatione gaudere, mox nimio mœrore tristari conspicimus. F Alios nunc pietate mites, nunc iterum maxima indignatione terribiles. Nunc ad virtutes erigi, nunc ad vitia prolabi. Multisq; & innumerabilibus modis, conuertibilis & mutabilis esse cognoscitur. Nam si mutabilis non esset, nequaquam ex bonis mali, neque iterum ex improbis probi, neque ex tenacibus largi, neq; rursus ex largis fierent auari. Sed vt dictum est, mutabilitati atq; conuertibili passioni obnoxia esse, omni modo deprehenditur. Nunc iam de origine ipsius de qua multifarie dubitatur, pauca dicenda sunt.

CAPVT II.

Vnde originem anima sumat.

PRimo homine de limo terræ formato, inspirasse in faciem eius legimus Deum, dicente scriptura: *Gen. 2.* *Formauit igitur dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentem.* Vnde constat, quod à Deo originem sumpserit. G Quod autem insufflasse dicitur Deus, non ita credendū est, Deum insufflasse qui est incorporeus & inuisibilis, quemadmodum nos insufflando spiritum resoluimus, labiaque quodam pulsu foras extendimus: sed insufflasse dicitur propter dignitatem operis, scilicet animam: quam ad similitudinem suam fecisse cognoscitur. Hac ex re dixerunt quidam, quod mox vt coagulatum fuerit semen humanum in vitalem substantiam, statim creari animas, corporibusque dari. Qui autem naturarum inuestigatores fuerunt, asserunt, quod quadragesimo die conceptionis, accipiat animam immortalem & humanū pectus. Et hoc esse experimentum, quod tunc se incipiat in vtero commouere. Aliquorum etiam opinione fertur, quod omnipotentis Dei iussu, sicut de corpore humano, corpus humanum semine carneo traducitur, ita etiam & animæ noua origo, de qualitate animæ generetur, & ideireo obnoxiam esse originali peccato: quod infantibus & needum aliqua committere valentibus, per lauacrum baptismatis remittatur. Nos autem id dimittere, affirmare non audemus: quoniam & beatus Augustinus probatissimus doctor, laudabiliter ex hoc dicitur H dubitasse, neque hoc dicitur dubitasse, neque hoc audere confirmare: sed veracissime credere, Deum animas creare, & occulto atque iustissimo suo iudicio originali peccato obnoxias esse. In his namq; & similibus tamque occultis, melius est ignorantiam confiteri, quam peruerse & periculose affirmare: quod ad errorem potest referri, cum propheta dicat: *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* *Esa. 40. Rom. 9.* Et Apostolus: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Si enim Propheta & Apostolus sensum domini à quoquam inuestigari non posse dicit, & Apostolus ad cœli tertij altitudinem ascendens, paradisiq; secreta penetrans, & quædam arcana cognoscens, *1. Cor. 1.* quæ hominibus illicita ad loquendum dicit, ex parte se cognoscere affirmat, quis audebit scire & enuntiare se posse, quod nullus doctorum sanctorum ad liqui-

dum

A dum enarrare inuenitur? Sed ad reliqua pergendum est. & dicendum, vtrum anima formam habere credatur.

CAPVT III.

An formam anima habere credatur.

QVi de forma aliquid lucidius tractare cupit, complexionem formæ necesse est apprehendere. Forma namque dicitur, quæ aliquo spatio linearum circunducitur. Quod vero spatijs lineisque comprehenditur, corporeum vtique est. Nam & ipsum spatium absque lineamentis corporalibus omnino non constat. Rursumque ipsa lineamenta, absque spatio corporali, nullo modo comprehendi queunt. Quod cum ita sit, manifestum est, animam formam penitus non habere, quæ incorporea est. Omnis itaque forma, in superficie corporali fit. Cum vero corpus nisi solidum & palpabile esse non possit, anima vero incorporea & impalpabilis sit atque soli-
B ditate careat, constat eam nullo modo formam habere. Quod si illud mouet, quod Apostolus de Christo domi-
Philip. 2. no dicit, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, nouerimus ibi Apostolum de substantia dicere, in qua est æqualis patri. Nam Deus incorporeus, inuisibilis, incomprehensibilis, totusque vbique nullam potest habere formam. Quod vero in Euan-
Luc. 16. gelio de Abraham & Lazaro & diuite legimus, sinum Abrahæ Lazarum habere, diuitem linguam petere refrigerari ab extremo digiti, nec diues lingua locutus est, quæ vtique incorporea est, nec Lazari anima digitos vnde illius ardorem refrigeraret habuit, nec Abraham sinum more corporalium hominum habere potuit. Nam non solum de creatura spiritali in scripturis hæc & similia reperiuntur, verum etiam de summo & incomprehensibili Deo passiua quædam leguntur, quæ vtique incommutabilitati diuinæ nullo modo accidere possunt: veluti cum pœnitere dicitur Deus & irasci, abominari & odisse: quæ omnia illi summæ maiestati non conueniũt. Sed vt aliquæ humanæ res compendiosius faciliusque ex
C nostra consuetudine cognoscantur idcirco talia ad Deũ referuntur. Sic & anima cum informis sit, formam habere dicitur.

CAPVT IV.

Vtrum in paruulis minor, & in fortioribus maior, esse credatur.

DE quantitate etiam animæ potest subtilissima atq; scrupulosa quæstio exoriri, vtrum in paruulis minor sit, cum eis ratio non omnimodis adsit, quæ maioris ætatis hominibus, maior adesse videtur: iterumque inueniuntur iuuenes excordes, senesque minus sapientes. Sed in paruulis id attendendum est, quia imbecillitate corporis & paruitate, in eis ratio animæ impeditur. In iuuenibus vero & stultis, aut quadam partium inæqualitate, aut aliqua crassitudine humorum deprimitur, vimque suam tali impedimento exprimere præpeditur. Quod vt exemplo lucidius declaretur, aspiciamus quæ in vsu habentur. Nam si ignis in quodã paruo vase inclu-
D ditur, qui alta petere consueuit, angustia loci pręeditur. Quem si rursum materiæ grauis humoris aut crassitudinis supponere volueris, ipsa crassitudine impeditur, ne ad alta se subrigat. Sin autem materiam competentem eidem subieceris, omnem continuo vim suã alta petens demonstrat. Sic & animæ vis & ratio, in paruulis paruitate membrorum præpeditur: in iuuenibus & maturis, quadam vt dictum est partium inæqualitate, aut humorum crassitudine deprimitur. Hinc est, vt quos modo sapientes & astutos cernimus, quadam subita læsione cerebri, aut grauedine præcordiorum, ineptos & amentes fieri videamus. Hinc etiam surdi fiunt & lippi: debilesque de quadam diminutione membrorum existunt. Et quid de huiuscemodi passionibus dicamus, cum frequẽtissime nimio potu & distentu ventris, sapientium animos obrui cernamus: vt quem modo sapientissimum

E videras, vix valeat se intelligere viuum. Ratio itaque paruulis meditatione crescit & exercitio, non incremento animæ. Sicut ergo omnes animæ immortales sunt, ita & rationales esse credendæ sunt. Nunc restat, vt vbi sedem maxime habere probetur, flectamus articulum.

CAPVT V.

Vbi potissimum anima sedes sit credenda.

QVamuis autem anima totius corporis membris sit diffusa, ipsosque artus quodam organo motuque componat, propriisque officijs attribuat, tamen vt euidentibus indicijs manifestatur, non æqualiter omnibus præsidet membris. Quidam namque affirmant animam proprie & maxime sedem retinere in corde: asserentes ibidem purissimum sanguinem vitalemque spiritum continere: & exinde cogitationum bonarum & malarum varietates oriri: quod animam propria virtute augere,
F nulli dubium est. Rursum multi dicunt animæ sedem in cerebro esse, quod manifestis indicijs credi potest. Anima quippe quoniam ad imaginem Dei condita est, arcem quodammodo sui corporis petere, dignum fuit. Vt enim cum reuerentia diuinitatis loquamur, cum Deũ vbique esse credamus, & confiteamur, cunctaque visibilia & inuisibilia vi diuinitatis suæ penetrare & replere, sedem tamen proprie in cœlo habere dicitur, scriptura teste: Cœlum mihi sedes est. Competens namque erat, vt quæ corporis sui regimen tenet, principalem sui templi arcem teneret ad similitudinem sui conditoris. Vt sicut ipse in altissimis sedere dicitur, ita & hæc in eminẽti sui parte corporis, residere credatur. Et exinde omnia membra velut ex quadam arce, congruo regimine gubernari. Vnde & ipsa rotunditas cerebri, ad similitudinem cœlestis sphæræ facta videtur: vbi dignam mansionem sibi anima immortalis vindicaret. Dignum etenim erat, vt altiora peteret: quia omne quod subtilis est naturæ, celsiora petit. Nam & ignis visibilis, ad summa
G pertendere cernitur. Sunt & alia indicia, quæ animam habere sedem in vertice designant. Nam & omnis corporis sensus in capite contineri, certissimum est. Sed & si aliqua lætitia mentem obsederit, statim vultus hilaritate monstratur. Sin autem perturbatio superuenerit, non viscerum incommoditate grauamur, sed quodam stupore capitis continuo apprehendimur: intantum, vt ipsum visum obtundat, & auditum stupefaciat: & quædam signa indignationis anima ibi derelinquat. Quod cum ita sit, recte credendum est, animam in vertice sedem habere. Sed quia paucis de anima dictum est, quare anima dicatur, vel quid sit, vel vnde originem habeat, aut si formam habere credatur, vel vbi maxime sedes ipsius esse credatur, nunc ad virtutes eius morales exprimendas, flectamus articulum: atque in primis indagandum, quid sit virtus.

CAPVT VI.

De virtutibus eius moralibus: & primo quid sit virtus.

SVnt ergo virtutes animæ quatuor morales: prudentia scilicet, fortitudo, iustitia atque temperan-
H tia. Sed quoniam has virtutes nominamus, dicendum primo, quare virtus dicatur, vel quid sit virtus. Virtus dicitur à vi, id est, à fortitudine. Quæ ideo taliter dicitur, quia cuncta quæ prouenire possunt, quadam vi mentis animique robore sustinet. Est ergo virtus omnis sancta res, inuisibilis atq; incorporea, sancta, mundissima, prorsusque omni carens malo. Quæ vbi manserit, cuncta sancta facit, munda, firma, atque stabilia. Quam nullus inuitus accipit, nullus perdit, nisi qui sua sponte perditui deceptuiq; dederit. Quæ etiã ita diffinitur: Virtus est animi habitus, decus vitæ rationabilis dispositio morum, pietatis appetitus, omnisq; honor, cultusque deitatis. Quæ sicut dictum est, in quatuor diuiditur morales virtutes. Quæ ideo morales dicuntur, Virtutis diffinitio.

A quia per eas mores hominum exornantur atque decorantur. Nam si prudentia hominum desit, hebetudine animi continuo deturpatur. Si fortitudo absit, confestim imbecillitati addicitur. Vbi vero iustitia abest, quis nesciat cuncta praua, cuncta torta, deformiaque adesse? Sin autem & temperantia defuerit, omnia superflua modumque excedentia, ipsa sua nimietate animum dehonestabunt. Si ergo hae quatuor virtutes animum hominis obtinuerint, quasi quatuor angulis domus sustinebitur, ne vlla vi tempestatum corruat: sed potius quicquid aedificare voluerit, quasi firmissimo fundamento superponet. Sed istae quatuor virtutes ita sibi sunt connexae, vt alia sine alia nullo modo perfectionem accipere queat. Nam prudentiae fortitudinem suppeditari necesse est. Item fortitudinem iustitia exornat. Temperantia autem iustitiam quadam temperatura, ne vltra modum inardescat, refrenat: sed omnia mensurate faciat. Sed iam singillatim ipsarum nomina lucidius digerantur, quare ita dicantur, vel quae sit vniuscuiusque proprietas. B

CAPVT VII.

De Prudentia.

PRudentia igitur dicitur quasi prouidentia, quae sui perspicacia perspicit ea, quae prouenire possunt, siue prospera, siue aduersa: vt videlicet caute agat, ne aliquando aut prosperis eleuetur, aut deijciatur aduersis. Quae etiam alio nomine sapientia dicitur, eo quod in palato cordis sapiat, quid reijcere, quid de in intimis traijcere debeat. Est ergo prudentia siue sapientia rerum diuinarum siue humanarum, inquantum homini conceditur, scientia. Per hanc intelligimus quid cauendum, quidue faciendum nobis sit. Per hanc indagationem veritatis, inuentionemque apprehendimus. Sed quia & appetitores seculi prudentes dicuntur, quantum inter se differant, indagandum est. Prudentia itaque C seculi, quantum in se est, corrumpere sana & integra conatur, aliorumque damnis sua lucra augeri gaudet. De hac Dominus cum in Euangelio de villico iniquitatis loqueretur, dicit eum prudenter fecisse, quod dispendio Domini sui, lucrum adquisierit, atque in futurum prospexerit. De qua prudentia Paulus dicit: (Rom. 8.) *Prudentia carnis mors est. Mors vtique animae.* At contra prudentia siue sapientia quae dono Dei adquiritur, nec suo peccato perire potest, nec alieno. Nullumque dispendium alius ob gratiam sui lucri facere cupit, sed omnibus sicut sibi, prouidere desiderat. De qua prudentia idem Paulus, cum de prudentia carnis disputasset, subiunxit dicens: (Eodem.) *Prudentia autem spiritus, vita & pax.* Quod videlicet de vita animae cum dixisse patet. Nam ipsa prudentia spiritualis, semper ad vera & sancta tendere cupit, quamuis aliquando fallatur. Quod videlicet infirmitate carneae sarcinae praepediente, fit: quia nullus in carne positus, cuncta perfecte praeuidere & cauere potest. Vnde & egregius doctor, qui ad tertij coeli secreta raptus, & paradisi amoena contemplatus, audiuit quaedam secreta, quae hominibus loqui non licet, hac molestia praegrauatus, ait: (1. Cor. 13.) *Videmus nunc per speculum in aenigmate.* D Sed quoniam fortitudinem suppeditari diximus a prudentia, restat vt de ea aliqua dicantur.

CAPVT VIII.

De Fortitudine.

FOrtitudo igitur est longanimitas & perseuerantia in bonis, toleranti aque & victoria contra omnia tentamenta vitiorum. Quae ita animo inesse debet, vt non solum aduersa vincat, verumetiam cuncta illecebrosa & voluptuosa atque delectationem carnis mouentia, superet & necet, atque extinguat. Quod cum fecerit, iure fortitudo dicetur. Nam si aduersantia superet, blanditijs vero petulantis carnis assentiat, non fortitudo, sed resolutio vocabitur: quoniam ad delectabilia soluitur. E De qua breuiter quidem sed honestissime diffinitur, cum dicitur: Nemo melius vincit, quam qui seipsum vincit. Sed quoniam virtutis huius nuncupatio etiam ad sinistram reflectitur necesse est, vt de hac aliquid dicatur. Dicitur namque & fortitudo diabolica, de qua Dominus ad beatum Iob loquitur. *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius.* (Iob. 38.) Vnde Dominus in Euangelio dicit: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet,* (Luc. 11.) Fortem, scilicet diabolum, atrium vero illius, mundum intelligimus. De quo atrio fortiore superueniente, id est, Christo, victus & superatus, eiectus est. Sed fortitudo diabolica quam prauos in malis roborat, & Christi fortitudo qua sancti ad toleranda aduersa corroborantur, non solo actu, sed etiam ipsa varietate nominum differunt. Fortitudo namque diabolica dicitur contumacia, pertinacia, siue etiam peruicacia, quae hominem non sinunt a prauis actibus sanctis persuasionibus reuocari. Fortitudo vero Christi, ipsa est perseuerantia seu tolerantia: nec non & patientia, F quae omnia aduersa longanimiter, & patienter tolerat. Hanc itaque necesse est vt iustitia comitetur, quae rectitudo siue aequitas dicitur: ne quod forte est, absque rectitudine aliquo modo fiat prauum.

CAPVT IX.

De Iustitia.

IVstitia igitur dicitur, quasi iuris custodia, eo quod quicquid ius, id est, lex praecipit, custodiat: vel quicquid prohibet, deuitet. Haec ergo si fortitudini coniuncta fuerit, eam omni modo condecorat. Nam quicquid forte est, nisi iustum fuerit, ad prauam sine dubio partem deriuabitur. Iustitia ergo est propria nobilitas animi, quae vnicuique debitam praestat retributionem. Bonis, scilicet dignam retribuens laudem: prauisque & malignis, debitam ingerens vituperationis reprehensionem. Ipsa itaque debitum Deo diuinitatis cultum honoremque impendimus, atque dilectionem: proximos vero G digno dilectionis amore complectimur. Quid enim iustius, quam Deum toto corde diligere, a quo conditi sumus dum non essemus? Male autem captiuos dicimus, quia est & captiuitas bona, de qua dicitur: *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem.* (Psal. 67.) Quid vero rectius esse potest, quam proximos qui similes nobis sint conditi, & pari modo redempti, sicut nos diligere? Hac ipsa, nostra proximorumque errata, digna & debita redargutione compescerentur. Quia hac ergo refrenantur & coercentur illicita, redargutio vero absque feruore quodam & ardore zeli nequit fieri, recte temperantia iustitiam sequitur, ne feruor iustitiae modum excedat, & quae lucrari monendo & corrigendo debemus, nimia correctione deijciamus.

CAPVT X.

De Temperantia.

TEmperantia ergo dicitur, quoniam moderatione sua temperat animum vniuscuiusque. Vnde & temperantia dicitur, quia animum temperat caloribus & frigoribus, ne nimis frigida, nimietate sua, restringat virentia arbusta. Temperantia igitur est virtus animi, quae suo moderamine totius vitae modum H imponit, ne quid aut odio nimio exerceatur, aut nimio amore demulceat. Omnes vero varietates quadam diligentia considerans, temperat & moderatur. Haec etiam discretio alio nomine dicitur: quia omnia discernit ne modum excedant, neque ad dexteram, neque ad laeuam nimium declinet: sed quadam via regia gradiatur, temperetque gradum, ne vltra modum incedat. Vnde & philosophica illa sententia, breuis admodum est, sed probatissima in hac vita maximeque necessaria: Ne quid nimis. Cum enim dicit, Ne quid, ostendit, quia & bonum nimium esse potest. Vnde & Salomon dicit: *Fili, ne sis nimium iustus.* (Eccl. 7.) De hac etiam Iacob

A

cob per allegoriam dicit: *Habeo boues & oues fœtas, & paruulos teneros: quos si plus in ambulando fecero laborare, morientur.* Per boues quippe & oues fœtas, animæ intelliguntur, quæ verbum Dei, mente concipiunt. Quæ si nimium iter arripere cogantur, quod mente conceperunt, perdunt. Paruuli vero teneri, sunt illi de quibus Paulus dicit: *Lac vobis potum dedi non escam: nondum enim poteratis: sed nec adhuc quidem potestis. Paruuli enim estis.* His ergo talibus lenia præcepta quæ per lac intelliguntur, ministrari debent, quousque solido & forti cibo vti valeant, id est, fortioribus præceptis. Hæ itaque virtutes cum omnibus sint necessariæ, excellentiæ tamen regiæ maximum decus ornatumque præstant. Per prudentiam quippe omnibus prouide prospiciens, caute & rationabiliter ea quæ prouenire possunt, considerat: & acumine sensus quasi acie oculorum, caute aduersa perspicit ac prospera. Per fortitudinem vero omne quod prouide perspexerit, siue aduersa siue prospera, forti & inconcusso animo supportat: euentus scilicet fluctuantis seculi: bella: tumultus & seditiones: nec non & diuersos mores hominum. Regia etenim excellentia quanto pluribus præest, tanto plures euentus rerum accidentium perspicit: atque idcirco fortissimo animo cuncta superare decet. Quem vero iustiorem decet esse quàm regem? Omnes namque iudices cunctique actores, quamuis cupiditate ducti iniusta disponere nitantur, considerantes iustitiam regis, nihil iniustum subditis inferre præsument: quoniam iustam vindictam verebuntur. Temperantem autem regem apprime decet esse, vt eius præcepta cunctis conueniant, ne nimis laxa existant: néve iterum valde grauia: se tali moderamine atque temperie disposita, vt iuxta possibilitatem cunctorum omnia fiant. Quatenus agni in regijs edictis inueniant quo vadere queant: & elephanti quo se natare cognoscant, hoc est, vt ne mites ac simplices violentia præceptorum opprimantur: & potentes & fortes potentiorem se & fortiorem semper aspiciant & vereantur. His itaque quatuor virtutibus quasi solidissimis columnis, omnis regiæ dignitatis honos decusque attollitur: feliciterque cuncta gubernantur atque exornantur. Sed quia hæc breuiter & minus compte de Anima, virtutibusque eius digesta sunt moralibus, hinc restat, vt de habitaculi ipsius situ & dignitate, aliqua dicantur: quoniam dignum erat, vt quæ tantæ dignitatis creata est, vt ad imaginem Dei atque similitudinem facta dicatur, decenti habitaculo ornaretur. Aggrediar ergo & opus Dei mirificum in humano corpore qua valeo demiratione: & si non condigne, deuote scribere conabor, ex probatorum scilicet doctorum scriptis latissimis, breuissima depromens.

Gen. 33. / 1. Cor. 3. / B / C

CAPVT XI.

De statu & positione corporis.

Corpus itaque hominis mira operatione compactum, proceritate suæ rectitudinis à cunctis animantibus disparatur. Quod videlicet si per singula membra consideretur, magna in hoc mysteria comprehenduntur ab his, qui ea indagare satagunt. Ipsum namque caput cunctis eminens membris, in cuius vertice animæ sedem maxime esse credimus, ad similitudinem cœlestis sphæræ formatum, sex ossibus est compactum: vt intelligatur ille senarius numerus, qui perfectus probatur, in hominis creatione constare. De cuius numeri perfectione, plurima dici possunt: sed hic sunt propter compendium omittenda. Sub huius itaque capitis rotunda concauitate, binæ acies oculorum prodeunt, ad similitudinem duorum cœlestium luminarium: vel vt sacratius aliquid dicamus, ad instar duorum testamentorum. Quibus decentissime supposita sunt membra cætera combinata, dualitatis coniunctione disposita: aures scilicet, nares, labia, brachia, manus, latera, crura & pedes. Quæ cuncta tali sibi sunt charitate conuenientia, vt vnum idemque sapere atque operari videantur. His vero binis geminisque membris ita ordinatis, sunt & alia membra, propria vnitate decentissime geminis membris conuenientia, nasus scilicet, os, guttur, pectus, venter, vmbilicus, ipsaque virga genitalis: quam mira dispensatione, Deus ad humani generis sobolem renouandam, attribuit. Quæ cuncta magnum decus obtinere videntur, quoniam in meditullio posita, geminis membris conueniunt, vt neutra pars vnum ex his sine altera, valeat vendicare. Hæc ergo omnia cum reliquis membris, ad habitaculum animæ ad imaginem suam conditæ, Deus digna operatione compegit.

D / E

CAPVT XII.

De quinque sensuum officijs.

Nunc restat, vt de officijs quinque sensuum, pauca dicantur. Qui quamuis & bestijs inesse videantur, longa tamen interpolatione ab illis discedant: quoniam nobis rationabiles insunt, in illis, ratione carent. Primus ex his, Visus est: qui quadam vi animæ quam aspectum dicimus, per pupillam oculi egrediens, res non valde longe positas quadam subtilitate perspicit, coloresque inuisibilium rerum illuminato aere cognoscit. Si vero valde longe positæ fuerint, ipsa elongatione deficit. Secundus, auditus ita institutus est, vt per coclearos meatus concrepantes sonos ad se adtrahat, discernatque & intelligat, quid sit auditum. Qui ideo non rectos & apertos meatus habet, sed anfractus coclearione tortuosos, vt quasdam moras sonus emissus sustinens, vim discretionis & intellectus efficeret. Nam si recto itinere sonus emissus exciperetur, ipsa sua velocitate, discretionem atque intelligentiam amitteret. Tertius est, odoratus: quo cunctos fœtores pudicos, odoresque gratos cognoscentes, putentia digna execratione vitamus, & odorifera quadam animi delectatione intra nos traijcientes, ipsa suauitate odoris reficimur. Quartus, est gustus: quo omnia quæ in os mittimus, siue dulcia, siue amara, sapore palati discernimus. Quod cum omnes saporum qualitates discernat, ipsum tamen nullius saporis esse probatur. Quintus est, tactus: qui cum omnibus membris sit attributus, præcipue tamen manibus deputatur: quibus etiam vsus actionis maxime est datus. Manibus enim fit, quicquid faciendum est. Sed si per singula membra mirificum opus creatoris intendere cupimus, atque pro captu ingenioli de singulis disputare, prolixius fieret opusculum quàm statueram. Sed quia breuiter sublimitati vestræ id innotescere cupij, immo cognita ad memoriam reuocaui, obsecro vt si aliqua proficua in hoc opusculo vestra celsitudo iudicauerit, Dei donum in hoc laudetur, qui linguas infantium disertas facit, & aperire consueuit ora clausa mutorum. Sin autem aliqua quæ merito nasum torqueant, digne veniam vt homo, deposco. Nam qui mendacij fucum aufugere quiuerit, perfectus nuncupabitur, Apostolo Iacobo asserente: *Qui in sermone non labitur, perfectus est vir.* Quod vtique paucissimorum est, dicente Propheta: *Omnis homo mendax.*

F / Visus. / Auditus. / Odoratus. / Gustus. / G / Tactus. / Iacob. 3. / Psal. 115. / H

Hrabani Mauri Moguntinensis Archiepiscopi, Tractatus de Anima, Finis.

HRABANI MAVRI DE ORTV, VITA ET MORIBVS ANTICHRISTI TRACTATVS.

Antichristvs, quia Christo in multis contrarius erit, & Christo contraria faciet. Christus venit humilis, ille superbus. Christus peccatores

A toies & humiles iustificauit: ille peccatores & impios exaltabit: semperque vitia quæ contraria sunt, docebit: legem Euangelicam dissipabit: dæmonum cultum in mundum reuocabit: gloriam vanam quæret: & omnipotentem se nominabit. Hic Antichristus itaque multos habet suæ malignitatis ministros: ex quibus iam multi in mundo præcesserunt: qualis fuit Antiochus, Nero, Domitianus. Nunc quoque nostro tempore Antichristos multos esse nouimus. Quicunque enim, siue Laicus, siue Canonicus, seu etiam Monachus, contra iustitiam viuit, & ordinis sui regulam impugnat, quod bonum est blasphemat, Antichristus est, minister Sathanæ. Sicut ergo authores nostri dicunt, Antichristus ex populo Iudæorum nascetur, de tribu Dan, secundum prophetam dicentem:
Gen. 49. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita. Sicut enim in via sedebit, & in semita erit, vt eos qui per semitam iustitiæ ambulant, feriat: & veneno suæ nequitiæ occidat. Nascetur autem ex copulatione patris & matris, sicut & alij homines: non vt aliqui dicunt de
B sola virgine: sed tamen totus in peccato generabitur, & in peccato nascetur. In ipso conceptionis eius initio, diabolus simul introibit in vterum matris suæ, & ex virtute diaboli commouebitur: & concremabitur in ventre matris: & virtus diaboli semper cum illo erit. Et sicut in matrem Domini nostri Spiritus sanctus venit, & eam sua virtute obumbrauit, diuinitateque repleuit, vt de Spiritu sancto conciperet, & quod nasceretur, diuinum esset & sanctum: ita quoque diabolus, in matrem Antichristi descendet: totam eam implebit, totamque circundabit, & totam tenebit, totam interius exteriusque possidebit: vt diabolo per hominem cooperante concipiat: & quod natum erit, totum sit iniquum, totum malum, totumque perditum. Vnde & ille homo perditionis appellatur: quia intantum poterit genus humanum perdere, & ipse in nouissimo perdetur. Ecce qualiter nascetur audistis, audite etiam locum vbi nasci debeat. Nam sicut Dominus ac redemptor noster, Bethlehem sibi præuidit, vt ibi pro
C nobis humanitatem assumeret & nasci dignaretur: sic diabolus illi homini perdito Antichristo locum nouit aptum, vnde radix omnium malorum oriri debeat: scilicet Babylonem præuidit. In hac enim ciuitate quæ quondam inclyta gloriosaque vrbs, & caput gentilium & regni Persarum fuit, Antichristus nascetur: & in ciuitatibus Bethsaida & Corozaim nutriri & conseruari dicitur. Quibus Dominus in Euangelio improperat, dicens:
Matt. 11. Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaim. Habebit autem Antichristus magos, maleficos, diuinos & incantatores: qui eum inspirante diabolo mittentes, docebunt omnem iniquitatem & falsitatem: & maligni spiritus, duces ac socij eius erunt semper, & comites indiuisi. Deinde Hierusalem veniens, omnes Christianos quos ad se non poterit conuertere, per varia tormenta iugulabit, sedemque suam in templo sancto parabit: templum etiam destructum quod Salomon ædificauit Deo, in statu suo restaurabit, & circuncidens se, filium Dei omnipotentis se esse mentietur. Reges enim & principes ad se conuertet: deinde per illos, cæteros populos. Loca vero per quæ Dominus
D Iesus Christus ambulauit, prius destruet. Deinde per vniuersum mundum nuncios mittet, prædicatoresque suos. Prædicatio autem eius & potestas, pertinget à mari vsque ad mare, ab Oriente vsque ad Occidentem, ab Austro vsque ad Septentrionem. Faciet quoque signa multa, magna & mirabilia, & inaudita. Faciet ignem de cœlo terribiliter venire, arbores subito florere & arescere, mare turbari & subito tranquillari, naturas in diuersas figuras mutari, aquarum cursus & ordinem conuerti, agitari aera ventis & multimodis commotionibus, & cætera innumerabilia & stupenda: vt in errorem inducantur, etiam si fieri potest, electi. Nam quoniam cum tanta & talia signa facere videbunt, etiam illi qui perfecti & electi Dei sunt, dubitabunt, vtrum ipse sit Christus, qui in fine mundi secundum scripturas

E venturus sit. Hæc autem omnia miracula omnibus modis esse per incantationes diabolicas, notum est: sed peccatoribus & incredulis videntur esse vera. Excitabit vero persecutionem in Christianos, & in omnes electos sub omni cœlo. Eriget itaque se contra fideles tribus modis: hoc est, terrore, muneribus, miraculis. Dabit credentibus in se abundantiam auri & argenti: quos vero non poterit decipere muneribus, superabit terrore. Quos per terrorem non potest vincere, signis & miraculis tentabit seducere: quos signis non potest illudere, in conspectu omnium miserabili morte necabit. Tunc erit tribulatio talis, qualis non fuit à tempore, à quo *Mat. 24.*
gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud. Tunc quoque qui in agro sunt fugient ad montes: & qui super tectum, non descendent in domum, vt quid tollant ex ea. Tunc omnis fidelis Christianus Deum negabit: aut per ferrum, aut per ignem fornacis, siue per bestias, siue per aliud quodlibet genus tormenti interibit, si in fide permanserit. Hæc autem tam terribilis timendaque tribulatio, tribus annis manebit in toto mundo
& dimidio anno. Tunc breuiabuntur dies illi propter F
electos: & nisi dominus abbreuiasset illos, non fuisset *Eodem.*
salua omnis caro. Tempus siquidem quando Antichristus veniat, vel quando dies iudicij appareat, Paulus Apostolus in Epistola ad Thessalonicenses manifestat eo loco vbi ait: Quoniam nisi venerit discessio *2. Tess. 2.*
primum, & reuelatus fuerit homo peccati & filius perditionis. Scimus enim quoniam post regnum Græcorum siue Persarum, ex quibus vnum suo tempore magna gloria viguit, maximaque potentia floruit, ad vltimum quoque post cætera regem qui regnum Romanorum cepit, quod fortissimum omnium regnorum fuit, omniaque regna terrarum sub dominatione sua habuit, omnes populorum nationes Romanis subiacebant, seruiebantque sub tributo. Inde ergo dicit Apostolus Paulus, Antichristum non ante venturum in mundum, nisi venerit discessio primum. Hoc est, nisi dissenserint omnia regna Romano imperio, quæ prius subdita erant. Hoc autem tempus nondum venit: quia licet videamus
Romanum imperium ex maxima parte destructum, eius dignitas stabit, & ex toto non peribit, quoniam in G
regibus suis stabit. Quidam nostri doctores dicunt, quod vnus ex regibus Francorum Romanum imperium ex integro tenebit: quod in nouissimo tempore erit: ipseque erit maximus & omnium regum vltimus. Qui postquam feliciter regnum suum gubernauerit, ad vltimum Hierusalem veniet: & in monte Oliueti sceptrum coronamque deponet. Hic erit finis, & consummatio Romanorum Christianorumque imperij. Statimque secundum prædicta Apostoli, Antichristum dicunt affuturum: & tunc reuelabitur quidam homo, Antichristus videlicet: qui licet homo sit, fons tamen erit omniũ peccatorum, filius perditionis: hoc est filius non per naturam, sed per imitationem: qui per omnia adimplebit eius voluntatem: quia plenitudo diabolicæ potestatis totius mali ingenij corporaliter habitabit in illo, in quo erunt omnes thesauri iniquitatis malitiæq; absconditi: qui aduersatur, id est, contrarius est Christo, omnibus membris eius: & extollitur in superbia supra omne quod dicitur Deus, id est, super omnes Deos gentium, Apollinem, Iouem, Mercurium: quos Pagani Deos existimant. Super omnes istos extollitur Antichristus, H
quia maiorem fortioremque se eis faciet: & non solum super illos extollitur, sed etiam super omne quod colitur, & sanctam trinitatem, quæ trinitas solummodo colenda, adorandaque ab omni creatura est. Ita se extollet, vt in templo Dei sedeat, ostendensq; se tanquam sit Deus: nam sicut supra diximus, in ciuitate Babylonia natus, Hierusalem veniens, circuncidet se, dicens Iudęis, Ego sum Christus vobis missus, qui ad salutem vestram veni, qui dispersi estis, vt congregem & defendam. Tunc confluent ad eum omnes Iudæi æstimantes se Deum suscipere, sed suscipient diabolum. Siue etiam in templo Dei sedebit Antichristus, id est, in sancta Ecclesia omnes Christianos cupiens facere martyres: & eleuabitur,

A

tur, quia in ipso erit caput omnium malorum diabolus, qui est rex super omnes filios superbiæ. Sed ne subito nec improuise veniat Antichristus, & totum simul humanum genus suo errore decipiat & perdat, ante exortum eius, duo magni prophetæ mittentur in mundum, Enoch & Elias, qui contra impetum, fideles Dei præmunient, instruentes eos, & confortabuntur, & præparabunt electos ad bellum: prædicantes tribus annis & dimidio. Filios autem Israel quicunque eo tempore fuerint inuenti, hi duo prophetæ magni & doctores, ad fidei gratiam conuertent: & presluram tanti turbinis in parte electorum insuperabiliter reddent. Tunc implebitur scriptura quæ dicit: Si fuerit numerus Israel sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient. Postquam tres annos & dimidium prædicationem suam compleuerint, mox incipiet exandescere Antichristi persecutio: & contra eos primum arma sua corripiet, eosque interficiet, sicut in Apocalypsi legitur: Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendet de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincens interficiet eos.

Rom. 9.

Apoc. 11.

B

Postquam isti duo interfecti fuerint, inde cæteros persequens fideles, aut martyres gloriosos, aut apostatas faciet: & quicunque in eum crediderit, signum characteris eius in fronte accipiet. Sed quia de principio diximus, quem finem habeat, dicamus. Hic itaque Antichristus diaboli filius, totiusque malitiæ artifex pessimus, cum per tres annos & dimidium sicut prædictum est, magna persecutione totum mundum vexabit, omnemque populum varijs pœnis, circundabit, postquam Eliam & Enoch interficiet, cæterosque in fide permanentes martyrio coronabit, ad vltimum veniet ira Dei super illum, sicut beatus Paulus scribit dicens: Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Siue Dominus Iesus potentia suæ visionis illum, siue Archangelus Michael per virtutem Domini nostri Iesu Christi occidet: non per virtutem cuiuslibet angeli vel archangeli. Tradunt autem doctores, quod in monte Olueti occidetur Antichristus, vnde dominus ascendit ad cœlos. Debetis autem scire, quia postquam fuerit Antichristus occisus, non statim erit dies iudicij, nec statim veniet Dominus ad iudicium, sed expectabit dominus quosdam, sicut ex libro Danielis intelleximus, qui seducti sunt, vt ad pœnitentiam reuertantur.

C

Postquam vero pœnitentiam expleuerint, quantum temporis sit quousque dominus veniat, nemo est qui sciat, sed in dispositione Dei manet: quia ea hora seculum iudicabit, qua ante secula iudicandum esse, præfixit.

HRABANI MAVRI MOGVNTInensis Archiepiscopi, ad studiosum lectorem, Carmen.

RVre moram flexo decerpsi pollice flores,
 Qui mixtum spirant nectar odoriferum.
Arboribus celsis vulsi ex cortice ramos,
 I quis olus myrrham, balsama rore dabunt.
* Hæc quoque collecta calathis cum lector opimis
 Cernas, non spernas: sed relegens teneas.

D

Hic quoque virtutum recolet gratissimus ordo,
 Sordidus & fœtor pellitur arce procul.
His tu delicijs frueris si rite placebis,
 Altithrono, & felix regna beata capis.
Collectoris enim nomen si noscere quæris,
 Maurus dicor ego: tu sine fine vale.
Huc properate viri sitientia corda rigari:
 Fons vt cuncta sacris, sordida mundet aquis.
Hinc orate Deum votis communibus vltro.
 Seruet vt hunc famulum tutor vbiq; suum.

F I N I S.

E

MARTYROLOGIVM HRABANI MAVRI

VT HABET CODEX M. S. CELEBERRIMI MONASTERII S. GALLI.

IANVARIVS.

CALEND. IANVARII.

OCTAVA Dominicæ natiuitatis est, qua videlicet die idem Dominus noster circumcisus est in carne, secundum legem Moysi, & nomen Iesus accepit: quod Angelicum de eo oraculum ante conceptionem eius in vtero vaticinabatur.

F

Eodem die natiuitatis est Almachij Martyris, qui iubente Alipio vrbis præfecto, cum diceret: *hodie octaua Dominicæ diei sunt: cessate à superstitionibus Idolorum, & sacrificiis pollutis*: à gladiatoribus hac de causa occisus est. Et eadem die Romæ natiuitas Martinæ virginis, & Martyris, quæ passa est sub Alexandro Cæsare pro fide Christi multis tormentorum generibus cruciata, & ad extremum gladio percussa, quæ etiam Idola & simulachra orando destruxit, & multos ad fidem Christi conuertit. Alexander vero post obitum beatæ virginis percussus est dolore cordis, & sicut rabidus canis carnes suas lacerans, pessimam vitam cum magno supplicio expirauit. Item eadem die Romæ passio Concordij Presbyteri, & Martyris sub Antonino Imperatore per Torquatum comitem perpetrata, qui nolens sacrificare Idolis, capitalem sententiam subiit.

IV. Nonar. In Antiochia Macharij Abbatis. Romæ Telesphori Papæ, qui constituit, vt septem hebdomadibus ante Pascha ieiunium celebraretur, & natali Domini nocte missa celebraretur.

G

Nam omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missas celebrare, qua hora Dominus ascendit crucem; & ante sacrificium hymnus diceretur, hoc est, *Gloria in excelsis Deo.* Hic etiam Martyrio coronatus est, qui sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano IV. Non. Ianuarij.

III. Nonar. Romæ Anteros Papa, & Martyr, qui duodecim annos rexit Ecclesiam, & Martyrum gesta diligenter exquirens recondit in Ecclesia, qui etiam Martyrio coronatus. In cœmiterio Calisti sepultus est via Appia. Parisiis ciuitate, depositio Genofeuæ virginis, quam S. Germanus eiusdem vrbis Episcopus in infantia Deo virginem consecrauit. In Tomis ciuitate, natiuitas Titi Episcopi, qui sub Licinio inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem carcere mancipatus, missus in cippo est, donec relatione esset respōsum, dimersoque in mare, delato corpore eius in littore, à religiosissimis viris depositum est in villa Amandi religiosi viri, vbi fiunt curationes magnæ.

H

II. Nonar. Natiuitas Theogenis Martyris, qui sub Licinio Cæsare per Telicentium tribunum passionem compleuit in Hellesponto, primum inter quatuor columnas tensus fustibus cæsus est: deinde in carcerem missus, vt ibi fame periret, sed Domini pietate inuisibili cibo ibi per XL. dies pastus, in laudibus Dei assidue manebat, ad vltimum vero in mare missus * martyrizavit, quem Euricus, & Eustochius, & Zozius, atque Germanus tollentes de mari miserunt in loculum, & sepelierunt in foro Hellesponti. Eadem die passio Petri, qui & Balsami, Martyris, sub Maximiano Imperat. agente Seuero præside, qui eum nolentem sacrificare Diis iussit suspendi, & vngulis lacerari, ad extremum vero gladio interfectus est, & in Aulona ciuitate sepultus. Eadem die passio Luciani Presbyteri, & Martyris, qui missus à Roma prædicare verbum Dei, in Galliis martyrizauit sub Iuliano Cæsare, in eisdem partibus occisus gladio, per

** pro martyrio affectus est. Sic sæpius inferius.*

A cuius prædicationem multi côuersi sunt ad fidem, ad cuius sepulchrum multa ostenduntur miracula,& sanitates fiunt plurimæ.

Non. Hierosolymæ depositio Simeonis Prophetæ, qui Dominum Iesum infantem suis vlnis portauit, & benedixit. Et in Antiochia depositio Simeonis Monachi,qui in columna stetit, & virtutes multas faciens ibi quieuit in pace,& translatum est inde corpus eius,in Antiochiam, per Episcopum ipsius ciuitatis, & populum Christianum cum psalmis,& hymnis,&cum multis lampadibus,& conditum est ibi in Ecclesia maiore. Vigilia Epiphan.

VIII. Iduum. Epiphania Domini nostri Iesu Christi.

VII. Iduum. Passio sanctæ Faustæ virginis,sub Maximiano Imperat. quæ Euilasium primum palatii, tortorem suum patientiæ suæ virtute conuertit ad fidem, nec non & præfectum,cui iussum est eam torquere, quæ suspensa ferramentis lacerabatur, postea bestijs tradita, à nulla earum contaminata est. Deinde clauis caput eius confixum est: postea ea in sartaginem feruentem pice

B missa sed non læsa. Sicque eum Euilasio,& præfecto in tormentis constituta, reddidit spiritum: populi vero Christiani hæc audientes sepelierunt corpora sanctorũ.

VI. Id. Augustoduno,depositio Egemonij Episcopi, & Mettis,depositio sancti Patientis Episcopi.

[* Epicteti.] V. Id. Natiuitas * Epittiei, Iocundi, Secundi, Saturnini, Vitalis, Felicis, Rustici, Quinti, Etartaxis, Fortunati.

IV. Id. Natiuitas Pauli, Primi Anachoretæ, cuius vitam B. Hieronymus scripsit,qui à XVI. ætatis anno vsque ad 113. solus in eremo permansit. Sed à Domino per eorum pastus,tunica palmarum folijs côtexta vsus est, cuius inter Apostolorum, & Prophetarum choros animam ad cœlum ferri ab Angelis Antonius vidit. Eodem die Romæ in cœmiterio Callisti natale Miltiadis Episcopi,& Confessoris, qui constituit in Ecclesia à fidelibus nulla ratione in dominicis diebus ieiunandum.

III. Id. Eductio Domini de Ægypto,& natiuitas sancti Salui Confessoris,in cuius natali sanctus Augustinus verbum fecit ad populum Carthagini.

C [* Innocētij.] II. Id. In Achaia natiuitas sanctorum Cyriaci, * Mosacentij,& * Satuti, ciuis Arabij. qui transiens ante tem- [* Satyri.] plum cuiusdam Idoli, insufflans cum signasset frontem corruit,tenentes eum ibidem obseruantes duxerunt ad Ducem,& indicantes factum,decollatus est.

[* Octaua.] Id. Ianuarij. * Octabas Theophaniæ,& in Pictauis depositio Hilarij Episcopi & Confess. egregij, qui sub Constantio Augusto Hæretico propter fidem Catholicam in Phrygiam in exilium pulsus est. De quo inter alias virtutes refertur, quod orando mortuum suscitauerit.

Eodem die sancti Agricij Episcopi, & in Antiochia Ægypti passio sanctorum Iuliani, & Basilissæ coniugis [* Maximiani.] suæ, qui Iulianus temporibus Diocletiani, & * Maximini nobili prosapia oriundus fuit,philosophorumque disciplinis imbutus, Catholicæ fidei religiosus amator fuit, quem cum parentes sui ad connubij iura persuasionibus validis attraxissent, respondisse fertur, *nec voluntatis est, nec ætatis vt faciam, quæ hortamini*: item cum petieuerãt pertinaciter in precibus: *nec permittendi mihi est facultas,*

D *nec negandi potestas,quod hortamini. Dei mei potestati committo,& relinquo.* Vnius tamen hebdomadis inducias à parentibus poposcit,vt nutum supernæ maiestatis argumentis euidentibus experiretur, qua peracta intercapidine [* Horamate.] somno sopitus, & sopore depressus, vidit Christum in * horomate dixisse: *Exurge ne timeas,nec suasiones verborum, nec voluntatem parentum horrescas. Accipies enim coniugem, quæ te non polluendo à me separet, sed per te virgo perseueret*; & infra: *multi iuuenes,& virgines per vestram doctrinam, vel vitam cœlestis exercitus probabuntur.* & reliqua. Sicque factum est,vt opitulante Christo, in Antiochiæ municipio monasteria plura construerent, ita vt sub Iuliani regimine [* conuersarentur.] decem millia Monachorum * conuersarent. Sub Basilissæ vero mille virgines, Dei seruitio mancipatæ fierent.

Postea autem idem Iulianus cum cômilitonibus suis

E sub Marciano Principe pro Christi nomine martyrizauit. Primum fustibus cæsus,qui percussoris sui oculum euulsum restituit. Insuper & plusquam quingentas simulachrorum Imagines ad solum diruit: post hæc in carcerẽ tenebrosum trusum cum Præsidis filio Hirciallo iuuene nuper ad fidem conuerso, vbi damnatorum corpora putrescebant,sed mira gratia Christi fætidus odor in ambrosiæ dulcedinem versus cum luce limpida sanctos martyres lætificabat. Dehinc rogante Præside defuncti cadauer nondum humati à morte suscitauit, sed tortoris non cessante væsania,Imperatorum decreto in circi spectaculo sancti Martyres ter denis cuparum gremiis includuntur,quæ intrinsecus atræ picis massa & bituminis fomite,sulphurisque fætore farciuntur, sarmentis cum igne suppositis,in tantum, vt flamma 30. cubitis in altũ se porrigeret, sed inde illæsi egredientes, rursus digitis manuum,& pedum licinus ardens olei liquore perfusus aptatur, sed hoc conamine delusus ex in bestiis ad deuotandum proponuntur,quibus sacra membra lacerare nõ

F audientibus ad extremum gladijs trucidantur: ad quorũ tumulum mox decem leprosi curantur,probantes qualis sit Martyrum gloria.

XVIII. Calend. Februarij. In Campania Natale Felicis Presbyteri,& Confessoris, de quo inter alia scribit Paulinus Episcopus, qui cum à persecutoribus in carcerem mitteretur,& cocleis,ac testulis vinctus superpositus iaceret,per noctem ab Angelo solutus, atque eductus sit. Eadem die natalis est Felicis germani ipsius, quem Dracus vrbis præfectus Idolis immolare coegit, & fustibus cæcidit,atque in exilium deportare iussit, vbi & quadratos lapides cæderet,sed per virtutem Dei plures ibi conuertit ad fidem,hoc est,Probum tribunum,& eos qui secum erant. Deinde Idolum Apollinis destruxit. In quo loco fideles postea templum Deo construxerunt. Post XII. vero annos ipsa die Dominica confectus mysterijs perrexit ad Dominum Iesum Christum. In Spoletana ciuitate natale Pontiani Martyris, qui passus est temporibus Antonini Imperator. sub Fabiano Iudi-

G ce,qui cum nollet Idolis sacrificare,iussit eum virgis cædi crudelissime; deinde nudis pedibus super carbones ardentes ambulare,postea duo leones immissi sunt,vt eum deuorarent, sed in nullo læsus est ab eis: Hoc videns Iudex iussit liquefieri plumbum, & perfundi in dorsum eius, sed cum hoc nihil eum læsisset, capite truncatus est.

XVIII. Calend. In Palæstina depositio Abacuc Prophetæ cuius reliquiæ simul cum reliquis Michea Prophetæ,temporibus Arcadij,& Honorij Augustorum Domino reuelante proditæ sunt.

XVII. Calend. Natiuitas S. Marcelli Papæ, qui iubẽte * Maximiano Imperat. primo fustibus cæsus,& à facie [* Maxentio.] eius quem corripiebat, expulsus est. Deinde audiens, quod domum Beatæ Luciuæ, quam proscriptione damnauerat,eo quod de facultatibus suis Christianis donauerit Ecclesiam faceret,atque in ea Missas celebraret. In media ciuitate iussit in eadem Ecclesia plancas sterni ad animalia catabuli publici, & eundem Episcopum ad seruitium animalium deputauit cum custodia publica: vbi etiam post multos annos seruiendo indutus amictu cilicino defunctus est,& conditus aromatibus à Ioanne

H Presbytero,& B. Lucina sepultus est, in cœmiterio Priscillæ. Atelato depositio sancti Honorati Episcopi, & Confess. cuius inter cætera miracula fertur,quod draconem de Hilarina Insula orando fugauerit, & Monasterium ibi fundauerit.

In Pago vero Maudinse in Perona monasterio depositio sancti Fursei Confessoris, qui in Hybernia natus, & nutritus patriam, parentesq; relinquens sacræ scripturæ studiis aliquot vacabat annis, vnde Monasterium in quodam construxit loco,sed dum patriam, parentesque visitare properat, vt inter illos sacri verbi semina spiritualibus seminaret eloquiis: quadam die corporis ægrotantis molestia corripitur,ac post subito in ecstasi raptus, iacuit quasi exanimis à vespertina hora vsque ad galli cantum,sed dum ad se rediret, agnouit Angelicã esse visionem

A

tionem, & sumpto corpore, ac sanguine Christi iacuit infirmus ipso die, & altera: tertia verò nocte iterum ab Angelis sublatus mirabiles vidit visiones, sicut liber vitæ ipsius testatur. Sed postquam ad se rediit, 12. annos in prædicatione verbi Dei, & miraculorum clarescebat signis: nouissimè verò in Gallia monasteriis constructis, ipse bonis auctus meritis inde migrauit ad Christum. Corpus vero eius ab Ercanvvaldo Duce & cæteris fidelibus in Perona Monasterio in Ecclesia S. Petri Apostoli, & cæterorum Apostolorum iuxta altare honorificè conditum est. In monasterio quoq; Fuldæ dedicatio Ecclesiæ S. Michaelis in cœmiterio Fratrum.

XVI. Calen. In Ægypto Thebaida depositio Antonij Monachi, cuius vita virtutibus plena, & miracula quæ fecit scriptis, & fama pene in Vniuerso Orbe prædicantur. Obiit autem in pace sub Imperatore Constantino, anno ætatis suæ centesimo quinto, & sepultus in eremo à discipulis suis, sicut ipse viuens præceperat, occultatus est: post multa autem annorum curricula, hoc est, Iustiniani Imper. temporibus qui fuit Iustini ex sorore nepos, corpus eius diuina reuelatione repertum Alexandriam defertur, & in Ecclesia Baptistæ Ioannis humatur. Bituricis depositio S. Sulpitij Episcopi & Confessoris. Apud Lingonas autem natiuitas geminorum Speusippi, * Elasippi, & Melasippi, qui cum essent 25. annorum cum auia sua Leonilla, & Ianilla, & Neone martyrio coronati sunt, tempore Aureliani Imperatoris. Gemini quidem in vna arbore suspensi ligatis manibus sursum; pedibus verò deorsum; ita extenti, vt putarentur penè ab ipsa membrorum compage separari, & post hæc in ignem præcipitati, nec tamen flammis læsi, inter verba orationum simul migrabant ad Dominum. Ianilla hæc videns confessa est se etiam Christianam, & mox comprehensa à turbis, à capillis suspensa, ac multis afflicta suppliciis, cum Christũ negare noluisset, cum Leonilla simul est gladio perempta. Neon verò exceptor gestorum, & ipse Christi nomẽ confessus martyrio coronatus est. Docuit autem & baptizauit geminos hos Benignus Presbyter, quem misit ab Oriente Beatus Polycarpus Ioannis Apostoli auditor in Galliam, cum Mandochio Compresbytero, & Tyrso Diacono. Sepulti sunt autem iidem gemini in secundo milliario ab vrbe Lingonas.

B

* Eleusippi & Meleusippi.

XV. Calen. Dedicatio S. Petri Apostoli, qui primo Romæ sedit. Cum autem idem Princeps Apostolorum in Hierosolymis, & in Cæsarea, atque in cæteris ciuitatibus Iudæorum Euangelium primum prædicasset, ad prædicandum postea gentibus missus Antiochiam venit, ibiq; Ecclesiam Christi fundauit. Inde quoque pergens Romam venit, secundo Claudij Cæsaris anno, ibique Euangelium instantissimè prædicans, viginti & quinque annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerauit. Eodem die natale S. Priscæ Martyris.

C

XIV. Hierosolyma Natale Marthæ & Mariæ sororum Lazari.

XIII. Calend. Romæ Fabiani Episcopi, qui cum XXV. annis Ecclesiæ præesset, passus est martyrium, tempore Decij, & in Cœmiterio Callixti sepultus. Hic regiones diuisit Diaconibus, & fecit, vt septem Diacones septem Notariis imminerent: vt gesta Martyrum in integrum colligerent, & multas fabricas per cœmiteria fieri præcepit. Eodem die natiuitas S. Sebastiani de Mediolano, qui intantum carus erat Imperatoribus, Diocletiano, & Maximiano, vt principatum ei primæ cohortis traderẽt, quem Diocletianus, vbi Christianum cognouit, nec à fide posse reuocari, iussit ligari in medio campo quasi signum ad sagittam, & sagittari à militibus, qui cum sagittis plenus, quasi Ericius staret, putantes eum mortuum abierunt. Nocte autem veniens quædam mulier nomine Herene tollere corpus: inuenit eum viuentem, & adduxit in domum suam, & curam eius egit, qui vbi conualuit, multos in fide confortauit. Nec mora ipsis Imperatoribus apparens hos pro vt digni erant, corripuit, tunc iussit eum Diocletianus in Hippodromo palatij duci, & fatigari, donec deficeret, quem mortuum in cloacã maximam miserunt, sed ille apparuit in somnis sanctæ Ma-

D

E

tronæ Lucinæ dicens, *iuxta circum inuenies corpus meum pendens in vnco. Hoc sordes non tetigerunt, & dum leuaueris perduces ad Catacumbas, & sepelies me in Crypta iuxta vestigia Apostolorum*; quod ipsa noctu veniens totum ita compleuit. Eodem die Natiuitas Sanctorum Marij, & Marthæ cum filiis suis Audifax, & * Ambacum Nobilium de Perside, qui ad orationem venerant Romam tempore Claudij Principis, è quibus post toleratos fustes, eculeum, ignes, vngues, manuum pensionem, Martha in Nympha necata, cæteri vero decollati sunt.

* Abachũ

XII. Calend. Romæ natiuitas sanctæ * Agnæ, quæ sub Præfecto Vrbis Symphronio ignibus iniecta, sed his per orationem eius extinctis, gladio percussa est. Et in Hispanis ciuitate Taracona Natiuitas sancti Fructuosi, Episcopi & Martyris, qui scripsit regulam Monachorum. Passio sancti Patrocli Martyris.

* Agnetis.

XI. Calend. In Hispaniis ciuitate Valentia: Passio S. Valerij Episcopi, & Vincentij Diaconi, & Martyris, qui passi sunt sub Daciano Præside. Vincentius enim dum Christi nomen publicè profiteretur, à Diacono iussus est in eculeum extendi, ibique diutissimè torqueri: hinc ad patibulum raptus, imò ex eculeo depositus tortores suos ipse præcurrens mores carnificis arguit, torquetur ibi sanctus Dei Martyr, tunditur, flagellatur, exuritur, & distentis membris crescit ad pœnam. Inprimuntur ardentes pectori laminæ, & liquefacto inter ipsas candentes ferri acies liquore guttarum stridens flamma respergitur, vulnera vulneribus imprimuntur, tormenta tormentis desæuiunt, sales ignibus sparsi crepitantibus * minutis per membra dissiliunt, & iam non ad artus, sed ad ipsa viscera suppliciorum tela iaciuntur. Post hæc in locum obscurissimum ac fragmentis testularum experfum truditur, sed ibi lucis amœnitate & quietis per Angelicum ministerium potitus est: Inde quoque iubente Præside in lectulo asportatus, ad Dominum cum palma Martyrij migrauit. Postea corpus eius in mare mitti præcipitur, sed immissum celerius post fluctus Deo volente ad littus reducitur, quod religiosa quædam vidua nomine Ionica sepulturæ primum tradidit, Christo triumphum eius miraculis probante. Eodem die ad aquas Saluias natiuitas sancti Anastasij Monachi, & Martyris de Perside, qui post plurima tormenta, carceris, verborum & vinculorum, quæ in Cæsarea Palæstinæ perpessus fuerat à Persis postremo in Perside multa pœna affectus, atque ad vltimum decollatus est. A Rege eorum Chosdroe.

F

* f. minutatim.

G

X. Calend. Romæ natiuitas sanctæ Emerentianæ Virginis Christi, & Martyris, quæ erat conlactanea sanctæ * Agnæ, & dum oraret ad sepulchrum eius, ac simul orantes à gẽtilium læsione defenderet, lapidata est ab eis. Eodem die passio celebratur sanctorum Martyrum, Macharij, & Eugenij, qui sub Iuliano Iudice multa tormenta passi sunt, hoc est, craticulam incendii, in qua pix atque oleum superfusa sunt, sed non eos ignis læsit, deinde viperis serpentibus traditi sunt, sed nullo modo ab illis sunt læsi: postea Draconem ingentem orationibus extinxerunt, ad extremum vero martyrio coronati sunt.

* Agnetis.

IX. Calend. Natiuitas sancti Timothei Apostoli, & in Antiochia S. Babylæ Episcopi & trium paruulorum Vrbani, Prilidani, & * Eupolini, qui passus est pro nomine Christi, sub Numeriano Imper. ipse, & pueri eius secum, post alia tormenta capitalem sententiam ferentes.

H

* Epolonii

VIII. Calend. Romæ translatio Pauli Apostoli, & cõuersio in Damasco. Natiuitas S. Gregorii Theologi, & natiuitas Proiecti Martyris.

VII. Calend. S. Polycarpi Episcopi Smyrnæ, qui sub Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, sedente Smyrnæ Proconsule, coniurante in eum omni populo, igni traditus est. Bethlehem ciuitate, sanctæ Paulæ, cuius precationibus annuens B. Hieronymus, plura confecit opuscula.

VI. Calend. In Africa natiuitas * Dati, Iuliani * Vincentiæ, & aliorum * 32. & natiuitas sancti Sulpicii Episcopi, & Confessoris.

* Datiui.
* Vincẽtii
* Viginti-septem.

A

Secūdo. V.Calend. Romæ S. Agnetis virginis* genuinum, hoc est, de natiuitate, Obiit Carolus.

IV.Cal.Romæ natiuitas Papiæ, & Mauri militum tempore Diocletiani, qui videntes constantiam Saturnini, & Sisinnij Martyrum, conuersi sunt ad fidem, statimque iussum est à Laodicio Præfecto Vrbis, vt os eorum, quo Christum confitebantur, cum lapidibus contunderetur, & retruderentur in carcerem vbi baptizati erant à B. Papa Marcello, quos post dies vndecim iussit sterni in terra, & fustibus cædi, donec expirarent. Quorum corpora colligens noctu Ioannes Presbyter sepeliuit via * Nomentana ad nymphas B.Petri, vbi baptizabantur. Scriptum in gestis B.Papæ Marcelli. Treuiris, depositio B. Valerij Episcopi.

Nomentana.

III.Cal.Malbodio Monasterio. Natiuitas* Aldegundæ Virginis, quæ temporibus Dagoberti regis Francorū ex nobili genere progenita, virginitatis propositum elegit. In quo & permansit, sæpiusque illi Angelica visio reuelata fuit, exhortans eam, vt in proposito permaneret: nouissime vero cum magna claritate cœlestis luminis ad vitam migrauit æternam.

Aldegundis.

B

II.Calend. In Alexandria natiuitas * Tarsici, Zotici, & *Amminoni. In Africa Victoris, *Publij, Saturnini.

Tharsicii. *Cyriaci.* *Thyrsi.*

FEBRVARIVS.

Calen. Februarij. In Græcia* Polycarpi Episcopi, & in Rauenna sancti Seueri Episcopi: in Hybernia quoq; natiuitas Brigidæ Virginis, quæ natiuitas magnorum meritorum, & Sanctitatis esse prædicatur.

Ignatii

IV.Nonarum. Purificatio S.Mariæ, quando cum infante Iesu repræsentata est in templo, vbi ipsum Dominū Iesum senex Simeon in vlnas suas accepit, & benedixit. Eodem die natale S. Apronani Commentariensis, qui à Sisinnio Diacono Marcelli Papæ baptizatus, ab Laodicio præfecto capite truncatus est, temporibus Maximiani Augusti. Romæ * Forosimfronij, via Flaminia, milliario ab Vrbe 174. Laurentii & Hippolyti, & natiuitas S. Fortunati. Aurelianis depositio Sicariæ Deo sacratę Virg.

Forosempronii.

III.Nonar. Lugduno depositio B.Lupicini Episcopi. In Sebastia ciuitate Cappadociæ passio sancti Martyris Christi Blasii Episcopi, qui sub Agricolao Præside capite truncatus, cum duobus puerulis filiis vnius mulieris, de illis septem, quæ per prædicationem eius confortatæ, sub eodem Præside martyrizauerunt.

C

II.Nonar. In* foro Simfronii, Natiuitas Gemini, Gelasii, *Mali, *Aquilini, & Donati, Item Donati, Themonii, Gelasii.

Forosempronii. *Magni.* *Aquili.*

Nonis Februarii, in Patris ciuitate ordinatio Episcopatus Andreæ Apostoli, & in Sicilia Vrbe * Cathena passio sanctæ Agathæ Virginis, quæ sub Quinciano Consule tempore Diocletiani martyrizauit; Hæc post alapas, & carcerem, post equuleum, & torsiones, post mamillarum abscissionem, sed à Domino sanationem, post volutationem in testulis, & carbonibus, tandem in carcere consummata est. Et in Vienna Depositio Auiti Episcopi.

Catana

VIII. Iduum. Romæ via Appia in eiusdem cœmiterio passio S.Sotheris Virginis. In Cæsarea Cappadociæ passio S.Dorotheæ virginis, & Theophili sub Apricio Præfecto, quæ cum duabus sororib. id est, Christe & Calliste, quæ à fide nuper apostatabant vitæ doloribus, cōmendata est, vt eam auerterent à Christo, eas iterum cōuertit ad Christum, ita vt in cuppam missæ per Præfectum incensæ ad Martyrii palmam peruenerint: postea vero Dorothea ducta ad locum pœnarum, vbi & passa est, cum à Theophilo quodam scholastico derideretur, quod ad Paradisum vadens à Sponso suo Christo, & poma, & rosas florentes sibi mitteret, hoc citius impetrauit, quod cum vidisset Theophilus, mox Christum confessus est verum Deum, & martyrizauit sub eodem Præfecto capite plexus. In Gallia ciuitate * Aderato, depositio S. Vedasti Episcopi, & Confess. & in Ellone monasterio depositio S. Amandi Episcopi, & Confessoris.

D

Atrebato.

VII.Iduum. In Britannis in ciuitate Augusta, natiuitas Auguli Episcopi, & Martyris.

E

VI.Id. Romæ depositio S.Pauli Episcopi & Iulii Papę.

V.Iduum. * Sueuo apud Cyprum natale Alexandri, Ammonis, item Ammonis, & aliorum. XXXVII.

Soli.

IV.Iduum. In Campania natiuitas S. Syluiani Episcopi, & Confessoris, & in Bethleem ciuitate Iudææ sub Herode Rege passio Sanctorum Andreæ & Apponii, & Sanctonis ciuitate depositio S.Troiani Episcopi, & Confessoris, & Baldegundis Abbatis. Romæ, Zotici, * Herenei, Iacinthi, & Amantii. Eodem die depositio S. Scholasticæ Virginis, & Sanctimonialis fœminæ, cuius animam frater eius S. Benedictus vidit in columbæ specie cœlos petere, quod fratribus matutinorum hymnis expletis intimauit, & Deo gratias inde retulit.

Irenei, Hyacinthi.

III.Iduum. Romæ* Calocerii, & Parthenii.

Caloceri

II.Iduum Feb. In Africa passio Damiani militis, infantum Modesti, & * Ammonis, * Sotici, & depositio Simplicii Episcopi & Confessoris.

Ammonii. *Zotici.*

Idibus Februarii. Lugduno depositio beati Stephani Episcopi.

F

XVI.Cal.Mart. Romæ natiuitas S. Valentini Presbyteri, qui post multa sanitatum, & doctrinæ insignia fustibus cæsus, & sic decollatus est, sub Claudio Cæsare. Eodē die natiuitas S.Valentini Interamnensis Episcopi, qui tētus à Paganis, ac virgis cæsus, & post diuturnam cædē custodiæ mancipatus cum superari non posset, medio noctis silentio eiectus de carcere, decollatus est, iussu furiosi Placidi Præfecti vrbis, tunc Proculus, * Efybus, & Apollonius discipuli eius transferentes corpus ad suam Ecclesiam, Interamnæ vrbis, noctu sepelierunt: vbi cum quotidianis vigiliis incubarent, tenti à gentilibus custodiæ sunt traditi Consulari Leontio: quos ille iussit noctis medio suis tribunalibus præsentari, & cum à fide reuocari, nec blandimentis, nec minis possent, iussit capite cædi, qui nōn longe sunt à capite S. Valentini sepulti.

Ephebus

XV.Cal. In Antiochia natiuitas Iosephi Diaconi, Zenonis Interamnæ, natiuitas S.* Agapæ Virginis, Saturnini, * Castulæ.

Agapis. *Castuli.*

XIV.Cal. S.Onesimi Apostoli, & in Cumis, natiuitas S.Iulianæ virginis, quæ tempore Maximiani Imp. primo à suo Patre Africano cæsa, & grauiter cruciata, dein & à Præfecto* Eulesio, quem sponsum habuerat, nuda virgis cæsa, & à capillis suspensa, & plumbo solum à capite perfusa, & rursum in carcerem recepta, vbi palam cum Diabolo conflixit, & rursus euocata, rotarum tormenta, flāmas ignium, ollam feruentem superauit, ac decollatione capitis martyrium consummauit; quę passa est quidem in Nicomedia: sed post paucum tempus Deo disponente in Campaniam translata.

Euilasio

G

XIII.Calend. In Babylonia natiuitas * Polocronij Episcopi eiusdem ciuitatis, qui præsente Decio persecutore os lapidibus cæsus, manibus extensis, oculos ad cœlos eleuans emisit spiritum. Scriptum in passione S.Laurentii.

Polychronii.

XII. Cal. In Nicomedia natale Pantaleontis Martyris, qui sub Maximiano Imperatore martyrium suum impleuit. Hic* Eustorio patre editus, & ab* Ermolao Presbytero fide imbutus antequam baptizaretur, puerum à serpente obligatum liberauit, & serpentem oratione interfecit. Post baptismum vero cæcum illuminauit, patrē suum* Eustorium ad fidem conuertit, & multa miracula in nomine Christi perpetrauit. Propter quod iussit Maximianus eum in eculeo suspendi, & lampadas ad latera eius suspendi, sed flammæ earum subito extinctæ sunt, postea missus est in sartaginem ignis, vt ibidem plumbo liquefacto exureretur, sed per Christi virtutem frigefecēte ardore in nullo læsus est. Postea in mare missus, sed inde sanus ad litus perductus est. Dehinc feris est traditus, sed à nulla earum contaminatus, ad extremum vero capite cæsus est, sed percussores ipsius reliquias corporis eius tulerunt, & honorifice sepelierunt. Presbyter vero* Ermolaus cū duobus germanis suis, hoc est * Erinippo, & Ermodito decollatus est, & à Christianis sepultus.

Eustorgio. *Hermolao.* *Eustorgium.*

H

Hermolaum. *Hermippo & Hermocrate.*

XI.Cal. Natiuitas Sanctorum in Africa, Publii, Iuliani, Marulu. Item Iuliani, Marcelli, Tuli, Lampasii, Mauri, & Iuliani.

X.Cal.

A

† Potamij & Nemesij. † Veruli. † Syricii.

X. Cal. Romæ natiuitas Gai Episcopi, & in Cypro natiuitas † Potamiæ, Nemersi, & Didymi, & alibi Victoris martyrium, & Coronæ, & aliorum XX.

IX. Calend. In Africa natiuitas Sanctorum † Veroli, Secundi, Secundini, Sitici, Felicis, Saturnini, Fortunati, & aliorum XVI. & depositio Eucherii Episcopi, & Confessoris.

VIII. Calend. Cathedra S. Petri, quam sedit apud Antiochiam, vbi & primum cognominati sunt discipuli Christiani, & in Nicomedia natiuitas Teclæ virginis, discipulæ S. Pauli Apostoli, quæ sub Nerone Imperatore pro Christi nomine igni est tradita, sed non exusta: postea bestiis, atque serpentibus deputata, sed à nullo eorum est læsa. Ad extremum vero in Seleucia, cum Virginitatis martyrio, atque virtutum honore per somnum pacis migrauit ad Dominum. Romæ via Tyburtina ad S. Laurentium, Natiuitas sanctæ Concordiæ, quam Deciana persecutio trucidauit.

† Sireni.

B

VII. Calend. in Pannoniis natiuitas Sanctorum † Seneroti, Antigonii, Rotuli, Libi & in Asia Polycarpi cum aliis XII.

VI. Cal. In Palæstina Matthiæ Apostoli, qui de septuaginta discipulis pro Iuda traditore in Apostolatum electus, in Iudæa Euangelium prædicauit.

† Herena.

V. Calend. In Africa natiuitas Sanctorum Donati, Iusti, Rotuli, † Herenei, Pisionis, Pamphili. Natiuitas Nestoris & Castæ.

IV. Calend. In Alexandria natiuitas Sanctorum: Alexandri, Nestoris, Theonis, Opionis, Iusti, Donatiui, Ampliari, Ingenii.

† Antigoni. † Abūdii. † Carealis, Pupuli, Caii.

III. Calend. In Thessalonica natiuitas Sanctorum Alexandri, † Androgoni, † Abundantii. In Africa Dionysii, & aliorum XXIV.

II. Calen. In Alexandria Sanctorum † Celeris, Pupilli, Ligici, Serapionis.

MARTIVS.

C

† Lucii, Absaloni, & Lorgii. † Secundillæ.

Calend. Martii Andegauis depositio sancti Albini Episcopi.

VI. Nouem. Natiuitas Sanctorum † Iorgi, Hergli, Absaloni. In Cæsarea Cappadociæ Lucæ Episcopi, Primitiui, & in portu Romano Pauli, † Secundolæ, Ianuariæ.

V. Nonar. Natiuitas Felicis, Lucioli, Iusti, Fortunati, Martiæ, Herotis, Antigonii, Ianuarii, Tultellæ, Gabiani, Quiriuli, Marini, Item Felicis, Floriani, Donati.

IV. Nonas. Romæ depositio Iuli Episcopi & Nicomediæ passio Sanctorum Adriani cum aliis numero XXXIII.

III. Nonar. Romæ Lucii Papæ, & Martyris. Hic in exilium propter fidem Christi trusus est, & postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reuersus est, qui etiam à Valeriano Imperatore capite truncatus est, & sepultus in cœmiterio Callisti via Appia.

II. Nonas Martii depositio S. Quiriaci Presbyteri.

Nonis. Apud Carthaginem, Perpetuæ, & Felicitatis, quæ bestiis sunt deputatæ sub Seuero Principe, & cum Felicitas parturiret in carcere, omnium militum, qui simul patiebantur, precibus impetratū est, vt octauo mense pareret. Iam verò Perpetuæ inter alia concessum est, vt eius mēs quodammodo auerteretur à corpore, in quo vaccæ impetum pertulit, ita vt adhuc futurum expectaret, quod in se iam gestum esse nesciret.

D

† Quintilis. † Beatæ. † Vrbani. † Mamilli.

VIII. Idus Martii. In Nicomedia † Quintili Episcopi, & Capitulini. In Africa Rogati, Felicis, item Rogati † Beretnæ, Herenæ, Felicitatis, † Orbani, Cyrilli Episcopi, Siluani, & † Manili.

VII. Idus. In Sebaste Armenia minore XL. militum tempore Licinii Regis sub præside Agricolao, qui post vincula, & carceres creberrimos, post cæsas lapidibus facies, missi sunt in stagnum, vbi gelu constricta corpora eorum nocte disrumpebantur, & mane crurifragio martyrium consummarunt. Deinde corpora eorum combusta, & in fluuio proiecta, sed diuina dispensatione reliquiæ eorum integræ sunt repertę, & honore digno conditæ. Erant autem nobiliores inter eos, † Quirinion, & Candidus.

E

† Cyrion. † Agapes. † Heraclis Candidi & Piperionis.

VI. Idus. In Antiochia † Agapæ Virginis, & Marianæ. Smyrnæ Phronis. In Nicomedia Palatini, Firmiani, & Rustici. In Alexandria † Eracli, Zosimi, Alexandri, & † Gaiperii.

V. Idus. In Sebastia ciuitate, natiuitas Martyrum XL. qui temporibus Licinii Imperatoris, & Agricolai Præsidis, & Lysiæ Ducis pro nomine Christi Martyrium passi sunt, quos Agricolaus præses cum ad culturam Deorum conuertere non posset, lapidibus obrui præcepit. Sed lapidatores eorum alterutrum secum lapidibus cædebant, nec martyres nocere poterant. Dux vero Lysias exardescens ira tulit lapidem vt percuteret aliquem sanctorum, sed miro Dei nutu ipse lapis in faciem peruenit Præsidis, quos in stagnum gelatum glacie præses misit, sed Dei voluntate ipsum frigus temperatum est, & glacies dissoluta, aqua calida facta est, vnus autem de ipsis XL. pœnarū timore perterritus ad balneum refugit, sed mox vt attigit calorem resolutus est, & sic reddidit animam, in cuius locum clauicularius, qui sanctos Martyres custodiebat credens Christo substitutus est, videns coronam de cœlo descendere super singulos, qui in confessione perstiterant, Tyrannus vero repletus ira, iussit eos duci ad littus, & baculis eorum crura confringi, & item in mare proiici: sed Deo volente martyrum reliquiæ in aquæ profundo religiosis viris reuelatæ sunt, & inde ablatæ, & in loculis honeste conditæ sunt.

F

IV. Idus. Romæ depositio S. Gregorii Papæ, qui in lege Dei luculentissimus Doctor extitit, & gentem Anglorum per Augustinum, & Mellitum atque Ioannem seruos Dei ad fidem conuertit.

III. Idus. In Nicomedia, natiuitas Macedonii Presbyteri, & Patriciæ vxoris eius, & filiæ Modestæ. In Nicæa Theusetæ, & Horis filij eius. Theodoræ. Hi omnes igni concremati sunt. Iulij Episcopi, Alexandri.

II. Idus. In Carthagine natiuitas sanctorum Donati, Effrosij, Fronimi, in Nicomedia natale Felicissimi, Frontinæ.

G

Id. Martij. In Cappadocia passio S. Longlui Martyris, de quo in libello Martyrij eius narratur, quod aliquando militans sub Centurione Romano, in passione Domini latus eius cum lancea in cruce aperiret, & viso terræmotu, & signis quæ fiebant, crediderit in Christum pœnitētiam agens de operibus suis pristinis, postea Monachus factus per XXX. & IV. annos Christo militauit, multos conuertens ad fidem Dei, ad extremum vero martyrizauit in Cappadocia sub Octauio Præside, quem propter infidelitatem suam diuino iudicio percussum corporea cæcitate post martyrium suum illuminauit.

XVII. Cal. Aprilis natalis sancti Cyriaci, qui post longam carceris macerationem quam à Maximiano pertulit, cum Sisinnio Condiacono suo, & Smaragdo, & Largo post multa facta miracula, in quibus filiam Diocletiani Artemiam ipsius rogatu à Dæmonio curauit ac baptizauit, filiam quoq; Saporis Regis Persarum Iobiam, missus illuc à Diocletiano pro hoc, æque à Dæmonio liberauit, ac baptizauit eum ipso Rege, & aliis quadringentis triginta, & rediens Romam post mortem Diocletiani tentus est inter alios Christianos à † filio eius Maximiano, & in custodiam missus, eo quod sororem suam Christianā fecisset, deinde præcepit vt die processionis suæ nudus catenis obligatus ante rhedam eius traheretur, & post hoc eductus est de carcere cum sociis Largo, & Smaragdo & Crescentiano per Carpasium Vicarium, & pice reliquata, caput eius perfusum est. Et rursus post dies quatuor denuo de carcere in catasta extentus ac tractus neruis, & fustibus cæsus, post † dies iubente Maximiano capite truncatus est, cum Largo, & Smaragdo, & aliis XX. scriptum in gestis Marcelli Papæ. Ipso tempore Maximiani Deus interfecit sororem suam Artemiam.

H

† Hæc quomodo sibi constent, vide Baronij in Annalib.

† f. duos vel tres.

XVI. Cal. In Scotia natalis Patricij Episcopi, qui in Hybernia Insula Scotis primum prædicauit nomen Domini nostri Iesu Christi, & natalis Mariæ Martyris. Hæc quoque cum esset ancilla, cuiusdam Tertulli præclari viri, & nollet

A nollet in natali filij eius prandiis Domini sui interesse, sed
magis Christianorum more ieiuniis operam dare, flagel-
lis atrocibus ab eodem Domino suo lacerata est, sed cum
non posset ab instantia per hoc seruitij Christi ad Idolo-
rum cultum reuocari, iudici publico ad poniendum tra-
dita est. Vbi dum carnifices eam incendio tradere voluis-
sent, propter preces populi data est ei inducia trium die-
rum, triduo ergo completo cum iterum puniri deberet,
mirabiliter Domini misericordia erepta est. Nam cum o-
rationem ad Dominum fudisset, vnde petra ingens, quæ
ante eam fuerat, per medium scissa illam in se recipiebat,
& vndique concludens hostium furori restitit. Ad quam
populus concurrens cum vellet secundum iussum Prin-
cipis ipsum lapidem destruere, fulmine ac tonitru cœli-
tus emisso, plurimi eorum interierunt, ita vt duo millia,
& septingenti ex ipsis diuino iudicio extincti fuerint,
pauci vero qui remanserant, conuersi ad Dominum in
Christiana religione permanserunt.
XV. Cal. in Alexandria natalis Colestici, & in Nico-
media Aprilis, & Seruuli, & in Lucania Quinti, & Inge-
B nui, & Rogatæ, & in Mauritania Timothei.
* Spole- XIV. Cal. in *Spolitana ciuitate natiuitas Ioannis Cō-
tana. fessoris, qui peregrinus de Sicilia illuc venit, & in subur-
bano eius ædificauit monasterium, & habitauit ibi XIV.
annis, vbi & requieuit in pace.
XIII. Calend. in Britannia S. Chudberti Episcopi, qui
vitam plenam virtutibus ducens tandem Anachoreta di-
em vltimum clausit, cuius corpusculum post XI. annos
de sepultura leuatum, inuentum est integrum, cum ve-
stitu, quo indutus fuerat, ac si ipsa die in monumentum
positum fuisset.
XII. Calen. S. Benedicti Abbatis, qui regulam scripsit
Monachorum cum magna discretione. eodem die in A-
lexandria depositio Serapionis Monachi.
* Narbo- XI. Calend. in *Arbona ciuitate natalis Pauli Confes-
na. soris. In Africa Saturnini, & aliorum IX. In Sebastia De-
croni, & Antonis.
X. Cal. in Africa natalis Fidelis & aliorum XX.
* Sileuci. IX. Cal. in Syria Natale * Seleucis, & in Africa Agabi.
VIII. Calen Annunciatio incarnationis Dominicæ, &
C Hierosolyma Dominus noster Iesus Christus crucifixus
est, & passio S. Iacobi fratris Domini, qui in Paschæ so-
lennitate Iudæis Christum testificans de templi est cul-
mine præcipitatus, ac fullonis vecte percussus. Et in Ni-
comedia natale Dulæ ancillæ militis, quæ pro castitate
* Quirini occisa est. Et Romæ *Cyrini qui interfectus à Claudio, &
in tyberim iactatus, in insula Lycaoniæ inuentus, &
in cœmiterio Pontiani conditus est. Scriptum est in pas-
sione S. Valentini.
VII. Cal. in Syrmio Montani Presbyteri, Maximæ v-
xoris eius. Romæ via Lauicana natale S. Castuli Martyris.
VI. Calend. Hierosolyma resurrectio Domini nostri
Iesu Christi.
V. Calend. in Africa natale Rogati, Successi, & in Cæ-
* forte sarea * Mare depositio sancti Dagolaphi, & in Africa a-
Mauri- liorum XVI.
tania. IV. Calen. in ciuitate Pisana natale S. Torpetis Marty-
ris, quem Nero Imperat. iussit magnam Dianam matrem
Deorum adorare, quod ipse renuens repletus Spiritu
sancto, & dixit: *Melius est vnum Deum adorare, qui fecit cœlum*
D *& terram, & omnia quæ in eis sunt, quam plures Deos colere, hoc
est, Dæmones.* Exiens sanctus Torpes de palatio multum
infra se cogitans dixit, *quid faciam idolis seruiendo & baptis-
mum salutis non accipio?* Tunc ascendit in montem, & cla-
mare cœpit dicens: *Pater Antoni vbi es?* Respondit Presby-
ter Antonius & dixit: *Et quis es tu fili?* Sanctus Torpes di-
xit: *Ego sum seruus tuus Torpes:* Tunc Antonius baptizauit
eum in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Tunc sta-
tim Angelus Domini apparuit sancto Torpeti, & dixit
ei: *Fortis esto animo, quia tu nobiscum eris in paradiso*, postea
Nero perrexit Romam & Satellico cognato suo præce-
pit sanctum Torpetem in carcerem recipi, & alapis cædi,
& ad columnam habentinam nudo corpore religari, &
dum sanctus Torpes complesset orationem, cecidit illa
columna, & oppressit ex impiis quinquaginta, & ipse Sa-
tellicus sub ea mortuus est. Tunc filius Satellici nomine E
Siluinus dum hæc ita agerentur, iussit vt leo eum ad de-
uorandum dimitteretur: qui subito dimissus dans tugi-
tum super eum, & eadem hora mortuus est, & iterum di-
missus est leopardus, & ipse flectens caput lingebat plan-
tas eius. Tunc præcepit Siluinus ministris, vt ad mare
duceretur, & ibidem decollaretur. Sanctus vero Torpes
spem habens ad Dominum ita orauit: *Domine suscipe spiri-
tum meum*, & sic à carnifice decollatus est: Eodem die pas-
sio Achacij.
III. Calen. Natale Domini Philippopoli, & Iacaici, &
depositio Austasij Abbatis & Nicæi Episcopi.
II. Calen. in Africa Natale *Anisi & depositio Ambro- * Anesii.
sij Episcopi, & Natale VII. virginum; quarum nomina
Deus scit.

APRILIS.

Calendis Aprilis. In Thessalonica natale Agapis &
Chioniæ sub Diocletiano, quæ primo in carcere macera- F
tæ, post in ignem missæ sunt, sed intactæ à flammis post
orationem ad Dominum fusam animas reddiderunt.
IV. Nonas Aprilis. in Africa Amphiani, Victoris, & a-
liorum XIV. & alibi Marcellini, Saturni, Quiriaci, Re-
ginæ, Proculæ, & aliorum IV.
III. Nonas Aprilis. Natale Theodosiæ Virginis, quæ
passa est temporibus Imperatorum Diocletiani, & Ma-
ximiani in ciuitate Cæsarea sub Vrbano Præfecto: Nam
hæc cum relictis parentibus confugisset ad carcerem, v-
bi Christi Confessores clausi erant, tenta est à militibus,
& ducta ad tribunal Iudicis Vrbani, quæ coram ipso a-
stans, nec adulationibus eius est decepta, nec minis terri-
ta, sed sapientia Dei repleta falsos Deos gentilium dispu-
tando coram Præside confutabat. Vnde & à Tyranno
neruis ligata. & flagellis cæsa non potuit vinci, postea ei
adhibita sunt varia tormenta, hoc est sartagines ignitæ,
leones, & bestiæ, ex quibus nullam maculam passa est.
Deinde in mare demersa, sed per Dei auxilium citius in-
de liberata, nouissimè gladio capite abscisso obdormiuit
in pace, & completum Martyrium suum, honorifice à
Christianis sepulturæ tradita. G
II. Nonas Mediolano depositio B. Ambrosii Episcopi,
& Confessoris, cuius vita, & doctrina insignis prædica-
tur in Ecclesia.
Nonis: in Thessalonica natalis *Hyrenis, quæ post to- * Irenes.
lerantiam carceris inter orationes sagitta percussa est à
Sisinnio comite, sub quo & sorores eius Agape, & Chio-
nia martyrizauerunt, quæ à prædicto præfecto licet in i-
gnem mitterentur, tamen illæsæ ab eo, exorantes Domi-
num, Spiritum reddiderunt.
VIII. Iduum. in Syrmio natale † Hyrenei Episcopi eius- † Irenei.
dem loci.
VII. Idus. in Alexandria natale † Pelosi Presbyteri, & † Pelusii
in Nicomedia natalis Cyriaci cum alijs X.
VI. In Africa natalis Ianuarij, † Macharij, & Maximæ, † Maca-
& in Carthagine Concessæ. ria.
V. Idus. in Syrmio natalis VII. Virginum quæ in vnum
meruerunt coronari.
IV. Ezechielis Prophetæ.
III. Id. Romæ Leonis Papæ, qui quadragesimus septi-
mus post B. Petrum Apostolum, sedit in Episcopatu an- H
nis XXXI. Hic † inuenit hæreses duas, & missa legatione † forte e-
ad Marcianum principem Catholicũ, congregata Syno- uertit.
do ducentorum quinquaginta, & sex Episcoporum in
Chalcedone, in Martyrio S. Eufemiæ martyris exposue-
runt iuxta fidem Catholicam duas naturas in vno Chri-
sto Domino, hoc est diuinam, & humanam, & condēna-
uerunt † Euthicium, & Nestorium hæreticos. † Eutychē
II. Idus. Romæ Episcopi Iulij Papæ, & Confessoris,
qui sub Constantio Arriano, filio Constantini, 10. men-
sibus tribulationes, & exilia passus: post eius mortem cũ
magna gloria ad sedem suam reuersus est: & eodem die,
ciuitate Verona, passio S. Zenonis Martyris, de quo B.
Gregorius refert in libris Dialogorum, quod † Atisin flu- † Athesis.
uius inundans in Ecclesia, vbi corpus eius iacebat hu-
matum,

A maium, vsque ad superiores tecti fenestras excreuerit, sed intra Ecclesiam vbi fuerat congregata fidelium turba intrare non poterat.

Idib. Aprilis. In ciuitate Chalcedonia natalis Eufemię, & Romæ in cœmiterio translatio Ianuarij martyris.

XVIII. Cal. Maij. Romæ Tyburtij & Valeriani, & Maximi, sub Almachio vrbis Præfecto, quorum primi fustibus cæsi, & gladio sunt percussi, vltimus tam diu plumbatis verberatus donec spiritum redderet. Eodem die in Nitria Frontonis Monachi, qui LXX. monachos in eremum secum adduxit, vt sequestrati ab hominibus diuinę contemplationi vacarent: sed cum essent ibi, Diabolo instigante, ipsi Monachi contra Abbatem suum murmurauerunt, quod non possent præ fame in eremo habitare, sed consolans eos Abbas suus, à Domino ipsis promisit solatium, quod & ita euenit. Nam Dominus per visionē Angelicam quendam diuitem corripuit, quod ipse in delicijs viuens, seruis suis in eremo habitantibus alimentū non præberet: qui cum non sciret, vbi illi habitarent, cōsilio accepto LXX. camelos onerabat alimentis, & dimi-
B sit illos, quo Dominus eos vellet perducere. At illi à Domino suo dimissi, pergebant in solitudinem vbi serui Dei habitabant, & eis alimenta satis portabant. Sed sanctus Fronto hoc videns, cauens auaritiam noluit omnia accipere, sed medietatē tulit: alteram vero medietatem super camelos positam remisit ad Dominum suum, qui sani ad proprium Dominum reuersi sunt. Ex illo igitur anno vsque ad vitam Frontonis misit diues ipse norato tempore, quo *anno miserat escas necessarias fratribus dirigebat: *f. antè alijs sic diuitib. Dominus imperabat, & ex omnib. dapibus irrigati, nihil Dei serui cum S. Frontone minus habebant, vigilabant hi operibus Dei; filij cum patre, spiritualib. eos admonens dapibus, adimplebat quotidie sermone cælesti, exultans lætabatur in Domino, qui sibi talem dederat intellectū, vt auitæ solitudinis loca quæsiuisset.

XVII. Cal. in ciuitate Corduba. Natale Olympiadis, & Maximi nobilium, qui iubente Decio fustibus cæsi, & deinde plumbatis, ad vltimum capita eorum securibus tunsa, donec emitterent spiritum.

XVI. Cal. in Achaia Corintho ciuitate, sanctorū Cal-
C listi, *Carisii, Leonidis, Christianæ, Callæ, Theodoræ, & *Charisii aliorum plurimorum sanctorum.

XV. Cal. in Antiochia natalis Petri Diaconi, & Hermogenis, & in Africa Fortunati, & Marciani.

XIV. Cal. Natalis Eleutherij Episcopi & Martyris, & Antiæ matris eius. Hic Eleutherius in Aquileia Episcopus ordinatur, sub Adriano Imperatore Romæ passus est.
*Corebū. Hic primum Felicem, & *Correuum comites conuertit
*Corebus ad fidem Christi, pro quo ipse *Correuus passus est percussus gladio. Nam Eleutherius primo vicit lectum ferreum, deinde craticulam, & ignem suppositum, postea sartaginem cum pice, & adipe feruente. Dehinc bestias mitigauit, ad extremum vero decollatus est cum Antia matre eius, & sic martyrium finiuit.

XIII. Calend. in Africa Calafrani Abbatis, & Hermo-
*Cauco-liberis genis, & Expeditj, & in Hispaniis in *Calcoliueris, Vincentij.

XII. Cal. Romæ Aniceti Papæ, & Martyris, qui cōstituit in Ecclesia, vt Clerus comam non nutriret, & sepultus est in cœmiterio Callisti.

D XI. Cal. in Asia natiuitas Maximini martyris, qui tempore Decij Imper. oblatus est Proconsuli nomine Optimo, qui cum a ben tormentis cogeretur ad sacrificandum Idolis, & nollet, diu in equuleo tortus, ad extremum lapidibus oppressus est.

X. Cal. Romæ depositio S. Gaij Papæ, qui cum Ecclesiam XI. annos menses IV. dies XII. rexisset, martyrio co-
*Gabino. ronatur, sub Diocletiano Principe cum *Gabinio fratre.
*Heli- Eodem die in Corduba ciuitate natiuitas Parmenij, *He-
mena. lymæ, & Chrysoteli Presbyterorum, & Lucæ, & Mucij Diaconorū de Babylonia, quorum primus præcisa ēt lingua loquebatur: omnes in equuleo suspensi, & nexib. artati sunt: deinde laminis ardentib. circū latera appositis, vstulati, & vngulis lacerati: ad vltimum gladio trucidati sunt: præsente persecutore Decio: in passione Laurentij.

E IX. Cal. Maij: Natiuitas S. Georgij Martyris, qui sub Daciano Rege Persarum potentissimo, qui dominabatur super LXX. Reges multis miraculis claruit, plurimosque conuertit ad fidem Christi, simul & Alexandram vxorē ipsius Daciani vsque ad martyrium confortauit: ipse vero nouissime decollatus, martyrium expleuit, *cuius vitam, & passionem scriptam legi. *Vide Baronium in Martyrolog. 23. Aprilis.

VIII. Calen. Depositio Melliti Episcopi in Britannia, hac die Ananias, Azarias, Misahel de camino ignis ardentis sunt liberati.

VII. Calend. Natiuitas Sancti Marci Euangelistæ in Alexandria, qui constitutis, & confortatis Ecclesiis per Lybiam, Armaricam, Ammoniacam, Pentapolin, Alexādriam, atque Ægyptum vniuersam: Ad vltimum tentus est à paganis, qui remanserant Alexandriæ, qui videntes eum die sancto Paschæ, VIII. Calend. Maij, Missas facientem, miserunt funem in collo eius, & trahebant eum ad loca buculi, quæ erant iuxta mare sub rupibus, vbi erat Ecclesia constructa: & defluebant carnes eius in terram, ac saxa inficiebantur sanguine: Vespere autem facto,
F miserunt eum in carcerem; vbi circa mediam noctem, primò Angelica visitatione confortatus est, deinde ipso Domino sibi apparente ad cælestia regna vocatus, ac mane cum traheretur ad loca buculi gratias agens, & dicens: *Domine in manus tuas commendo spiritum meum*, defunctus est, & à viris religiosis sepultus, in loco lapidis exciti, cum gloria, ordinauerat autem pro se Alexandrię Episcopum, Annianum, aliis quoque longe, lateque Ecclesiis Episcopos, presbyteros & Diaconos dederat: Eodem die Romæ Letania maior ad Sanctum Petrum. Natale sancti Maximi martyris, qui temporibus Decij comprehensus est in Asia, & oblatus est Proconsuli, qui iussit eum in equuleo suspendi, & diuersis supplicijs torqueri, si magnæ Dianæ non sacrificaret, & ob hoc quia eam non credere, iussit eum capitalem subire sententiam, hoc est in VI. Calend. Maij.

VI. Calen. Depositio Sancti Marcellini Papæ, qui cum Ecclesiam IX. annos, & menses IV. rexisset, & temporibus Diocletiani, & Maximiani: ab eodem Diocletiano pro fide Christi cum Claudio, & Cyrino & Antonino capite truncatus est, & post dies XXXV. sepultus via Sa- G
laria in cubiculo à Marcello Presbytero, & Diaconibus, cum hymnis, VI. Calend. Maias.

V. Cal. Natiuitas Anastasij Papæ, qui post B. Petrum quadragesimus primus sedit. Hic Manichæos in vrbe Roma inueniens damnauit, & constitutum fecit, vt nullus transmarinus in Clericatum susciperetur, nisi quinq; Episcoporum designaret chirographum.

IV. Cal. Sancti Vitalis, qui fuit pater sanctorum Martyrum Geruasii, & Protasii, hic ergo cum fuisset militans Consularis, & cum fuisset cum Paulino Iudice suo, Rauennam ingressus est, & cum videret in conspectu Iudicis sui, Christianum nomine Vrsicinum arte medicū natione Ligurium, post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam, Locus autem vbi decollabantur Christiani, hoc habebat vocabulum, vt diceretur ad Palmam, eo quod arbores antiquæ palmæ illic essent. Ille igitur vt diximus post nimia tormenta decollandus, cum venisset ad Palmam, expauit, & dum vellet malo euadere, excla- H
mauit voce magna Vitalis dicens: *Noli noli Vrsicine Medice, qui alios curare consueuisti, teipsum æterna mortis iaculo vulnerare vis! & qui per passiones nimias venisti ad pugnam, coronam perdere vis à Domino tibi præparatam?* Audiens hæc Vrsicinus genu posuit, & spiculatorem vt feriret hortabatur, agens pœnitentiam, quod expauisset, Christi martyrem se fecit; Eodem die natalis sancti Christophori Martyris.

III. Calend. Romæ passio Cleti Papæ, qui tertius post Petrum Romanæ Vrbis Episcopatum annos XII. habuit, & ibidem martyrio coronatus est, sub Domitiano Imper.

II. Calend. In Alexandria Natalis Afrodisij Presbyteri, & aliorum XXX. Et Romæ depositio Quirini Episcopi.

A

M A I V S.

Calendis Maij. Hieremiæ Prophetæ, & in Hierapoli Philippi Apost.* qui Hebionitarum hæresin extinxit, & quieuit in pace. Passio S. Iacobi Apostoli in Hierosolyma, quem Scribæ & Pharisæi posuerunt super pinnam templi, sed cum ita agerent, & viderent omnes gratulari in prædicatione eius, præcipitauerunt eum ex alto, & corruens nihil læsus, sed magis prædicabat, tunc iratus quidam ex Pharisæis pertica fullonis cæcidit fortiter in caput eius, & euertit cerebrum, & in Hierosolyma passio S. Iudæ, siue Quiriaci Episcopi, cui reuelatum est lignum dominicæ Crucis. Eodem die in Acaurio passio sancti Sigismundi Regis.

** Vide Baronii in Martyrologio.*

VI. Nonas. Sancti Patris nostri Athanasij Episcopi Alexandrini.

V. Nonas. In Hierosolyma inuentio S. Crucis ab Helena Regina post passionem Domini anno 233. regnante Constantino Imperatore, filio ipsius Helenæ. Romæ Alexandri Papæ, & Euentij, & Theodoli Presbyterorum, quorum primus post vincula, carceres, equuleum, virgulas, & ignes, punctis crebertimis per tota membra peremptus est: sequentes & ipsi post longam carceris sustinentiam ignibus examinati, & ad vltimum decollati sunt ab Aureliano Iudice tempore Traiani Principis. Eodem die depositio S. Philippi Confessoris.

B

IV. Nonas. Passio S. Floriani martyris tempore Diocletiani, & Maximiani Imperatorum sæuiente iniquissimo Præside Aquilino apud * Nutricum ripensem, qui cū se videret superatum à Floriano, iussit eum capitalem subire sententiam, & duci ad fluuium * Aneso, & ibi præcipitari eum de ponte.

**Noricū ripense. * Anisum*

III. Nonas. In Arelato depositio S. Hilarij Episcopi, qui Pelagianam hæresin in collatoribus deprehendit, & corrigere studuit. Antisiodoro eodem die passio S. Iouiani Lectoris, & Martyris.

II. Nonas. Passio beatorum Martyrum Mariani, & Iacobi, & aliorū qui cum iis pro nomine Christi passi sunt. Nam per reuelationē eis Dominus præsignauit qualiter vitam præsentem per gloriam martyrij finire deberēt. Sicut in martyrio eorum scriptum continetur.

C

Nonis. In Nicomedia natalis Flauij Episcopi, & Frodisii, Macrobii, Augustini Episcopi, & in Constantinopoli Achaici, Augustoduno depositio beati Placiti Presbyteri.

VIII. Idus. Natalis S. Victoris Martyris in ciuitate Mediolanensi sub Maximiano Imperatore. Nam idem Imperator iussit Beatum Victorem, qui erat Maurus genere, militis officio functus, propter fidem Christi, & confessionem multis modis cruciari, hoc est carcere includi, vbi dies sex mansit, sine cibo, & potu, postea fecit eum fustibus & flagellis frequentibus cædi. Deinde plumbo liquato corpus eius perfundi: sed statim Angelus Domini affuit, & plumbum ita frigidum fecit, sicut aquam de fonte leuatam, & non est combustum corpus eius in vlla parte. Nouissime vero cum nullo modo ad Idolorū culturam conuertere potuit, sed Victor in fide Christi perseuerans vbique victoriam habuit: Iussit prædictus Tyrannus caput eius abscindi, quod sanctus Maternus Episcopus audiens factum, collegit corpus eius, & in prædicta ciuitate cum honore sepeliuit.

D

VII. Idus in Axiopoli natalis Quirilli, Gindei, & Genonis, & in Tharso Ciliciæ Aphrodisii, & Romæ natale S. Beati Confessoris.

VI. Idus Sanctorum Falroni, Pilioni & aliorum Martyrum. Romæ Calepodij, Senis Presbyteri sub Alexandrō Imperatore, qui eum fecit occidi à Laudicio, & corpus trahi per ciuitatem, atque in Tyberim iactari die... Maiarum, quod inuenerunt piscatores leuauerunt, & narrauerunt Callisto Episcopo, at ille acceptum condidit cum aromatibus, & linteaminibus, & sepeliuit in cœmiterio eiusdem, via Aurelia, milliario ab Vrbe tertio, in crypta Vildemari: tunc decollatus est ab Alexandro, Palmachius Consul cum vxore, & filiis, & aliis promiscui sexus LII. cum quibus & Simplicius Senator, qui per doctrinam Callisti Papæ, & Calepodii Presbyteri nuper fuerant baptizati. Scriptum in passione S. Callisti Papæ. Eodem die natale Gordiani Martyris, qui sub Iuliano impiissimo Imper. passus est. Nam prædictus Tyrannus cū præcepisset memorato Gordiano Vicario suo, cū adhuc paganus esset, vt Ianuarium Presbyterum diligenter exquireret, si quo modo illum posset auertere à fide Christi: S. autem Ianuarius illum magis lucratus est Christo, & baptizauit simul cum Marina vxore sua, quod audiens factum Iulianus præcepit Clementiano Iudici, vt eum si nollet Idolis sacrificare, puniret. Nam iratus iussit inscriptionibus damnari S. Ianuarium Presbyterum, & B. Gordianum, vxorem autem eius Marinam in quadam villa, quæ vocatur Aquas Saluias in seruitio rusticorum opprimi; cum autem vidisset Clementianus, quod S. Gordianus nullo modo à statu fidei suæ auerti posset, iussit eum primum plumbaris cædi: deinde capite truncari, quod cū factum comperissent Christiani, nocturno silentio venerunt & rapuerunt corpus venerandū S. Martyris Gordiani, & venientes in via quæ Latina nuncupatur, non longe ab vrbe Roma milliario plus minus vno, posuerunt eum in crypta, sexto Idus Maias, vbi iam pridem S. Epimachum sepelierant.

E

F

V. Idus. Passio S. Euellii Martyris, qui videns passionē S. Torpetis Martyris, & mirabilia quæ fecit, credidit Christo, qui antea Consiliarius Neronis Imperatoris fuit, qualiter Christiani martyrizarentur.

IV Idus. S. Patris nostri Epiphanii Episcopi Cypri, & Romæ S. Pancratii, qui cum esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano martyrium capitis detruncatione compleuit. Eodem die Romæ passio Sanctorum, Nerei, & Achillei fratrum.

III. Idus. Festiuitas S. Onesimi Confessoris, ipso die Mariæ Martyris festiuitas celebratur: quæ cū fuisset Tertulli cuiusdam viri principalis ancilla, nobilitatē Domini mentis benignitate vincebat, & Christo se probauit ingenuam. Hæc cum à domina sua per tormēta à fide Christi recedere cogeretur, nullo modo cōsensit. Propter hoc Præsidi tradita est ad cruciandum, sed eam nec minæ ipsius, nec tormenta à Christo separare poterant, nouissime super petram grandem ad decollandū adducta, ipsius petræ diuisione facta, Christi famula illuc intrauit, ibique petra iterum semetipsam conclusit: Nec quenquā persecutorum ancillam Christi persequi sinebat, sed vsque ad diem iudicii ita conclusam seruat. Eodem die in oppido Traiectense natale S. Seruatii Episcopi, & Confessoris, qui cum Tungrensem regeret Ecclesiam tempore, quo Hunni venturi erant in Galliam, timens populo sibi cōmisso, ne ab Hūnis vastaretur, perrexit Romam deprecaturus, quatenus per merita, & intercessionē sanctorum Apostolorum impetraret defensionem populi sui. Cumque ibidem ieiuniis, & obsecrationib. per multorū dierum spacia in tali afflictione moraretur, fertur tale ab Apostolo Petro accepisse responsum: *Quid me vir sanctissime inquietas? Ecce enim apud Dominū deliberatione prorsus sancitum est, Hūnos in Gallias aduenire, easq; maxima tempestate debere depopulari. Nunc igitur sume consilium meum, accelera velociter, ordina domum tuam, sepulturam compone, relinque linteamina munda. Ecce enim migrabis à corpore, nec videbūt oculi tui mala, quæ facturi sunt Hunni in Gallia: sicut locutus est Dominus noster.* Accepto ergo hoc responso remeauit ad Ecclesiam sibi commissam nuncians suis responsum B. Petri, & post non multos dies vitam præsentem finiens, migrauit ad æternam requiem. Hic quoq; sepultus in loco Traiectensi, cum sepulchrum eius sub diuo esset positum, nec nix, nec pluuia cecidit super eum, donec à successore eius S. Munulfo Episcopo templum magnum in eius honore constructum est.

G

H

II. Idus. S. Patris * Pachumii, qui cum esset factis Apostolicæ gratiæ insignis, fundatorq; Ægypti Cœnobiorū, scripsit Monasteriorum regulas, quas Angelo dictante didicerat, simul & de tempore Paschali. Ipso die in Syria natalis Victoris, & Coronæ, sub Antonino Imperatore, duce Alexandriæ Sebastiano. Erat autem Victor miles

** Pachomij.*

à Cilicia.

A à Cilicia. Cui Sebastianus in Confessione fidei confringi digitos, & euelli iussit à cute. Deinde illum in caminum ignis mitti, vbi triduo permanens non est læsus. Deinde venenum bibere iussus, non est mortuus, sed veneficum potius ad fidem conuertit. Deinde iussum est neruos corporis eius tolli. Deinde oleum bulliens mitti in pudendis eius. Posthæc iussit lampades ardentes suspenso ad latera applicari. Posthoc acetum, & calcem simul misceri, & dari ei in ore. Deinde oculos erui. Dein triduo deorsum capite suspendi, & dum adhuc spiraret, iussit eum excoriari: tunc Corona cum esset vxor militis cuiusdam, cœpit beatificare S. Victorem pro gloria Martyrij, & dum hoc faceret, vidit duas coronas cœlo delapsas, vnam Victori, &
I alteram sibi missam, Cumque & hoc cunctis audientibus protestaretur, tenta est à Duce, iussumque duas arbores palmæ curuari ad inuicem, & cannabinis funibus ligari Coronam in vtraque, manibus, & pedibus: & sic arbores dimitti, quod dum fieret, diuisa est Corona in duas partes. Erat autem annorum XVI. tum quoque Victor decollatus, & ipse victoriæ perennis triumphum meruit.

Idib. In Syrmio natalis Timothei: & VI. Virginum, & in Sardinia natale Simplicij Presbyteri, & in ciuitate Filasiana Rosulæ.

B XVII. Calend. Iunias in ciuitate Picino Ausimo natale Diocletiani, & Florentini. In Antissiodoro passio S. Peregrini primi Episcopi ipsius ciuitatis. In Trecasine depositio Fidoli Presbyteri, & Confessoris.

XVI. Cal. In Alexandria natale Adrionis, Victoris, & Basillæ.

XV. Cal. Hortasi, & Serapionis Presbyteri, & Marci Papæ, & Potamionis.

XIV. Cal. S. Pudentianæ virginis, quæ fuit filia Pudentis, & soror Praxedis virginis. Ipsa autem soror Praxedis, & Pudentiana omnē facultatem diuidentes inter se, cœperunt vendere omne patrimonium & erogare pauperibus: In eodem verò loco, vbi titulū meo nomini Pater eatum bonæ recordationis pudens dedicauit; & hoc consiliū inter me, & famulas Christi Praxedem, & *Potentianā
*Pudentianam. filias sacratas conuenit: vt in die S. Paschæ quia desiderio earum, & nimio ardore fidei vrgebantur, propter familiā
C communem, quæ gentilis erat: in eodem titulo fontē Baptismi construere studuissent: quē titulum S. Pius manū sua cōsecrauit: vbi baptizata est omnis familia eorum, & ingenuitatem postea promeruit: S. Pudentiana autem 12. anno vitæ suæ emigrauit ad Dñm. Eodem die natale San-
*Calocerij ctorum *Calocerij, & Parthenij Eunuchorum, vxoris Decij Imp. quorum vnus cum esset Præpositus Cubiculi: alter verò Primicerius: nolentes sacrificare idolis, à Decio occisi sunt. Depositio Domini Alchuini.

XIII. Cal. Passio sanctorum Martyrum Cononis, & filij eius, in ciuitate Iconia prouinciæ Isauriæ, regnante Aureliano Tyranno, sub Domitiano Comite. Nā ipse S. Conon habuit vxorē, & discessit, castusq; permansit, habens filium, & accipiens eum mansit in solitudine. Ambulauit
D enim in vijs Moysi, increpans fluctus, faciens mandata Dei. Erat enim propè ipsū locū fluuius torrens, quē nullus poterat de vicino loco à multitudine aquæ transire: Appropiante verò populo rogabant S. Cononem, vt eò transfretaret: Increpans S. Conon aquam statuit eam, & faciens viam eduxit eam. Descendēte verò sancto Conone in Monasterium suum, iubens aquis vt non currerent vsq; ad tempus: deinde implens se aqua inundauit plurimum. Cognoscens S. Conon, quod factū fuisset, pergens venit ad flumen: iubens ei, vt ita curreret, sicut cursus eius erat secūdum misericordiam Dei: vnde hactenus oēs habitantes lætantur ab eo, & subiectæ sunt ei non solum aquæ, sed & omnis ipsa terra. Completum est enim, quod
Matt. 17 scriptum est, *quod si habueritis fidem tanquam granum sinapis, dicite huic monti, transi:* & non solum aquis imperat, sed & fluctibus iubet. Nam prædictus Domitianus agnoscens virtutem S. viri, asciuit eū ad se, & filium eius, & torquere eos iussit in craticula super carbones ardentes posita, oleo in ignem fuso, sed vincere eos non potuit, quia Deus de igne eos liberauit, postea malleum ligneum afferre, &

E manus eorum conterere præcepit, sed ipsi in fide cœpta perseuerauerunt sicque orationem facientes tradiderunt spiritum migrantes ad cœlestia regna.

XII. Cal. In Mauritania natale Timothei, & in Rauenna Martyriæ. In ciuitate Autisiodorensi depositio B. *Va- *Valentii
lis Presbyteri & Confessoris.

XI. Cal. In Africa Casti, & *Emili, qui per ignem pas- *Aemilij.
sionem consummauerunt: scribit Cyprianus libro de lapsis.

X. Cal. Passio S. Desiderij Episcopi, & Martyris.

IX. Calen. In Galliæ ciuitate Mammeris, natale sanctorum Rogatiani, & Donatiani germanorum, & Martyrum.

VIII. Cal. Romæ S. Vrbani Papæ, & *Confessoris, cu- *Martyrii.
ius doctrina multi martyrio coronati sunt.

VII. Cal. In Britannia depositio Augustini, primi Anglorum Episcopi: Eodē die Romæ passio Marcellini Papæ, qui temporibus Diocletiani passus est, quo tempore fuit persecutio magna, vt intra 30. dies 17. millia hominū promiscui sexus per diuersas prouincias martyrio coronarentur Christiani. De qua re & ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, vt thurificaret, quod & fecit, & post paucos dies pœnitentia ductus ab eodē Diocletiano pro fide Christi, cum Claudio, & Cyrino, & Antonio capite est truncatus, & coronatus martyrio.

F VI. Cal. In Parisiaca ciuitate natiuitas S. Germani Episcopi, & Cōfessoris, qui ex nobilibus parentib. natus fuit, sed licet eum genetrix eius malitiosa mēte interficere voluisset: tamen diuino auxilio à periculo mortis liberatus, in pueritia sua sanctis vitis ad Dei seruitium nutriendum commendatus, proficiebat in gratia Dei. Presbyter ordinatus à Pontifice Nectario, Abbas ad S. Symphorianū dignus adsistitur. In quo officio non solum virtutibus, sed etiam signis Deo placitus esse demonstratur. Postea verò Episcop. ordinatus nobiliter Parisiacam rexit Ecclesiam, multisq; profuit non solum in doctrina, sed etiam & in infirmorum curatione. Ad extremum verò in omni bono perfectus octogenarius migrauit ad Dominum.

V. Cal. Depositio S. Ioannis Papæ, quem quia orthodoxus erat, & à Iustino Imperatore Orthodoxo Constantinopolim veniens gloriosè susceptus erat, Theodoricus Rex Arrianus reuertentem in Rauenna in custodia tentū ad mortē vsq; cum alijs æquè Catholicis viris perduxit. XV. Cal. Iunias. Huius meminit S. Gregorius in libr. Dialogorum, cuius corpus translatum de Rauēna sepultum est in Basilica S. Petri Apostoli. V. Calend. Iunias. Olibrio Consule.

G IV. Calen. In Treuiris depositio Maximini Episcopi, & Confessoris: Eodem die in regione *Anagnia iuxta Tri- *Anauniæ.
dentinam vrbem passio SS. Martyrum Sisinnij Diaconi, & Martyrij Lectoris, atque Alexandri Hostiarij, qui sub Stilicone Consule passi, coronam promeruerunt. Nam S. Sisinnius capite tuba percussus, atq; securibus confossus est. Martyrius fustibus cęsus, Alexander viuus vinctis pedibus trahendus apponitur, vt per scopulorum itinera palpitantiū membrorum partes amitteret, donec ad vitæ terminum perueniret.

III. Cal. In Antiochia sanctorum Martyrum *Sicij, & *Sytii.
Palatini, qui multa tormenta propter nomen Christi passi sunt.

II. Calen. Romæ natiuitas Petronellæ virginis, filiæ S. Petri Apostoli, quam B. Apostolus rogantibus fidelibus à paralysi sanauit, sed statim vt surrexit sana, & ministeriū expleuit: iterum iussit eam ad grabatum redire. At vbi in Dei timore cœpit esse perfecta, non solum ipsa saluata est, sed etiam plurimis recuperauit in melius suis orationibus sanitatem. Et quoniam nimis speciosa erat: venit ad eam Flaccus Comes cum militibus, vt eam si-
H bi vxorem acciperet. Cui Petronella ait: *Ad puellam inermem cum militibus armatus venisti, si vxorem me habere vis, fac matronas virgines honestas ad me post tres dies venire, vt cum ipsis veniam ad domum tuam.* Factum est autem, vt trium dierum acceptum spatium virgo sancta ieiunijs, & orationibus occuparet, habens secum S. virginem Feliculam collactaneam suam in Dei timore perfectam: Tertio

A

*f. redundat.

cletiano,& * Antonino Impera t.multas virtutes operatus est. Fuit enim pater eius Hylas nomine, sacrilegus,& impius,qui iussu principum voluit eum auertere à cultura veræ diuinitatis, sed puer sanctus permansit in confessione veræ fidei.erat enim annorũ XII.Nam multa tormenta pro Christo passus est cum Modesto Pædagogo suo, & Crescẽtia papatissa sua. Nam misit eos persecutor in carcerem,& in clibanum ardentem cum plumbo, resina,& pice,sed non nocuit eos ignis, nec Leones in vllo eos nocere potuerunt. Nouissime vero iuxta fluuium qui dicitur Siler quiescentes sub arbore animas suas Domino reddiderunt.

*Vesontionensi.

XVI.Cal.Ferreoli Presbyteri & Ferrutionis Diaconi in ciuitate * Vesoncensi,qui sub Claudio iudice ad trocleas extenti & flagellati, deinde in carcerem seclusi, & mane amputatis linguis prædicabant verbum Dei: post hæc subulæ XXX.vtriq; infixæ in manibus & pedib.& pectore: ad vltimum gladio feriuntur. Et in ciuitate Moguntiaco passio SS.Aurei Episcopi, & Iustinæ sororis eius, qui ab Hunnis vastantibus prædictam ciuitatem in Ecclesia occisi sunt.

B

XV.Cal.In Aurelianis ciuitate S.Auiti Presbyteri, cuius vita miraculis coruscabat.Nam ideo scriptũ est, quod in natiuitate eius lumen de cęlo emissum esset, vt sanctũ eum demonstraret. Hic Monachus factus solitudinẽ expetiuit,ibi miraculis factis populis verus Dei famulus innotuit,postea vero monasteriũ ibi construxit: iste quoq; quẽdam Monachum defunctum in Ecclesia, cæteris fratribus somno grauatis,oratione fusa ad Dñm à morte suscitauit. Interea quidam ex Turiensi Castro, pro eius plebeculæ salute,eorumq; legatione fungens ad S. Auitũ deuotus accessit:obsecrans eum, vt corpus suum ob tutelam loci ipsius castri,illic concederet tumulandum: cui dignã fabricam modis omnibus nomini suo promisit construẽdam. At ille indignum esse fatetur hominem peccatorẽ, ac multis criminib. inuolutum sub templorum tegmine recondendum, quin potius campis patentibus ad futurã examinationẽ ossa humiliata tellure sub fossa deceat reponenda:

C

Dixitq; illi: *tamen vt cordis vestri, quod optat voluntas obtineat, templum in Dei nomine si persistitis non dissimulabo fabricandum. Nam corpus meum iuxta Aurelianensem vrbem à Domino decretum est collocandum.* Hic autem sanctus Dei dũ temporalẽ vitam finiuit,licet populi inter se confligerent de corporis eius sepultura, Aurelianenses tamen victores id secum rapuerunt , super cuius tumulum Hiltibertus Rex Francorum Ecclesiam ædificauit & sepulchrum ipsius pretiosis metallis adornauit.

XIV.Cal.Romæ Marci,& Marcelliani Martyrum,qui temporibus Diocletiani, & Maximiani per Sebastianum militem Christi à blandimẽto vano mulierum reuocati, ac sano dogmate cõfortati pro nomine Christi passi sunt. Eodem die in Antiochia celebratur passio Marinæ virginis,quæ per Olibriũ Præfectum multa tormẽta passa est, pro nomine Christi, vincula, carceres, flagella, equuleũ,

D

quã & Diabolus in draconis specie similiter & in Æthiopis tentauit,& subuertere voluit sed per signum S. crucis effugatus & superatus est. Nouissime vero per prædictum Præfectum decollata,cum sacro martyrio vitam finiuit.

XIII.Cal.SS.Geruasij & Protasij in Mediolano, quorũ sepulchra Ambrosius Domino reuelante reperit: & ita incorrupta eorum corpora,ac si eodem die fuissent interempti: Quæ cum in vrbem introducerentur,quidam diu cæcus feretri tactu lumen recepit; passi sunt autẽ S. Mar-

*Astasio.

tyres, Geruasius,& Protasius sub * Astachio Comite,qui Geruasium iussit tamdiu plumbatis tundi, quousq; spiritum exhalaret, & Protasium capite cædi, quorum pater Vitalis fuit,& mater Valeria. Paulinus consularis vir iussit S. Vitalem in equuleo suspendi & in puteum proijci, & sic Deus Vitalem Martyrem consecrauit. Valeria autẽ tenta est à Paganis & tamdiu ab illis cæsa est, ita, vt in triduo migraret ad Christum. Romæ natiuitas Vrsicini Martyris.

XII.Cal.Translatio S.Zenonis Martyris.

XI.Cal.In Moguntia natalis Albani Martyris, qui sub Theodosio Imp.de Insula Namsia pergens cum S.Theonesto,& Vrso Mediolanum venit, indeq; exiens auxiliãte Dño peruenit ad Gallias, & in seruitio Dei manens ad martyrium pro nomine Saluatoris promptus. Postquam autem in Augusta ciuitate B. Vrsus martyrium accepit:

E

Theonestus cum Albano Moguntiacum peruenit, dumque ibi prædicaret verbum Dei Albanus discipulus eius martyrium expleuit,& sepultus est ibi iuxta ciuitatem.

X.Cal.Iacobi Alphæi Apostoli,& in Britannia S. Albani martyris,qui tempore Diocletiani in Verolamio ciuitate post verbera,& tormẽta acerba capite plexus est: sed illo in terram cadẽte,oculi eius,qui eum percussit, pariter ceciderunt: passus est cum illo etiam vnus de militibus eo quod eum ferire noluerit iussus, diuino vtriq; perterritus miraculo,quia viderat B. Martyrem sibi, dum ad coronã martyrij properaret alueum amnis interpositi orando transmeabilem reddidisse. In ciuitate vero Nola natalis Paulini Episcopi,& Confessoris de quo Gregorius in libro Dialogorum narrat.

*Edildrudis.

IX.Cal.Sanctæ * Edildrydæ virginis, & reginæ in Britannia, cuius corpus cum XVI. annis esset sepultum, incorruptum est inuentum. Vigilia S.Ioannis Baptistæ.

F

VIII.Cal.Natiuitas præcursoris Domini, & in Ephesa Dormitatio S. Ioannis Apostoli,& Euangelistæ. Romæ Fusci,Luceę cum alijs 22.In ciuitate Augustoduno depositio S.Simplicij.

VII.Cal.Thessalonicæ,Bigati,Cantani. Romæ Luciæ virginis,& Aceiæ regis.

VI.Cal.Ioannis, & Pauli Romæ,quorum primus Prępositus, secundus fuit primicerius,Constantinæ virginis filiæ Cõstantini, qui postea sub Iuliano martyrium capitis abscissione meruerunt, per Terentianum Campiductorem,qui deinde Christianus factus est.

V.Cal.Inuentio corporum S. Fusciani,& Victorici, atque Gẽtiani Martyrum,quæ reuelata sunt Lupicino Ambianensiũ Presbytero,qui cũ S. Honoratio eiusdẽ ciuitatis Episcopo, ipsas reliquias collegit, & in loco apto posuit,quas licet *Hilder. Rex Francorũ ad se transferre vel-

*Hilderricus.

let,tamen quia non potuit,propterea in eodem loco ędificata Basilica,ipsa honorifice sepeliuit. Eodem die in *E-

*Ephesio.

phesio ciuitate festiuitas celebratur VII.fratrũ dormientium,hoc est.Maximiani,& Malchi, *Martiani,Dionysij,

*Martiniani.

G

Ioannis, Serapionis, Constantini,qui Decianam persecutionem fugientes post multa tormenta fugerunt in speluncam grandem in monte Celeo, & ibi in oratione assidua manserunt,quod audiẽs Decius Imperator,iussit obstrui os speluncæ,vt ibi interiiẽt. Mortuus est Decius Imperator & omnis generatio illa, & regnauerunt alij Imperatores. Post trecentos ergo septuaginta, & duos annos,hoc est tricesimo octauo anno Imperij Theodosij filij Arcadij Imperatoris,quando pullulauit Hæresis,volẽs euacuare spem fidei, & resurrectionis mortuorum, ipsi septem fratres , qui in prædicta spelunca vsque ad illud tempus quiescebant,suscitati sunt de somno longissimo, & cum in præsentiam hominum illius æui adducti sunt, apprehensi à quibusdam eo quod pecuniam antiquissimam in mercatum adduxerũt ad comparandum victum sibi,quasi possessores multorum thesaurorum,cogebantur reddere, quod suspicabantur tenere. Sed veritate a-

H

gnita,adueniente Marino Episcopo Ephesiorum, liberati sunt de manibus violentorum, & Theodosio Imperatori præsentati, ob testimonium resurrectionis futuræ, iterum redibant in locum pristinum, vbi requiescent vsq; ad diem Vniuersalis Iudicij.

IV.Calen. Leonis Papæ, qui post Petrum Apostolum quadragesimus septimus in vrbe Romana sedit annos XXI.mensem I. dies XIII. Hic tempore Pontificatus sui multa dogmata vtilia fecit, & errores noxios ab Ecclesia Dei expulit.

III.Cal.Romæ Passio Sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli,qui sub Nerone Imperatore Simonem Magum vincentes, vno, eodemque die pro nomine Christi passi sunt. Hoc est iussu prædicti Imperatoris nequissimi, Petrus cruci affixus est,& Paulus capite plexus.

*Lemoricis

II.Cal.in Agrippina Asclepij,Pamphili,& * Lemodicas depositio S. Martialis Episcopi,& Confessoris.

IVLIVS

A

IVLIVS.

Cal. Iulij. In monte Hor depositio Aaron Sacerdotis. Eodem die Romæ Octaua Luceię virginis, Sanctimonialis, cum Auceia Rege sponso suo, & natale Arelefi Confessoris, qui ab infantia Deo deditus Monasticam vitam expetiuit, & à S. Maximino Aurelianensi Episcopo simul cum Auito socio Presbyter ordinatus vitam solitariam desiderans, Monasteria in diuersis locis ædificans, multis virtutibus ante obitum & post obitum suum claruit, & sanctitas eius plurimis fuit.

VI. Nonas. Romæ Processi, & Martiniani, qui temporibus Neronis Imperatoris passi sunt. Nam dum in custodia B. Petrus, & Paulus Apostoli à Paulino præfecto seruabantur, hi duo viri videntes mirabilia, quæ Apostoli Christi fecerunt, conuersi sunt ad fidem Christi, & à beato Petro Apostolo sunt baptizati. Hos quoque dum prædictus Paulinus à fide vera auertere voluisset, & non posset, licet multa tormenta eis fecisset, ad extremum gladio capita iussit amputari. Et in Turonis depositio sanctæ Monegundæ Virginis.

V. Nonas. Translatio Thomæ Apostoli in Edessam. Passus vero in India est.

B

IV. Nonas. In Gallia Turonis ciuitate ordinatio Episcopatus, & translatio corporis S. Martini Episcopi, & Confessoris, & dedicatio Basilicæ ipsius.

III. Nonas. In Sicilia natalis Agathonis, & * Triphenæ, & in Tomis Marini, Theodori, & * Sodephæ. [* Triphinæ. * Sedophæ]

II. Nonas. Isaiæ Prophetæ, & octaua Apostolorum. Eodem die depositio est beati Goaris Confessoris, qui in prouincia Aquitaniæ ortus temporibus Hildeberti Regis Francorum, statim ab infantia verus Dei cultor fuit. Hic postmodum ibi Presbyter consecratus, patriam, parentesque deseruit, & in vltimos Galliæ fines peregrinus sæculo, & cælestis patriæ ciuis excessit. Veniens ergo in prouinciam, quæ ripis Rheni fluminis contigua Trigoria nuncupatur, atque ad Diœcesin pertinet Treuerorum infra terminos Vuasaliacenses, in ea Deo libere seruire delegit. Hic enim hospitalis multum fuit, & largus pauperibus, & Deo in sacris Missis, & Psalmodijs instanter quotidie seruiebat. Fecit enim mirabilia multa in vita sua, hoc est, ceruam imperio suo stare fecit, vt cuidam lasso ab eo lactis potum acciperet. Dehinc ad Rusticum Episcopum Treuirensem aduocatus venit, ibique super Solis radium per fenestram micantem ignorans quod Solis radius esset cappam suam proiecit: quod cum multi Magicæ arti deputassent, coram Episcopo positus iuxta iussionem eius paruum puerum, hoc est trium dierum ætate, loqui fecit, & patrem simul cum matre quis esset, patefecit. Sicque memoratus Episcopus in scelere suo denudatus pœnitentiam accepit, & prædictus vir sanctus ad locum suum rediens in pace vitam finiuit.

C

Nonis Iulijs. In Alexandria natale Parmeni, * Eraclij, Heliæ, Apollonij, Antoni, & aliorum X. & VIII. [* Heracly]

VIII. Iduum. Natale Procopij in Palæstina, qui ab Scythopoli ductus Cæsaream ad primam responsionis suæ confidentiam irato Iudice Flauiano capite cæsus est. In pago Austriæ, & castro nomine Wirziburg iuxta Moin fluuium sanctorum natale Chiliani Martyris, & duorum sociorum eius, qui ab Hibernia Scottorum insula venientes, nomen Christi in prædictis locis prædicauerunt. Ibique ob veritatis confessionem à quodam Iudice iniquo nomine Gozberto trucidati sunt, & postea multis signis, veri Christi Martyres esse claruerunt.

D

VII. Idus. In Ciuitate Tyro, Natale sanctorum Anatoliæ, & Audacis sub Decio Imperatore, quorum Anatolia cum multos in Piceno infirmos, Lunaticos, ac Dæmoniacos curasset, ducta est iubente * Festiano ad ciuitatem Tyri, & diuersis plagarum generibus vexata, deinde cum serpente tota nocte inclusa, nihil læsa est. Quin & ipsum Marsum, qui serpentem dimiserat, nomine Audacem, mane à suo serpente deuorandum eripuit, & ad Christum, martyriumq; conuertit. Nam ipse post hæc ob confessionem veritatis in custodiam datus, nec mora, [* Faustiniano.] capitali sententia coronatus est. Ipsa quoque virgo Christi gladio transuerberata, cum staret extensis manibus in oratione, ita vt per dextrum latus gladius missus per sinistram exiret, quæ passa est VII. Idus Iulij, sepulta autem mane à ciuibus Tyrensibus. Audax vero quia de Oriente erat, ab vxore sua, & filijs illo translatus est. Eodem die VII. Iduum Iuliarum, depositio sancti patris nostri Ephrem viri doctissimi, & religiosissimi. Eodem die in Ægypto natale est Cyrilli Episcopi, qui cum à Lucio Duce sacrificare Idolis cogeretur, & nollet hoc consentire, iussit eum Dux succenso igne in medio poni, & cum arsissent omnia ligna, & esset cinis, spectantibus religiosis viris, vt ossa eius colligerent, inuenitur super pauimentum sedens extensis manibus ad cœlum: At vero videntes signum, quod Dominus in eum ostenderat, mirabantur, stupentes, quod sic intactus esset ab igne, & ob hoc multi crediderunt in Christum, postea vero prædictus Dux iussit eum gladio percuti, & ille gaudens percussus reddidit spiritum.

E

F

VI. Idus Romæ, VII. fratrum filiorum Sanctæ Felicitatis, id est, Felicis, Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, * Silani, & Ianuarij, sub præfecto vrbis Publio, tempore Antonini principis: è quibus Ianuarius, post verbera virgarum & carceris macerationem plumbatis occisus est. Felix, ac Philippus fustibus mactati. * Silanus præcipitio interemptus. Alexander, Vitalis, & Martialis capitali sententia puniti. Eodem die natale est Rufinæ, & Secundæ duarum sororum, quæ sub persecutione Valeriani, & Gallieni Augustorum per sceleratissimum Præfectum Archisilaŭ, eo quod fidem Christi negare, & virginitatem perdere noluerunt, post varia tormenta, quæ eis inflixit, ab ipso decollati sunt. [* Siluani. * Siluan*.]

V. Idus. In Africa Mariani, & depositio Benedicti Abbatis, & Ianuarij. In Armenia ciuitate Nicopoli, item Ianuarij, & Pelagiæ, qui tormentis subditi, non solum vngulis, sed & testa, corpora eorum vsque in diem quartum Idus eandem passionem habuerunt.

IV. Idus. In Aquileia natale sanctorum Fortunati, & Armigeri. Lugduno Galliæ depositio Viuentioli Episcopi.

G

III. Idus. In Antiochia passio Margarethæ virginis, quam Olibrius Consul stuprare volens, & à fide Christi auertere, multis tormentis eam afflixit, hoc est, in equuleo suspensam vngulis acerbissimis iussit carnes eius lacerare, postea in carcerem tenebrosum eam misit, vbi Diaboli seductiones, qui in specie draconis, & Æthiopis illi apparuit, superauit, & nihil ei illius fraus nocere potuit: nouissime verò gladio persecutoris decollata est, & ad vitam migrauit æternam.

II. Idus Sancti * Focatis Episcopi Ponti, qui sub Traiano Imperat: Præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Christo superauit: cuius reliquiæ in Basilica Apostolorum, in Galliæ ciuitate Vienna habentur. Lugduno Galliæ natale iusti Episcopi, & Confessoris. [* Phocæ.]

Idibus. Sancti Cyrici, & matris eius in portu Romano, Eutropij, Zosimæ, & Bonosæ sororum, & infantum X. & in Sirmio Agrippini, Secundini, Maximini, Martialis, & Iacobi Episcopi.

XVII. Calen. Augusti. In Ostia natale Hilarini, qui sub persecutione Iuliani cum nollet sacrificare, fustibus cæsus, Martyrium sumpsit.

H

XVI. Cal. in Carthagine Scillitanorum, id est, Sperati, * Martialis, Cithij, Vesturij, Felicis, * Aquilini, Lactantij, Ianuarij, Generosi, Vestæ, Donatæ, & Secundæ sub * Saturnio Præfecto, qui post primam Christi Confessionem in carcerem missi, & in ligno confixi, & mane gladio decollati sunt. [* Nartalis, Cythini, Beturij. * Aquili, Letarij, Ianuariæ, Generosæ, Besiæ. * Saturnino.]

XV. Calend. Depositio in Mettis ciuitate Sancti Arnulphi Confessoris celebratur, qui ab infantia ad Dei seruitium aptus fuit. Nam primum apud aulicos Regis, hoc est, Gundolfum subregulum ac rectorem Palatij nutritus fuit, sed iugis illius meditatio circa Monasteria vel loca sancta vigilabat, largus erat in Eleemosynis, & cura illi

maxima

A maxima erga pauperes fuit. Postea vero Episcopus Metensium est ordinatus, in quo gradu positus multa miracula fecit: in sanitate infirmorum: cum autem illi inspiratio diuina solitariam vitam in mentem dedit, vbi côtemplationi diuinæ iugiter vacaret, perrexit in secretum locum, & sedulo in Dei seruitio laborabat, donec vocatio cęlestis ad æternam requiem illum perduxit.

XIV. Calen. S. patris nostri Arsenij, de quo in verbis seniorum refertur, quia propter redundantiam lachrymarum tergendam sudarium semper in manu sua vel sinu habuerit.

XIII. Calend. In Africa natale Luciani, Petri, Amabilis, & Nunninæ, & Thebaidæ.* Victuris & in Damasco* Sauini. [* Victoris * Sabini.]

XII. Calend. S. Danielis Prophetæ. Romæ Praxedis Virginis, quæ fuit soror Potentianæ, & temporibus Antonini Imperatoris multos Christianos de sua substantia fouebat. B Cum autem diuulgatum esset Antonino Imperatori, quod conuentus fieret in titulo Praxedis, misit & tenuit Symmetrium Presbyterum, cum alijs XX. & duobus, quos sine interrogatione gladio puniri præcepit in eodem titulo, quorum corpora noctu beata Praxedis collegit, & sepeliuit, in Cœmiterio Priscillæ sub die VII. Calend. Iulij. Tunc afflictione constricta beata Praxedis ingemuit, & orauit ad Dominum, vt transiret ex hoc mundo, cuius orationes, & lachrymæ ad Dominum Iesum Christum peruenerunt. Post Martyrium Sanctorum supra dictorum & coronam, migrauit ad Dominum virgo sacrata sub die XII. Calend. Augusti. Et apud Tiburtinam vrbem Italiæ natale Symphorosæ cum filijs VII. Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitiuo, Iustino, Stacteo, Eugenio, cum quibus simul passa est ab Adriano Principe, qui ipsam Symphorosam iussit palmis cædi, deinde suspendi crinibus, sed cum superari nullatenus posset, iussit eam alligato saxo in fluuio præcipitari, cuius frater Eugenius curiæ principalis Tiburtinæ colligens corpus eius sepeliuit, & mane Imperator iussit VII. figi C stipites, ibique filios eius ad Trocleas extendi, & Crescêtem in gutture transfigi, Lucianum in pectore, Nemesium in corde, Primitiuum per vmbilicum, Iustinum per membra distensum scindi per singulos corporis nodos, atque iuncturas, Stacteum lanceis innumerabilibus donec moreretur, in terram configi, Eugenium findi à pectore vsque ad inferiores partes: altera autem die veniens Adrianus Imperator ad fanum Herculis iussit corpora eorum simul auferri, & proijci in foueam altam. Post septem verò dies in die octauo Martyrij eorum, filiã Adriani Imperatoris arripuit Diabolus, & veniens ad locum vbi obruti erant sancti, clamabat per os eius Diabolus dicens: *Domini mei septem Germani Martyres Christi incenditis me miseram.* Ipse autem Adrianus similiter arreptus à Dæmonio miserabiliter vitam corporalem finiuit. Eodem die in ciuitate Verona translatio S. Zenonis Martyris, cuius B. Gregorius in libris Dialogorum meminit. Eodem die Passio est Victoris, Massiliensis Episcopi, qui sub Dio- D cletiano, & Maximiano Imperatoribus propter fidem Christi per Asterium Præsidem trucidatus est simul cum militibus; Eleutherio, Feliciano, & Alexandro. Nam cum memoratus Episcopus prædictis militibus ad custodiendum in carcerem traditus esset, ibi Angelica visione visitatus est. Vnde ipsi custodes videntes ibi lumen splendidum cadentes ad B. Victoris genua, remedium ab eo implorant, quos cum S. Episcopus baptizasset, & ipsi in côfessione nominis Christi vsque in finem perseuerassent, Martyrio coronati sunt. Similiter & Episc. iussu Imperatoris decollatus est. Vnde & post Martyrium sanctorum expletum, Maximianus Imperator Dæmonũ infestatione valdè torquebatur, qui inter pœnas ad Asterium Præsidem clamare cępit, ac dicere: *Heu incidor miser à sanctis viris ac torqueor: qui vt video iam & nos excludimus à luce, quam tulimus: torquet & pœna quam dedimus: maius est, quod recepimus, quam quod intulisse probamur*, qui vsque ad quartum diem tortus, die 5. à semetipso laqueatus, & iam omni putredinis squalore decoctus vermibus bulliens in tyrocinio vitæ suæ malum digna morte finiuit.

E XI. Cal. Natiuitas Mariæ Magdalenæ. In Antiochia, natale sanctorum Cyrilli Episcopi, Andreæ, & in * Anquira Galaciæ natalis sancti Platonis, cuius gesta habentur. [* Ancyra.]

X. Cal. Depositio S. Apollinaris Episcopi in Rauenna, qui Romæ ordinatus ab Apostolo Petro, & illuc missus est, qui etiam in Æmilia prędicauit & in partibus Corinthiorum, & in Mysia & in ripa Danubij, & in partibus Thraciæ, in quibus locis exilio relegatus est, & vbicunq; peruenit, innumeras virtutes fecit, & passiones sustinuit: nam nimia cum cæde mactatus est, & rursum diutius fustibus cæsus, ac nudis pedibus super prunas impositus, rursus cæsus, & eculeo adpensus tortus est, & saxo os eius contusum est, & cum grauissimo ferri pondere inclusus in carcere horrifico, atque in ligno extensus est, vbi F ab hominibus quidem neglectus, sed ab Angelo publicè pastus est. Deinde catenatus in exiliũ directus est, in quo rursum diutius fustibus cæsus, & rursus in Rauenna ligatus, à paganis cæsus. & vulneratus est. & rursum in carcerem missus, & cæsus. Sic Martyrium consummauit sub Vespasiano Cæsare, Demosthene Patricio, rexit Ecclesiã annis XX. VIII. dies IV.

IX. Cal. In Tyro ciuitate natale S. Christinæ Virginis, quæ in Filium Dei credens, & cultui eius deseruiens, non potuit ab Vrbano Patre suo vllo modo inde diuelli, sed Idola eius conterens dispersit, & dedit ea pauperibus, ob quod factum pater eius multis tormentis eam afficiebat, hoc est, plumbatis eã cædebat, similiter & virgis nudã flagellabat, & 12. homines fustibus cædebant, & carnes eius ab ossibus soluebant. Postea eam ignib. vri præcepit, sed non prævaluit. Deinde saxo ad collum eius ligato in mare præcepit eã mergere, sed Dñi auxilio inde liberata est. Cum a. propter scelera sua pater eius extinctus est, ab alijs iudicibus, hoc est Dione, & Iuliano, multa tormenta passa est, sed Dei iudicio extinctis hostib. per Martyrium migrauit ad Christum. Eodẽ die natale est S. Victorini, qui cum fratre Seuerino audiens vocem Dei in Euangelio dicentis ad diuitẽ. *Si vis perfectus esse vade vende omnia quæ habes, & da pauperib.* &c. G [Matt. 19.] Reliquerunt ambo fratres Mundi diuitias, & omnia sua dispensantes pauperibus, eremiticam vitam elegerunt, ibiq; nobiliter vixerunt, licet Victorinus ad tempus delusus fuisset à Diabolo, sed tamen Domini gratia de Inimico victor existens nobiliter triumphauit, sicut in vità illorum pleniter narratur.

VIII. Cal. Natiuitas S. Iacobi Zebedęi Apost. Eodẽ die Romæ natale* Eutyciani Papæ, & Martyris. Hic côstituit fruges super altare tantũ fabas & vuas benedici. Hic temporib. suis per diuersa loca 341. Martyres manu sua sepeliuit. Qui hoc constituit, vt quicunq; fidelium Martyrẽ sepeliret, sine Dalmatica, & colobio purpurato nulla ratione sepeliret: quod tunc vsq; ad notitiã sibi deuulgaretur. [* Eutychiani.] Eodem die passio est S. Christophori Martyris, qui in Samo ciuitate à Dagno Rege martyrizatus est. Nam per varia tormenta Rex illum cruciare iussit. Sed vir S. impetrauit à Domino vt multi crederet per ipsum in Christo, nec non & ipsum Regem, qui sagittæ ictu oculum perdidit, sanguinis sui gutta post passionem suam sanauit, sicut ei ipse antè prædixit, & ad fidem Christi conuertit.

VII. Cal. In Laodicia Phrygiæ natale Sanctorum Iouiani, & Iuliani.

VI. Cal. In Syria Simeonis Monachi. In Campaniæ ciuitate Nola natale Felicis, & in alio loco Iuliæ, & Iocundæ. In ciuitate Antisiodero natale S.* Etheri Episcopi. [* Etherij.]

H V. Cal. Romæ Victoris PP. & Mart. qui constituit in Ecclesia, vt faciente necessitate vbi inuentum esset siue in flumine, siue in fonte, siue in mari, tantum Christianæ credulitatis confessione declarata, quicunque hominum veniens ex gentili baptizaretur: & sepultus est iuxta corpus Beati Petri Apostoli in Vaticano. Eodem die Romæ depositio Sancti Innocentij Papæ. hic constitutum fecit de omni Ecclesia, & de regulis Monasteriorum, & de Iudæis, & de Paganis, & multos Cataphrygas inuenit, quos exilio Monasterio relegauit: & hic inuenit Pelagium, & Cœlestinum Hæreticos, & damnauit eos, & hoc constituit, vt qui nati fuerint de Christiano, * denuo [* forte debeant.]

nasci

A

nasci per baptismum, hoc est baptizari, quod Pelagius damnauit.

IV. Calend. Depositio Sancti Lupi Episcopi de Trecas, qui cum Germano venit Britanniam, & 52. annos ibi Sacerdotio functus est: qui tempore Regis Attilæ, qui Galliam vastabat, sicut in hymno eius cantatur, dum bella cuncta perderent: orando Trecas muniuit. Romæ eodem die passio Felicis Papæ & Martyris. Hic Felix declarauit Constantium filium Constantini esse hæreticum, cum secundo rebaptizaretur ab Eusebio, Nicomediensi Episcopo, & iuxta præcepta eiusdem Constantij Augusti Martyrio coronatur, & capite detruncatur. Aurelianis ciuitate depositio beati Prosperi Episcopi, doctissimi viri, & sanctissimi. Eodem die passio celebratur * Simplicis & Faustini germanorum, qui sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus in vrbe Romana propter fidē Christi decollati sunt. Similiter & germana eorum Beatrix nomine, eo quod corpora eorum cum Crispo, & Ioanne Presbyteris sepelinit, à Lucretio præfecto præfocata reddidit Spiritum, & vsque in finem vitæ in Christi confessione perseuerauit. Lucretius verò ab immundo Spiritu arreptus in conuiuio suo expirauit.

*Simplicij.

B

III. Cal. Romæ * Abdo, & Sennis Subregulorum, qui cum Curnula ciuitate Persarum vincula paterentur à Decio, ad vltimum duxit eos Romam catenis obligatos, & diuersis pœnis maceratos, vbi primò plumbatis cæsi, & inde gladio interfecti sunt. Antisiodoro depositio Vrsi Episcopi.

*Abdon & Sennen.

II. Calend. in Africa ciuitate Sinnada natale sanctorum Democriti, Secundi, Dionysij, Thyrsi: Antisiodoro depositio sancti Germani Episcopi, & Confessoris, qui multis virtutibus, doctrina, & continentia clarus, etiam * Bretonum fidem per duas vices à Pelagiana hæresi defendit. Et in Vercellis Eusebij Episcopi, qui mouentibus persecutionem Arrianis sub Constantio Principe Martyrium passus est.

*Britonū.

AVGVSTVS.

C

Calend. Augusti, Sanctorum Machabæorum VII. fratrum cum matre sua, qui passi sunt sub Antiocho Rege: Romæ dedicatio primæ Ecclesiæ à beato Petro constructæ, & consecratæ.

IV. Nonas. Romæ Stephani Papæ qui Martyrio coronatus est, in persecutione Valeriani Principis. Eodem die natale S. Theodotæ cum tribus filijs suis, in prouincia Bithyniæ, vrbe Niceæ, tempore Diocletiani sub comite Leucadio, qui hanc ferro vinctam cum filijs Consulati Bithyniæ Nicetio destinauit. At ille primò eius filium primogenitum Euodium CHRISTVM fiducialiter confitentem fecit fustibus cædi. Deinde illam cum omnibus filijs igne consumi. Scriptum in passione sanctæ Anastasiæ.

III. Nonas. In Antiochia S. Stephani Protomartyris, vbi haberi dicitur vnus de lapidibus quibus in brachio percussus est, & multas ex eo virtutes sanitatum fieri. Eodem die in Hierosolymis inuentio corporis eiusdem beatiss. Stephani Martyris, & sanctorum Gamalielis, & Nicodemi.

D

II. Nonas, Sancti Iustini Confessoris Christi: de quo narratur in passione Xisti, atque Laurentij: quod multos ad fidem Christi conuerteret; nec non & sanctor. Martyrum sepeliret.

Nonis. In ciuitate Augusta passio sanctæ Afræ Martyris, cuius conuersio & vita, nec non & passio conscripta habetur. Et alibi natale sanctorum Floriani, & Philistinę. In ciuitate Catalaunice depositio * Memmei Episcopi, & Confessoris, de quo legitur, quod à B. Petro Apostolo in Romana vrbe Episcopus ordinatus missus fuisset in in Galliam simul cum S. Dionysio, & S. Sexto, atq; S. Euchario ad prædicandum verbum Dei, qui etiam virtutes multas fecit, & nouissimè nobiliter vitam præsentem finiens, ad requiem migrauit æternam.

*Mēmij.

VIII. Idus. Romæ sancti Sixti Episcopi, Felicissimi, & * Agapeti Diaconi, qui decollati sunt sub Decio. Decollati sunt cum eo & alij IV. Diaconi. Ianuarius, Magnus, * Vincentius, & Stephanus, vt in gestis Pontificalibus legitur.

*Agapiti

E

*Innocentius.

VII. Idus. In Aricio Donati Episcopi, & Martyris, qui vt Gregorius in libr. Dialog. meminit, fractum à paganis calicem sanctum ad Missas orando restaurauit. Mediolano natiuitas S. Faustini.

VI. Idus. S. Cyriaci Martyris, quia à B. Marcello Papa Diac. ordinatus simul cum Sisinnio socio multa miracula fecit, sub Maximiano Imperatore & dæmones ab obsessis hominibus expulit: nouissimè verò per Carpasium Vicarium iussu Maximiani decollatus est cum alijs numero viginti vno.

V. Idus. Romæ S. Romani militis, qui confessione S. Laurentij compunctus petijt ab eo baptizari, & mox iubente Decio cum fustibus exhibitus, & decollatus est. Et in Verona ciuitate passio sanctorum Martyrum Firmi, & Rustici, qui tempore * Maximini Imperatoris, & Anulini Consiliarij eius passi sunt.

*Maximiani.

IIII. Idus. S. Laurentij sub Decio, qui post plurima tormenta carceris, verberum diuersorum, laminarum ardentium, ad vltimum in crate ferrea assatus martyrium compleuit.

F

III. Idus Romæ natale S. Susannæ virginis, quæ fuit filia Gabini Presbyteri patris * Gaij Papæ. Hæc ergo virgo sub Diocletiano Imper. passa est, eò quod nollet maximo filio suo in coniugio sociari, sed in virginitate permanere. Hortante eam * Gaio Episcopo, nec non & Serena Augusta, vt stabilis permaneret in fide Christi, & castitate perpetua. Propter hoc iussit eam Dioclet. post alia tormenta in domo propria gladio percuti, & sic martyrium consummauit. Prædicta verò Serena Augusta collegit corpus S. Virginis, & sanguinem quem fuderat in eodem loco cum suo velamine tersit, & posuit in capsam argenteam in palatio suo. Vbi diu noctuque furtiuis vicibus orare non cessabat, corpus autem S. Susannæ ipsa manibus suis ornauit, cum linteaminibus, & aromatibus, & posuit iuxta corpora SS. in cœmiterio Alexandri. Eodem die passio S. Tiburtij Martyris, de quo scriptum est in passione S. Sebastiani Martyris, quod conuersum ad fidem Christi, & baptizatum à Polycarpo Presbytero, S. Sebastianus eum à fonte baptismatis suscepisset, fortiter paganis, & infidelibus resisteret. Nam iussu Fabiani Præsidis super prunas ardentes nudis pedibus incedens, in nullo læsus est: Postea verò à prædicto Fabiano, machinante Torquato Apostata, gladio transuerberatus martyrium expleuit. Posthæc autem Torquatus egit vt Castulus, cetarius Palatij hospes Sanctorum, fuisset artatus, & hic tertiò appensus, tertiò auditus, in confessione Domini perseuerans, missus est in foueam, & dimissa est super eum massa arenarij, & ipse cum palma Martyrij migrauit ad Christum. Quod cum fortiter pertulissent, & laudem Domini cantassent, iussit eos iniquus iudex ambos ibi vbi stabant lanceis per latera verberari, & ipsi per Martyrij gloriam ad siderea regna migrarunt. Eodem die depositio B. Gaugerici Episcopi, qui in Eposio castro ortus fuit. Hic statim in iuuentute meditationi legis Dei, & psalmodiæ intentus fuit. Post verò à B. Episcopo Remensium ciuitatis, in * Cameracensi ciuitate Episcopus est ordinatus; qui multis virtutibus claruit, maximè in absolutione vinctorum, qui in carceribus custodiebantur. Cum ergo eos à Præsidibus, qui illos in carceres miserat, absolui non posset impetrare, ad Dominum prece fusa absoluere promeruit, qui etiam cæcos illuminauit, & infirmos curauit. Cum autem in Episcopatu suo XXX. & tres annos feliciter expleuit, ad Dominū migrauit: quod multis indicijs miraculorum iuxta sepulchrum eius ita factum claruit.

*Caij.

*Caio.

G

*Cameracensi.

H

II. Idus. In Sicilia ciuitate Catinensium natale * Eupli Diaconi, qui cum diutissimè torqueretur, decollatus est à Caluisiano consulari, tempore Diocletiani, & Maximiani.

*Euplij.

Idib. Romæ S. Hippolyti, qui tempore Decij ligatus pedib. ad colla indomitorum equorum, sic per carduos, ac tribulos tractus emisit spiritum, & Concordiæ nutricis

eius,

A eius, quæ ante ipsum plũbatis cæsa martyrizauit, & aliorum XIX. de domo eius, qui simul decollati sunt: Eodem die natale S. Gassiani Romæ, qui cum adorare Idola noluisset, interrogatus à persecutore; Quid artis haberet, respondit, quia pueros notas doceret, & mox spoliatus vestibus, ac manibus post terga reuinctis statuitur in medio, vocatisq; pueris, quibus docendo exosus factus erat, data est facultas eum perimendi, at illi quantum doluerant discentes, tantum se vlcisci gaudentes, alij eum tabulis, ac *buxibus feriebant, alij stylis vulnerabant: quorum quanto infirmior erat manus, tanto grauiorem Martyrij pœnam dilata morte faciebat. De quo scripsit Prudentius Poeta: Item eodem die Pictauis ciuitate depositio S. Radegundis reginæ & in Germania Prouincia S.* Vigcbertchri Presbyteri & Confessoris.

** ita est in MS.*

**Vuigberti.*

XIX. Calen. Septemb. natale S. Eusebij Presbyteri, & Confessoris, qui sub Constantio Imp. Arriano machinãte Liberio Præsule similiter Hæretico, confessionem suã compleuit. Nam prædictus Constantius subrogatu Liberij includit Eusebium Presbyterum in quoddam cubiculum domus suæ quod humile erat in latitudine pedibus quatuor, & ibi multis mensibus in oratione constanter perseuerans, inclusus tamen post Mẽses 7. dormitionem accepit. Nona decima Cal. Septembr. cuius corpus collegit Gregorius & Orosius Presbyteri, & parentes eius, & sepelierunt in crypta iuxta corpus B. Sixti Martyris, & Episcopi, via Appia in cœmiterio Callisti: vbi & titulum ipsius scribentes posuerunt pro commemoratione eius: *Eusebio homini Dei.* Eodem tempore auditum est à Constãtio Imper. eò quod Greg. & Oros. Presbyteri colligerent corpus Eusebij Presbyteri, & in eadem crypta viuum includi pręcepit Greg. Tunc Orosius Presbyter collegit semiuiuum B. Gregor, noctu occultè propter Constantium Augustum, & emisso spiritu sepeliuit eum iuxta corpus S. Euseb. Presbyt.

B

XVIII. Cal. Assumptio S. Mariæ, & in Nicomedia natale sanctorum Strationis, Philippi, & Eutychiani, cum socijs eorum.

XVII. Calend. in Alexandria natale Sancti Orionis, Æmilij. Agnati, in Perside natale S. Thyrsi cum socijs suis.

C

XVI. Cal. In Cæsarea Cappadociæ Mammetis, qui tẽporibus Aureliani Tyranni, quando persecutio maxima fuit Christianorum, cum puer esset decem annorum, relictis omnibus fugit in montem cum pecoribus suis, quæ ibidem pascebat, & lacte eorum vescebatur: vbi visitatio diuina super illum venit, eique præsignauit, qualiter pro Christi nomine pati deberet. Ergo cum feræ syluestres ad eum venissent, ipseque sedens quotidiè Euangelium legeret, mansuetissime circa eum versabantur, eorumque lacte seruus Dei & se, & alios pauperes in alimonijs iuuabat. Cum audisset hoc Alexander Præses, eum inter feras communiter viuere, Magicæ arti hoc deputauit: vocatumque ad se multis tormentis afflixit, hoc est equuleo suspensum torquebat, in caminum ignis ardentis misit, & in nullo eum ignis lædere potuit. Postea eum lapidare iussit, in tantum vt collectis lapidibus, & in Christi Martyrem proiectis penè coopertum corpus esset, quem persecutor mortuum credens secessit, sed Dominus Martyrem suum illæsum seruans postea diuina vocatione ad cęlestia regna eum arcessiuit: sicq; in pace animam reddens ad æternam requiem migrauit.

D

XV. Cal. Natale S. Agapeti Martyris, qui sub Antiocho Rege cum esset puer annorum XV. pro fide Christi passus est: hic neruis cædebatur, & flagellis atrocissimis fumum ignis adhibuerunt, & caldam bullientem fuderunt super ventrem eius, sed nihil illi nocuerunt, ad extremum decollatus est, & sic Martyrium suum compleuit.

XIV. Cal. Natale Sancti Magni, * seu S. Andreæ Martyris cum socijs suis duobus millibus quingentis nonaginta septem.

** item*

XIII. Calen. Samuelis Prophetæ. In Alexandria natale Dioscori, & alibi depositio Filiberti Abbatis. In Lucania sanctorum Valentiniani, Leontij. In Sinnada ciuitate sanctorum Piricij, Arci, Maximi Confessoris, Pamphili, Coloui Confessoris.

E

VII. Cal. In Hispanijs natiuitas S. Vincentij, & Ioliani. In Sardinia natale sanctorum * Luxuri, Traiani, in Gauali Vico Minatensi natale S. Priuati Martyris.

**Luxorij.*

XI. Calen. S. Timothei, qui ab Antiochia veniens Romam sub Miltiade Papa susceptus est in hospitium à Syluestro, qui postea Episcopus factus est, qui cum annum totum, & aliquot menses ibi prædicans multos ad Christum conuertisset, tentus à Tarquinio vrbis Præfecto, & longa carceris custodia maceratus cum sacrificare Idolis noluisset, tertiò cæsus, & grauissimis supplicijs attrectatus, ad vltimum decollatus & iuxta Beatum Paulum Apostolum sepultus est. Scriptum in historia Sancti Syluestri. Eodem die Augustoduno passio S. Symphoriani Martyris.

F

X. Calend. Passio trium fratrum sub Lysia præside in prouincia Lycia, ciuitate Ægea, hoc est, Claudij, Asterij, Neonis, quos singillatim præses torqueri præcepit, primum Claudium equuleo suspendi, flammas pedibus ex parte laniatis adhiberi, testa acutissima, & candela ardente latera eius aduri, Asterium vero fratrem eius similiter iussit in equuleo suspendi, carbones ardentes sub pedib. eius substerni; tertium fratrem eius, hoc est, Neonem iussit in ceruice torqueri, carbonis supermitti, & neruis dorsum eius cædere. Mulieres autem, hoc est, * Domninam, & Theonillam proijcere in terram, & alapis eas cædi, & capita * tondi, & sic carbonibus succendi: ad extremum vero corpora eorum sacco inclusa in mare iussit demergi.

** Donuinam.*

** tonderi.*

IX. Cal. Natale Bartholomæi Apostoli, qui nomen ex Syra lingua suscepit, & interpretatur *filius suspendẽtis aquas.* *Lycaoniam prædicauit: Ad vltimum in Albano maioris Armeniæ vrbe viuens à barbaris decoriatus, atq; per iussum Regis Astyagis decollatus, sicque terræ conditus, IX. Cal. Septemb.

**in Lycaonia.*

VIII. Calend. Passio Genesij Martyris sub Imperatore Diocletiano, qui fuit primum sub gentilitate arte mimus sed postea Christi Confessor factus, multis modis à persecutoribus est cruciatus, hoc est fustibus cæsus, equuleo suspensus, flammis adustus, nouissime decollatus.

G

VII. Cal. Natale * Herenęi, & Abundij Romæ, quos Deciana persecutione iussit Valerianus in cloaca necari: eo quod corpus B. Concordiæ in cloacam missum leuarint, & ipsorum quoque corpus leuauit Iustinus Presbyter, & sepeliuit, in crypta iuxta B. Laurentium.

** Irenai.*

VI. Calend. In Gallia Arelato ciuitate depositio S. Cæsarij Episcopi. Augustoduno depositio sancti Syagrij Episcopi.

V. Cal. In Africa depositio S. Augustini Episcopi, qui primo de sua ciuitate propter Barbaros Sardiniam translatus, nuper à Luitbrando Rege Longobardorum * Ticinis relatus, & honorifice conditus est. Eodem die natale S. Hermetis Martyris.

**Ticinũ.*

IV. Calend. In Venusio ciuitate Apuliæ, natale Felicis Episcopi ciuitatis Tubrozensis, & Ianuarij Presbyteri. & Fortunatiani, & Septimini Lectorum, qui temporibus Diocletiani in sua ciuitate tenti à Magnelliano Procuratore XVIII. Calend. Iulij, inde multis diu vinculis, & carceribus macerati, & in Asia, & in Sicilia, tandem in occisione gladij consummati sunt. Natale S. Sabinæ Martyris. Eadem die celebratur decollatio S. Ioannis Baptistæ, qui primo in Samaria conditus, nunc in Alexandria: porro caput de Hierosolymis ad Phœnicis vrbem * Emissam delatum est.

H

** Edessam*

III. Cal. Romæ natale Sanctorum Martyrum Felicis, & Audacti, Gaudentiæ Virginis cum reliquis tribus, & depositio Agili Abbatis.

II. Calend. Treuiris depositio sancti Paulini Episcopi, & Confessoris, qui cum pro fide Catholica à Constantio Imperat. filio Constantini exiliatus fuisset, ibidem requieuit.

A

SEPTEMBER.

Cal. Septembr. Cennomannis ciuitate Galliæ natale * Victoris Episcopi. Nam dum S. Martinus Turonensis Episcopus perrexit ad sepeliendum Leporium Pontificẽ supradictæ vrbis,& venisset ad oppidum,respiciens,vidit hominem operantem in vinea, eratque Clericus, Subdiaconi officium adeptus: reuelatumque est sancto Dei, eo quod ipse esset successurus in Episcopalem locum: vocauitque illum Sanctus Martinus ad se dicens illi: *Benedic me Domine Victor*: Cui ille, *Benedic tu mihi Domine mi, & benedictus sermo tuus*. Sicq; iussu sancti viri secutus est eum, quem conuocata plebe, atque coadunata ordinauit Episcopum, eiusque filium Victorinum nomine baptizauit,& secum ad nutriendum ad Dei seruitium tulit: quem etiam post obitum patris defuncti eidem ciuitati ordinauit Episcopum.

*Victorij

IV. Nonas. Lugduno Galliæ depositio Iusti Episcopi, & Confessoris, cum post Diaconatum Antistes ordinatus est, tanta puritate, modestia, pietate, patientia per multos rexit annos, tanta circa pauperes cura, tanta diuinorum mandatorum obseruantia, vt etiam magnificos, atque præstantes illos Domini Sacerdotes omni præiret gratia virtutum, sed ita ingenti gloria suæ plebis, populi Domini Ecclesiæ præsideret, vsq; ad expulsionem eius frementis Diaboli exarsit inuidia. Hunc ergo cum seditio populi persequebatur, post multas tribulationes in peregrinationem perrexit: atque solo secum comitante puero in Ægyptum peruenit, ibique inter Anachoretas strictissimam vitam duxit, & nobiliter conuersatus est: quem S. Antiochus Presbyter Lugdunensis pio incitatus officio vsque ad visitandum suum Episcopum peregre animo intendit, quem etiam ad se venturum S. Iustus Episcopus prædixit his qui secum erant. Post aliquot vero dies S. Dei migrans de hoc sæculo, ossa sua ad sedem suam diuino nutu transferri promeruit, ibique honorifice sepeliri.

B

III. Nonas. In Alexandria Aristippi Episcopi, & in Syria Antonini pueri annorum XX. & Aristonis Episcopi, & in Caudis Vitaliani.

C

II. Nonas. In vrbe Cabilonensi. Natale sancti Marcelli Martyris, qui sub Antonino Imperatore per Priscum Præsidem passus est. Nam cum nollet Idola adorare, multipliciter torquebatur. Sanctus ergo Martyr in animo cælesti virtute roboratus, secundum loca Idolorum, ita & supplicia commutabat, equuleis extensa membra catenarum stridore laniat, ignium * globibus vrit, & dissolutis ictibus attus exustá corporis elementa iungebant: Sed Athleta fortissimus auctoris sui Iesu Christi intra viscera retinens passionem gloriosiore certamine triumphabat, & antiquam fidem tormentorum nouitas mutare non poterat. Hoc semper iniqui persecutoris interrogationi respondens, fieri nequaquam posse, vt qui Deum viuum sensibus recepisset, saxa sensu carentia, aut simulachra Dæmonum adoraret; Quem nequissimus Præses, cum in suppliciis diuini fauoris gratia aduerteret fortiorem, inaudito crudelitatis exemplo, plusquã furore persecutoris insaniens, defodi eum cingulotenus iussit, sed triduo in laudibus Christi omnipotentis Domini ac Dei sui ore, & amore perdurans: Interim terris membra terrena commendans, Spiritum sanctum emisit ad cælos.

*ita MS.

D

Nonis. In portu Romæ natale Taurini, * Eraculani, & In Alexandria, Nymphi, & Saturnini, & depositio beati Ingenui Episcopi, & in Campania Quinti.* In Galliis ciuitate Vesontione, natale sanctorum Ferreoli, & Ferrutionis.

*Herculani.

VIII. Idus. Zachariæ Prophetæ: Romæ via Salaria miliario ab vrbe quiquagesimo, natale S. Eleutherij Episcopi. In territorio Cappadociæ ciuitate Rucensi, natale S.* Cuttidi, Eugenij Episcopi, & sociorum eius.

*Cottidi.

VII. Idus. Natale S. Chlodoaldi Confessoris. In Campania natale Innocentij, & in Beneuento Ianuarij, Festi, Acuti, & S. Synori, & Desiderij: Atelato Galliæ ciuitate natale S. Augustalis Episcopi: Aurelianis ciuitate S. Euortij Episcopi, & Confessoris, qui post Desinianum ipsius Ecclesiæ Episcopatum meruit, qui etiam diuino nutu per columbæ speciem Spiritus S. electione ad Episcopatum percipiendum dignus ostensus est. Sicut in vita eius conscriptum legitur. Hic nobili, & sancta conuersatione dies suos compleuit, & miraculis claruit, ipseque diem obitus sui per reuelationem agnoscens, S. Annianum Episcopum futurum, ne seditio in populo oriretur, prælegit, sicque ad cælestem gloriam transiuit. Æduæ ciuitate in Galliis, loco Alisiana, natale S. Reginæ Martyris cuius gesta habentur.

E

VI. Idus. Natale sanctæ Dei genetricis: & in Nicomedia S. Adriani Martyris, cum aliis XXIII. & in suburbanis Magontiacensis Ecclesiæ natale S. Disibothi Confessoris.

V. Idus. Romæ Gorgonij Martyris, & Candidi, Cyrini, Domiciani, Eunoici, Sisinnij, Erachilij, Alexandri, Ioannis, Claudij, Athanasij, Valentis, Eliani, Melicij, Eedicij, Acacij, Iubiani, Eliani, Theoduli, Cyrilli, Flauij, Seueriani, Valerij, Chudionis, Sacerdonis, Prisci, Enacij, Iuuenalis, Philoctimonis, Etij, Micalli, Lysimachi, Theophili, Euticij, Xanthij, Aggij, Leontij, Insitij, Gaij, Basilidis. Hi omnes simul quadraginta passi sunt, temporibus Licinij Imperatoris, & Agricolai Præsidis & Lysiæ Ducis. Eodem die in Sabinis passio celebratur Iacinthi Diaconi, & Martyris, qui à Luxurio persecutore traditus est consulari Leontio. Hic cum non posset eum compellere, vt sacrificaret Idolis, misit in ignẽ: qui statim extinctus est: Postea misit eum in aquam, sed sanus ad littus reductus est. Luxurius vero cum à serpente percussus, iuxta quod sanctus vir ei prædixerat, tumidus in via iaceret: Nam serpens cum iuxta arborem præteriret, cecidit per caput eius inter collum, & capitium tunicæ, & sic in ventrem irrupit: Attamen ille impius iussit Consulari Leontio, vt capitalẽ sententiam sancto Martyri inferret. Sicque corona Martyrij sanctus vir migrauit ad Dominum.

F

IV. Idus Romæ depositio Hilari Papæ, per quem Victorius ordinem Paschalem conscripsit: Eodem die depositio sancti Saluij Episcopi, de cuius sanctitate Gregorius Turonensis Episcopus scripsit: narrans, quod per reuelationem vidisset diuinæ vocis euaginatum gladium imminere super * tegulum: quod Hilpericus Rex iussit construi. Cui visioni veritas statim secuta est. Nam post dies XXII. Filij Regis in eadem domo obierunt.

*ita habet MS.

G

III. Idus. Romæ Proti, & * Iacinthi, qui erant Eunuchi sanctæ Eugeniæ Virginis, & cum ea à Romana vrbe Alexandriam venientes ab Heleno Episcopo, qui eorum aduentus per visionem reuelatus est, recepti in Monasterio quodam sub virili habitu inter Monachos conuersabantur, postea vero cum Melanthia quædam fœmina maliciosa Eugeniam sub virili habitu degentem masculum suspicans, per eam stuprari desideraslet: sed patefacto arcano Eugenia non vir, sed fœmina esse comperta est: coacta imperiali præcepto, cum Eunuchis suis Romam rediit; ibi simul cum Basilla Virgine prædicti duo Eunuchi iussu Gallieni Augusti gladio interfecti sunt. Beata vero Eugenia postmodum; hoc est in VIII. Calen. Ianuarij, pro Christi nomine passa, cum Martyrij corona migrauit ad Dominum.

*Hyacinthi.

H

II. Idus. In Antiochia natale Timothei, & in * Pampelia natale Syri, & in Sicilia ciuitate * Cathena natale Eupli: Lugduno ciuitate depositio B. Sacerdotis Episcopi. In Galliis ciuitate Augustoduno depositio B. Euantij Episcopi.

*forte Pamphylia.

*Catana

Idib. In Gallia ciuitate Turonis, depositio Lidorij Episcopi.

XVIII. Calend. Octobr. Sancti Cornelij Episcopi, cui primo os cum plumbatis cæsum, & sic decollatus est, cum aliis XXI. promiscui sexus, & Cerealis miles cum vxore sua Sallustia, quam Cornelius ab infirmitate sanauerat. Passus sub Decio: hic Cornelius temporibus suis rogatus à quadam matrona Lucina corpora Apostolorum beati Petri, & Pauli de catacumbas leuauit noctu: primum quidem corpus beati Pauli, beata Lucina accepit,

& po-

A & posuit in prædio suo via Ostiensi ad latus, vbi decollatus fuit: beati vero Petri corpus, beatus Cornelius accepit Episcopus, & posuit iuxta locum vbi crucifixus est, inter corpora sanctorum in templo Apollinis in monte Aureo. In Vaticano palatij Neroniani. III. Calend. Iulij. Eodem die natale S. Cypriani Episcopi, qui sub Valeriano Principe post longum exilium detruncatione capitis martyrium consummauit, sexto milliario à Carthagine iuxta mare, & depositio S. Materni Episcopi. Eodem die exaltatio est sanctæ crucis.

XVII. Cal. Passio Nicomedis Martyris: Eodem die natale S. Apri Episcopi, & Leobini Confessoris. In Alexandria natale S. Serapionis, Leontij, & Aneyra Galatiæ natale S. Seleuci, Valerij, & Cyrionis: & in Tomis Stratonis, & Macrobij, & in Nuceria in Campania natale Constantis, & in * Anquira natale Pauli Episcopi, & in territorio Cabilonense Castro Nortio natale S. Valeriani Martyris. Lugduno Galliæ depositio Albini Episcopi.

*Ancyra.

B XVI. Cal. Natale S. Euphemiæ Virginis, quæ martyrizauit sub Diocletiano Imperatore, Procôsule autem Prisco, in ciuitate Chalcedone, quæ tormenta, & carceres, verbera, & argumenta totarum, ignes, & pondera lapidũ angularium, bestias, & plagas virgarum, serras acutas, & sartagines ignitas, rursum morsum bestiæ pro Christo superauit, & ad mille passus ciuitate Chalcedonis, sepulta est à patre suo Philosophroue Senatore. Eodem die passio Martyrum Luciæ, & Geminiani celebratur: qui sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus passi sunt. Igitur Lucia erat permanens in viduitate per annos triginta, & sex. Erant autem omnes anni vitæ eius 75. vt in libello passionis eius scriptum repetitur. Hæc per Euprepium filium suum apud Imperatores prodita, eo quod Christiana esset, tenta est, & in vinculis posita, de supplicijs varijs, quæ ei persecutor ingessit, erepta est. Nam carcerem in fluuium connertit, ipsaq; verberibus applicata, nihil sensit: Immo cædentem se lapideum fecit, templum Deorũ ex gemmis, & auro fabricatum ruere à fundamentis fecit, ignem exsuperauit, picem, & plumbum in aquam cõuertit. Nec in his pœnis lædi potuit: immo Geminianum socium passionis suæ adquisiuit, cum quo persecutoribus fortiter veritatem prędicans ad extremum per Apophrasium præsidem decollari iussi sunt, & sic ad regnum cæleste migrarunt.

C

XV. Cal. in Britannia Socratis, & Stephani, & in Gallia prope ciuitatem Traiectum in villa Liudouico passio Lãdeberti Episcopi, qui ab infantia Dei seruitio mancipatus fuit. Hic septem annos vitam sanctam agens inter Monachos habitauit. Postquam autem Faramundus de sede Pontificali depositus est, & eiectus de Prouincia Traiectense, tunc agmina Clericorum, & vulgus populorũ vna pariter voce ingenti postulabant Dñm, vt Pastorem eorũ Dominum Landebertum recepturi essent, quem consentiente Pipino tunc principe ad propria recipere meruerunt: ibique per plures annos in Ecclesia Dei nobiliter vixit. Hunc vero Dodo domesticus iam supradicti principis Pipini machinatione pessima occidi fecit. Ipse vero per innocentem mortem ad Dominum migrauit.

D

XIV. Cal. Mediolano depositio Eustorgij Episcopi, & Satyri. In Chalcedonia natale Trophimi, & in Nicomedia natale Ioeiani.

XIII. Cal. In Neapoli Campaniæ natale sanctorum Ianuatij, Beneuentanæ ciuitatis Episcopi, cum *Fossio Diacono *Misenatis ciuitatis, & Diacono suo Festo, & Lectore suo Desiderio, qui post vincula, & carceres capite sunt cæsi in ciuitate Puteolana sub Diocletiano Principe, Iudice Dracontio, qui cum ducerentur ad mortem viderunt inter alios Proculus Puteolanæ ciuitatis Diaconus, & duo Laici, Eutyches, & Acutius, & interrogauerunt, quare iusti occidi iuberentur: quos iudex vt vidit Christianos, iussit decollari cum illis. Sic omnes septẽ pariter sunt decollati, & tulerunt noctu corpora Christiani, & Neapolitani, Ianuarium posuerunt iuxta ciuitatem in Basilica * Mesenate; Sossiũ æque in Basilica Puteolani, Proculũ, Eutychen, & Acutiũ iuxta Basilicam S. Stephani, Festum, & Desiderium Beneuentani collegerunt.

*Sosio *Misenatis.

*Misenate.

E XII. Cal. In Cyzim natale sanctorum Faustæ Virginis, & Euilasij sub Maximiano Imperatore: quã idem Euilasius cum esset primus Palatij iussit decaluari, & tradi ad turpitudinem, deinde torqueri, ac suspendi: quo tempore coruscatio de cælis facta multos ministrorum percussit: Deinde iussit loculos adferri, & eam immissam, ac fixam, quasi lignum secari mediam; sed non eam carnifices ferris lædere valebant: Quæ inter stupens Euilasius Christo credere cœpit; & hoc vbi Imperatori nunciatum est, misit præfectum, qui eum suspensum fortiter torqueret: qui etiam iussit Faustam nudam, & sine * Maforte educi de carcere, & ei caput terebrari, ac clauos infigi, cui postmodum non solum caput & facies, sed & pectus, & totũ corpus vsque ad tibia clauis impletum est. Posthæc & sartaginem igniri iussit: sed hęc illa psallente refriguit. Hęc inter veniens vox de cælo vocauit eos, & sic tradiderũt Spiritum. Erat autem Fausta annorum tredecim, & Euilasius LXXX.

*ita habet M.S.

IX. Calend. Natale S. Matthæi Euangelistæ in Æthiopia, qui cum ibi prædicaret verbum Dei, & multos ad fidem Christi conuerteret, nouissime speculator missus ab Hirtaco Rege, qui eum gladio feriebat, efficiens Martyrem Christi. F

X. Calend. Sanctorum Martyrum Thebæorum Mauritij, Candidi, Exsuperij, & sancti Emmerammi Martyris.

IX. Cal. Natale S. Sosij Diaconi * Mesenatis ciuitatis in Campania, qui cum esset annorum triginta, martyr cum B. Ianuario Beneuenti Episcopo capitis decollationem suscepit, tempore Diocletiani Imperatoris, is cum tempore quodam legeret, in Ecclesia * Mesenatæ ciuitatis præsente Episcopo Ianuario, frequenter enim eum pro sanctitate, & prudentia eius visitare consueuerat, vidit subito idem Episcopus de capite eius flammam exurgere, quam nemo alius vidit, & pronuntiauit eum martyrem futurum, & post non multos dies idem Diaconus tentus, & in carcerem missus est: ad quem visitandum cum venisset Episcopus cum Diacono suo Festo, & Lectore suo Desiderio, & ipse cum eis simul tentus, ac pariter omnes cum alijs tribus occisi sunt. Eodem die natale Teclæ in Oriente Iconio ciuitate, quæ à Paulo Apostolo instructa in confessione Christi ignes, ac bestias deuicit, & post multa certamina, ac doctrinam multorum, veniẽs Seleuciam requieuit in pace. Item eodem die Romæ passio Lini Papę, qui post Apostolos primus cathedram Episcopalem ibi tenuit. an. XI. menses VII. dies XIII. G

*Misenatis.

*Misenata.

VIII. Cal. Conceptio Ioannis Baptistæ & in Augustoduno, natale Andochij Presbyteri, Thyrsi Diaconi, & Felicis qui à sancto Polycarpo Episcopo ab Oriente directi ad docendam Galliam sub Aureliano Principe sunt gloriosissime coronati: siquidem flagellis cæsi, in vltimo tota die inuersis manibus suspensi, in ignem missi, sed non cõbusti. Tandem vectibus colla feriuntur, vbi Symphorianus tunc XX. annorum, qui postea passus est, semper vigilias & orationes agebat. Eodem die depositio Solemnis Episcopi, qui ab infantia Dei seruitio deuotus fuit, quod etiam miraculis claruit. Nam cum quadam die itineris sui proficisceretur Callem, obuium habuit hominẽ à natiuitate cæcum, surdum & mutum, quem complexus collo osculauit, & cito sanũ reddidit. Hic etiam cum defuncto Carnotensi vrbis Episcopo electus est ad Episcopatũ, quẽ ergo inuitus accepit: Ludouicum vero Regem adhuc Paganum, qui eodem tempore Francis imperabat, cũ vellet contra Gothos in bellum pergere, signo crucis, in corde & in pectore armauit, & sic victoria de hostibus potitum, ac domi reuersum simul cum S. Rhomigio Rhemensium vrbis Episcopo diuina fauente virtute cum gratiæ alacritate baptizauit; & cum eodem trecentos septuaginta nobiles Satrapas sacro fõte regeneratos in Spiritu S. adoptionis parturiuit filios: sicque memoratus sanctus Dei tres Olympiadas gerens in Episcopatu de hac luce migrauit ad Christum. Romæ natale Priscillæ, & Liberi Episcopi, & Confessoris. Lugduno Galliæ depositio S. Lupi Episcopi. H

VII. Calen. Natale sancti Firmini Martyris. In Asia natale

A

tale Bardomiani, Eucarpi,& aliorum XXVI.

VI.Calen. Sanctorum Martyrum Cypriani Episcopi, & Iustinæ, quorum Iustina sub Diocletiano multa propter Christum perpessa, ipsum quoque Cyprianum, cum esset Magus, & magicis suis eam dementare conaretur, conuertit ad Christum; cum quo iam Episcopo, & nobili Doctore facto martyrizauit sub Claudio Principe.

V.Cal.Cosmæ, & Domiani sub persecutione Diocletiani,& Maximiani, Præside eius Lysia in ciuitate Ægea; qui post multa tormenta, vincula, & carceres toleratos, post mare & ignes, crucem, lapidationem, & sagittas diuinitus superatas capite plectuntur.

IV.Cal. Romæ natale Stacteі, & in Africa Martialis, Laurentij,& aliorum XX. Antisiodoto depositio S.Alodi

B

*Salomonis.

Episcopi. In Gallia ciuitate Genua depositio *Saloni Episcopi; Eodem die in Germania depositio Leobæ Virginis, quæ in Britannia Insula ex Saxonum gente nata, virginitatis propositum in Monasterio posita nobiliter seruauit, postea verò à S.Bonifacio Archiepiscopo Moguntiacēsis Ecclesiæ in Germaniam aduocata, vt famulas Dei in Monasterijs Germaniæ diuinis Scripturis instrueret: vbi non solum multa miracula viuens fecit, imo post obitum in Bochonia sylua, hoc est in Monasterio Fulda, iuxta decretum S.Bonifacij sepulta, non paucis miraculis sanctitatem suam declarauit.

III.Calen. Dedicatio Ecclesiæ S. Angeli Michaelis in monte Gargano. In Thracia ciuitate Eraclea natale *Euticij Plauti: Antisiodoro depositio Fraterni Episcopi.

*Eutychij.

II.Cal.In Bethleem Iudæ, depositio Hieronymi Presbyteri, cuius vita & doctrina vbique in Ecclesijs Christi laudabilis exstat: quomodo diuinos libros ex lingua Hebræa in Latinam transtulit, Propheticosque libros sensu allegorico exposuit. Cum autem octoginta, & octo annorum dies expleuit, vitam præsentem deserens, ad æternam requiem emigrauit.

O C T O B E R.

C

Cal.Octob. In Gallijs ciuitate Antisindorense, depositio S.Germani Episcopi. Rhemis ciuitate Remedij Episcopi. *Adradis ciuitate, B.Vedasti Episcopi, Ganda Monasterio S.Babonis Episcopi, quorum omnium conuersationes, & gesta miraculis plena conscripta habentur: Eodem die natale *Fronti Episcopi,& Confessoris, *teminibus vrbis *Petrocoricæ ex Ioco, qui dicitur Linicasio *felicem luminis sumpsit exordium. Sicque deuotus in seruitio inter Monachos habitans multis virtutibus claruit, & multos ad fidem Christi conuertit: ad extremum verò post sacros labores, qui per insiguia virtutum eius claruerunt, à præsenti tribulatione ad æternam migrauit requiem.

*Attrebatis. *Frontonis. *terminis *Petragoricæ. *felix.

VI. Nonas Octobris. In Gallijs natale sancti Leudegarij Episcopi,& Confessoris: In Nicomedia sancti Eleutherij.

V. Nonas. Apud antiquos Saxones natale duorum Hewaldorum Presbyterorum, qui cum Wilibrordo Episcopo venientes in Germaniam transierūt ad Saxones, & cum prædicare Christum ibi cœpissent, comprehensi sunt à Paganis, & sic occisi sunt: Ad quorum corpora noctu diu multa lux apparens, & vbi essent, & cuius essent meriti declarauit. Eodem die passio S.Leutgarij Augustodunensis, Episcopi celebratur, qui Christianorum Regū temporibus effectus est Martyr, hoc est, HLudharij Regis,& Theodorici fratris eius, nec non & Hiltrici, per factionem malitiosam Ebur wini, qui maior domus fuit,

D

crudelissimis tormentis afflictus oculorumque effossione cruciatus: ad extremum gladio peremptus est, post cuius martyrium multis miraculorum signis Dominus reliquias ipsius glorificauit.

IV.Nonas.In Ægypto, Marti & Mauriciani. Romæ Marcelli Episcopi,& in Africa Audacti: Antisiodoro depositio Marsi Presbyteri.

III.Nonas.In Sicilia natale *Eutici, & aliorum triginta. In Gallijs ciuitate Valentia depositio B.Apollinaris

*Eutychij.

E

Episcopi. Et in Gallijs ciuitate Antisiodoto natale sanctorum germanorum Firmati Diaconi,& Flauianæ virginis Deo sacratæ.

II. Nonas. Depositio S. Marci Episcopi, & in Apulia, Casti, & *Emili: In Gallijs ciuitate Agenno natale S.Fidei Martyris. In ciuitate Antisiodnto depositio Romani Episcopi.

*Aemylij.

Nonis. Octobr. passio sanctorum Martyrum Sergij, & Bacchi, qui sub Maximiano Imperatore pro Christi nomine passi sunt. Nam Sergius primicerius, & princeps erat Gentilium amicus Imperatoris. Beatus verò Bacchus, secundicerius erat eiusdem Scholæ Gentilium. Hi ergo ab Antiocho duce pro Christi nomine iussu Maximiani Imperatoris passi sunt: ita vt Bacchus dum extēsus crudis flagellis cæderetur, emitteret spiritum. Sergius

F

vero post multa tormenta gladio cęsus est,& sic migrauit ad Christum.

VII. Idus Oct. natale Reparatæ virginis, & Martyris, quæ passa est in Cæsarea vrbe Palæstinæ sub Decio Præside. Hæc cum nollet Idolis sacrificare, primo adhibita est illi olla plumbo feruente impleta: postea abscissæ sunt illi mamillæ,& lampades ardentes adhibitæ, deinde in caminum ignis ardentis missa est, quę cum in nullo ibi fuisset læsa, ad extremum decollata est, & continuo de collo eius exiuit columba alba: cuius corpus rapuerunt Christiani,& conditum aromatibus sepelierunt.

VII.Idus. In Parisio passio Dionysij Episcopi, & Martyris. Eleutherij Presbyteri,& Rustici Diaconi: quos referunt à Clemente Papa in Galliam ad prædicādum verbum Dei missos,& ibidem martyrizatos. Eadem die natale est Domnini Martyris qui sub Maximiano Imp. propter fidem Christi decollatus est iussu ipsius Imperat. hic post martyrium suum multa miracula fecit in sanitate infirmorum,& debilium.

VI. Idus in Britannia Paulini Eburaci Episcopi.

G

V.Idus in Gallia ciuitate Turonis depositio Venantij Abbatis,& Confessoris.

IV.Id. Romæ natale *Hedisti,& in Syria *Eustati Presbyteri, & Euchatisti, Butri, Bonati,& in Campania *Patriæ Fortunatæ.

*Edistij. *Eustachij. *ita habet MS.

III.Idus. In Hispanis natale Fausti, Marci, & Adriæ, & in Chalcedonia Marcelli,& in Alexandria S. Anastasij Episcopi.

II.Id. Natale S. Callisti Papæ, qui in persecutione Alexandri Imperatoris diutius in carcere famæ cruciatus, & quotidie fustibus cæsus, per visionem à Presbytero suo Calepodio, qui antea Martyrium consummauerat, confortatus,& consolatus est. Qui in carcere eodem positus, quendam militem nomine Priuatum ab vlcerum dolore, ac fœditate simul curauit. Quod audiens Alexander, ipsum quidem militem fecit plumbatis deficere. Beatum vero Callistum per fenestram domus præcipitari, & ligato ad collum eius saxo in puteum demergi, & in eum per rudera cumulari. Post dies vero quatuordecim Presbyter eius Asterius cum clericis noctu veniens leuauit corpus, & sepeliuit, in cœmiterio Calepodij. II.Id.Oct. Eodem die Corduba ciuitate S. Lupi, Aureliæ. Lugduno Galliæ translatio corporis Iusti Episcopi,& Confessoris.

Idibus. Gallis in Colonia Agro Pinensi natale Maurorum,& in Capua Libuli, & sanctæ Fortunatæ *in patrias.

*for. Imperatricis

XVII.Cal.Nouemb. Depositio S. Galli confessoris. In Asia natale Cereæ,& aliorum 270.

XVI.Cal. In Nicomedia Alexandri. In Mauritania Nini, Victutij, Nobilitani, Mauriani, Lucij, Mittini, & Crescentiani.

H

XV.Calen. S. Lucæ Euangelistę, qui fuit Syrus Antiochensis arte medicus, discipulus Apostolorum, postea Paulum secutus vsque ad confessionem eius, seruiens Domino sine crimine, neque vxorem vnquam habens, neque filios. 74. annorum, obijt in Bithynia plenus Spiritu sancto, & Romæ sanctæ Triphoniæ vxoris Decij Cæsaris, quæ viro suo post interfectionem beatorum Xisti, & Laurentij diuinitus punito petijt se baptizari cum filia Decij Cyrilla à Iustino Presbytero, & alia die

defuncta

A defuncta est, ac iuxta sanctum Hippolytum in crypta sepulta.

XIV. Calend. Natale S. Pelagiæ, quæ primum fuit sub gentilitatis ritu meretricis officio functa, & mundanis illecebris dedita: postea vero per gratiam Dei, & S.* Nonnonis Episcopi dogmata ad fidem Christi conuersa, & ab eodem Episcopo baptizata, totam substantiam, & supellectilem suam pauperibus erogauit: ipsaque cilicio induta, & vili indumento vestita in peregrinationem perrexit, & in Ierosolymis sub virili habitu monasticam vitam duxit. Construxerat enim sibi paruulam cellulam in monte Oliueti, vbi Dominus cælum ascendit; & ibi vitam præsentem finiuit, atque ad vitam æternam feliciter migrauit.

*Nonni.

XIII. Calend. Natale Simplicij, cuius castitas, & vita miraculis probata, multorum salutis causa fuit, ita vt trium millium hominum multitudo gremio genitricis Ecclesiæ exciperetur, ac vitalis lauacri fonte dilueretur.

XII. Cal. S. Patris nostri Hilarionis, cuius vitam Hieronymus virtutibus plenam conscripsit. Eodem die natale S. Asterij Presbyteri Callisti, qui cum corpus eius eleuatum de puteo sepelisset, post dies tres audiens hoc Alexander Imperator, præcepit eum per pontem præcipitari. Cuius corpus inuentum est, & a quibusdam Christianis in eadem ciuitate sepultum. Scriptum in passione S. Callisti Papæ.

B

XI. Cal. In prouincia Thraciæ & in Adrianopolitana ciuitate passio Philippi Episcopi, & Seueri Presbyteri, atque Hermetis Diaconi, qui persecutione sæuiente Christianorum Ecclesias claudere, & spoliare iussu Imperatoris per iniquos præsides contradicebant, & ob hoc per Passum Præsidem nec non & Iustinum multis tormentis afficiebantur, hoc est carceribus, vinculis, flagellis, ad vltimum vero flammarum incendio, sed Domini virtute roborati vsque in finem in confessione nominis eius perseuerauerunt.

X. Cal. Natale Venantij Abbatis, qui spreto sæculi luxu, & nuptijs carnalibus, elegit Monasticam vitam, qua Deo soli seruiret. Nam cum in Monasterio S. Martini, Abbatis officio functus, die Dominica oratione expleta reuerteretur, super bacellum sustentatus, in medio Confessoris atrio erectis auribus, oculisque ad cælum diutissimè attentus stetit immobilis. Deinde motus à loco cœpit dare gemitus, ac suspiria longa producere, interrogatusque à suis quid hoc esset, aut si aliquid fuisset diuinum intuitus enarraret: respondit: *Væ nobis inertibus, & pigris, ecce iam in cælo Missarum solemnia expediuntur, & nos segnes nec inchoare cœpimus huius ministerij Sacramentum. Verè*, inquit, *dico vobis quod ego audiui voces Angelorum in cælis sanctus in laude Domini proclamantes*, & dicto citius in Monasterio Missarum solemnia cœpit explere. Sed nec illud præteribo: quod quadam vice dum iuxta consuetudinem vt suprà diximus, de Basilicis quas orationis gratia adierat repedaret, & in Basilica ad Missas Dominicæ orationis verba decantarentur, cum illi dixerunt, *libera nos à malo*, audiuit è tumulo cuiusdam vocem dicentem similiter: *Libera nos à malo*, quod non sine perfectionis merito censetur, vt hęc meruisset audire. Postea multa miracula gessit magnarum virtutum gratia pollens, impletoque vitæ præsentis curriculo vitam percepturus æternam, emigrauit ab hoc sæculo.

C

D

IX. Calen. In Nicomedia natale Seueri & Dorothei. In Cæsarea Cappadociæ natale Longini.

VIII. Cal. Passio Martyrum Christi, Chrysanti, & Dariæ, qui sub specie coniugij castitatem seruauerunt perpetuam. Nam Chrysantus Dariam à gentilitatis errore, & magica superstitione conuertit ad fidem Christi, & sic inter varia tormenta, quæ à Numeriano Imperat.* primum Claudius Tribunus pęnis eos afficiebat, sed per virtutem Dei, & orationes sanctorum conuersus est ad fidem Christi, qui etiam Martyr Christi simul cũ vxore & liberis meruit fieri. Postea verò per Celerianum quendã carcere & pœnis traditi, & ad extremum in foueã profundam submersi, sanctas animas ad cælestia regna miserunt. Similiter eodem die Crispinus, & Crispinianus sub Maximiano, & Diocletiano Imperatorib. in Suessionis ciuitate per Ritiouarum Tyrannum Christi Martyres effecti sunt. Nam idem Ritiouarus præclaros Martyres extensos ad trocleas cædere fustibus iussit. Deinde iussit sudes in vngulis eorum mitti, & loros singulos de dorso tolli, sed ab hac pœna diuino auxilio liberati sunt. Tunc Ritiouarus furore insaniens molas ad singulorum colla iubet suspẽdi, & hyemis tempore in fluuio cuius vocabulum est Axona velut sub glacie demergi, at illi scuto diuinæ protectionis virtutis dicebant læti: *Supra aquam refectionis educabis nos Domine*, sed famulante creatura sua Deo Martyres eius nec aqua mergere, nec petra premere: nec frigus potuit stringere, sed potius quasi æstiuis lauacris* delectatis proiecto molari onere; ad alteram natantes illęsi peruenerũt fluminis ripam. Hoc viso Ritiouarus miraculo, instigante Diabolo exagitatus ira: iussit eos rursus vinctos custodire, & plumbum iniectum igni liquefieri. In quo Martyres sanctos consumendos demergeret. Sed quos quia Christi dextera protegebat inuicta, illæsos reddidit ignis: quibus hæc operantibus exiliens gutta plumbi feruentis in oculum Ritiouari, graui illum dolore cruciãs excæcauit. at is fremens insania possessus, dum medelam corporis, animæq; debuit implorare, mortem sibi accelerauit insaniens. Nã picem adipem oleumq; simul iussit feruere, & sanctos denuò Martyres in eam præcipitari, quasi consumendos pœna præcepit. At vbi ministri obtemperantes perfecerunt cuncta quæ sibi ab impio fuerunt imperata, S. Martyres spei suæ immobiliter incumbentes alacres fiducialiter Deo in oratione dixerunt: *Potens es Domine Deus noster de illatis nos ab impio liberare tormentis. Et sicut nos voluisti per confessionem tui S. nominis pati: ita ad confusionem Diaboli, & satellitum eius ab hac etiam pœna illæsos educere.* Mox oratione finita eduxit eos Angelus Domini sine dolore ab igne. Tunc videns se inimicus nihil illatis aduersum Christi Martyres præualuisse supplicijs, sese cõcite furens Ritiouarus præcipitauit in ignem, & ita morte pessima vitam finiuit indignam. Nam Maximianus mox audita satellitis sui Ritiouari perditione, vtrumque Crispinum videlicet ac Crispinianum gladio punire præcepit, qui à iamq; imminente ceruicibus suis gratiarum Domino actionem persoluentes, vitam præsentem felici morte finierunt. Ipso die Romæ via Salaria 46. militum, qui simul baptizati à Dionysio Papa, & mox iubente Claudio Imp. decollati sunt: ibi sunt & alij Martyres 121. inter quos fuerunt 4. milites Christi Theodosius, Lucius, Marcus, & Petrus, scriptum in passione S. Sixti.

H

*videtur aliquid deesse.

E

Ps. 22.

*delectati

F

VII. Cal. In Nicomedia natale Luciani, * Floti, & Heraclidæ, Martiani.

G

*Florij.

VI. Cal. Vigilia Apostolorum Simonis, & Tadęi. In Sardinia natale Proti & Ianuarij, & in Phrygia Eumeni, & Cononis, Diodori, & Metrouij.

V. Cal. Apostolorum Simonis, & Thadæi, & Romæ S. Cyrillæ filiæ Decij Cæsaris, quæ sub Claudio Principe iugulata, & necata est gladio, & sepulta à Iustino Presbytero cum matre sua iuxta S. Hippolytum.

IV. Cal. in Lucania S. * Iacinthi, Quintini, Felicianæ, Lucini.

*Hyacinthi, Quinti, Feliciani & Lucij.

III. Cal. Romæ natale S. Pontiani Papæ, & Martyris, qui ab Alexandro Imperatore cum Hippolyto Presbytero in exilium est deportatus in Sardiniam insulam vbi est defunctus.

H

II. Calend. in Gallijs S. Quintini qui sub Maximiano Imperat. martyrium passus est, & post annos LII. inuentum est reuelante Angelo corpus eius, & sepultum IIX. Calend. Iulij.

NOVEMBER.

Calend. Nouembr. In Castro Diuionensi natale Benigni Presbyteri, qui cum Andochio conpresbytero, & Thyrso Diacono missus est à sancto Episcopo Polycarpo ab Oriente Galliam tempore Aureliani, qui prædicatione eius comperta vinctum eum, & cæsum ad se adduci præcepit, & audita sermonum eius constantia ner-

A uis durissimis eum cædi fecit, & Terentio Comiti superandum tradidit, à quo ad trochleas extēsus est, & cæsus, ac rursum carceri mancipatus, manè Idola orando destruxit, & reductus est in carcerem, cui fubulas decem calentes in manibus infixerunt, & à plumbo remisso pedes in lapide perforato fixerunt, & canes duodecim feroces cum eo incluserunt per sex dies, & attulit ei Angelus panem cęlestem, fubulas abstulit, & eum de plumbo, ac ferro eripuit. Post hoc collum eius vecte ferreo tundi, & corpus lancea forari iubetur: quo facto Columba niuea de carcere Christianis aspicientibus ad cælos ascendit, & odor suauissimus quasi paradisi secutus est: Discedente Aureliano à loco superuenit Leonilla, & conditum aromatibus corpus nō longè ab ipso carcere sepeliuit. Eodem die natale S. Cæsarij Diaconi, & Iuliani Presbyteri, qui videlicet Cæsarius tempore Claudij Imperatoris veniens ex Africa ad Terracinam Campaniæ ciuitatem. Dum contra Idololatras proclamaret in publico, tentus est à Firmino Pōtifice, & in custodiam reclusus, vbi diebus multis maceratus deinde traditus est Leontio Consulari Campaniæ. Quem ille cum verbis superare nequiret, iussit vinctum ante carpentum suum ducere, ligatis manibus, nudum, vsque ad templum Apollinis, quo cum peruenissent, ad orationem eius corruit templum, & occidit Pontificem Firminum, post hæc reclusus in carcere à Luxorio primo Ciuitatis, fuit ibi annum, & mensem vnum. Deinde eductus in foro, à Deo dum oraret cælesti luce circundatus, vt ipse Leontius crederet, & Cæsarium qui erat nudus sua chlamyde indueret, & baptizaretur, ac corpus, ac sanguinem Domini acciperet de manu Iuliani Presbyteri: nec mora, dicta super eum oratione Spiritum tradidit. III. Calend. Non. Tunc Luxorius iussit Iulianum, & Cæsarium mitti in saccum, & præcipitari in mare, qui eodem die reiecti sunt ad littus, & sepulti ab Eusebio seruo Dei iuxta vrbem Terracinam, & idem Eusebius postea martyrium passus est cum Felice Presbytero. Eodem die depositio Seuerini Monachi de Tiburtina ciuitate: Ipsa die memoria celebratur omnium Sanctorum, quod constituit Bonifacius Papa, qui delubrum vetustum, quod ab antiquis Pantheon vocabatur, concedente *Focato Cæsare, in honorē S. Mariæ Virginis & omnium Sanctorum dedicauit. Item in codē die in Monasterio Fulda dedicatio Ecclesiæ S. Bonifacij, & translatio corporis eiusdem S. Martyris.

**Phoca.*

IV. Nonas. In Africa natale Publij, Victoris, Hermetis, Iusti, & Papiæ.

III. Nonas. In Cæsarea Cappadociæ natale Germani, Domnini, Theophili, Vitalis, Iusti, & Eremitis. Eodem die depositio S. *Permenij Confessoris.

**Pirmini*

II. Nonas. Augustoduno depositio B. Proculi Episcopi. *Rotenus Galliæ natale S. Amantij Episcopi. In Gallijs *Beturicas depositio S. Inlusoris pueri, & Confessoris, & in Nioza Domnini. In Africa natale Primi, Cæsarij, Gregorij, Porfiri, Amantis, Saturini, Victurinæ, Perpetuæ.

**Ruthenis. *Apud Bituricas.*

D Nonis Nouem. In Tarracina Campaniæ ciuitate, Natale sanctorum Felicis Presbyteri, & Eusebij Monachi tēpore Claudij Imp. qui videlicet Eusebius cum sepelisset S. Martyres Iulianum, & Cæsarium, & ad sepulchra eorū orans ac ieiunans multos conuerteret ad fidem, quos Felix Presbyter baptizabat: tenti sunt ambo à Leontio filio Leontij Consularis ob eam maximè causam, quia Cæsarius patrem eius Christianum fecisset, & ad forum ducti, nec superati, inde in carcerem reclusi, & nocte eadem cum sacrificare nollent decollati, atque in fluuio sunt iactati, quorum corpora venerunt vsque ad mare, & reiecta sunt ad littus, atque à Presbytero quodam de Capua nomine Quarto inuenta, qui eā mox imposita vehiculo duxit in casam suam, & curiosè quærens etiam capita inuenit, ac iuncta corporibus sepeliuit iuxta S. Cæsarium.

IIX. Idus Nouemb. Depositio Wilbrordi Episcopi de gente Anglorum viri sanctissimi, & miraculorum gratia insignissimi: qui à Sergio Papa Romæ ordinatus in Germaniam ad prædicandum Verbum Dei est destinatus, ibidemque quieuit in pace.

E VII. Idus. In Africa natale Rogati, Donati, Iuliæ, Ianuarij. Eodem die natale S. Rufi Episc. vrbis Metensis, & Confessoris, qui trāslatus est à prędicta Vrbe, consentiēte Drogone Præsule, in Wormaciensem pagum in villam, quæ vocatur Oterheim, temporibus HLudarij Imper. & HLudouici Regis, vbi etiam sanctitas eius multis virtutibus claruit.*

**Hic desiderantur in Martyrologio duo dies. Vide Errata.*

IV. Idus Romæ depositio S. Leonis Episc. in Antiochia natale Demetrij Episc. *Amnesi, Eustachij, & sociorum eius. Aurelianis depositio B. *Minitoris Episcopi.

**Aniani, Eustosij. *Monitoris.*

III. Idus. Depositio B. Martini Turonensis Archiep. & Confessoris, cuius vita, & doctrina per miracula quæ Dñs per eum fecit, penè omnibus fidelib. claret, nec necesse est aliquid hic inde à nobis commemorari, quia ipsius vitā, virtutes, & signa Sulpicius Seuerus luculento sermone manifestè descripsit: nec non & Gregor. eiusdem vrbis Episc. in miraculorum libris plenissimè disseruit. Eodē die passio celebratur Mennæ Martyris, qui militiam terrenā deserēs, eò quod Dioclet. Imp. sæuitia Christianos cogeret Idola colere, & Deos falsos adorare, S. famulus Dei primum in eremum secessit, ac ibi Dño instanter seruiuit. Postea verò cum gentiles natalem diem prædicti Imp. celebrarent, venit in ciuitatem, & increpauit superstitiosos cultores Idolorum de vanitate sua. Per Bagasium Principem multis tormentis afflictus est, & eum à Christi fide F auertere voluit, & in errorem gentilium, atque ad militiā terrenam reducere. Sed Christi Martyr penitus hoc contradixit. Tunc Præses iussit eum primum in stipite tēsum neruis taurinis cædere: ita vt sanguis è corpore eius fluens in circuitu terrā repleret. Postea iussit fieri spinas ferreas, & præcepit ligari ipsum S. Martyrem Mennam, & super easdem trahi. Tunc Præses iussit eum contra humeros durissimè cædi. Deinde lampades ardentes mādauit supponi corpori eius: Allato autem igne & supposito ei per duas fermè horas nullum verbum ad Præsidem dixit, sed tantum clamabat ad Dominum dicens: *Christe Deus adiuua me:* nouissimè verò cum nullo modo cū Præses à Christo separare posset, iussit eum decollari. Sicque feliciter S. Dei relinquens præsens sæculum ad cæleste transiuit.

G II. Idus. In *Africa natale Sanctorum *Inauruli, Publi. In Cæsarea Cappadociæ natale SS. Germani, Theophili, Cæsarij, & S. Eusebij.

**Asia *Aurelij & Publij.*

Idib. In Turonis ciuitate Galliæ depositio S. *Bricci Episcopi, & Confessoris, qui fuit successor S. Martini in Episcopatu.

**Britij.*

XVIII. Cal. Decemb. In Heraclea ciuitate Thracię natale S. *Clentini, & Theodotæ, Filomini, Eracli, Martialis, Donati & aliorum multorum Sanctorum.

**Clementini, Theodoti, Philomeni.*

VXII. Cal. In Africa natale SS. Secundi, Fidentiani, Varici, & Martialis.

XVI. Calen. In Capua natale Augustini & in Africa Vitalis, Ianuarij, Lugduno Galliæ depositio S. † Euceri Episcopi.

† Eucherij.

XV. Cal. S. Patris nostri Gregorij miraculorum factoris, & in Aurelianis ciuitate Galliæ depositio S. Aniani Episcopi, & Confessoris.

XIV. Cal. Passio S. Romani Martyris qui sub Asclepiade Præfecto gloriā sacri Martyris adeptus est. Nā prædictus Asclepiades cum vellet S. Romanum à fide Christi auertere, & in paganicū errorem redigere, validis tormentis illum afficiebat: Ipse autem in fide recta, & confessione vera permanebat. Adscitus etiam fuit in testimonium paruulus infans, vt ipse ostenderet in professione sua, H vtrum Christus Dei filius, an falsi Dij adorandi essent: Ad hoc infans respondit, Christum Dei filium adorandum, non falsa numina Deorum. Iussit memoratus Præfectus ipsum infantulum valide tractari, sed tamen eum vincere non potuit, nec in errorem seducere, tūc Asclepiades iussit Romanum simul cum infante in carcerem mitti & postera die in validū ignē proijcēre, sed pluuia nimia à Deo missa illum extinxit. Ob hoc iratus Præses infantulum iussit iugulari. Romano vero linguam abscindere. Sed Dei gratia post linguæ abscissionem laudes Deo incessanter cecinit, & in Christi confessione perseuerauit. Quod

cum

A

cum nuntiatum esset Maximino genero Diocletiani, iussit eum in carcerem mitti, & ibi per noctem strangulari. Sicque sanctus Christi martyr XVIII. die Nouemb. mensis ad cœlestia regna migrauit.

XIII. Calen. In Cæsarea Cappadociæ natale Maximi, Muciani, Neophyti, & aliorum XL.

XII. Cal. In Heraclea natale Bassi, Dionysii, & in Cappadocia Cæsareæ * Agaperi.

* Agapli.

XI. Cal. Natale Mauri Martyris, qui ab infantia Christianus fuit, orationibusq; & ieiuniis Christum Dominũ deprecabatur, Eleemosynis viduis, & egenis frequenter impensis non minuebat. Cumque hoc per omnes dies vitæ suæ peragerer, nutu Dei Spiritus sanctus immisit in sensum eius, vt Monasterium ingrederetur. Cum ergo non multo tempore ibidem habitaret, ita cœpit ab vniuersis fratrib. diligi, vt veluti patrem cum omnes venerarentur. Cumq; complesset annos octodecim agens vitã Monachorum, introiuit in sensum eius desiderium, vt S. Petri Apostoli sedem visitaret, & proficiscens Deo auxiliante Romam peruenit, & cum omnia didicisset mysteria, vel regulam Ecclesiæ, multo magis in vrbe Roma

B

cœpit Christianis, & egenis consueta præbere solatia. Cũ vero illic demoraretur annis tribus, eodem tempore, quo Imperium obtinuit Numerianus impiissimus, & cœpit

* ita MS. per ciuitates vel prouincias suas præcepta * arguenter dirigere, vt si quis Christianus inuentus fuisset, & non Diis immolaret, diuersis suppliciis maceratus morti traderetur. Ipso namq; in tempore cum Præfecturam Romę promeruisset Celerinus, & ipse Idolis deditus diu requisisset per omnes ciuitates vel loca, vt sic vbi Christiani reperirentur, diuersis generibus tormentorum affecti deficerent: Hic beatum Maurum multiplicibus tormentis afflixit, hoc est, iussit eum primum fustibus nodosis cædi: Deinde plumbatis maxillas eius contundi: postea in equuleo suspensum vngulis radi & lampades ardentes lateribus eius applicari: ad extremum vero caput eius amputari. Cuius corpus noctu nautæ Africani cognoscentes eum ex sua patria ortum rapuerunt, & voluentes eum linteaminibus mundis cum aromatibus posuerũt in sarcophagum scripserunt ad caput eius dicentes: *Dei, & Christi Iesu*

C

* hoc *famulus Maurus * hunc sæculum pro Christi fide relinquens vitam æternam adquisiuit*: post aliquantos dies occulte eundem sarcophagum suum in nauem omnes nautæ vno animo leuauerunt. Quo facto peruenit ad præfecti Celerini notitiam, & iratus iussit omnes nautas comprehẽdere. Quo audito omnes fugerunt, & nullus eorum inuentus est, videns hæc Celerinus præfectus, consilio Diaboli armatus, iussit eandem nauim, in qua Martyris corpus erat, sarmentis impleri, & igne supposito in medio mari comburi, sed gubernante Domino Martyrem suum, vbi Christus voluit, ad portum salutis perduxit.

X. Cal. S. Ceciliæ, quæ & sponsum suum Valerianum, & fratrem eius Tiburtium ad credendũ Christo, ac martyrium perdocuit, & ipsa deinde martyrizauit, ignẽ quidem superans, sed ferro occisa sub Almachio vrbis Præfecto. Eadem die S. Mederasinæ Virginis. Ipso die natale Longini Martyris, qui militiam terrenam exercens, illo tẽpore, quo Dominus cruci affixus, adstans, iussus à Pon-

Mat. 27. tio Pilato præside, latus Domini lancea percutiens aperuit, & videns signa quæ fiebant propter Dñm Sole ob-

D

scurato, & terra commota, credidit in Dñm nostrum Iesum Christum, & percutiens pectus suum voce magna dicebat: *Vere filius Dei est hic.* Et posthæc recedens à militia instruebatur Dñi præceptis à sanctis Apostolis, & venerabilia Christi mandata seruans, accepit signaculũ fidei, totumq; se obtulit Dño, faciens Eleemosynas, & castitate corpus continens, puram custodiebat conscientiam, cælestem vitam gerens in terra. Hic cum esset Cæsareæ Cappadociæ, vixit habens quietam Monachorũ vitam annis 28. & multos auertens ab iniquitate, illuminabat verbo veritatis: prohibens Idolorum sacrificia, seminans verbo Dñi venerabilia præcepta. Igitur cum Octauianus Præses hoc audisset, iussit eum sibi exhiberi, volens auertere illũ à Christi fide, & vera religione, multisq; cum tormentis ob hoc afflixit: nouissime vero capitalem sententiam il-

E

lum iussit subire, ipseque Præses postea orans iuxta corpus S. Martyris recepit visum, & sanitatem, quam propter scelera sua ante perdidit.

IX. Cal. Romæ S. Clemẽtis Episcopi, qui iubente Traiano missus est in exilium trans Pontum mare, vbi multis ad fidem vocatis per miracula, & doctrinam eius, præcipitatus est in mare ligata ad collum anchora, sed recessit mare orantibus discipulis eius per tria millia, & inuenerunt corpus in arca saxea in templo marmoreo, & anchoram iuxta. Eodem die natale S. Felicitatis matris septem filiorum, Martyris, quæ iubente Antonino decollata est pro Christo, & in Monasterio Bobio depositio S. Columbani Abbatis. Natale S. Trudonis Confessoris.

VIII. Cal. Romę natale S. Chrysogoni qui sub Diocletiano martyrium compleuit. Scriptũ in passione S Anastasiæ. Ipso die natale S. Crescentiani, qui erat cum Cæsario Diacono, & Largo, & Smaragdo in carcere sub persecutione Maximini filij Maximiani, & eductus iubente Carpasio Vicario de carcere suspensus est in equuleum, & fustibus cæsus, vnguibus rasus diutius. Deinde flammis circum latera eius appositis diu vstulatus, emisit Spiritum

F

& ab Ioanne Presbytero sepultus est, in cœmiterio Priscillæ. Ipso tempore Maximinus interfecit sororem suam Artemiam, scriptum in gestis Marcelli Papæ.

VII. Cal. Natale S. Petri Episcopi Alexandriæ, qui cũ esset omnibus adornatus virtutibus, in scripturis quoque diuinis nulli priorum inferior, vere & Sacerdos, & hostia Dei, subito rapitur, atque ex Maximini præcepto capite obtruncatur, cum quo simul, & alij plures ex Ægypto Episcopi trucidantur. Scriptum in historia Ecclesiastica libro IX. In Nicomedia passio beati Marculi Sacerdotis, & Martyris, qui temporibus Constantis Reg. tyrannici per Macharianum, & Paulum persecutores maximos martyrium pro Christi nomine pertulit. Nam cum variis tormentis afflictus esset: tamen à professione rectæ fidei nullo modo auerti potuit: ad extremum vero per prædictum Macharianum in altissimam rupem adductus, inde præcipitatus est, sed tamen Christo protegente corpus eius integrum inter asperrimos scopulos, atque acutissimos seruatum est: Anima vero egressa de corporis erga-

G

stulo ad vitam migrauit æternam.

VI. Cal. Romæ depositio Sirici Episcopi, & Saturnini, & in Aquilea Valentini Episcopi, & in Capua Nicanoris, Cassiani, & Felicissimi. Augustoduno depositio S. Amatoris Episcopi.

V. Cal. In Nicomedia natale Marcelli, Petri, Numeri, Hictenæ, & Melosæ, & depositio Optati Episcopi.

IV. Cal. In Syria Trophimi, Theodoli, Expicaci, Euceri, Eusebij & Iulij.

III. Cal. Romæ natale S. Saturnini, * Serij, & Sisinnij * fenis.

Diaconi sub Maximiano, à quo primo inter alios damnati ad fodiendam arenam ad faciendas thermas Diocletianas. Deinde in carcere diu sunt macerati, vbi multos gentiles docentes baptizabant; & denuo educti vincti catenis, ac nudis pedibus ante præfectum vrbis Laodiciũ iussi sunt in eculeo leuari, & attrahi neruis, & fustibus, ac scorpionibus cædi, quibus etiam postmodum flammas ad latera iussit apponi & depositos de equuleo capite truncari, quorum corpora cum Ioanne Presbytero colligens Thrason vir Christianissimus, qui de facultatib. suis

H

Martyribus multa ministrauerat, sepeliuit in prædio suo via Salaria. His in medio certamine positis crediderunt duo milites Papias, & Maurus, qui mox comprehensi à Laodicio, & nõ multo post martyrio coronati sunt. Scriptum in gestis Marcelli Papæ. Eodem die in Galliis ciui- * Tolose

tate * Manneis, Saturnini Episcopi, & Martyris. Ipse vero Saturninus Martyr refertur, ab Apostolorum discipulis ordinatus in vrbem Tolosatium est directus, qui impulsu Paganorum bouis petulci religatus vestigiis per gradus Capitolij præcipitatus, præsentem finiuit vitam, capitis compage dispersa; cuius reliquiæ in pluribus locis miraculis claruerunt.

II. Cal. Natale S. Andreæ Apostoli, qui interpretatur virilis, vel decorus, frater Petri. Hic prædicauit Scythiã, & Achaiam, ibique in ciuitate Patras cruci suspensus oc-

A

cubuit. Romæ Castuli, & * Eucrepitis, & in Mediolano Ambrosii Episcopi.

DECEMBER.

*Euprepitis.

Calendis Decembr. Romæ natale Candidæ, * Viri boni, & aliorum XXX. & dedicatio Basilicæ S. Albani Martyris, atq; ordinatio B. Bonifacij Martyris.

IV. Nonarum Romæ natale Primenti, Pontiani, Pimini, Dafrosæ, * Dimetri, Iubiani. In Mauritania * Veri, Securi, Ianuarij, Victorini.

*Lucii, Rogati, Cassiani. *forte Demetrii, *Seueri, *Victoris, *Claudii, *Maximini.

III. Nonas. In Oriente Metrobi, Claudici, & Felicis. In Nicomedia Ambici, * Victuri, & Iulij. In Africa, Crispini, Maginæ, Ioannis, Stephani, * Victoris. In Pannonia S. Agricolæ, & in Tingi Cassiani Presbyteri.

II. Nonarum. Natale Barbaræ Martyris, quæ temporibus Imperat. * Maximiani passa est pro Christo. Nam Pater eius nomine Dioscorus diues valde, sed paganus, & colens Idola, ipsam filiam suam vnicam, eo quod nollet nubere, & Deos falsos colere, multis tormentis affligebat: nouissime vero præcepto Præsidis à suo patre decollata est: & completum est martyrium eius in bona cōfessione cum sancta Iuliana. Descendente vero patre eius à monte, descendit ignis de cœlo, & combussit eum ita, vt nec puluis eius inueniretur. Eodem die Heracli, Christiani, Pudentis. Monasterio Floriaco à partibus Romæ aduentus corporis sancti Benedicti Abbatis.

B

Nonis. Natale Dalmatij Martyris: natale S. Crispini, Felicis. In Africa ciuitate * Tagora natale Iulij, Potamitæ & Grati, & aliorum VII.

* Thagura.

VIII. Idus In Africa Zelori, Fortunati, Gathi: Eodem die natale Nicolai Myrensis Ecclesiæ Metropolitani Episcopi, qui temporibus Constantini Augusti cum Pagani, & Hæretici tumultuarent, & Ecclesiam Dei erroribus suis vexarent, adueniens illuc; compescuit errorem, & mitigauit persecutionem. Erat enim quidam Præses ibi nomine Eustachius, qui per cupiditatem pecuniæ multos Christianorum læserat. Nam amplius quam * ducentos pondos argenti, accepturus idem Præses erat, vt eos perderet: postea vero per inuidiam Diaboli non modica facta est persecutio in ciuitate à Magistro militum, & à Præfecto Ablabio, qui Imperatori persuasit falsis accusationibus sanctos Dei in custodiam mitti; quod cum factum fuisset, hoc est, vt Nepotianus, Vrsus, & Eupoleon intus in carcerem includerētur, iussit eos Imperator pernoctantes gladio capite truncari. Ipsi autē viri Sancti hoc audientes, puluerem capiti suo sparserunt, & clamauerūt ad Dominū, vt eos adiuuaret, dicentes: *Domine Deus sancti Nicolai miserere nostri, & sicuti fecisti in tribus viris, qui in Lycia inique, aut iniuste iudicati sūt mori, & saluasti eos: sic & nos salua sancte Nicolae serue Christi, & si longinquus à nobis es, propinquior nobis fiat tua deprecatio, atque postulatio; ad Dominatorem tuum Deum, & saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum, intercede pro nobis, vt salui facti ab iniqua & mortifera tempestate, digni efficiamur venire, & adorare sanctissima vestigia tua sanctitatis.* Hæc & his similia dicente Nepotiano; tunc hi tres quasi ex vno ore sic vociferati sunt, orantes. Sanctus vero Nicolaus ipsa nocte præsens apparuit Imperatori, & dixit ei: *Constantine Imperator surge, & dimitte illos tres viros, quos habes in custodia carceris, Nepotianum, & Vrsum, & Eupoleonem Magistros militum, quia ex summissione criminati sunt. Quod si non obaudieris me, pugnam tibi excitabo in doratio, & carnes tuas, & interiora bestiis tradam voranda: postulationem faciens contra te coram cœlesti Rege Christo*: Et dixit Imperator: *Quis enim es tu, & quomodo ingressus es in meum palatium?* Et dixit sanctus Vir: *Ego sum Nicolaus peccator, Episcopus, qui in Lyciæ metropolim inhabito*; & hæc dicens abscessit, & iterum in ipsa nocte, & hora ambulauit, & apparuit * Ababio Præfecto eadem dicendo: *Ababli latus animo, & mente surge, & dimitte illos viros tres Magistros militum, quos habes innocentes in custodia carceris. Quod si nolueris eos dimittere; & non audieris me, postulationes aduersus te faciam coram immortali Rege Christo; & in infirmitatem cades, & vermium comestione finieris, & omnis domus tua male peribit.* Et dixit ei Ablabius; *Tu autem quis es? & vnde huc veniens talia loqueris?* Sanctus vero Nicolaus dixit: *Ego sum Nicolaus peccator seruus Dei, qui est in Myra metropoli*, & hæc dicens simili modo discessit. Euigilans Imper. misit ad Ababium dicēs: *Vade nuncia Ababio Præfecto & dic ei, quæ vidi, & quæ audiui.* & intimaris eis omnib. dimisit eū; similiter & Præfectus remisit eundem præcursorem eadem denuncians Imperatori, & mox præcepit Impe. præsentari tres viros Magistros militū sibi coram omni cœtu, & generalitate, seu Præfecto, conuenientibus illuc; cum interrogasset eos de omnibus, & cognouisset veritatem visionis, quod per S. Nicolai preces innocentes custoditi sunt, dixit ad eos: *Hoc autem scitote, quod non ego donaui vobis istam vitam, sed quem vos inuocati estis sanctum Nicolaū; ad quem destinastis, tondete capillos capitis vestri, & mutate vestes vestras, & gratias referte ei. Memores estote & mei.* Deditque eis vt ferant secum vasa sancta diuersa: Et quidem Euangelium totum aureum, & * cereola aurea duo, & patenā auream lapillarim pretiosam ornatam, & misit eos Imperator, qui ambulantes in Lycia Myrensium metropoleos, adorauerunt S. Nicolaum, & totonderunt capillos capitis sui, & mutauerunt vestimenta sua. Et multum quidē cum lachrymis distribuebant pauperibus, de quibus habebant rebus, quæq; auri, & argenti, & vestimentorū: per multos autem annos faciebant hæc glorificantes, & laudantes Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, nunc, & semper in sæcula sæculorum Amen.

* ducenta pondo.

C

D

* f. Ablabio.

E

* thuribula.

F

VII. Idus. In Antiochia natale Polycarpi, & Theodori. Eodem natale S. Sauini Episcopi, & Martyris, qui temporibus Maximiani Augusti pro nomine Christi passus est simul cū Marcello, & Exsuperantio diaconibus suis. Nam Venustianus quidam vir clarus in Tusciæ partibus, cum ipsum sanctum Episcopum nō posset à fide Christi auertere, & ad Idolorum culturam perducere, iussit ei manus abscindere, eo quod statunculam Iouis in terram projiciens frangeret. Diaconos vero suos tormentis varijs torquebat, hoc est, equuleo suspensos, vnguibus latera eorum iussit lacerari, & ignem supponi, qui dum ibi spiritum exhalassent, iactari præcepit in fluuium corpora eorum, quæ per piscatores inde ablata sepulta sunt per quādam fœminam nobilem, nomine Serenam, de ciuitate Spoletana, cuius nepotem S. Sauinus dum esset in carcere positus benedicens illuminauit. Venustianus autem post aliquot dies diuino iudicio in oculis suis magnum dolorem sustinuit, quem sui pueri ad memoratum Episcopum perduxerunt: ipse vero sanctus Dei docens eum abrenunciare Diabolo, conuertit ad fidem Christi, & baptizauit eum cum vxore, & filiis. Quod cum comperisset Maximianus Augustus, misit militem suum vt amputaret caput Venustiani, & vxoris eius, & filiorum. Sauinum ergo in ciuitate Spoletana sine audicione tamdiu præcepit cædi, quousque deficeret, qui cum diu cæderetur, emisit spiritum.

G

VI. Idus: In ciuitate Verona natale S. Zenonis Martyris, quando aquæ fluminis Athesis, vsq; ad superiores tecti fenestras Ecclesiæ illius excreuerunt, nec in eam intrare potuerunt, virtutem Martyris ostendentes: & depositio S. Encharij Episcopi.

V. Id. In Africa natale Petri, Successi, * Turni, Publiciani, & aliorum XX.

* Bassiani, Primitiui.

H

IV. Idus. Natale S. Eulaliæ virginis in Barchilona ciuitate Hispaniæ sub Daciano Præside, quæ cum esset XIII. annorum post plurima tormenta decollata est, & reciso ab ea capite columba de corpore eius exire visa est. Eodē die sancti * Habundi, & Carposoli Martyrum.

* Abundij & Carpophori.

III. Idus. Romæ Damasi Papæ & Confessoris, hic constituit, vt psalmi die, noctuque canarentur in Ecclesia Christi. Eodem die Fusciani, * Victurici, & Gentiani martyrum.

* Victorici & Gratiani.

II. Id. In Hispanis ciuitate Emerita, natale Eulaliæ virginis, & Hermogenis, * Donatæ & aliorum XXII.

* Donati.

Idibus. Natale S. Luciæ virginis de Syracusis, sub Paschasio Consulari, quam cum * Leones corrumpere iubēte Paschasio vellent, nullatenus eam mouere potuerunt, nec funib. additis, aut boum paribus plurimis; picem resineam, feruens oleum, nil læsa suscepit. Tandem gladio in viscera merso percussa, nec tamen mortua est, donec venien-

* f. Lenones.

A

venientibus sacerdotibus communionem Dominici corporis & sanguinis accepit. Passa est tempore Diocletiani, & Maximiani.

XIX. Calend. Ianuar. In Antiochia natale Drusi, & sociorum eius Zosimi, & Theodori. Lugduno Galliæ sancti Viatoris Episcopi. Remis, Nicasii Episcopi, & * Sacrepi. Viennæ Lupicini Episcopi, Aspediæ, Theodoli.

*Eutropiæ

XVIII. Calend. In Africa natale Faustini, Lucij, Candidi, Celiani, Marci, Maximi, Ianuarij, Fortunati.

XVII. Calend. Rauennæ, Valentini, Naualis, Agricolæ, Concordij. Atelato dedicatio Basilicæ & altaris S. Genesij Martyris.

XVI. Cal. Sancti Ignatij Episcopi, & Martyris, qui tertius Antiochiæ post Petrum Apostolum Episcopus, undecimo Traiani anno ad bestias vinctus Romam missus est, reliquiæ ductæ corporis eius Antiochiæ iacent extra portam Dafniticam in cœmiterio Ecclesiæ.

XV. Cal. Laodicea ciuitate Theotimi, Basiliani. In Africa, Quinti, Simplicij, Pomponij, & Pauli.

B

XIV. Calen. in Nicomedia Zosimi, Cyriaci, Pauli, Secundi: natale sanctorum Anastasij, & *Siddimi Episcoporum. Antisiodoro B. Gregorij Episcopi.

*Syndimius.

XIII. Calend. in Thracia ciuitate Gildo, Baiuli. Romæ Zephyrini Episcopi. In Oriente natale sanctæ Teclæ virginis, & S. Liberati.

XII. Calen. Thomæ Apostoli, qui interpretatur abyssus, & Didymus, hoc est Christi similis. Hic Parthis, & Medis prædicauit, & destinatus ad Orientalem plagam, ibique Euangelium prædicauit. Lancea enim ibi transfixus occubuit in Calamia Indiæ ciuitate: ibi sepultus est cum honore XII. Calen. Ianuarias, & in Tuscia Ionis, & Festi.

XI. Calend. In Antiochia natale sancti Basilei, & Romæ via Lauicana intra duas lauros natale sanctorum XXX. Martyrum, qui omnes vno die coronati sunt. Romæ via Portuensi depositio sancti Felicis Episcopi, & alibi passio Theodosiæ virginis, & Didymi Monachi.

C

X. Calend. Natale Gregorij Presbyteri, qui temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum in Spoletana Vrbe, sub Flacco & Tircano Iudicibus multa tormenta passus est, hoc est, primum fustibus nodosis cæsus: postea in craticula ignea vri iubetur: ibique terræmotu magno facto intra ciuitatem Spoletanam oppressæ sunt, plusquam trecentæ animæ paganorum. Deinde in carcerem missus, & lampadibus ardentibus in lateribus accensis, ad extremum vero in medio amphitheatro ab Aqualino spathario capite truncatus, sicque ad æternam gloriam migrauit. Depositio Victoriæ Romæ sub Decio, quæ cum esset desponsata viro pagano Eugenio, & nec nubere vellet, nec sacrificare, post draconem pestiferum de illis locis expulsum, & post alia multa facta miracula, inter quæ virgines plurimas, quas ad seruiendum Domino in spelunca, qua prius draco habitauit, adgregauerat, percussa gladio in corde à carnifice Thaliaco comite rogatu sui Sponsi. Deposita est autem X. Calend. earundem. In Nicomedia natale Martyrum XXXV. & in alio loco Euaristi, Victoris, & aliorum 532.

D

IX. Calend. Ianuarij in Tripoli ciuitate S. Luciani, & natale Sanctorum Metrobij, Pauli, * Zenoti, Theutini, Timisti. In Antiochia Syriæ, natale sanctarum virginum XL. Canonicarum, & aliorum II. simul Drusi & Donati.

*Zenobii, Theotimi, & Drusi.

VIII. Calend. In Bethlehem natiuitas Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, & natale S. Anastasiæ, quæ tempore Diocletiani primo duram, & immitem custodiam à viro suo Publio perpessa. In qua tamen à Chrysogono Confess. Christi multum consolata, & confortata est. Deinde à Præfecto Illyrici in grauissima æquè, & diuturna custodia macerata est, in qua duobus mensibus refecta est cœlestibus escis per S. Theodoten, quæ prius martyrium passa est. Deinde naui imposita cum ducentis viris, & ducentis fœminis, vt demergerentur in mari, perlata est ad Insulas Palmarias, vbi per manus &

E

pedes extensa, & ligata ad palos fixos, & circa media eius ignis accensus est. In quo martyrium consummauit, & omnes qui cum illa venerant, variis interfectionibus martyrium celebrarunt. Eodem die natale S. Eugeniæ virginis, quæ erat filia Philippi Præfecti Alexandriæ, & totius Ægypti ab Imper. illuc transmissi. Hæc ergo propter fidem Christi, & castitatis amorem spreuit secularem habitum, & delicias mundi: induta est veste virili, & pergens ad S. Helenum Episcopum, simul cum Proto, & Eugenio Eunuchis suis, per quem baptismate ablui, monasterium Monachorum ingressi sunt, sub virili habitu monasticè conuersantes, vbi defuncto Abbate S. Eugenia in locum Abbatis statuta est, vbi sancta conuersatione, & miraculis claruit. Nam Melantiam quandam fœminam à febre signo crucis saluans: sed Diabolo instigante ipsa Melantia eam ad concubitum suum pertrahere voluit, sed cum hoc non consensisset, accusauit eam, quasi Eugenius Monachus, & Abbas eam stuprare voluisset. Sed hæc omnia per Philippum præfectum falsa inuenta sunt, quia ipsa Eugenia sese fœminam esse demonstrauit, non virum. Hoc etiam considerato Philippus pater eius, & Claudia mater, fratresque Eugeniæ Auctus, & Sergius conuersi sunt ad fidem Christi, & baptizati sunt. Postea vero S. Eugenia cum Proto, & Hiacyntho Romam perrexit, vbi & martyrizata est iussu Gallieni Imperat. per Nicetium Præfectum vrbis, qui cum eam cogeret Deæ Dianæ sacrificia exhibere, & illa nollet acquiescere: imo ipsum simulachrum in puluerem redegisset, iussit eam Præfectus saxo ad collum ligato in Tyberin proiicere, sed inde Dei gratia liberata, postea in fornacem ardentem missa est, sed nullo modo ab igne est læsa. nouissimè verò in die natalis Domini, sicut Saluator ipse ei ante reuelauit, per spiculatorem in custodia posita interfecta est. Sicque ad cœleste regnum migrauit.

F

VII. Calend. In oppido Hierosolymitano Cosargamala passio S. Stephani primi Martyris, & Diaconi.

VI. Calend. Adsumptio S. Ioannis Euangelistæ apud Ephesum, & ordinatio Episcopatus S. Iacobi fratris Domini, qui ab Apostolis primus ex Iudæis Hierosolymis est Episcopus ordinatus, & medio Pascha martyrio coronatus.

G

V. Calend. In Bethlehem natale sanctorum Infantum lactantium, qui sub Herode passi sunt pro Christo.

IV. Calend. In Afica natale * Domici, Victuri, Crescentij, Primiani, Lybosi Episcopi, & Romæ, in cœmiterio Callisti Felicis, & Bonifacij Episcopi de ordinatione. *

*Domicii, Victoris.
*Videtur aliquid deesse.

III. Calend. Turonis depositio beati Perpetui Episcopi, qui sancti Martini Ecclesiam ædificauit.

II. Calend. Depositio sancti Syluestri Episcopi, & Confessoris, & passio S. Columbæ virginis, Senonis sub Aureliano Imperatore, quæ superato igne cæsa est.

F I N I S.

H

A

HRABANI MAVRI EX MAGISTRO ET FVLDENSI ABBATE ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI.

POEMATA DE DIVERSIS

Nunc primum vulgata & scholiis illustrata.

STVDIO. R. P. CHRISTOPHORI BROWERI Societatis IESV Presbyteri.

LECTORI SALVTEM.

EN tibi, amice Lector, Hrabani versus ex Vespillonum manibus extorti, quos ex probato & peruetusto MS. cuius tamen Possessor latere voluit, renatos, tanquam à libitina vel inferis reducere & Domino suo restituere visum est. Libri Membranacei sed male excepti, Inscriptio erat.

B

VERSVS HRABANI DE DIVERSIS XIV. Ord. XIX.

QVæ manifesta velut Σημεῖα κλοπῆς, & compilatæ Bibliothecæ indicia. Interim rogatis vndique ad hæc mutila Poemata sananda auxiliis, exigua ab eruditis adhuc spes affulsit. Vnde licet in præsentia, iuxta Catonis dictum, exhibere nequeam. *Quod neque aceat neque muceat*, in triduo proximo tamen, vt ille loquitur, Viri boni arbitratu, Hrabani Pietatem & Sapientiam ceu vinum, degustes, licebit. Vale & fruere.

AD PASCHALEM PAPAM.

POntificalis apex, primus & in orbe sacerdos,
Petri successor, Pauli dignissimus hæres,
C
Paschalis pastor, Sanctorum ciuis in arce,
Respice nos miseros, perduc ad pascua vitæ,
Paschalem sequimur, Paschalis ad æthera pergat,
Christe Deus noster, Christus Rex suscipe votum.
Limina pande poli, Paschalis vt intret in aulam,
Grexque suus secum, tu Pastor sancte, valeto.

Ad Gregorium papam de libro Sanctæ crucis Sancto Petro directo.

Extant & supra to. 1. in lib. de S. Cruce.

SEdis Apostolicæ Princeps, lux aurea Romæ,
Et decus & doctor, plebis & almus amor.
Tu caput Ecclesiæ es, primus Patriarcha per orbem,
Præclarus meritis & pietate potens.

Pontifici summo illustre praconiu.

Sal terræ, mundi lux, atque vrbs inclyta Christi,
Perpetuæ præbens lucis iter populo.
Vestra valet cœlum reserare, & claudere lingua,
In terris positus clauiger ætherius.
D
Tu renouator ades patriæ, spes, rector, honorque,
Dulcis amor cunctis, dignus amore Dei.
Tempora sunt huius vitæ nunc plena periclis,
Bella mouent gentes, hostis vbique furit.
Vnde opus est valde, tua quod protectio fortis
Succurrat miseris, quos inimicus odit.
Eripe sancte piis monitis precibusque sacratis
Commissum tibimet Pastor ab hoste gregem.
Vt tua laus maneat, merces & gloria semper,
Cum Christo in cælis regna beata tenens.
Principi Apostolico Petro coniunctus in æuum,
In terris *vicem cuius & ipse geris.

Offert munus Pontifici.

PRæsul amate Deo te Papa Gregorius, oro
Inter oues proprias me vt miserum numeres.

E

Tit. operis W imphelingiano. Opus de S. Cruce.

Sisque tui famuli protector verus, & ipsum,
Æterno Domino restituas precibus.
Qui se totum offert, parua hæc & dona ministrat,
Commendans tibimet seque suaque simul.
Per te vt alma Crucis laus nunc acceptior exstet,
Principi Apostolico munere missa Petro:
Quæ Christi ad laudem conscripta est, tempore prisco,
Ludere dum libuit carmine versifico.
Credo quidem memet per te conquirere posse,
Vitam, quam nequeo per propria merita.
Te Deus æternus mundi mitissimus auctor,
Tempore longæuo protegat atque regat:
Vt valeas, vigeas, sanus & prospera captes,
Hic & in æternum regna superna metas.
Te vigilem seruet, qui non dormitat in æuum,
Nominis atque tui restituat meritum.

Gregorius vt vigilet.

Vt vigil, & cautus Pastor Gregorius adsis,
Sancte tuis ouibus, Papa beate, Vale.

F

Versus Mauri ex persona Albini magistri sui de libro Sanctæ Crucis ad Sanctum Martinum directo: vbi Magister pro discipulo suo Sanctum Martinum deprecatur.

SAncte Dei Præsul meritis in sæcula viuens,
Caussam, quam ferimus, suscipe mente pia.
Nempe ego cum fueram Custos humilisque minister,
Istius Ecclesiæ dogmata sacra legens

Albini officium apud Turones.

Hunc puerum docui, diuini famine verbi,
*Ethicæ monitis, & sophiæ studijs.
Ipse quidem Francus genere est, atque incola siluæ,
Bochoniæ huc missus discere verba Dei.

** Hraban' Francus sed orientalis.*

Abbas namque suus Fuldensis Rector ouilis,
Illum huc direxit, ad tua tecta pater.
Quod mecum legeret metri *Scholasticus artem,
Scripturam & sacram, rite pararet ouans.
Ast vbi sex lustra impleuit iam scribere tentans,
Ad Christi laudem hunc edidit arte librum.

** S. Crucis Acrostiche.*

Quo typicos numeros, tropicas & ritè figuras,
Indidit, vt dona panderet alma Dei.
Passio quid Christi mundo conferret honoris,
Qualiter antiquum vinceret & *celydrum.

** Chelydrum qui serpens a-*
G
qua terraq; victitans seruio quasi chersydr' ἀπὸ τῆς χέρσου ὕδωρ.

Quod hic venturum sancti cecinere Prophetæ,
Ac libri legis grammate ritè dabant.
Et quia se meminit nutritum in *domate claro,
Istius ecce loci, hinc tibi dona feret.

** Apud Turones Hrabanus vixit.*

Quæ licet indigna & vilia sint, tu tamen ipsa,
Patronus mitis, accipe quæso, piè.
Altithrono & redde pignus quod præstitit ipse,
Instanter poscens artifici veniam.
Qui quantum potuit, fecit, *non quantum debitor ipse,
Extitit, vt grates redderet ore Deo.

** nam.*

Crimine pro miseri largas tu funde potenti,
Alme preces Domino, sicque iuuato tuum.

Ad S. Martinum.

Qui multa infanda semet *fatetur egisse,
Ætas lasciua, quanta patrare solet.

** semet egisse fatetur.*

Sed spes firma manet, bonitas & firma Tonantis,
Ipsum quod saluet Omnipotens medicus.
Sanguine qui proprio laxauit debita mundo,
Abluit & fonte crimina multa sacro.
Tantum tu precibus ipsum meritisque sacratis,
Commenda Christo, sicque beatus erit.
Præsentem & vitam peragit, sospesque futuræ,
Seruatur patriæ, protege Sancte, tuos.

H

AD GERFRIDVM EPISCOPVM.

I.

SIt longæuus amor, sis sospes tempore multo,
Cum Christo regnans tempore perpetuo.
Hoc Rhaban vilis Gerfredo poscit vbique,
Exaudi Christe, tu sine fine, Vale.

2. Oratio

A

2. *Oratio Mauri ad Deum.*

OMnipotens genitor, qui rerum es maximus auctor,
Nate coæqualis, Spiritus atque Dei.
Vnus natura, personis trinus & ipse,
Viuificans cuncta, vita beata Deus.
Respice me miserum, Henrici & miseratus adesto,
Qui grauiter peccans æger in orbe *dego. *
Eripe me his inuicte malis, procul omnia pelle,
Quæ mentem & corpus crimina dira tenent:
Nam vitam variis maculatum erroribus omnem,
Atque tuam legem spernere non timui.
Lingua, mente, manu commisi noxia multa,
Textus Euangelij quæque vetare solet.
Et quid tunc volui deceptus fraude maligni,
Quem nunc sequebar amens, decipulam hostis amans.
Ae miser inferni redolentia sulphure stagna,
Ignem cum verme, perpete cum gemitu.
Elegi amare magis, quam dulcia gaudia cæli,
B Thuriferos campos, quam Paradise tuos.
Heu miser, heu demens, vbi nunc tua vita periret,
Quo sue dares gemitus tortus in igne *duce. *
Ni Deus immensæ bonitatis verus amator,
Humanæ formæ, retraheret miserans.
Fit quoque, quod dudum Psalmista ast voce canebat,
Cum stupuit mirans dona superna Dei.
Ni foret adiutor Dominus, iam infernus haberet,
Sontem truxanimam, & cruciaret eam.
Nunc Deus alme tuum famulum pietate sueta,
Conuersum recipe, quem dolor excruciat.
Sana contritum, flentem solabere mæstum,
Indulgens quæso crimina cuncta tuo.
Da mihi spem veniæ, fac corda *merentia læta, *merentia.
Commutans lacerum, iam facias placidum.
Daque fidem plenam, da spem, da pignus amoris,
Mandataque tua corde manuque geram.
Strinxi me voto, comple hoc pius arbiter orbis,
Natura fragilis quod celerare nequit.
C Sitque opus omne tuum, quodcunq; expendis alumno,
Sit tibi laus soli, gloria sitque tua.
Cum velis vitæ finem, finemque laboris
*Imponere, serno tunc miserere tno. *1
Ne occursus sæuus noceat, ne Tartarus ardens,
Missus sed lucis ducat ad astra poli:
Dum iudex venias meritorum iura rependens,
Iustifices seruum tunc, precor ipse tuum.
In dextra ponens, cum iustis præmia reddens,
Cernam quod vultum lucis in arce tuum.
Te bone Iesu precor, Rector, Saluator & auctor,
Quicquid protuleram rite loquendo prece hic.
Suscipias miserans famulum clementer, & audi,
Ardua poscenti, des quoque regna poli.
Portio sim plebis, laudes & in ordine cantem,
Sanctorum gratulans cantica grata tibi.
Gloria magna Deo, semper tibi gloria Christe,
Amen, in æternum, gloria magna Deo.

3. *Versus ad amicum.*

SAlue fidus amor, felix dilectio salue,
Sospes in orbe mane, sospes in ore mone.
D Carmina nempe tua dico meliora Maronis,
Carminibus celsi cantibus Ouidij.
Odis, quas cecinit Flaccus, verbosus Homerus,
Corduba quem genuit, Africa quem renuit.
Hi quia protulerant pompofis falsa Camœnis,
Rite rabescentes morsibus inuidiæ.
Tu deuota pijs connectis vincula verbis,
Decantans placide pectora amica notans.
Hoc rogo noster amor faciat, rogo versibus; oro,
Quod nostris scriptis sedulus ardor eat.
Sermo decorus ouet, seruetur regula dictis,
Nexibus & certis versus in arte meet.
Sic tua tunc sobrio decoratur fistula cantu,
E Laudaturque modo iure Poeta bono.
Det tibi summa Patris sermonem lingua loquela,
Christus in arce Deus, Rector in orbe pius.
Spiritus atque suus faciat tibi corda benigna,
Mentibus ac verbis vt Domino placeas.
Hæc tibi nunc breuiter festinus calle viator,
Scribere compulerat, tu sine fine Vale.

4. *Ad Baturicum* Episcopum ex persona Isanberti.*

Ratibonensem.

VAde libens charta, pro me transire iuberis,
Ipsa salutatum domata Patris adi.
Vrbem Regensem minitantia mænia cælo, *Ratibona.*
Qua fluuius Regan labitur arua rigans.
Illustrem hicque virum Batoricum quæso require,
Cui domus & patria Norica tellus ouat. *Norica tellus.*
Hunc ibi si inuenias, supplex ei dicito, Salue,
Præsul honeste Dei, plebis & altus honor.
Te celsum humilis Monachus, te sancte Sacerdos,
Compellat scriptis, dona superna petens,
Viribus vt corpus vigeat, sapientia mentem,
Imbuat, & totus sospes vbique *degas. *
F Grates sponte offert, laudat largissima corda,
Prædicat & dona, quæ sibi contuleras.
Altithronum poscit, qui diues regnat vbique,
Mercedem meritis reddat vt ipse tuis.
Accipe sancte Pater, labijs quod præstat alumnus,
Offert suppliciter quod tibi mente manu.
Nomen namque tuum perpendas, sicque vetentet,
Officium tractes, quod dedit omnitenens.
Tu Decus es populi, vocitaris Episcopus ipse,
Et superintendens, dux eris atque gregis. *Baturici Episcopi laus.*
Sal terræ, mundi lux accensaque lucerna es,
Vrbs firma, & celsi montis in arce sita.
Ducque via populos angusta, & præuius ito,
Vexillum portans primus in arma pete.
Victor victores superando hostilia castra,
Exponis Regi præmia larga merens.
Pastorum summus Pastorem constituit te,
G Pasce gregem Christi, proximus ecce venit.
Sic catus & cautus attendis ouilia circum,
Ne lupus irrumpat, ne leo dilaceret.
Nec fur effodiens intrans mactauerit agnum,
Sed Pastor veniens omne pecus habeat.
Iudex præcinctus migrans tibi rite ministret,
Et superexaltet omnia dona sua,
Agmina quo læta exultant, quo Virginis agnus
Pascit cum toto & grege rite suo.
Huc, huc tu properans festina pergere Pastor,
Hucque tuos tecum infere sancte Pater:
Sicque tui iure censeris nominis auctor,
Si Batotich pateas ore monendo tuos. *Baturici etymon.*
Si Christi regnum cœlorum, si annuis arcem,
Aufers si vitia, si facta dona dabis.
Hæc quoq; pauper inops, quamuis sis summus honore,
Misit congesta; accipe mente pia.
Nec spernas vilem, cum gazas gestet in arca,
Mens tibi deuota munera grata ferat.
Nominis ergo mei, si vlla te cura momordit,
Nomen Isanbertum me retinere scias.
Tu lapis altaris, tu gemma in stemmate Regis,
Tu clauis regni es, limina pande poli.
H Sum tibi deuotus, saluet te gratia Christi,
Sum tibi mente pius, audit ab arce Deus.
O pater alme poli custodi semper amicum,
Hoc pero Nate Dei, Spiritus atque Dei.
Qui triplex, simplex cœlorum sceptra gubernas,
Mundum fine capis, lumen & arce dabis.
Viuat hic sospes, vitam super æthera quærat,
Possideat vitam semper in arce tuam.
Quem videam lætum, lætus simul ipse manendo
In cœlis tecum summus in arce Deus.
Amen, hoc fiat. O-sanna fideliter hoc sit,
Poscamus ambo hoe, dulcis amice Vale.

A

5. Oratio ad Deum.

O Deus æterne, mundi sanctissime Rector,
Te mea mens ambit, animæq; ac viuida virtus,
Laus, amor atque decus, cordis tu lumen honestum,
Membrorum gestum, tu oculorum reddis & vsum,
Auribus auditum, manibus opus indis amatum.
Quicquid tellus habet, Pontus atque* æthera claudunt,
Et quicquid sentit, sapit, est, & viuit vbique,
Omnia nempe tua sapientia condita fulsit,
Viuificat, seruat, valido & regit omnia nutu,
Fac me summe pius toto te cordo fateri
Te sermone loqui, te discere dogmate recto,
Quærere te manibus, pura te & mente precati.
Tu via, tu virtus, tu vita, & ianua vitæ,
Tu merces operis, tu factor, tu quoque doctor.
Da mihi nunc veniam misero, & mea crimina laxa:
Fac me velle bonum, scire actu, & rite probare,
Sicque tuum lætum tribuas tunc cernere vultum,
Perpetuo, & vera me gaudia carpere fructu.

B

6. Ad Praclarum Episcopum.

ANtistes Domini meritis in sæcula viuens,
Doctor in orbe pius, magnus amor populis.
Nomine Præclarus, præclarus & arte magister,
Clarus & imperio, clarus & officio.
Sanctus Apostolica præfulgens mente Sacerdos,
Gaudia qui Christi de grege, Pastor habes.
Iustitiæ cultor, sanctæ & pietatis amator, *Praclari Episcopi encomiū.*
Firmus in officiis, verus in eloquiis.
Tu decus Ecclesiæ, plebis laus, gloria Cleri,
Exemplum vitæ, forma salutis ope.
Sal terræ, seu lux mundi, atque vrbs inclyta Christi
Æterni Regis stemmate gemma nitens.
Te Deus æternus multis feliciter annis
Concedat factum multiplicare gregem.
Vestra valet cœlum reserare & claudere lingua,
In terris positus Clauiger æthérius.
C
Te accendit Christus, posuitque in plebe lucernam,
Omnibus vt niteas dogmate, pace, fide.
Pande viam cunctis per dogmata sacra salutis,
Vt sis perpetuæ lucis iter populo.
Tempora sunt huius vitæ nunc plena periclis,
Nunc ruit orbis honor, deficit ipse simul.
Quæ ventura Deus prædixit sanctus in orbem,
Sæpius adueniunt signa tremenda nimis.
Frondea nunc ficus, flores è cortice mittit,
Æstiuos signans accelerare dies.
Sic hæc signa diem Domini testantur adesse,
Qua pius & iustus Rex Deus adueniet.
Eripe sancte piis monitis precibusque sacratis,
Commissum tibimet Pastor ab hoste gregem.
Illius est studium, eum pergit ouilia circum
Vt mactet, perdat, dissipet ac noceat.
Nempe tuus nisus semper sit de grege Christi,
Illæsum vt serues, consocianque iuues.
Ille tumens cecidit celsa de sede superbus,
Tu humilis scande regna superna poli.
D
Ille ima suadet, at tu cœlestia semper,
Plenus & ille dolo, tuque amore Dei.
Hoc opus antiqui Patres fecere per orbem,
Quorum dicta modo pagina sacra canit.
Et virtutis honor lato celebratur in orbe
Cœlestis quorum nomina charta tenet.
Hoc opus, hoc studium magni est Pastoris in orbe,
Nempe talenta sibi multiplicare data.
Nam iudex vigilat hominum super acta supernus, *Meritorū examen.*
Vt cunctos propriis iudicet ex meritis.
Flammiuoma veniet Dominus cum nube coruscans,
Actaque cum verbis discutiet hominum.
Tunc famulus sumet meritorum dona fidelis,
Lætus & intrabit gaudia summa Dei.
Vt tunc esse bonis felix merearis in istis,

E

Nunc durus tibi sit nullus in orbe labor.
Est rudis hic populus, est durus, quem regis ipse,
Sed miserante pio mitis erit Domino.
Mitia tradantur primo præcepta salutis,
Mentibus ignaris in nouitate fidei.
Vt tener in lacte gaudet infantilis ætas,
Fortia sic fortis dicta tenere valet.
Sit pius & prudens populorum doctor vbique,
Personæ agnoscens quid cui conueniat.
Lacte riget paruos, foueat & pane valentes,
Cum pietate omnes curet, alat, doceat.
Horrida nulla tuam frangat temptatio mentem, *Tentatio.*
Fixus sed maneas, vincere sicque vales.
Aurum flamma probat, iustos temptatio mundat,
Purior vtq; anima sidera celsa petat.
Hæc est vita viro iusto temptatio tota,
Sed patiens tolerat cuncta pro amore Dei.
Quis sine vel miles capiet certamine palmam,
Bella nefanda dabunt præmia magna suis.
Stemmate iam gaudet, belli qui scammate vincit.
Prælia post terræ regnat in arce poli.
F
Cum Christo vt regnes, concedat gratia Christi,
Summe Pater Pastor tempus in omne simul.
Et tua laus maneat, merces & gloria semper,
Cum Sanctis cœlo, & fine fine Vale.
Sis memor ipse mei, memoret te gratia Christi,
Præsul in æde Dei, sis memor ipse mei.

7. Idem ad eundem.

OMnibus in horis semper te sancte Sacerdos,
Deuotum cernent lumina Sancta Dei.
Sit tibi lex Domini dulcis super omnia mella,
Carior atque auri millia multa super.
Mentis præcedant operis nam lumina gressus,
Consilio facias, quæque tuis iubeas.
Sis Rector placidus, mansuetus, iustus vbique, *Exemplū Rectoris quid valeat.*
Exemplum cunctis moribus egregiis.
Quæ culpare soles, hæc tu ne feceris ipse,
Sermoque sit sophiæ conditus atque sale.
Sufficiat, rerum dederat tibi quod Deus ipse:
Sat diues est famulus, quique habet Dominum. G
Omnia finis edax deuastat gaudia mundi,
Pauper tum iustus regna superna capit.
Qui venturus erit Christus Rex inclytus orbi,
Vt cunctis reddat nam propria merita
Teq; tuosq; simul superam perducat ad arcem,
Vt viuas lætus regna beata tenens.

8. Item ad Praclarum Episcopum.

PErge mea citius Præclaro chartula nostro,
Prospere pacifice nunc ministrante Deo.
Et pete Præclari præclara tecta Magistri,
Fer sanctam pacem Præsulis atque bone.
Pectus amor nostrum penetrauit perpete flamma,
Ipse calore nouo semper inardet amor. *Amoris vis*
Nec mare, nec tellus, montes, nec silua, vel alpes
Huic obstare queunt, aut inhibere viam.
Quo minus, alme Pater, semper tua viscera cingat, H
Hic amor, ac penetret pectus amate tuum.
Omnibus est locuples, qui rebus abundat amicis,
Plures quam*expedit, nullus habere potest. *expediat
Optimus est*amicus Christi vestitus amore, *
Semper amicus amat, semper amandus erit.
Diligit Omnipotens sophiam nam semper amantem,
Cum sophia gazis omnibus est melior.
Semper amanda quidem est rerum doctrina bonarum,
Deuotus doctor carus erit Domino.
Non te, non mundum, Christum sed dilige solum,
Nullus te verbis vituperet merito.
Non opibus bona fama datur, sed moribus almis,
Non perdit pietas, quæque dabit misero.
Nil oculi prosunt, quibus est mens cæca videndi,
Luminis experti deuia cæca petunt.

A

Quanto maior eris, tanto moderatior esto,
Omnibus sis æquus, Rector vbiq; pius.
Viue Deo, vita felix, & viue per æuum,
Vera, beata, bona est viuere vita Deo.
Beata vita. Lætus in æternum Christo sociabere ciuis,
Ille manet semper, tu quoque semper eris.

9. *Idem ad Præclarum.*

Conditor omnipotens, Rector mihi mitis adesto,
Munera da verbi Conditor omnipotens,
Christi figura. Dicere quod valeam, signent quid prisca figuris,
Quid referet Christus, dicere quod valeam.
Vnicus ipse tuus tecum qui cuncta creauit,
Cuncta modo recreat, Vnicus ipse tuus.
Principio Dominus Paradisum plantat Eoo.
Paradisus. Ecclesiam format principio Dominus.
Flumina quadrifida Paradisi à fonte * manarunt,
Adam, Eua. De Christo fonte flumina quadrifida.
Virgine progenitum terra Deus extulit Adam,
B
Iesum de matre Virgine progenitum.
Eua. Condidit ex latere, sponsamq; viro dedit Euam,
Lignum scientiæ boni & mali. Sic Christo sponsam condidit ex latere.
Mors fera de stipite miserum sibi subdidit orbem,
Nunc prostrata iacet mors fera de stipite.
Cain Abel. Inuidus ergo necem frater iusto intulit olim,
Sic Iudas Christo inuidus ergo necem.
Terra maledicta. Terraque per hominem maledicti famina sensit,
Inuenit pacem terraque per hominem.
Arca Noe. Arca pios reuehit, tumidum ne absorbeat æquor,
Ne in mundo pereant, arca pios reuehit.
Cham patris irrisor. Frater iniquus enim nudum patrem improbè risit,
In cruce pendentem frater iniquus enim.
Hostia grata Patris fuerat senis vnicus hæres,
Isaac immolatus. Saluator mundi hostia grata Patris.
Nupsit & ipsa viro insigni nam ritè Rebecca,
Rebecca. Ecclesia Christo nupsit & ipsa viro.
Iacob. Præuenit ecce minor seniorem munere fratrem,
Antiquum populum præuenit ecce minor.
Ioseph. Repulit ille famem Ægypto tunc emptus Ioseph,
C
Venditus est Iesus, repulit ille famem.
Moyses. Repperit in fluuio Pharaonis filia Moysem,
Barbara gens Christum repperit in fluuio.
Agnus paschalis. Agnus ab hoste sacer * redemit in sanguine Patres,
Nosque cruore tulit agnus ab hoste sacer.
Mare rubrum. Obruit vnda nefas, populo gradiente per æquor,
Nunc totius mundi obruit vnda nefas.
Aqua deserti. Fons mara dulcis erat, ligni dulcedine mersa,
Sic crucis ex ligno fons mara dulcis erat.
Manna. Murmurat impietas manna veniente refecta,
Panis adest Christus, murmurat impietas.
Petra percussa. Post petra protulerat virga bis flumina cæsa,
Et passus Christus post petra protulerat.
Tabulæ legis lapideæ. Scribitur à Domino tabulis lex prima petrinis,
Nunc tabulis cordis scribitur à Domino.
Tabernaculum. Lex dedit indicium sontes persoluere pœnas,
Quodue salus veniat, lex dedit indicium.
Scænaque clara Dei in populo constructa priore,
Ecclesia est Christi, scænaque clara Dei.
Candelabrum. Hæc quoque candelabrum est septem distincta lucernis,
Quod luceat mundo, hæc quoque candelabrum est.
D
Arca Dei tegitur nam propitiante tabella,
Arca fœderis & propitiatorium. Ecclesia, & Christo arca Dei regitur,
Continet hæc tabulas, vrnam, sceptrumque triumphi,
Cum Christo binas continet hæc tabulas.
Altare. Victima hic placita est, ataque, ille ipse Sacerdos,
Pro mundi offensis victima hic placita est.
Aaron. Fratribus ipse quidem cunctis præfertur honore,
Chrismatis, & dono fratribus ipse quidem.
Rahab. Virginis hunc thalamus habuit meretrice negata,
Ecclesiæ sponsæ Virginis hunc thalamus.
Exploratores terræ promissæ. Ecce duo referunt vectores arbore Botrum,
Et populi Christum ecce duo referunt.
Carpitur igne sacro munus votumq; priorum,
Seditiosa tribus carpitur igne sacro.

E

Regna beata Patris legis non contigit hæres,
Datan Core Abiron. Iesus dispensat regna beata Patris.
Pellitur atque foras pugnis possessor iniquus,
Cum vitijs Zabulus pellitur atque foras.
Iesus Naue seu Iosue distribuens terram. Destruit arca Dei muros dum circuit vrbem,
Sic vrbem mundi destruit arca Dei.
Hostes expellens. Hostis enim mulier perfodit tempora palo,
Iericho corruit. Et crucis in clauo, hostes enim mulier.
Iabel Sisarā clauo perimens. Arca vellus habet, madido sed vellere sicca est,
Siccum tota madens area vellus habet.
Vellus Gedeonis. Hostica castra fugat, lagena, lampade, sistro,
Idem Madianitas vincit. Victor victorum hostica castra fugat.
Vincit honore Dei promisso in munere Iephte,
F
Affectum natæ vincit honore Dei.
Iephte filiam vouet. Agmina plus moriens strauit hostilia Samson,
Saluator noster agmina plus moriens.
Samson. Tu decus omne tuis, qui sternis cæde Goliam,
Dauid. Qui vincis mundum, tu decus omne tuis.
Salomon. Fortis & ipse manu, qui conteris ora leonis,
Helias. Immanis beluæ fortis & ipse manu.
Helisæus. Rex quoque pacificus construxit mænia templi,
Ionas. Ecclesiam Christus Rex quoque pacificus.
Zorobabel, Nehemias. Astra petiuit ouans Vatis quondam aurea curru,
Christus vmbras prophetarum explet. Cuncta super Christus astra petiuit ouans.
Morte Propheta refert puerum, quod virga nequiuit,
Quod lex non valuit, morte Propheta refert.
Ventre foratus enim latuit vt piscis Ionas,
Sic terræ Christus ventre voratus enim.
Dux bonus ille quidem redeunt quo à carcere plebes,
Quo ad vitam iusti Dux bonus ille quidem.
Maxima dona Dei cuncti cecinêre Prophetæ,
Impleuit Christus maxima dona Dei.
Virgo Deum genuit, verum hominemque Maria,
Nam prægnata Deo, Virgo Deum genuit.
Casta Virago nitet nullo temerante pudorem,
Post partum Pueri casta Virago nitet.
Vnicus adueniens compleuit vota priorum,
Firmauit nostra vnicus adueniens.
Sic homo, qui Deus est, spes dudum optata piorum,
Spes in fine piis, hic homo, qui Deus est.
G
Gloria cuncta bonis tua fit præsentia Christe,
Tormentum omne malis, gloria cuncta bonis.
Gloria magna tibi Trinus vere, & Deus Vnus,
Conditor omnipotens gloria magna tibi.

10. *Ad Fridericum Episcopum.*

Spiritus alme veni, dulces mihi condere versus,
Dilecto vt præstes mittere dona Patri,
Qui mox vt notus fidus mihi adhæsit amicus,
Non nostri merito, sed bonitate sua.
Spiritus hunc cernens pietatis munere plenum,
Ex humili in celsum extulit ipse locum,
In quo Euangelij sententia vera probata est,
Quæ Saluatoris edita voce manet:
Humilitas. Qui se humilem præbet, sursum exaltabitur ille,
Quique superba petit, pronus in ima cadit.
Sic te care Pater Antistes sancte sacerdos,
Erexit Dominus millia multa super,
Vt verbum fide claro tu famine narres,
H
Sis via, dux plebis ad sacra regna Dei.
Vos dixit Christus lux mundi, vosque lucernam,
Vos quoque sal terræ, hoc memorare piè.
Luceat en vestra lux ceu sol splendidus orbi,
Fiat opus vestrum gloria magna Deo.
Condat dogma bonum fluitantia corda reorum,
Ne malè putrescant nec ea vermis edat,
Nomen posco tuum, videas quid continet ipsum,
Et sic ex templo discere facta potes.
Allusio ad nomen Friderich. Sic monet, ergo piè, resonans, vlciscere pactum,
Quod gemino sensu vertere ritè valet.
Fœdus cum vitiis hominum tua vt vltio scindat,
Et Christi pactum firmet vbique pie.
* Non dedit hoc nomen dudum tibi cura parentum,
Baptismum quando forte tua tuleras.

** Nam.*

A Serui quicquid habent, Dominorum iure tenetur,
Sic ego quæ scripsi, omnia iure tenes.
Nec mihi ceu propria petulans hæc vendico scripta,
Defero sed vestro omnia iudicio.
Seu mihi hæc tribuas, seu non, tamen Omnipotentis
*Diuinitas semper det tibi cuncta bona,
Certamenque bonum cursu consummet honesto,
Cum Christo vt maneas semper in arce poli.

* Paupertatis studium in Hrabano.

14. *Ad Eigilum de libro quem scripsit.*

LEx pia cumque Dei larum dominans regit orbem,
Quam sanctum est, legem scribere, namque Dei.
Est pius ille labor, merito cui non valet alter
Æquiparare manus quem faciat hominis.
Nam digiti scripto lætantur, lumina visu,
Mens voluet sensu mystica verba Dei.
Nullum opus exurgit, quod non annosa vetustas
Expugnet, quod non vertat iniqua dies.
Grammata sola carent fato, mortemque repellunt,
Præterita renouant grammata sola biblis.
B Grammata nempe Dei digitus sulcabat in apta
Rupe, suo legem cum dederat populo,
Sunt, fuerant, mundo venient quæ forte futura,
Grammata hæc monstrant famine cuncta suo.

Scripturarum lectio, scriptio, tractatio.

Litteræ immortales.

Item ad eundem.

PResbyter ætate, meritis & præsbyter alme
Eigil, te Christus saluet in orbe Deus.
Sis mihi, quod posco, quodque opto, hoc esto benignus,
Præceptor, Pastor, semper amicus, honor.
Nec me contristant tua corripientia verba,
Cum scio, quod semper pectora amica tenes.
Verum dico tibi, nec me sententia fallit,
Te vnum præ multis corde tenere volo.
Sis mihi semper idem, quia sum tibi semper & idem,
Semper amicus amat, semper amandus erit.
Omnipotens Dominus Regnator summus olympi,
C Omnibus te * horis protegat incolumem.
In terris seruet, cœli perducat ad arcem,
Me tecum pariter dulcis amice Vale.

Reprehensio amici.

* horis te.

16. *Ad Gerbohum Presbyterum.*

CLauipotens frater simul * omonimusque sagittæ
Paruula hæc liceat carmina ferre tibi,
Quæ rapuit calamus subito dictantis ab ore,
Musaque lassa dedit tempore non solito.
Carmina sacra tibi resonent, carissime frater,
Sit semper Christus carmen in ore tuo.
Ipse Prophetarum ore fuit electa sagitta,
Hic clauis Dauid, Sophia & alta Dei.
Qui te perpetuis clemens conseruet in annis.
Gaudentem secum semper in arce poli.
Dicere quid possum de magna laude librorum,
Quos sub claue tenes frater amate tuo,
Quicquid ab arce Deus cœli direxit in orbem,
Scripturæ sanctæ per pia verba viris.
Illic inuenies, quicquid sapientia mundi
Protulit in medium temporibus varijs.
Hæ te deliciæ larga pietate fluentem
D Delectent, habeant, possideant, teneant.
Nil tibi cum mundo, mundus dum præterit omnis,
Illius ac pariter & decus, & species.
Verbum namque Dei, & verbi scrutator honestus,
Perdurant semper lumine perpetuo.
Viue Deo vita felix, & viue per æuum,
Nempe beata bona est viuere vita Deo.
Dulcis amor Christi, dulcisque domuncula semper,
Dulce melos tibi sit, dulcis amice, suum.
Sis memor atque mei sacris altaribus astans,
Sit memor vtque tui gratia magna Dei.
Hæc relegens valeas multis feliciter annis,
Cumque choro fratrum hæc relegens valeas.

* homonijmusq;

Gerboh, id est, sagitta.

17. *Item ad eundem.*

TE Deus omnipotens semper carissime frater
* * Prospere conseruet tempora cuncta benè,
Et maneas sospes, nobis & sospita poscas,
Auctor vt ipse Deus pacifica tribuat.
Sic Psalmista docet, quæ ad pacem sunt, rogitate,
Vibe Dei * copia est hæc & amantis erit.
Pacem animus nulla trepidus formidine seruet,
Nec * timet prauæ crimina diffidiæ.
Sic & ames frater, semper sic rursus ameris,
Mutuus vt nullo tempore cesset amor.
Instantes precibus simus in laude Tonantis,
Hesperus hoc videat, Lucifer hoc videat.
Poscamus veniam, poscamus munera Christi,
Liberet è pœnis, augeat & meritis.
Conditor omnipotens cœli mundique Redemptor,
Conseruet Christus nos rogo pace simul.
Vt sicut semper sunt vere ille & Pater vnum,
Vnum sic in se nos fieri faciat.

E

* timeat.

18. *Ad Samuelem Presbyterum.*

VIue meæ vires, lassarumque anchora rerum
Naufragio & littus, tutaque terra meo.
Solus honor nobis, vrbs tu fidissima semper,
Cursque afflictio tuta quies animo.
Sintque licet montes inter cum fluctibus arua
Mens tecum est nulla quæ cohibetur humo.
Te mea mens sequitur, sequitur quoque carmen amoris,
Exoptans animo prospera cuncta tibi.
Qui mihi te notum dedit & concessit amicum,
Conseruet sanum Christus vbique mihi.
Ante solum terræ, cœlique volubile * cyclum
Prætereant, noster quam quoque cesset amor.
Hocque Pater monui, moneo te, iterumque monebo,
Sis memor vtque mei, sicut & ipse tui.
Vt Deus in terris quos hic coninnxit amicos,
Gaudentes pariter iungat in arce poli.

F

* τὸ κύκλον Græcè etiam orbis est.

19. *Item ad eundem.*

TE Deus æternus hominum sanctissimus auctor
Stelligeram cœli summus qui continet arcem,
Perspicit atque omnem fortis dominator abyssum,
Exaltet, saluet, seruet te, diligat, ornet,
Concedatque tui Omonimi meritumque locumque,
Extitit vt templi typici hic * seruitor, amator,
Vtque habeas omnem Samuel Samuelis honorem.
Esto memor proprij quem nominis vltima * notet
Syllaba, hicque tui cordis laus sit hic feruor amoris.
Sit tibi vita, salus, tibi sit via, gloria, virtus,
Protector, Rector per sæcula cuncta valeto.

G

* Samuelis Propheta

* El. nomen Dei.

20. *Item ad Samuelem Presbyterum.*

QVi cœli culmen, terræ qui continet vna,
Qui ponti fluctus, sidera quique regit,
Cuius quæ fuerant, ac sunt, & cuncta futura,
Stant in conspectu, ipseque cuncta videt.
Vestrum fructiferum custodiat ipse laborem
In cœli regno præmia digna parans.
Sis memor ergo mei sacris altaribus adstans,
Præsul sancte Dei, sit Deus vtque tui.
Ast tibi si possum quid clam conferre susurrans,
In precibus dignum ipse libenter agam.
Concedat Dominus vitæ iam munus vtrisque
Effectum precibus, dulcis amice vale.

H

21. *Ad Samuelem Presbyterum.*

EST animus promptus, sunt sensus, accipe votum,
Non spernas socium, semper amicus amat.
Non hunc tempestas quatiet, non turbidus Auster,
Nec Boreas glacie stringere nempe valet.
Libertas animi munus expendit amoris,
Dignum est, vt mentem prouocat ipsa piam.
Nullus in orbe fuit, quem non consumpserit ætas,
Quisquis enim possit, semper amica patet.

A

Non te conturbet sancte inconstantia frater,
Hæc mundana quidem gurgitibus varijs.
Sic fuit, est, & erit sæcli versatilis ordo,
Lætitiæ nunquam sit cui certa fides.
Multa quidem patitur Sanctorum plebes in orbe,
Iudicio occulto, nec ego scire queo.
Credo suos seruos, quod nullo spreuerit æuo,
Adiuueritque satis, cum sua vota petant.
Nam altera vita suis seruatur in arce polorum,
Qua pax alma viget, prælia nulla fiunt.
Hæc quoque semper erat iusta tentatio vita,
Fornacis flamma vt aurea vasa probat.

Sanctorum à cõdito mũdo certamina.

Sic Deus omnipotens sanctos per sæua probabit
Verbera, post reddens præmia læta polo.
Sta precor, esto memor Christi, Patrum memor atque
Pagina quos cecinit auribus alma tuis.
Fortis sis animo, sis verbo & prouidus actu,
Sic fuerunt sancti, proximus esto tibi.

Abel.

Victima quod prima fuerat iustissimus Abel

B

Fraterna cæde, hocque memento precor.

Noë.

Improbe derisus infanda & prole Noea,
Quo reparata manet progenies hominum.

Abram. *Loth.*

Quod Reges sanctus capto Loth vicerit Abram,
Qualia perpessus sit pius ipse ab eis.

Isaac.

Damna quidem in puteis sensit quod sæpius Isac,
Grassante inuidia quæ Philistea gerit,

Iacob. *Ioseph.*

Quantos pro sobole fletus effudit Iacob?
Et Ioseph quanta passus in orbe fuit?
Dux pius ille quidem, qui totam strauit Ægyptum,

Moses.

Flagris eripuit dumque Dei populum.
Quomodo sit spretus, & qualia præstat alumnis,
Quomodo sit tractus, improbe conuitijs.

Samuel. *Dauid.*

Nam Samuel quotiens Saulis tolerabat ærumnas?
Et Dauid latitans impia sceptra fugit?
Qualiter in regna prolis hic sustulit iras,
Plurima & ex aliis turpia verba tulit.
Omnia nempe mea, pœnarum millia quotquot
Passi sunt sancti, dicere musa nequit.

C

Helias, Daniel, Esaias, Michas, Ionas,
Hieremias, Iaddo, Iob Pater & Tobias,
Qui fuerant mundi ceu luminaria quondam,
Quam sæuas pœnas corpore pertulerant.
Perplures alios consumpsit flammeus ardor,
Et lapides alios atque alios framea.
Sicque fide fortes vicerunt prælia sancti,
Fecerunt opera maxima iustitiæ.
Quid memorem vetera, gaudet cum sancta per orbem
Martyrio rutilans catholica Ecclesia.
Clare & Apostolico micat irradiata trophæo,
Vexillum & Christo fert dominante crucis.
Tantos ergo suos Dominus perferre labores
Hic voluit, quos ad regna superna vehit.

Patientiæ fructus.

Quapropter potius cœlestia semper amemus,
Et mansura polo, quam peritura solo.
Murmure iam nullo referamus ad æthera voces,
Cantantes Dominum, qui pius & bonus est.
Non est quippe Deus plagis culpandus in istis,
Sed nostra in melius vita ferenda cito.

D

Et pie flectenda est precibus clementia nostris,
Quatenus à nobis transferet ille flagra.
Quem pater est natum caro complectit amore,
Sæpius huic tristi dira flagella dabit.
Horrida quapropter nunquam tentatio mentem
Vlla tuam superet, fortis vbique fias.
Si quid displicuit Christo iam cuncta videnti,
Moribus inque tuis, corrige hoc citius.
Hocque superna monet lex hoc & iura paterna,
Hoc fraternus amor, hoc studeas facere.
Te quoque iam facias tota virtute paratum,
Vt quo peruenias, tristia nulla fiant.
Quod tibi concedat auctoris sancta potestas,
Hoc nobis tecum summus in arce Deus.
Fistula has Mauri lenis cantauit in horis,
Cænas dilecto Sancte Bonose tibi.

Item ad eundem.

E

NAm pictura tibi cum omni sit gratior arte
Scribendi ingratè non spernas posco laborem.

Scribendi ars pictoria arti præfertur.

Psallendi nisum, studium curamque legendi,
Plus quia gramma valet, quam vana in imagine forma,
Plusque animæ decoris præstat quam falsa colorum
Pictura ostentans rerum non rite figuras:
Nam scriptura pia norma est perfecta salutis,
Et magis in rebus valet, & magis vtilis omni est,
Promptior est gustu, sensu perfectior atque
Sensibus humanis, facilis magis arte tenenda.
Auribus hæc seruit, labris, obtutibus atque,
Illa oculis tantum pauca solamina præstat,
Hæc facie verum monstrat, & famine verum,
Et sensu verum, iucunda & tempore multo est,
Illa recens pascit visum, grauat atque vetusta,
Deficiet propere veri & non fida sequestra est.
Perspice qui fuerint auctores atque sequaces

F

Istarum rerum, tunc & certissimus inde
Noscere iam poteris, tibi quæ sint arte parandæ.
Primitus Ægyptus vmbratum lumina pinxit,

Ægyptus inuentrix picturæ.

Lumina tincturis varians formauit & vmbris.
Hæc sonat angustans tribulatio, fit, sonat & quod-
Angustans tribulat, parum iuuat arte reperta.
Ast petram Dominus legis cum grammate sculpsit,
Contulit insignia, & populi mandata magistro.
Mons sonat illa mea mensura atque amphora † iussa.

† iusta.

Amphora iustitiam, vitam mensura modestam.
Iussa quoque ostendunt, Domino nos lege teneri.
Quid † laborem scriptis commenta edicere plura.

† labor est.

Defectus alius post pag. IV. not.

De fide Catholica Rythmo carmen compositum.

29.

G

ÆTERNE rerum conditor, †
Et clarus mundi formator,

† S. Trinitas.

Deus in adiutorium
Intende tu humilium;
Cordeque tibi deuotûm,
Festina in auxilium.
Da mentis fida regmina.
Ac verbi clara munera;
Da vota cordis optima.
Et facti dona plurima;
Sensum corde purissimum,
Famen ore pacificum.
Vt tuam laudem famine
In primis possim dicere,
Magnam miram ac præclaram
Ligna voce iustissimam;
Meæque sim miseriæ
Compunctus memor vltimæ.
Deus salus credentium.
Deus vita viuentium,

H

Deus Deorum omnium,
Deus & Princeps Principum.
Deus summus amabilis.
Deus inæstimabilis.
Altus prosator, vetustus
Dierum, & ingenitus,
Eras absque origine
Primordii & crepidine:
Qui es, eris in sæcula
Sæculorum infinita.
Cui est vnigenitus
Christus † prolis carissimus

† proles.

Dicentis de corde verbum,
Satum ante Luciferum;
Coæternus in gloria
Deitatis perpetua.

A

Cum quo simul & filio
In sempiterno sæculo
Spiritus sanctus æqualis
Regnat, & honorabilis
In eadem substantia
Deus manens, per sæcula.
Non tres Deos, nec profero,
Sed vnum Deum prædico,
Salua fide in personis
Tribus gloriosissimum
Summum, iustum, rectissimum,
Super omnes mitissimum.
Deum Patrem pijssimum, *Personarum attributa.*
Omnipotentem Dominum,
Factorem visibilium,
Simul inuisibilium,
Deitatis principium,
Et creatorem omnium.
Christum Iesum carissimum,
Omnipotentis filium,

B

Imaginem verissimam,
Dei & sapientiam,
Virtutem per quam fecerat,
Omnia, quæ formauerat.
Sanctum quoque paraclitum,
Viuificantem spiritum,
Qui ex Patre & Filio
Procedit ab exordio,
Pignus, donum gratissimum,
Promissum lucidissimum.
Vna trium essentia
Vna est & potentia,
Omousion, Deitas,
Atque vna æternitas,
Beatitudo sanctitas,
Magnitudo & bonitas.
Solus Deus in sæcula
Concludens cuncta tempora,
Quibus formauit æthera,

C

Terram simul & maria.
Excelsus in cœlestibus,
Gaudens primus agminibus.
* Bonus creauit Angelos, ** Bonos. Angelorum creatio.*
Ordines, & Archangelos
Principatus & Virtutes,
Thronos, Dominationes,
Potestates & Cherubin,
Gloriosa & Seraphin.
Vt non esset bonitas,
Otiosa ac maiestas
Trinitatis in omnibus
Largitio muneribus,
Sed haberet cœlestia,
Quibus det priuilegia.
* Sed cœli regni apice ** Luciferi casus.*
Stationis Angelicæ
Claritate præfulgoris,
Venustate speciminis
Superbiendo ruerat

D

Lucifer, quem plasmauerat.
Apostatæque Angeli
Eodem lapsu lugubri
Auctores * Cenodoxiæ *
Peruicacis inuidiæ
Cæteris remanentibus
In suis principatibus.
Draco magnus, teterrimus,
Terribilis & antiquus,
Qui fuit serpens lubricus,
Sapientior omnibus
Bestijs, animantibus
Terræ ferocioribus.
Tertiam partem siderum
Traxit secum in Barathrum
Locorum infernalium.

E

Diuersorumque carcerum,
Refugus veri luminis
Parasitus præcipitans.
Dum pius mundi machinam
Præuidens & * Armoniam, ** Ammonia.*
Polum & siccum fecerat,
Atque aquas diuiserat,
Herbarum format germina
Virgultum ac arbuscula.
Solem, lunam ac sidera,
Ignem ac necessaria,
Aues, pisces & pecora,
Bestias, animalia,
* Tum demum honorabilem ** Hominis creatio & lapsus.*
Ipse condidit hominem.
Huic præcepit firmiter
Manere immortaliter,
Suam sacram imaginem
Seruare venerabilem,
Sequique iussa Domini,

F

Vicarius cum sit Dei.
Esto, dixit, humillimus,
Rector mundi & Dominus,
Nam cuncta tibi tradidi,
Ac dominatu subdidi,
Quæ sunt mundo viuentia
Ac terra germinantia.
Vtere eis sapiens
Omnia, quæuis, comedens,
Fructus ligni pomiferi
Simulque salutiferi,
Pomum ne ligno vetitum
Mandas tibi mortiferum.
Hæc sæuus, vt audierat
Chelydros & inuiderat
* Dia pestis timuerat; ** Dira. Adamus ex paradiso eiectus, & mors infertur genus humanum.*
Vnde illa corruerat,
Ne homo cœlum habeat,
Quem iam plasmatum viderat.
Adire & tentat fœminam,
Quem sator iunxit copulam,
Suadet pomum mandere,
Ac viro suo tradere

G

Promittit Deis similes,
Si frangatur esuries.
Consentit illa citius
Quod si non foret satius,
Mandit & viro tradidit,
Et ambo simul decepit,
Dum contra iussum Domini
* Est pomum ligni vetiti. ** edit.*
Ambo miserabiliter
Cernunt se nudos turpiter,
Certant cum perizomate
Commissum scelus tegere,
* Cataphronisis folio, ** καταφρόνησις. contemptus.*
Sed non latet à Domino.
Excelsus visitauerat,
Quos iam sanos reliquerat,

H

Adam timens sub arbore,
Latitabat vmbramine,
Quem voce ita duriter
Increpauit & fortiter.
Adam cernis nunc vbi es,
Inobediens lapsus es,
At ille se tutamine
Excusabat excedere,
Alteri caussam criminis
Vindicabat peccaminis.
Post hoc eis altissimus
Fecerat, quod iustissimus,
Cinxit eos velamine
* Byrsæ & decentissime ** id est, pellis.*
Morituri pelliculo
Vt vestirentur mortuo.

Tunc

A

Tunc paradisum liquerat
Adamus quem eiecerat.
Deus quoque pertinacem
Nunc duræ terræ cultorem
*Ydros ei *& tribulos
Pareret atque carduos.
Hic generauit sobolem
Nam binam cum discrimine:
Alter alterum vulnere
Prostrauit impiissimè
Hoc veneuum inuidiæ
Anguis sæuit in homine.
Grassatis sicque duobus
Protoplastis pareutibus,
Post tota ruit propago,
Et absque adminiculo
Auctor peccatum auxerat,
Ad inferna detraxerat.
Creuerunt homicidia

B

Dum creuit philargyria
Habundabat luxuria
Dum anxit gastrimarchia,
Tota nefanda crimina
Iam possidebat glarea.
Noe Deus temporibus
Mersit aquis vltricibus
Totam mundi progeniem,
Adam & claram sobolem,
Præter quos arca vexerat,
Et excelsus seruauerat.
Sed item † pryra cæpere
Sordidare terricolæ,
Neque lauerunt flumina,
Vt non crescereut crimina,
Nec quos mors absorbuerat
† Epistimi domauerat.
Hoc Abraham post viderat,
Nec tamen hunc iuuauerat,
Isaac quoque & Iacobus
Celsi Patrum cum cœtibus.

C

Legislator & Moyses
Dauid simul & Prophetes.
Nec profuit industria
Vllius atque † stychia
Post mortem infernalia
Penetrabunt cubilia.
Regnabat mors latissime
Super omnes durissime.
Ni solius clementia
Auctoris & potentia
Subueniret miserrimis
† Iacentibus in infimis,
Totus homo cum sobole
Interiret peccamine.
Omnipotens mitissime
Misit pater ab æthere
Filium vnigenitum
Amatum & dulcissimum;
Vt hominem à tellure
Subleuaret piissime.

D

Aliena astutia
Quem seduxit versutia
Diri Draconis spicula
Vulnerabant præcordia.
Et fontem sibi subdidit,
Quem cleps ipse non condidit.
O quanta Dei pietas,
Et sempiterna bonitas
† In se Deus susceperat
Hominem quem creauerat,
Illum sibi quæsierat,
Quem non iuste perdiderat.
Virgo Deum conceperat,
Gabriel quem prædixerat;
Postque nouem curricula

E

Mensium & volumina,
Incarnatum ex virgine
Verbum venit cum salute.
Pastores natum præsepe
Gaudebant Iesum cernere,
Stella flagrans & lumine
Magos duxit cum munere,
Herodes cœpit quærere
Christum regem occidere.
Paruulorum in millibus
Sæuiebat cum cladibus,
Talia in initio....
Mundus obtulit Domino,
Studet morte perimere,
Qui venit vitam reddere.
† Ter denis magnis orbibus
Annorum actis mensibus
Ab Ioanne in Iordane
Vinctus erat baptismare,

F

Lauit se vnda latior,
Quod ipsa esset purior.
Spiritus super columbæ
Iesum mansit in specie,
Pater prolem testauerat
Mundo, quod non crediderat
Trinitatis mysterium,
Consecrauit sic baptismum.
Iuit Iesus in heremum
Ferarum habitaculum,
Illic tempus Ieiunij
Peregit salutiferi,
Quaterdenosque noctibus
Iunxit soles † inesibus.
† Erepton ibi callidus
Aderat eum † doloribus,
Suasit hunc de lapide
Nam sibi panem condere
† Dipsitis, vult velamine
Verborum Christum noscere,
De templi alto culmine
Iubet Iesum descendere,

G

In monte mundi gloriam
Ostendit & Monarchiam,
Se cuncta dare promisit,
Si cadens se orauerit.
Tantum peruersè locutus,
Quantum fuerat peruersus,
Seps ipse se † plaudauerat
Posse, quod nunquam poterat,
Sed cupiebat sternere,
Quem se sperabat vincere
Adam primum hic vicerat,
Quem secundus prostrauerat
Gula & Philargyria,
Simul & cenodoxia,
Cum quibus illum repulit
Iesus & igni tradidit.
Postquam zabulus pulsus est,
Angelis ministratus est,
Aduocauit discipulos,
Plures iam & Apostolos,

H

Inter quos signa plurima
Fecit, atque miracula.
In Canan vinum fecerat,
Simul & firmauerat
Fidem rudem tum comitum,
Dum perfecit miraculum,
Eisque * altum abyssum
Patefecerat dogmatum.
Latè per Iudæ termina
Coruscabant miracula,
Dum missa virtus cœlitus
Operatur diuinitus,
Monstrabat se hominem,
Qui regnabat in æthere.

Marginal notes:

* ἱδρῶτα puta sudorem. Nam ὕδρα natrix serpens * vt

† πυρά forte pœnas, tabernacula.

† ἐπιστήμην scientia, experientia.

† στοιχεῖα translate pro elementis artium præcipue Geometriæ. hic forte pro ipsa arte.

† Christum humani generis reparator.

† Homo factus.

† Christi Domini nostri vita.

† Inesis pro ieiunio.

† Serpēs.

† Dolis.

† An ei dipsas an Dipnistis. à δειπνίζω.

† Forte pro plauserat nisi malis laudauerat.

Christi miracula.

A

Cæcorum multa millia
Cernebant clare lumina,
Multi surdi per agmina
Currunt, quærunt saluamina,
Saltat claudus lætificus,
Gaudet sanus & leprosus.
Tota Draconis horrula
Vis † fugit omos callida,
Cum ex multis clamantia
Exiebant dæmonia,
Christum Domini testantia,
Quem non capiunt sæcula
† Venit iam salutiferæ
Tempus mortis Dominicæ,
Summus quo secum decreuit,
Vt hominem redimeret,
Redderet sæuo merita
Et pœnarum dignissima.

† τῷ ὁμῶς simul vel ὠμῶς crudeli.

† Christi passio.

B

Mouit Iudæa prælia,
Contraxit plebis agmine
Sanctum ad tribunalia
Duxerunt & concilia
Comes Iudas crudelissimus
Quod sanxit cum principibus.
Traditur vinctus gentibus
Christus à Pontificibus,
Sputis, flagellis, alapis
Illusus atque spinetis
Crucifigitur innocens
Consentit Rex insipiens.
Terra expauit, facinus
Hoc motu notans citius,
Elementa tremuerant,
Astra & se celauerant,
Solus homo non timuit,
Quod solus ipse confecit.
Tum reuixerunt mortui,
Et patuerunt Herebi
Obscura loca carcerum,
Cum venit auctor luminum

C

Vectes, ferræ confractæ sunt.
Iusti & liberati sunt.
Gemit hostis in catena,
Cum fecit Rex iudicia
Et sanctis liberamina,
Quod doluerunt tartara;
Victor Christus ascenderat
Suos & secum duxerat.
Tertia lux redierat,
Christus & resurrexerat,
Iam victurus in gloria
Victor clarus per sæcula,
Deus virtutum Dominus,
Rex Regum potentissimus.
Quater denis post diebus
Versatus cum lætantibus
Ostendit se miraculis
Verè viuum discipulis,
Omne tulit mirantium
Corde quod erat dubium.

Christus in limbo.

Christus resurgens.

D

† Iubens eis discurrere
Per mundi plagas dogmate,
Ite ait per populos,
Et ferte fructus plurimos,
Docere verbo fideli,
Seruare, hoc, quod docui.
Eos, qui velint credere,
Lauate sacro flumine
Dei Patris in nomine
Natique cum spiramine,
Laxantes cuncta crimina,
Et docete remedia.
Ast vobiscum in sæculum
Ego sum non solatium,
Cum videritis feruere

† Apostolos instruit.

E

Mundum bellis & errore,
Nolite tunc pauescere,
Nec pugnis malis cedere.
Omnis terra cum sobole,
Ponto simul & æthere,
Data mihi regimine
Cedit, seruit & munere,
Victus hostis expulsus est,
Mundus & liberatus est.
† Ascendo nunc lucidum iam
Cari Patris ad Solium,
Qui me misit ab æthere
Totum mundum redimere,
Carpere regna debita,
Et esse in Patris dextera:
Nulla vestra tristitia
Teneat nunc præcordia,
Mitto vobis lætissimum
Nam Paraclitum spiritum,
Ipse vobis vt ego sum
Est Magister in sæculum.

† Ascendit in cælũ.

F

Ipsi tenent, quod monuit,
Ille iuit, quo debuit,
Super astra celsissima
Sedet in Patris dextera,
† Iudex nempe nouissime
Venturus & in æthere.
Ipse de cœlis Domino
Descendente altissimo
Præfulgebit clarissimum
Signum crucis & vexillum
Plangor super se nimius
Erit tum cunctis gentibus.
Tectisque luminaribus
Duobus principalibus
Cadent in terram sidera
Vt grossus de ficulnea,
Eritque mundi terminus
Vt fornacis incendium.

† Iudex venturus.

G

Clangor buccinæ quaternas
Sonabit terræ per plagas.
Discurrunt corruscantia
Fulgura & tonitrua
Tunc in montium specubus,
Abscondent se exercitus.
Ergo erit dies ille,
Dies planctus & lacrymæ,
Dies iræ & vindictæ,
Tenebrarum & nebulæ
Dies magnæ angustiæ,
Laboris ac tristitiæ.
In quo cessat mulierum
Amor ac desiderium,
Hominumque contentio,
Mundi huius & cupido
Cum cœlo, terra, ardore
Conflagrant atq; lumine.

H

Turba primi Archangeli
Strepente admirabili,
Erumpent munitissima
Claustra ac Polyandria,
Surget homo à tellure
Restauratus à puluere.
Vndique conglobantibus
Membrorum † paginibus,
Animabus ætralibus
Eisdem obuiantibus,
Certant sancti cum munere
Christo Regi occurrere.
Altithronus glorioso
Rex sedebit in solio,
Angelorum tremebunda
Circumstabunt & agmina,
Cunctis iudex cum propria
† Secundum reddet merita.

† compagibus.

† iuxta.

A

Stabimus & nos pauidi
Ante tribunal Dei
Reddemusque de omnibus
Rationem affectibus,
Nostra videntes posita
Ante obtutus crimina,
Librosque conscientiæ
Patefactos in facie,
In singultus erumpemus,
Et fletu diro gememus,
Subtracta necessaria
Operandi materia.

Iudicij extremi dies.

Tunc fideles nam cœlestem
† Vrbis summæ Hierusalem
Sustollentur ad patriam,
Introibunt † ad gloriam,
Vbi fulget vera pacis
Lux Christus, sol mirabilis.

† *Electorũ gloria.* † *ac.*

Hymnorum cantionibus
Sedulo tinnientibus,
Sanctis tripudiantibus

B

Mortuorum resurrectio.

Angelorum ex millibus
In paterna claritate
Se gaudent Christum cernere.
Sic viginti felicibus
Quatuor senioribus
Coronas iam mittentibus
Agni Dei sub pedibus
Laudatur tribus vicibus
Trinitas æternalibus.
Bis binis coram stantibus
Vnitis animalibus,
Terna laude sonantibus
Sanctus Sabaoth Dominus.
Hac sancti manent gloria
A sæculis in sæcula.
Zelus ignis furibundus
Consumet aduersarios,
Nolentes Christum credere

C

Deo à Patre venisse,
Retro ruunt perpetui
In ignis flammas impii.
Vbi habentur tenebræ
Vermes & diræ bestiæ,
Vbi ignis sulphureus
Ardet flammis edacibus,
Vbi rugitus hominum,
Fletus & stridor dentium.
Vbi gehennæ gemitus,
Tonitruus & horridus,
Vbi ardor flammaticus
Sitis famisque † maximus,

Famesque maxima.

Vbi torror durissimus
Auget pœnam cum laribus.
Sathan atro cum agmine
Quo tenetur in carcere
Religatus in tartara
In æterna incendia
Cocytique charybdibus
Submergetur in gentibus,
O Deus veri luminis

Deprecatio rei peccatoris.

Auctor & omnis hominis,
Miser ego quid faciam,

D

Tunc vbi atque fugiam,
Cum tremet mundi machina
Sub flammarum monarchia.
Quo me, rum possum vertere,
Et suffragia quærere,
Cum contra me sententia
Profertur in magna angustia.
Accusor reus criminis,
Cum non sit fauor operis.
Damnant me facta propria,
Verborum multa millia,
Amor malus cum rubore.

Damnatorum supplicia.

E

Ira rixæ & maculæ
Totum patet in lumine
Mentis & penetrabile.
Cerno tremens, quod feceram;
Et diu quod celaueram,
Nec adiuuant solatia,
Patris & matris famina,
Turba nec amicabilis
Præstat iuuamen debilis.
Vnde salus iam Domine
Mihi veniet prospere
Præter tuam clementiam
Solam, & veram gratiam,
Aut quis dat indulgentiam
Præter tuam potentiam?
Te bone Iesu deprecor,
Auctor vitæ & redditor,
Salua tuum mancipium,
Munus & da perpetuum,

F

Verax vt tuo famine
Iustificetis Domine.
Tibi grates expectore
Redemptus à discrimine,
Deo viuo vt referam
Læta voce victoriam,
Sequens te Regem proprium
Raptus ex hoste Dominum.
Nuncque rogo vti iubeas,
Et in me hoc perficias,
Quamdiu in ergastulo
Sum clausus carnis sedulo,
Ore, corde & opere
Te canam laudem Kyrie.
Doxa tibi altithrone,
Rex cœlorum sanctissime,
Qui me tuo iuuamine
Consolaturus optime
Laus & honor cum gloria
In sæculorum sæcula.

G

Pro me quisque legas versus orare memento
Rhaban dico rego, tu sine fine vale.

Metrum de transitu manachorum.

30.

CVrrens charta procul nuncia porta
Dilecto grauia munera fratri,
Quæ infausta tulerat temporis hora.
Quæ dudum eripuit sorte nefanda
Sons, fraus atque dolor, & labor ingens
Longas compulerat quærere terras.

Schisma Fuldense sub Ratgirio Abbate.

Pars ablata fuit parsque remansit,
Cum diuisus homo prô dolor vnus
Est voto atque anima corpore bino.
Postquam tu vnanimis frater abisti,
Ast mox per varios rursus vbique
Sum casus, odiis læsus & atris.
Sed nunc doleo pectore tristi
Multum posse malum heu generale,
Quam soli mihimet condere damnum.

H

Ex quo seditio noxia dudum
Inter nos orta est, nemo valebat
Lenire hanc precibus, nec dare finem.
Crescens sed nimium tempore multo
Aucta est perque dies sorte maligna,
Vastauit populum Patris ob iram.
Durescit qui animo, & cedere nescit,
Trux deturbat oues, cæde cruentat
Nullius miseret, sæuit in omnes.
His commota malis turba reliquit
Antiquum stabulum, fit peregrina
Læsis vna salus pergere longa est.
Venit summa dies, tempus amarum;
Quando extrema pati turba coacta est,

Et con-

A

Et conuicta malis linquere sedes.
Cuncti conueniunt vndique fratres
Queis mens vna fuit parque voluntas,
Immitem vt precibus flectere certent.
Duratus qui animo spreuerat omnes,
Irritans populum pellit ab æde.
Desperare dedit Patris amorem.
Diuersoinτer ea mænia luctu
Miscentur, resonant cymbala cumque
Et signum Ecclesiæ conuocat omnes.
Accurrunt tumulo martyris almi
Flet mixta senibus plebs iuniorum,
Ex imo gemitus pectore ducunt.
Expanduntque manus cum prece fusa.

Defectus post pag. vlt. VI. Not.

TITVLI ET INSCRIPTIONES ALTARIVM BASILICÆ S. SALVATORIS FVLDENSIS.

B

31.

HOc altare Deo fulget honore nouo
Candida* Witina, Concordia, cum Mederisma
Adsistunt tecum Gertrud & ipsa simul.
Nam dilecta Deo hic ritè Theophila mixtim
Adiungit vota atque fauet precibus.
Virginei flores meritis pulsate Tonantem,
Placatum & nobis reddite quæso Deum.

** veteri Litania Fuld. & S.Galli. Verena, an Berenice qua vulgo Veronica?*

32. *Et in dextro altare iste.*

HOc altare tenet *Timotheus Apostolus almus,
Vitalis martyr, Vitus & ipse simul,
Fortunatus adest, Felix, Tiburtius atque,
Seruilianus amor, Sulpitiusque pius.
Marius & Martha pariter cum pignore bino,
Martialis martyr cum Diogene simul.
Sanctus Firminus, Liberalis, Fuscianusque,
Rusticus & Firmus, Castulus atque Zenon.
Cum quibus en gaudet hic Victoricius aptè,
Gentianus martyr congratulando manet.
Hos peto tu Orator precibus placare Patronos,
Si velis summi scandere regna Patris.

C

33. *Ad altare S. Stephani.*

LEuita hanc Stephanus, simul & Laurentius aram
Exornant meritis, Panchratiusque pius.
Donatus, Victor, Vincentius, & Cyriacus,
Quintinus martyr atque Sebastianus,
Cumque quater denis Ferrutius ipse precando
Instat martyribus, poscite lucis opem.

34. *Ad altare Sancti Clementis.*

HIc Clemens martyr, pariter cum martyre Lino,
Sanctus Alexander & † Fabianus adest.
Marcellus, Stephanus, Cornelius & Cyprianus,
Lactantum & turba sanguine tincta suo.
Aureus hic Præsul Iustinus Martyr & ipse
Rite Iuuant precibus atque bonis meritis,
Hisque Saturninus martyrque Georgius aptè
Exorat iunctus pro populis Dominum.

† Fauianum.

D

35. *Ad altare Sanctæ Agathæ Virg.*

MArtyr Agatha Dei, Petronella, & tu Iuliana,
Lucia, Perpetua, nosque Sabina *foue.
*Praxede cum sacra foueas nos Virgo Basilla,
Sicque piis meritis Sancta Pudentiana.
Regina Virgo coniuncta sororibus istis,
Tu nobis pandas regna poli precibus.

** faue.*

36. *Ad altare Sancti Lucæ Euangelistæ.*

LVcas qui scripsit cum gestis dogmata Christi,
Vinclis hic Petri mixta locat spolia.
Augustinus adest, Germanus, ipse † Remeius,
Maximinus Præsul atque Medardus ouat.
Ambrosius Doctor, Eusebius atque Vedastus
Suppremi nobis numen adesse petunt.
His simul adiunctus pro nobis martyr & Hermes
Exorat Dominum, postulat & veniam.

E

† Remigius.

37. *Ad altare Sancti Marci Euangelistæ.*

MArcus Euangelium qui scripserat arte Pelasga,
Martyre cum Paulo hic atque Iohanne manet.
Ipse Valentinus, Gorgonius atq; Nazarius,
Germani & septem, Gordianusq; simul.
Candidus, Exsuperus, victor, Mauritius atq;
Silenus martyr & Timotheus ouat.
Abdoq; cum Senne, Prothus martyrq; Hyacinthus,
Quos nobis Christe rite fauere facis.

F

38. *Ad altare Sanctæ Agne. Virg.*

AGnes & Euphemia, Genoeua, Susanna, Columba,
Hoc altare ornant rite suis precibus.
Cum queis tu Brigida, & tu virgo Scholastica semper,
Placatum nobis altithronum facias.

39. *Ad altare Sancti Benedicti in crypta Occidentali.*

HAnc benedicte Pater cryptam tutaberis aram,
Sanctus Honoratus hanc simul ipse colit.
Eucherius, Trudo, Arnulphus, † Seruasius atque,
Cuthbertus, Beda hic Equitiusq; manent.
Hicque Columbanus fixa stat rite columna,
Martyris & tumulo subsidia apta feret.

† Saruatius, nisi sit Geruasius.

40. *Ad Altare Sancti Ignatij.*

HVnc titulum martyr Ignatius & Florianus,
Vrsicinus seruat atque Rogatianus.
Emmeramus adest, Iulianus, Patriciusque,
Sanctus Wigbertus, martyr & Hippolytus.

G

41. *In † Cæmiterio fratrum in Ecclesia Sancti Michaelis in primo altare.*

† Cœmeterio.

HOc altare Deo dedicatum est maxime Christo,
Cuius hic tumulus nostra sepulcra iuuat.
Pars montis synai moysi & memoratio digna,
Hic Christi Domini & genitale solum.
Hic michael Princeps Domini Symnista Iohannis
Victorelque Foci tres simul & pueri.
Priuatus martyr pariter & Habundius ipse,
Suscipiunt vota atque Deo referunt.
Sulpicius Præsul simul & Confessor Amandus,
Hic monachus Mammas, hic ouat & Symeon.
Cum quibus hic semper votis adsiste precamur,
Virgo sacrata Deo martyr Anastasia.

42. *In sinistro altare.*

H

HIc Anianus adest, martyr Desiderius atque
Rex Sisemundus ouat, Genesiusq; simul.
Tu quoque Christophore nostris pie mentibus adsis,
Cumque tuis socijs ipse iuuato preces.

43. *In dextro altare.*

PAulinus Præsul, † Britius quoque Perpetuusque
Sanctus & Isidorus, Martialisque pater.
Hanc aram meritis semper viuacibus ornant,
Adsistunt precibus, † quæ pie quique dabunt.

† Brixius.

† quæ...

44. *In Ecclesia Sanctæ Mariæ in monte qui vocatur Episcopi in dextro altare.*

HOc altare tenens Bonifacius ipse sacerdos,
Et Christi martyr rite Patronus adest.

Cui

A Cui quoque coniunctus sit Papa Gregorius isthic
Æquati & meritis regna supernatenent.
Non minor ergo fide martyr Laurentius istis,
Hic ouat & precibus, adiuuat ipse pios.

45. *In Sinistro altare.*

HIc Pater almo virum monachorum maxime Pastor
Tu Benedicte tuos ritè iuues precibus,
Cui soror adiuncta Scholastica sancta Virago
Tu tibi deuotis posce salutis opem.
Martyr Anastasia simul tu funde precamur
Pro nobis Christo semper & ipsa preces.

46. *In monte qui vocatur Episcopi in turre Ecclesia Sancta Maria.*

ANnue Christe Deus, Michael Archangelus istic
Assistat vouis, nos iuuet & precibus.
Martinus Præsul, martyr Dalmatius atque,
B Propitium nobis te faciant meritis.
Cassius * Anthimus, sanctus Florentius adstent,
Memmius Antistes hic soror * Etpumia.
Credimus ergo satis placatum te adfore nobis
Si hi preces nos studeant ritè fouere sua.

* Ethymia forte Euprepia qua in antiq. litan. Tom. 5. antiq. lect.

47. *In absida Ecclesia Sancti Petri qua est in monte sita.*

ECce sator hominum victor super æthera scandit,
Discipulisq; suis regni sacra limina pandit,
Quem sic venturum Angelica huc oracula spondent.
Cætus Apostolicus pariter cum plebe fideli
Dona paracleti igne micante capit.

48. *Ibidem.*

HIc locus ecce tenet Sanctorum condita ritè
Ossa simul memorans & pia facta colit.
Mater Felicitas, sancta & Concordia nutrix,
Hippoliti hic pausant Candida & Eutropia.
Pauli namque hospes, Aquila hic & * Prisca quiescunt,
Eugenia hic Virgo, atque Basilla manent.
C Virginis Agnetis hic conlactanea sistit,
Nempe Emerentiana martyr & ipsa sacra.

* Priscilla.

49. *In dextro altare.*

MArtyribus Christi cunctis hæc ara locata est,
Præcipueque istis, littera quos numerat.

50. *In sinistro altare.*

SOrs Confessorum Christi hanc obtinet aram,
Quos aula cœli possidet atque tenet.

51. *In crypta subtus ad altare primum.*

HAc Baptista potens sacra venerabitur ara;
Hac Vatum turba atque Patrum colitur.

52. *Ad altare medium.*

VIrgo Dei genitrix hanc aram ritè teneto,
D Hancre cum habeat virgineusq; chorus.

53. *Ad altare tertium.*

HOc altare Dei Michael Archangelus ornat,
Hocq; colunt pariter agmina & Angelica.

54.

QVi regit imperium mundi, qui continet astra,
Hanc aulam aduentu dedicat ipse suo.
Cum quo Baptista simul & symnista Iohannes
Hanc ædem inhabitant Christe tui famuli.

55.

MArcellus Clemens, Bonifacius & Cyprianus,
Cum Syxto & Lino hic ecce aderunt socijs.
Deprecor ô Lector, quicunque cernuus intres,
Vt studeas votis rite placare Deum.

E 56.

CÆtus Apostolicus cum hic pictis ritè ministris,
Hoc altare tenet atque iuuat meritis.

57.

VIrgo Maria Dei genitrix hanc continet aram,
Cælica martyr, Agnes, Agatha simul.

58.

LVcia, Iuliana simul & Scholastica virgo,
Valde iuuant precibus, atq; piant meritis.

59.

MArtinus Præsul, Antonius & Benedictus
Hanc cryptam inhabitant & titulum retinent.
Hic Papa Gregorius, hic Gallus Equitiusq;
Cum Columbano vota pia accipiant.

60. *Exhortatio fratrum ad Orationem.*

F CVrrite vos Fratres ad cœli culmina prompti,
Christus in arce sedens præmia magna parat.
Sanctus Anastasius promittit gaudia vera,
Quæ vobis Christus Rex pius ipse dabit.
Nos quoque vobiscum, quo gaudia peruditis alma.
Poscimus hinc rapide ecce valete simul.
Si tu lector amas custodem noscere templi
Accubitor Domini ipse Iohannis adest.
Hic frater Domini Iacobus, hic Virgo Maria
Martyr & Antistes, hic Bonifacius est.
Clemens clementer, Pancratius & Iulianus
Excipiunt vota hic atque Deo referunt.

61. *Versus in Ecclesia Dei genitricis.*

SVauior & roseo nimium rubicundior ostro
Vincis aromaticis mentis odore comas.
Cara, benigna, micans, pia, sancta, verenda, venusta,
Flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor.

G 62. *In Ecclesia S. Maria, quam in loco qui vocatur Holzkyrcha est constructa, iuxta introitum eius hi descripti sunt versus.*

QVisquis hanc aulam petiturus gressibus intrat,
Agnoscat primum, quid locus hic habeat.
Virginis hic Matris sacra pignora rite locantur,
Hanc aulam & totam ipsa dicat meritis.
Cum qua Sanctorum turba hic pie nobilis adstat
Suscipiens vota atque Deo referet.
Vnde decet valde, quod cordis pura voluntas,
Sermoque cum factis dona superna petant.

63. *In sepulchro SS. martyrum qui ibi requiescunt hi continentur versus.*

ECce viros istos præclaros valde Patronos
Roma decus orbis miserat huc pariter;
Quos quoque Rhabanus humilis susceperat Abbas,
H Præsule cum Humberto rite locauit & hic.
Hic pausat Magnus, martyr Ianuarius atque,
Officio insignes atque sacris meritis.
Qui cum Pontifice Xysto mucrone perempti
Leuitæ cœlo reddiderant animos.

64. *In primo Altare.*

VIrgo Maria Dei genitrix, hæc aula refulsat
Ecce tibi, & tota fulget honore tuo.
Virginibus præsens sacra hæc decoratur & ara,
Qua supra pietas abscida læta notat
Cum quibus & sancta Praxis ouat atque Basilla,
Candida Virgo simul atque Pudentiana.

65. *In dextro Altare.*

COetus Apostolicus hanc sacram continet aram,
Adiuuat & precibus, ornat, amore colit.

A Vos quoque qui intrastis, ceruices flectite vestras,
Deuoto hic corde poscite lucis opem.

66. *In sinistro Altare.*

CLarus in orbe soli martyr Bonifacius istud
Obtiner altare cum socijs pariter,
Quorum si lector tu noscere nomina quæris,
Inspice picturam, & relege titulos.

67. *Ad Crucem.*

QVi crucis lignum, quo Christus sæcla beauit,
Emblemate inclusum arx tenet ista Crucis.
Baptistæ & Christi spolia tenet ara sacrata,
Doctoris Pauli relliquias pariter.
Scriptor Euangelij Marcus cum compare Luca,
Sennen atque Abdo hanc & amore colunt.
Sanctus & Hyppolitus, Prothus, martyrq; Hyacinthus,
B His simul adiuncti mixta locant spolia.

68. *In Crypta.*

MArtinus præsul simul & Gregorius almus
Hanc aram meritis ritè colunt proprijs:
Cum quibus Equitius ouat atque Antonius Abbas,
Sanctus Maximinus pastor & ipse pius.

69. *In Capella.*

CVlmen Apostolicum Petrus Paulusque Magister,
Hoc altare suis rite dicant spolijs.
Pontifices summi Xystus, Bonifacius atque
Martyrio insignes hic habitant pariter.
Commanet hicque simul Felicissimus Agapitusque
Leuitæ sacri, testis vterque Dei.
Flectite vos genua, qui intrastis limina sacra,
Christus adest Rector, poscite lucis opem.
Per quam omnes fines terræ meruere salutem
C Gaudet & orbs totus, Pontus, arena, Polus.
Vellere candidior, fuluo rutilantior auro,
Fulgidior radio, dulcior ore fauo.
Hæc tibi, sim indignus quamuis, corde, ore susurro
Spes mihi sis veniæ, quæ vehis orbis opem.

* *Defectus.*

70.

Hic quoque qui astatis ceruices flectite vestras,
Soluite vincla pedum, mundi secludite curas,
Christus adest Rector, sanctorum exercitus omnis,
Poscite lucis opem, tenebrarum linquite curas.

71. *Versus more Litaniæ facti.*

ARbiter omnitenens rerum tu summe Creator,
Aspice de superis omnipotens genitor.
Omnipotens genitor, ex quo sunt omnia vere,
Principium æternum tu miserere tuis.
D Filius ipse Dei, per quem sunt condita cuncta,
Tu clemens nostras suscipe quæso preces.
Spiritus alme Dei, cœli terræque repertor,
In quo sunt cuncta, tu pia vota vide.
Trinus Personis, natura conditor vnus
O Deus Altithrone semper adesto pius.
Clara Dei Genitrix sanctissima virgo Maria,
Ora pro nobis, rite fauendo, Deum.
Pro nobis poscas Michael Archangelus ipse,
Et Gabriel fortis & Raphael medicus.
Cum æthereis turmis placantes sceptra superna,
Propitium nobis celsithronum facite.
Zachariæ natus, præco cunctique Prophetæ
Et Sancti Patres conciliate Deum:
Cætus Apostolicus, Christi comitatus honestus,
Tu precibus nobis limina pande poli.
Clauiger æthereus Petrus Paulusq; Magister, E
Andreas Iacobus atque Ioannis amor.
Thomas cum Iacobo Philippus, Bartholomæus,
Mattheus & Simon, Thadeus & Mathias.
Doctrina gratulans, rutilans & sanguine rubro
Victorum alme chorus nos rege tu monitis.
Barnabas, Sylas, Stephanus Marcusque Titusque,
Lucas, & Clemens, Sanctus Apollinaris.
Syxtus, Alexander, Cornelius & Cyprianus,
Felix, Vrbanus, Mauritiusque pius.
Cum queis tu doctor Bonifacius inclyte martyr
Placans Altithronum funde preces, petimus.
Alme tuos socios moneas Martine precamur,
Pro nobis Dominum poscere rite pium.
Hoc Leo Syluester simul & Confessor Amandus,
Ambrosius præsul papaque Gregorius.
Augustinus honor doctor Hieronymus atque
Maximinus pastor, Eusebiusque gerat.
Hoc benedicte tuis Monachis impende precamur,
Cum Antonio & Paulo regna beata tenens. F
Martyr Agatha Dei, foueas nos ritè precamur,
Agnes sic virgo, sic & Anastasia:
Lucia, Balbina, Petronella, Eulalia, Thecla,
Regina, Euphemia, Cecilia, Sotheris.
Eugenia, Prisca, Monegundis, Praxidis, Afra,
Christina, Brigida, turbaque casta poli.
Cælicolæ cuncti, Sanctorum exercitus omnis
Hoc precibus agite, vt nos Deus ipse iuuet.
Expurget miserans, exaltet, diligat, ornet,
Illæsos seruet, protegat atque regat.
Det pacem veram, det plenum munus amoris,
Actus det placidos spemque fidemque bonam.
Virtutum * copiam tribuat mentemque benignam,
Et carnem castam, tempus & omne bonum,
Det victum, vestem, fidos det semper amicos,
Atque hostes cunctos arceat ipse procul.
Famem depellat, morbos simul auferat omnes,
Conterat & longe Dæmonis insidias.
Curramus læti, vt capiamus regna beata, G
Cum Christo sursum semper in arce poli.
Agnus sancte Dei, qui tollis crimina mundi,
Semper in æternum tu miserere tuis.
Tu nos Christe audi, tu exaudi Christe precamur,
Te sequimur Christe, te volumus, cupimus.
O Domine salua, quia vitam quærimus abs te,
Redde tuum vultum, sic erit atque satis.
Tu quô virtus, tu vita es Christe perennis,
Tu Christe eleison, tu Kyrie eleison,
Amen.

72. *De prudentia.*

VIrtutum species primum prudentia pandit,
Hæc recolit cuncta, dictat honesta bona.

73. *De iustitia & pietate.*

IVstitia & pietas par pactum seruat & omne H
Iudicium ritu ordinat ipsa suo.

74. *De fortitudine Patientia.*

FOrtiter aduersa virtus patientia suffert
Victrix confidens tristia cuncta fugat.

75. *De Temperantia.*

TEmperat ergo bene iam cuncta modestia virtus,
Et clemens placide iura superna dabit.

Defectus ad pag. Not. VIII.

Tituli & Inscriptiones Ecclesiæ N.

ab Orgario & Rhabano reliquijs & alijs ornamentis instructæ.

76. *Versus in tumulo Sancti Sergij.*

MArtyribus sanctis honor extat maximus orbe,
Nomine pro Christi qui meruere mori.
Excellens inter quos gaudet Sergius almus,
Qui cum fratre Baccho supplicia acta luit.
Romulea ex vrbe hos præsul Otgarius ambos
Aduexit, tantum Sergium & hic posuit.

77.

HAnc thecam tibimet Sergi sanctissime martyr
Rhabanus fecit, seruulus ipse Dei.
Ex paruo sumptu, deuoto sed tamen actu
Temet patronum quærit & esse suum.
Delicti ei veniam poscas & dona quietis
Indigno miserans reddat vt omnipotens.

B

78. *Super confessionem ipsius sepulchri.*

QVisquis dona velit rite impetrare Tonantis,
Supplex poscat opem hic, martyrum & auxiliũ.

79. *Super ciborio altaris Sancti Martini hi versus sunt conscripti.*

OTgarius cœpit, Rhabanus rite peregit,
Ciborij hanc arcem Christe tui famuli.
His tu mercedem tribuas in arce benignus,
Et requiem æternam omnipotens Dominus.
Præsul Martinus, martyr & Sergius almus
Hos sacris meritis atque iuuant precibus.
Peccati vt veniam accipiant ac munera lucis
Gaudia cum sanctis regna beata simul.

80. *Versus in tabula inter Seraphin posita.*

HIc Deus est Christus Dominus qui regnat vbique
Et cruce confixus noxia vincla rupit.

C

81. *Versus* ...

POntifices isti hanc sedem rite tenebant,
Postquam hunc Hunni diripuere locum.
Sed numerum annorum certum quo quisque regebat,
Ecclesiam*nusquam reperire haud potui. *vsquam
Ast postquam summus præsul Bonifacius istic
Ex Roma est missus Rector vbique pius.
Isti post ipsum hanc sedem iure regebant
Ordine Pontificis officioque simul.

82. *In Ecclesia Sancta Maria iuxta sepulchrum Sancti Bonifacij.*

POstquam martyrium expleuit Bonifacius almus,
Martyr & antistes æthera celsa petens.
De Fresia huc vectus cum theca hac rite locatus,
Sanguinis hic partem liquerat hinc abiens.
Desuper hunc tumulum Rhabanus condere iussit
Ad laudem Sancti exiguus famulus.
Indignus præsul vernaculus attamen huius,
Pro quo tu lector funde preces Domino.

D

83. *In Ecclesia S. Michaelis.*

HAnc aulam precibus Michael Archangelus ornat,
Martinus Præsul adiuuat & meritis.
Scriptor Euangelij, Marcus, Bonifacius atque,
Agnes & virgo hic vota Deo referunt.

84. *In Ecclesia Sancti Saluatoris.*

HAnc pius ecce domum saluator consecrat orbis,
Hanc Baptista Dei vendicat atque sibi.
Hoc altare Petrus, Bonifacius & Kilianus,
Exornant meritis, laudibus atque suis.
Hicque Valentinus martyr Dionysius atque
Assistunt precibus hicque Sebastianus.
Martinus Præsul, Ambrosius atque sacerdos,
Hancaram seruant, Sanctus & Hilarius.
Virgo Maria Dei genitrix hic cerne precantes,
Martyr Agatha Dei & Petronella simul.
Cor tibi sit mundum, sacra cum libamina tractas,
Sacrificans puras offer & ipse preces.
Hostia sit laudis semper gratissima Christo,
Cor quoque contritum respicit omnipotens.

85. *In Ecclesia Vodilhobi.*

SCriptor Euangelij dilectus ritè Iohannes,
Cum Luca hanc aulam consecrat en socio.
Imbuit hancaram Cornelius ac Cyprianus,
Ipse Bonifacius atque Dionysius.
Hic precibus adstat Vincentius & Cyriacus,
Cumq; Valentino Rusticus adstat ouans.
Gorgonius martyr, Pancratius ipse, Naborque,
Adsistunt precibus hicque Sebastianus.
Hoc altare Petrus, Andreas, Paulus & ipse,
Exornant meritis atque sacris precibus.
Cum quibus hic gaudens Martinus Præsul ouando,
Adsistit votis Sanctus & Hilarius.
Virgo Maria Dei Genitrix intacta Tonantis,
Hic præsens adsis ipsa tuis famulis.
Lucia, Cecilia, atque Agnes & martyr Agatha,
Adsint hic tecum nosque iuuent precibus.

F

86. *In Capella Mauri.*

OMnibus est locuples, qui rebus abundat honestis,
Cui superas Christus diuitias tribuit.
Flecte genu, qui intras, Christum tu & pronus adora,
Cuius imago super picta colore micat.
Lux, via, vita, salus, sit merces omnibus istic,
Qui Christo reddunt debita vota piè.
En vna templum Domino hic parte ministro,
Deuotis aliam reddo domum famulis.
Quam dulce & gratum est, fratres perpendite cuncti,
State choro, & placidis cælestia psallere verbis.

G

87. *Item in eadem capella de figuris.*

GRatia claue aperit, quæ clausa Prophetia condit,
Quæ lex significat, & quæ Hagiographa figurat,
Psallite vos pueri læti & benedicite Christo,
Ipse dabit vobis præmia læta polo.

88. *De Cruce.*

VExillum Domini qui vicit tartara Christi,
En rubet hic pictum luce micando noua.
Quisquis hanc cernis, lætus tu dicito Christo,
Semper in æternum gloria magna Deo.

89. *Item.*

H

CRux veneranda Dei Solis hæc fulget ab ortu,
Mitigat hæc Austri minitantia flabra procellas.
Hæc Zephyri nimbos & flumina pellit ab æde,
Hæc Boreæ gelidos compescit frigora flatus.
Christe pius Dominus visum cor dirige dextra,
Verba Deus famulo redde probata tuo.

90. *In ara Mauri vel in capsa.*

HÆc plaga martyribus decoratur namque beatis,
Hæc Confessorum spolijs pars ritè refulget.
Hac Præco & sancti numerantur parte Prophetæ,
Virginibus sacris hic præstat Virgo Maria.
Omnibus hic Sanctis digni celebrantur honores
Omnibus hancaram Rhaban & ipse dedit.

91. De Cruce.

CRux micat alma Dei, diuino munere plena,
Sanguine quam Christus consecrat ipse suo.
Quam precor adstantes cuncti cunctique sedentes,
Condigna laude semper amate piam.

92. Item.

QVi cruce confixus præstauit dona salutis,
Vos corde & carne protegat atque tegat.
Consilium prudens tribuat atque vtile verbum,
Actum pacificum, tempus & omne bonum.

93. Item.

QVi cruce confixus renouauit sanguine mundum,
Per crucis hoc signum hanc dicet ipse domum.

94. Item.

CRux hæc sancta Dei consignet munera mensæ,
Diuino dono pocula cum dapibus.
Et Pater ipse sedens expenso munere largus,
Sis inopi, semper hospitis esto memor.

95. Item.

EN crux alma Dei venerando fulget amictu,
Quæ Saluatoris tincta cruore fuit.
Hanc precor, orate summissi dicite laudes,
A Christo Domino poscite lucis opem.

96. In cruce Gundramni comitis.

CRux quoq; certa salus, mundi & concessio regni est,
Perpetuam vitam conferet ipsa pijs.
Nam crucis hoc signum Gundramnus iusserat esse,
Cui Deus omnipotens præmia læta paret.

97. De reliquiis in quadam arca positis.

ANgelicis alis hæc arca tegatur vbiq;
Ecce beata cohors agnum circundat honeste.
Et præco, & mater, sors & Apostolica.

98.

QVos vetus atque noua habuit lex ecce piorum,
Hic Patrum spolia nostra pie viscera condunt.

99.

MArtyris hic almi pie condita membra quiescunt,
Quæ Christus signis glorificare cupit,
Hic claudis gressus, lumen hic redditur orbo
Infirmus curam, fons capit & veniam.

100. Ad altare Sancti Petri.

CÆtus Apostolicus pariter cum principe Petro,
Hoc altare tenens Ecclesiam dedicat.
Ipse sibi commissum Pastor seruat ouile,
Protegat atque regat, collocet atq; polo.

101. Versus iuxta corpus Permenii scribendi.

PErmenius præsul Christi Confessor & ipse,
Hanc ædem inhabitat, consecrat atque locum.
Qui propter Christum præsentia gaudia mundi,
Spernens pauperiem elegit atque sibi,
Deseruit patriam gentem, simul atque propinquos
Ac peregrina petens æthera promeruit,
Gentem h c Francorum quæsiuit dogmate claro
Plurima construxit & loca sancta Deo.
Hic quoque nunc pausat deponens corporis artus,
Atque anima sursum regna beata tenet.
Adiuuat &* quousque qui digne cœlestia quærunt, *hos
Riteque conseruat ipse suos famulos.

102.

CRux ouat orbis honor, Christi victoria clara,
Gloria sanctorum, palma, decus fidei.

103.

HIc sal & corpus, Sanctorum hic pignora sacra,
Exorcismi, oleum, medicina, hic chrisma salutis.

103. Versus in sepulchro S. Ferrutii martyris.

MArtyris ergo sacri dudum huc transtulit ossa,
Ferrutij Lullus Præsul & Vrbis honor.
Richulphus post hæc, Haistulphus præsul & ipse,
Amplificant aulam ædificant tumulum.
Quorum successor Vilis Rhabanus ad instar
Maiorum hanc arcam condidit & titulum.

104.

GRandis honor Christi cultoribus extat vbique,
Maxime qui pro ipso iam posuere animam.
Horum nam vnus erat Ferrutius almus & aptus
Martyr, cum Albano testificans socio.
Præmia queis Christus tribuit pro sanguine fuso
Æternam vitam & regna superna poli.
Edidit hos versus Rhabanus coactus amore
Sanctorum, omnipotens cui miserete Deus.

105. Versus ad sepulchrum Sancti Iustini confessoris.

PResbyter egregius simul & Confessor honestus
Istic Iustinus pausat honorifice.
Quem Orgarius præsul Romana asciuit ab vrbe &
Ecclesiam ædificans ossa sacra hic posuit.
Iste quidem sanctus, quanquam non sanguine fuso
Carne esset martyr, mente tamen fuerat.
Corpora Sanctorum, qui sunt pro nomine Christi
Carne trucidati, condidit & tumulo.
Hinc laudem in terra meruit, atque insuper arce
Cælorum vitam & regna beata simul.
Hos ego Rhabanus versus feci, & precor, vt me
Commendes lector tu precibus Domino.

106. De capsa quam Isanbertus monachus fecit.

EN arca hæc claustro custodit maxime capsam
Quæ saluatoris pollet honore pio.
Virginis hic Matris conduntur munera sacra,
Quæ Dominum mundi edidit ex vtero.
Martinus Præsul, simul hic Sabaque Eremita,
Princeps & Petrus, pariter martyrque Emeramnus.
En Iesu Christi picta consistit imago,
In capsæ gremio quattuor & Procerum.
Petrus cum Paulo sanctissima Virgo Maria,
Et Michael princeps recte tenent latera.
Hoc opus, hoc etenim iussu confecit Isanbert,
Hoc Rodulph pictor arte manuque dedit.
Ambobus Christus regna tu redde polorum,
Hoc omnes Sancti poscite vos precibus.

107. Versus in theca Euangelii conscripti.

HAnc thecam ad laudem Christi sic condere iussit,
Rhabanus præsul, seruus & ipse Dei.
In quo & Euangelium sanctum gestetur honeste,
Quando lecturus hoc Diaconus erit.

108. Pres-

A

108.

PResbyter & martyr Chriſti Theodule precamur,
Qui in cælis gaudes cum ſocijs pariter.
Artifici vt veniam poſcas, & dona ſalutis,
Gratia quod Chriſti ſaluet eum arce poli.

109. *In Eccleſia monaſterii quod dicitur Clinga hi verſus ſunt conſcripti iuxta primum altare.*

HAnc aulam Dominus Saluator conſecrat ipſe,
Cuius hæc ara pignora ſacra tenet.
Sanctus Alexander Papa hic, Vrbanus & almus,
Cornelius, Syxtus ſacra locant ſpolia.
Hos Theodule ſacer martyr & Presbyter alme,
Iuxta tuum corpus hic habeas ſocios.
Qui populum iuuent precibus, placentque Tonantem,
Vt famulos ſemper protegat ipſe ſuos.

B 110. *In ſecundo altare.*

PRincipe cum Petro hanc aram Pauloque magiſtro,
Andrea & Iacob cætus Apoſtolicus
Ornat, amat multum meritis conſeruat & almis,
Deuotiſque adſtat hic precibus populi.

111. *In tertio altare.*

ALma Dei Genitrix, ſanctiſſima Virgo Maria,
Hoc altare tene atque iuuato prece.
Quod tibi Virginibuſque ſacris erectum conſtat & optat,
Semper vt adſitis hic precibus populi.
Cecilia hic maneat, Virgo Agnes, martyr Agatha,
Lioba & Anaſtaſia ac Iuliana ſimul.

112. *In quarto altare.*

PRæcurſor Domini, ſacer & Baptiſta Iohannes,
C Sanctus Calliſtus, Et Fabianus, ouant.
Quos tu Chriſte Deus facias nos rite iuuare,
Cum precibus ſacris atque bonis meritis.

113. *In quinto altare.*

MArtinus præſul, Britius Confeſſor & almus,
Sanctus Germanus Remigiuſque pius.
Gregorius Papa hic, Sanctus Benedictus & Abbas,
Ornant hanc aram atque iuuant precibus.

114. *In alia Eccleſia iſti verſus. In primo altare.*

HAnc ædem ſacram Michael Archangelus ornat,
Protegit & ſeruat, adiuuat atque piat.
Hic Leo Papa manet, hic Marcellinus & almus,
Praxis & Eugenia hic aderunt precibus.

115. *In ſecundo altare.*

ECce Dionyſius, martyr Laurentius atque,
Vitus & Albanus hunc titulum retinent.
D Hunc ornat meritis martyr Bonifacius almus,
Cum precibus ſacris huncque Sebaſtianus.

116. *In tertio altare.*

QVatuor ergo viri ſcriptores rite probati,
Sancti Euangelij hæc loca ſancta tenent.

117. *In ſepulchro Sancti Theoduli martyris.*

COrpora Sanctorum pro Chriſti nomine paſſi,
Qui luxum mundi ſpernere conſueuerant.
Pluribus ecce locis venerantur rite ſepulra,
Ipſi aderunt parti ſat precibus populi.

Quorum præcipuus Teodulus martyr & almus, E
Papa cum Alexandro paſſus in Italia.
Huc Caroli aſcitus ſtudio atque adductus ab vrbe,
Romana, hic multis pauſat ad auxilium.
Sed vario euentu conſumpſit flamma nefanda,
Domata hæc cuncta, tegmen & Eccleſiæ.
Per plureſque annos combuſtus manſit inepte,
Hic locus, & nullus iam reparauit eum.
Indignus donec Chriſti compunctus amore,
Rhabanus præſul hunc renouandum adijt.
Qui Eccleſiæ hanc ædem ſollers renouauit & aram,
Conſtruxit ſancti corpus & huc retulit.

118. *Hi verſus ſcripti ſunt in Eccleſia Sancti VViberti Confeſſoris hoc eſt in abſide Orientali vbi ipſe Sanctus corpore quieſcit.*

HÆc domus alma Dei ſacrata eſt nomine Chriſti,
Cuius relliquias ara dicata tenet.
Præſepis hic pars eſt, & portio ſancta ſepulcri, F
Montis oliueti menſaque grata manet.
Diſcipulus Domini Thomas, Simonque Zelotes,
Cum Iuda Iacobi ſacra locant ſpolia hic.
Scriptor Euangelij Marcus, martyr Bonifacius atque,
Syxtus & Albanus, Ferrutiuſque manent.
Landebertus amor Pancratius atque Georgius,
Cum Valentino ecce aderunt ſocio.

119. *In abſide vero Auſtrali iuxta altare S. Petri & Pauli hi verſus continentur.*

HOc altare Petrus princeps Pauluſque magiſter,
Cum Sancto Andrea rite iuuant meritis.
Hic Clemens paſtor, Marcellus Papa beatus,
Sanctus Alexander, atque Caliſtus ouant.
Inclytus Vrbanus, Syluester ac Fabianus,
Pontifices ſummi hic vota pia ſuſcipiunt.

120. *Super proximum vero altare in ſiniſtra parte iſti poſiti ſunt.* G

HOc altare tenet Stephanus, Laurentius atque,
Leuitæ officio martyrioque ſacri.
Agapitus pariter & Feliciſſimus almus,
Hunc titulum retinent atque dicant meritis.
Hic ouat & Zenon, Vincentius, ambo miniſtri,
Qui fuerant Chriſti, nunc & in arce manent.

121. *Supra dextrum vero altare iſti ſunt conſcripti.*

MArtyrio inſignes Venantius atque Quirinus,
Pontifices clari hunc titulum retinent.
Sanctus Alexander, Cornelius atque beatus,
Rectores ſummi ſedis Apoſtolicæ.
Hic Iſidorus ouat, præſul Theodulus & almus,
Qui Chriſti teſtis clarus in orbe fuit.
Maximus Hippolytus, Victor & Candidus ipſe,
Cum quater hic denis martyribus aderunt.

122. *In abſide vero Aquilonali iuxta aram Dei genitricis hi verſus continentur.* H

VIrgo Dei Genitrix hanc aram tu ipſa dicato,
Hic tecum maneat Virgineuſque chorus.
Agnes, Cecilia, Iuliana & martyr Agatha,
Euphemia, Eutropia atque Pudentiana.
Rufina, Priſca, Emeritaque, & Lioba beata,
Hic adſtent votis Brigida & Eugenia.

123. *Cui proximum altare, quod in Aquilonali parte conſtat, hos verſus continet.*

O Benedicte pater, monachorum maxime Paſtor,
Hoc altare iuua rite tuis precibus.
Cuthbertus præſul, Arnulphus Epiſcopus almus,

A Hic adsint tecum, nosque iuuent meritis.
Felix Iustinus, Goar & Presbyter almus,
Cum Fortunato hoc simul & faciant.

124. *In dextra vero parte hi versus super altare scripti sunt.*

HOc altare tenet Geruasius atque Prothasius,
Martyrio insignes sicque Sebastianus.
Vitus, Sinizius, Cosmas simul & Domianus,
Gordianus pariter atque Epimachus amant.
Sergius & Bacchus, Prothus simul atque Hyacinthus,
Sanctus Nazarius martyr & ipse pius.

125. *Ad crucem erga altare positam has reliquias continet.*

PArs crucis hic Domini est, qua Christus sæcla beauit,
Portio sudarij chlamydis atque sacræ.
Papa en Gregorius, Martinus præsul & almus,
Ambrosius Doctor atque Medardus ouant.
Maximinus adest, Germanus, hicque Remigius
B Virgine cum insigni, & Martyre Anastasia.

126. *In abside etiam occidentali ipsius Ecclesiæ iuxta altare præcursoris Domini, isti versus scripti sunt.*

HIc præco insignis, Christi & Baptista Iohannes
Scriptor Euangelij atque Iohannes ouat.
Hicque Dionysius, Chylianus martyr & almus
Adstantes orant cum sociis pariter.
Marcellinus adest martyr, & Petrus honestus,
Nereus, Achilles, Priscaque & ipse Aquila.
Romano Marcus Crispino Crispinianus
Adiuncti adsistunt ecce sacris precibus.
Ecce Tiburtius hic præsens cum Valeriano
Cæsarioque simul vota pia accipiunt.
Quapropter moneo cunctos, qui huc rite propinquant
Orandi caussa, vt mente proba hoc faciant.

127. *Ad Fuldam vero Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ in monte sita est, in crypta Orientali has reliquias continet.*

C EN montis Sinai, tabularum ac portio sacra
Condita hic Domini est præsepis atque sui.
Hic Sixtus Papa, Magnus, Ianuarius atque
Leuitæ sacri martyrio & validi.
Hermes hic martyr, Quirinus, Sulpitiusque,
Eustratus, Romulus perpete laude manent.
Theodulus martyr, Humbertus præsul & almus,
Cum almo Wigberto hic ouat, & socio.
Virgo Digna sacra hæc pariter & Emerita fulgent
Æquales meritis atque sacris precibus.

128. *In Ecclesia Sancti Iustini confessoris isti versus scripti sunt, hoc est in primo altare.*

HOc altare dicat Christi vere ecce sepulcrum
Virginis & Matris relliquiæque iuuant.
D Scriptor Euangelij Marcus, martyr Bonifacius atque,
Martyr & Albanus suscipiuntque preces.

129. *In Aquilonali altare hi.*

HIc Stephanus martyr, martyr Laurentius atque
Sacra locant spolia atque aram retinent.
Sanctus Alexander, Vrbanus Papa beatus,
Seuerus præsul mixta locant spolia.

In Australi vero isti.

HAnc aram Fabianus habet sanctissimus ecce
Cum Marcellino atque Petro sociis.
Hic ouat Agapitus, martyr Felicissimus atque
Sancta Felicitas martyr & ipsa sacra.

131. *Ad crucem isti.* E

ALma crucis Iesu hic portio condita Christi est,
Quo ascendit cælum, pars simul atque loci.
Principis hic Petri, Andreæ fratris & huius
Multorum ad vitam pignora sacra manent.
Ecce Tiburtius hic fratre est cum Valeriano,
Adstat Martinus & Benedictus ouans.
Cecilia hic martyr, Lioba & sanctissima Virgo
Vota pia accipiunt atque Deo referunt.

132. *In Ecclesia Sancti Philippi.*

HOc altare tenet in domate rite Philippi,
Relliquias sacras lector honeste lege.
Hic mensæ Domini, hic portio sacra sepulcri est,
Hic Christi ascensus pars veneranda iacis.
Hic Michael Princeps turmæ cælestis honorem,
Sortitur sancti atque viri pariter.
Albanus martyr, Bonifacius almus & ipse, F
Cum Marcellino hic ouat atque Petro.
Martinus præsul, Benedictus nobilis Abbas,
Gaudent orantes suscipiuntque preces.
Hic quicunque velis grata persoluere vota,
Hoc corde mundo tuo rogito facias.

133. *Ad altare in medio Ecclesiæ.*

COntinet hæc ara Sanctorum pignora sacra,
Et Christi Domini munera valde pia.
Nam crucis hic pars est, qua Christus sæcla beauit,
Quo crucifixus erat Caluariæque locus.
Præcursor Domini manet hic Cyriacus & almus,
Martyr Fabianus & Cyprianus adest.

134. *In dextro altare.*

BIs seni comites venerantur sorte beata,
Hic Iesu Christi, nosque iuuant precibus. G

135. *In sinistro altare.*

HIc Genitrix Christi veneratur sancta Maria,
Virginibus sacris associata manet.
Hic Agnes martyr, Iuliana martyr & ipsa,
Cecilia & Lioba, martyr Agatha simul.

136. *In Ecclesia S. Saturnini in summo altare.*

HOc templum Domini sacratum est nomine Christi,
Cuius hic dona condita rite micant.
Præsepis Domini, mensæ simul, atque sepulcri
Ascensusque sui portio sacra manet.
Princeps hic Petrus pollet, Paulusque magister,
Insignesque viri martyrio rutilant.
Ecce Albanus adest, martyr Bonifacius atque,
Nomine pro Christi qui meruere mori.
Pontifices summi Martinus Remigiusque,
Confessorque simul rite Philippus ouant. H

137. *In dextro altare.*

EN comites Christi bis seno munere clari
Aram hanc iure dicant atque piant precibus.

138. *In sinistro altare.*

VIrgo Maria Dei Genitrix hoc ipsa dicato,
Altare præsens atque iuuato prece.
Virgineusque chorus pariter lætetur & almus
Hic tecum gaudens adiuuet & meritis.
Cecilia Virgo hic, Agnes & martyr Agatha,
Lucia cum Lioba & Iuliana manent.

* * *

A

139. *Ad crucem in medio Ecclesiæ.*

PArs crucis hic Domini est, qui summus regnat in arce
Sanguine qui fuso sæcla beauit ouans.
Hic Michael gaudet, simul & Baptista Iohannes,
Insignesque viri Martyrio placiti.
Hic Sanctus Stephanus, Fabianus cum Cyriaco
Atque Sebastiano martyrio rutilant.
Hic Benedictus ouat, hic Papa Gregorius adstat
Suscipiunt vota atque Deo referunt.

140.

VIrgo Maria Dei Genitrix intacta Tonantis
Cum Nato hanc aulam continet atque dicat.
Petrus & Andreas fratres, hic Paulus & almus
Scriptor Euangelij atque Iohannes ouat.
Hic præco insignis simul & Baptista Iohannes,
Martinus præsul & Bonifacius est.
Leuita hic Stephanus, Laurentius & Cyriacus,
Adsunt cum Albano atque Dionysio.

B

141.

SAnctus Maximinus, Germanus, Gregoriusque,
Pontifices clari hic Ferrutiusque manent.
Hic Agnes Virgo pariter & martyr Agatha
Assistunt votis atque pijs precibus.
Hos inter Sanctos Cosmæ simul ac Damiani,
Quorum hodie est festum, sacra manent spolia hic.
Ast tales socios, hic quorum membra quiescunt,
Nempe tenent sancti martyrio placiti.
Vnde rogo, vt tantos quæratis rite patronos,
Qui vobis placidum vultis habere Deum.

142.

HOc altare dicant comites testesque Tonantis
Ornantes meritis atque sacris precibus.
Matthæus & Simon, Thomas ac Bartholomæus,
Cornelius, Sixtus, Sergius atque Bachus.

C

143.

HAnc Confessores aram, castæ & mulieres
Consecrant precibus atque bonis meritis.
Hic Augustinus, Hieronymus, Hilariusque est,
*Praxis, Cecilia, Lucia & Eugenia.
Hic Fabianus adest, & sua pignora seruat,
Antistes summus martyr & ipse sacer.
Cum quo Sanctus ouat, spoliaque hic alma recondit,
Vir virtute potens ipse Sebastianus.

* Praxedis.

145.

AGnes nam Virgo hanc aram dedicat alma,
Agnum quæ Christum sponsa Dei sequitur.
Cum qua Cecilia martyr & sancta virago
Assistit precibus ritè iuuando pios.

D

146.

EN altare tenet hoc Marcellinus honeste
Cum Petro socio consecrat & meritis.
Quos pariter Christus cœlestem duxit ad arcem
Claros martyriô actibus atque bonis.
Ecce locum insignem retinet hunc martyr Agatha,
Commendatque suis ipsa piis meritis.
Lucia quem Virgo, Christi & dulcissima sponsa
Rite colit habitans adiuuat & precibus.

147. *Versus isti sunt scripti in ara capellæ.*

EXpansis manibus sic totum amplectitur orbem
In cruce confixus Christus in arce Deus.
Extinxit mortem, confregit sceptra tyranni
Æternam requiem reddidit ipse suis.

E

HYMNI HRABANO IN EODEM M. S. C. ATTRIBVTI.

1. *Hymnus de charitate metro Sapphico factus Pentametro Dactylico.*

ALtar es, magnumque bonum, salubre
Munus ex alto veniens, supernum
Conditoris maxime ius potentis
Lux pia mundi.
Caritas præclara Tonantis, atque
Ardor, & communio Trinitatis
Cuncta virtus rite regens potens lex
Agmina cæli.
Hæc creaturæ fuit alma origo,
Nam per hanc cælestia condita extant,
Et maris terræque simul reperta
Germina constant.
Hæc Adam primum dedit in se babere,
En Dei exemplar, fieretque imago
Conditoris, præposuitque toto hunc
Conditor orbi.

F

Hæc Prophetas, & Patri fecit archas
Cum sacro spiramine eos repleuit,
Vt salutarem pie prædicarent
Dogmate Christum.
Hæcque hunc descendere fecit ipsum
Filium summi Patris ad medelam,
Vt supernam Terrigenamque plebem
Iungeret auctor.
Hæc pari Christum cruce, hæc flagella,
Sputa, spinas, ferre dedit sepulcrum
Atque victorem fore, deque morte
Surgere fecit.
Hæc Pauli regnum dedit esse apertum,
Christus ex quo celsa petit, sequentes,
Eius & vestigia fecit omnes
Scandere cœlum.

G

Spiritum sanctum dedit hæc ab arce
Pentecostes, sicque sacrauit
Primitiuum, cum paracletus agmen.
Visitat orbe.
Hæc salubrem dirigit & cohortem,
Primitus Christi comites dehincque,
Prædicatores fidei vt salutem
Mundus haberet.
Martyres cum Virginibus parauit
Ad honorem Regis in arce magni,
Christianam ducit ad astra plebem ad
Gaudia vitæ.
Corpus hæc Christi copulans aduuat,
Membra cum membris sociat valenter.
Membra supponit capiti, caput cum,
Corpore iungit.
Ecce hæc dilectio, vera hæc arx,
Summa virtutum, caput & Regina
Plenitudo hæc legis & vtriusque
Fons bonitatis.

H

Nemo viuentum sine hac videbit
Regis æterni faciem, sed atra
Introibit tartara torret hunc quo
Inferus ardens.
Hancque mandatum vocitat nouum auctor,
Hanc habere eius comites iubebat
Valde, hinc nos hanc babeamus omnes
Pectore puro.

2. *Hymnus de Natale Domini.*

LVmen clarum rite fulget
Orto magno sidere
Quod per totum splendet orbem,

A

Vmbras noctis aufugans,
Christo nato Rege magno,
Totus orbis gaudeat.
Dux de Iuda, quem Propheta
Olim iam prædixerat,
Lætus nobis ecce venit,
Bethlem nascens inclyta.
Christo nato Rege magno,
Totus orbis gaudeat.
Hunc regalis Virgo Mater,
Partu gaudens edidit.
Quem Gabriel nunciauit,
Saluatorem gentium.
Christo nato &c.
Cum Pastores excubantes,
Cura mordet nam gregis.
Clarus ipsos ad lætandum,
Exhortatur nuncius.
Christo nato &c.

B

Concinebat Angelorum,
Turba læta laudibus.
Terræ pacem prædicantes,
Cœlo reddunt gloriam.
Christo nato &c.
O stupendum mirandumque
Sacramentum gloriæ.
Quod Tonantem supra cuncta,
Virgo gestat paruula.
Christo nato &c.
Factor cœli, terræ factor,
Vulua est clausus fœminæ.
Auctor summus Angelorum,
Fit præsepe conditus.
Christo nato &c.
Palmo cœlum qui metitur,
Terram claudit *pugili.
Pannis paucis obuolutus,
Infans vagit paruulus.
Christo nato &c.
Quæ diuisit lucem ab vmbris,
Summi primum dextera.
Matris mammas ecce tractat,
Lactis potum quæritans.
Christo nato &c.

C

Os præclarum conditoris,
Quod formauit sæculum.
En admotum nunc libenter,
Sugit matris vbera.
Christo nato &c.
O beata mater Christi,
Dauid stirpis fœmina.
Tu laus orbis & Regina,
Læta virgo Maria
Christo nato &c.
Votis adsis tu piorum,
Omne seruans sæculum.
Patriarchis & Prophetis,
Laus corona gloriæ.
Christo nato &c.
*Ecce sperant lætabunda,
Angelorum agmina.
Christi plebem quod gubernes,
Arcanorum conscia.

D

Christo nato &c.
Nam te Virgo cælebs nupta,
Sexus omnis appetit.
Tu parentes atque natos,
Deprecando protege.
Christo nato &c.
*Gaudet cælum cum supernis,
Angelorum millibus.
Omnis terræ plenitudo,
Pontus, astra, flumina.
Christo nato Rege magno,
Totus orbis gaudeat.

*pugillo.

E

3. *Hymnus de natale Innocentum.*

Carmina psallere voce lyra,
Edere tunc iuuat arte melos,
Quomodo lactea turba perit,
Principis impiè cæsa dolo.
Ipsaque sanguine tincta suo est.
Ast vbi se furiata lues,
Excitat, inque necem Domini,
Prouocat inuida corda ducis.
Concite mittere cogit eum,
Sternere & agmina plura nece.
Ceu leo nam fremit in facinus,
Cuius ab ore tener subito,
Effugit agnus in arua procul.
Vertit in innocuum arma gregem,
Atterit, excruciat, lacerat.

F

Sic Herodes stimulante chao,
More lupi furibundus, amens.
Paruula millia strage dedit,
Turgidus, horridus atque ferox,
Christus & arma nefanda vitat.
Quis tibi tunc lanio ardor erat,
Talia cum quoque prospiceres.
Pectore, quos ue dabas gemitus,
Cum puerilia membra secans.
Martribus ipse lugere dabas.
Dux bonus, arbiter egregius,
Sanguine pasceris innocuo.
Corporibus minimis inhians,
Viscera sobria dilaceras.
Gaudia mors aliena dabit,
Ergo age tortor, adure, seca.
Diuide membra coacta luto,
Soluere rem fragilem facile est.
Non penetrat dolor interius,
Mentis in arce manet Dominus.
Hic funeris quia caussa fuit,
Præmia his super astra dabit.
Tu quoque mortis amator amens,
Mortis in extima iure cadis.
Et gemitum sine fine dabis,

G

Cedat amor lacrymantum hominum.
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat & officium:
Martyribus qui[illegible] regna patent,
Gaudia perpetuoque manent.
O socij sine fine D[illegible] um,
Carmine iam resonemus eum,
Qui sua munera rite dedit.
Nostra libenter & ipse canit,
Christus & optimus hic Deus est.

*MS. san gall. Ex te

*Gaude

4. *Hymnus de Epiphania.*

En cæli rutilant lumine splendida,
Testantur Dominum nascere paruulum.
Qui format minima & creat ardua,
Regni sceptra tenens est Deus atque homo.
Duxit stella Magos mystica quærere,
Regis pacifici rite cunabula.
Quem Iudæa tenens orbis in vltima,
Diffusis radiis nunciat inclyta.

H

Herodes capiens impius auribus,
Quod Rex hic fuerat natus in vrbibus.
Iudææ, hunc citius quærere præcipit,
Tristis, moxque neci tradere destinat.
Inuentus Dominus indice sidere est,
In Bethlem pariter cumque parentibus.
Cui mox ergo Magi munera deferunt,
Thus, myrrham, aurum ab Ophir, regi, homini, Deo.
Hanc trux ipse licet sæuiat horride,
Herodes iubeat cædere paruulos.
Regnum rite suum firmiter vndique,
Seruatur, Domino corruit inuidus.

En est

A En eſt iſta dies munere nobilis,
Baptiſmo hæc Domini nobilis extitit.
Quod vinum Dominus fecerat ex aqua,
Commendat placidè hæc ſacra dogmata.
Gaudemus pariter mentibus en precor,
Quod nobis Dominus, hic pius aduenit.
Quod noſtra voluit munera ſumere,
Quod Baptiſma dedit, pocula contulit.
Nam Rex Chriſtus adeſt, orbis & arbiter,
Lux de luce pia & pater omnium.
Qui nos ad patriam ducat & optimam,
Et vitæ faciat gaudia metere.

5. *Hymnus in Epiphania.*

VENIT Deus factus homo,
Exultet omnis natio.
Cælum dedit ſidus nouum,
Apparet auctor omnium.
B Magi ferebant munera,
Primi Legati gentium.
Quæ cum ſacro myſterio
Signant latentis gloriam.
Aurum potentis regmina,
Numen ſacrum thus indicat,
Carnemque myrrha mortuam,
Mundi piantem machinam.
Herodes hoſtis inuidus,
Ignorat hæc truciſſimus.
Chriſtus ſaluti gentium,
Quæ ſic miniſtrat prouidus.
Ieſu precamur optime,
Tu nos benignus dirige.
Prompti feramus quod tibi,
Laudis ſacrata munera.

6. *Item alius.*

C CHRISTVS Redemptor plebium
Baptiſma conſecrat nouum.
Venite cuncti criminum,
Lauare ſordes omnium.
Iordanis amnem dedicat,
Saluator vndas expians.
Fontes abyſſi flumina,
Conſecrat orbis artifex.
Fletus amaros fundite,
Mentis ſecrata pandite.
Salſæ per ora lacrymæ,
Dulcem ſalutem præparent.
Fex nulla nos coinquinet,
Mortis vetuſtæ portio.
Sed lucis alma manſio,
Vitam perennem conferat.

7. *Hymnus dicendus in Paſcha Domini.*

D CANTEMVS Domino Deoque noſtro,
Fratres vnanimes probas verenter.
Laudes ex animo pio canentes,
Nunc Paſchalia feſta cum tenemus
Surrexit quia Chriſtus à ſepulchro
Collætetur homo choro Angelorum.
Agnus nempe ſacer Patres de Ægypto,
Olim eduxerat edito cruore.
Et nunc ſanguine Chriſtus à tenebris,
Infernalibus ipſe nos redemit.
Surrexit quia &c.
Qui ſicut populum tulit priorem,
Per rubrum mare hoſte ibi interempto.
Sic baptiſmate noſque liberauit,
Submerſo Zabulo vnda paſſionis.
Surrexit &c.
Nam Iudæa fremens necem parauit,
Chriſto inferre crucis dolo magiſtro,
Quam ſedare nequit pia medela,
Nec verbi ſtudium boni parentis.
Surrexit &c.
Prendunt arte noua prodente alumno
Doctorem manibus trahunt ligandò
Tradunt Pontifici dein tyranno,
Inſontem vt cruciet, pium ac flagellet.
Surrexit &c.
Poſtquam dant alapas, vomunt ſaliuam,
In ſacram faciem, & caput coronant
Spinis, in cruce hunc repente figunt,
Potum, fel dederant, latus terebant.
Surrexit &c.
Emittens animam chaos penetrat, F
Chriſtus mortis ouans fugans tenebras
Iuſtos eripuit, ligauit hoſtem,
Donans aſtra pijs, dolorem iniquis.
Surrexit &c.
Surgit diluculo à ſopore mortis
Saluator placide Angelo miniſtro
Cuſtodes pauitant, pij reſultant,
Gaudent diſcipuli, inuidi dolebant.
Surrexit &c.
Cognoſcit Maria ex ſono magiſtrum,
Thomas per que latus Deum reclamat,
Flagrans ritè Petrus adit ſepulchrum,
In monte Dominum vndecimque adorant.
Surrexit &c.
Quid Iudæa furis Deo reluctans
Fingens arte ſcelus dolo reperto
Furatum crepitans, qui ouat coruſcans,
Qui mundum reparat, Sathan trucidat.
Surrexit &c.
Laudant aſtra poli mare ſolumque,
Gaudentes Dominum viuere Chriſtum,
Triſtis ſola doles iniqua fingens
Conſors Dæmonum particeps gehennæ. G
Surrexit quia Chriſtus à ſepulchro,
Collætetur homo choro Angelorum.

8. *In aſcenſione Domini ad Veſperum.*

ADEST dies ſanctus Dei,
Claro reſplendens lumine.
Quo victor ad cælos potens,
Rex Chriſtus exultans petit,
Quem turba tunc cum laudibus
Fortem reſultans prædicat.
Regem triumphantem ſequens
Intrat polorum ianuas.
Hoc tunc videntes Principes
Hinc obſtupeſcunt protinus,
Quis ſit Tonans, interrogant,
Tanti Ducis hic tranſitus.
Reddunt quibus mox præuia H
Hæc angelorum tum agmina,
Rex gloriæ fortis, potens
Eſt iſte virtutum Deus.
Clauſtra aſt patent mox omnia,
Gaudent in alto millia,
Chriſtum ſedentem cum vident
Lætum ſuperna gloria.
O Rex ſupernæ gloriæ,
Qui patris in dextro ſedes,
Tu nos vide clemens tuos
Nunc deprecantes ſeruulos
Da ſpem, fidem & Catholicam,
Da charitatis munera,
Grates pias ritè vt tibi
Reddamus omni tempore.

9. *Hymnus ad Matutinum.*

FESTVM nunc celebre magnaque gaudia
Compellunt animos carmina promere,

A Cum Christus solium scandit ad arduum
Cælorum pius arbiter.
Conscendit iubilans lætus ad æthera,
Sanctorum populus prædicat inclytum,
Concinnit pariter Angelicus chorus
Victori bene gloriam.
Qui ascendens superos vincula vinxerat,
Donans Terrigenis munera plurima,
Districtus rediet arbiter omnium,
Qui mitis modo transijt.
Oramus Domine conditor inclyte,
Deuotos famulos respice protegens.
Ne nos liuor edax dæmonis obruat,
Demergat vel in inferos.
Vt cum flammiuoma nube reuerteris,
Occulta hominum pandere iudicans,
Non des supplicia horrida noxijs,
Sed iustis bona præmia.
B Præsta hoc Genitor optime maxime
Hoc tu Nate Dei & bone Spiritus
Regnans perpetuo fulgida Trinitas,
Per cuncta pie sæcula.

10. *Hymnus in Pentecosten.*

VENI creator Spiritus,
Mentes tuorum visita.
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui Paracletus diceris,
Donum Dei altissimi.
Fons viuus, ignis, charitas,
Et Spiritalis vnctio.
C Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus.
Tu rite promissum patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus.
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpetim.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus.
Ductore sic te præuio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus, da, patrem,
Noscamus atque Filium.
D Te vtriusque spiritum,
Credamus omni tempore.
Præsta hoc pater pijssimè,
Patrique compar vnice.
Cum Spiritu Paracleto,
Regnans per omne sæculum.

11. * *Hymnus de Natale Christi.*

GRATVLETVR omnis caro,
Nato Christo Domino.
Quia culpa Protoplasti,
Carnem nostram induit.
Vt saluaret, quos plasmauit,
Deus Sapientiæ.
Magnam valde commendauit,
Per Ioannem gratiam.
Baptizatus in Iordane,
Lauit mundi crimina.
Vt credentium purgaret,
Gentium piacula.
Verbum Patris caro factum,
Nascitur ex Virgine.
Non amisit Deitatem,
Formam serui accepit.
Vt peccatum de peccato,
Damnaret Omnipotens.
Quem vox paterna vocauit,

E Ecce meus filius.
In quo sibi complacuit,
Cæli terræ Dominus.
Ipsi gentes obedite,
Regesque subdimini.

12. * *Hymnus in Purificatione Sanctæ Mariæ.*

QVOD chorus vatum venerandus olim,
Spiritu sancto cecinit repletus
In Dei factum Genitrice constat
Esse Mariam.
Hæc Deum cæli Dominumque terræ
Virgo concepit, peperitque Virgo
Atque post partum meruit manere
Inuiolata.
Quem senex iustus Simeon in vlnis
In Domo sumpsit Domini gauisus,
Ob quod optatum proprio videret F
Lumine Christum.
Tu libens votis petimus precantum,
Regis æterni Genitrix faueto.
Clara quæ celsi retinens Olympi
Regna petisti.
Sit Deo nostro decus & potestas,
Sit salus perpes, sit honor perennis.
Qui poli summa residet in arce
Trinus & vnus.

13. *Item hymnus in solemnitate Sanctæ Mariæ.*

* FIT porta Christi peruia,
Referta plena gratia.
Transitque Rex, & permanet,
Clausa vt fuit per sæcula.
Genus superni numinis,
Processit aula Virginis. G
Sponsus, Redemptor, Conditor
Suæ Gigas Ecclesiæ
Honor matris & gaudium,
Immensa spes credentium
Per atra mortis pocula
Resoluit nostra crimina.
Deo Patri sit gloria &c.

14. *Hymnus de sancto Michaele Archangelo.*

CHRISTE sanctorum decus Angelorum
Rector humani generis & * auctor * altor
Nobis æternum tribue benignus
Scandere regnum.
Angelum pacis Michael ad istam
Cælitus mitti rogitamus aulam,
Nobis vt crebro veniente crescant
Prospera cuncta.
Angelus fortis Gabriel vt hostem H
Pellat antiquum, volitet ab alto
Sæpius templum veniens & istud
Visere nostrum.
Angelum nobis medicum salutis
Mitte de cælis Raphael, vt omnes
Sanet ægrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.
Hinc Dei nostri Genitrix Maria
Totus & nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul & beata
Concio tota.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris & Nati, pariterque sancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo Amen.

15. *Hymnus de natale Domini.*

* GLORIA Deo
In excelsis hodie

Cælestis

Cæleſtis primum
Cecinit exercitus
Pax Angelorum
Et in terra vocibus
Vera deſcendit.
Hodie cæli
Facti ſunt melliflui
Et mare dulces
Vndas blandi gurgitis
Æquauit leuto
Reſpirante ſibilo
Flatu ſereno.

16. *Hymnus ad Sanctum Michaelem.*

* Tibi Chriſte ſplendor Patris.

Vide officium Romanum.

Variat in quibuſdam locis in carmine:

VITA, virtus cordium. 1
Vita ac virtus cordium.
2 Mundo corpor & corpore
Mundos corde corpore.
3 Paradiſo redde tuo, variat tua.
4 Qui trinus & vnus Deus.
Qui Deus trinus & vnus.

17. *Hymnus de Sancto Petro & Paulo.*

* Aurea luce & decore roſeo,

Vide officium Romanum, in fine hæc additur ſtrophe.

OLIVÆ binæ pietatis vnicæ,
Vide deuotos ſpe robuſtos maxima
Fonte repletos charitatis geminæ
Poſt mortem carnis impetrate viuere.
Sit Trinitati &c.

18. *Hymnus in natale Sancti Ioannis Bapt.*

PRæco præclarus, ſacer & Propheta,
Regis æterni paranymphus almus.
Vox que clamantis Domino potenter
Dirige callem.
Qui Redemptorem digito notaſti,
Rite tollentem ſcelus omne mundi
Intimans agnum pietate cunctum
Soluere mundum.
Tuque ſenſiſti reboare patrem
Spiritum ſupra volitare ſanctum
Dum Redemptorem metuiſti in vndis
Tingere Chriſtum.
Teque ſplendentem fieri lucernam
Angelo teſte decus & Heliæ
Credimus natum prece hodierna
Quem colit orbis.
Ecce poſcentem pie cerne plebem,
Facque regnantem benè nos parentem
Sorte clementi numerare luci
Sumere vota.
Angelus cum tu vocitaris alti
Iure formantem rogita Tonantem,
Quatenus Sanctis ſociemur aſtris
Arce polorum.
Hocque tu præſta Genitor ſuperne
Nate ſupremi dato hoc Redemptor
Spiritus Rector tribue precamur
Omne per æuum.

19. *In natale Apoſtolorum Petri & Pauli.*

SANCTORVM pariter promite Principum,
Natalem ſocij pſallite laudibus
Inſignemque triumphum gaudentes ſonitu date.
Hoc poſcit vtique inclyta gloria
Tantorum comitum Regis & optimi,
Cum quo lucis in arce læti perpetuo manent.
Nam Petrus titulum erigit arduum,
Cum pro laude Dei clauiger ætheris
Exultat generoſus cæli regna potens tenens.
Cuius perpetuus extat & inclytus,
Paulus nam ſocius, Doctor & optimus,
Chriſti vas pretioſum & Rector populi Dei.
En quos iſte vocat, ille ſupra locat,
Quos Paulus adhibet, hos Petrus inſerit,
Chriſti teſtis vterque eſt, cæli ciuis & incola.
Chriſtum morte crucis nam ſequitur Petrus,
Cum cæſus capite Paulus & horride eſt.
Victores caput vnum ambo rite tenent Deum.
Nos horum precibus Chriſte piiſſimis
Te doues citius poſcere cælitus,
Abſit quod ſcelus omne & cuncta veniant bene.
Immunes manibus ſimus & actibus,
Senſum corde pium confer & optimum,
Vt te ritè colentes cernamus Dominum greges.
Cuius orbis honor, cuius & æthera,
Cuius vita ſalus, & bona maxima,
Eſt cui nomen in æuum regnum perpetuum ſimul.
Sit Patri ingenito gloria maxima
Sit Nato pariter conſona gloria,
Cum flatu ſimul almo per cuncta piè ſæcula.

20. *Hymnus in laudem S. Bonifacij Martyris.*

INCLYTA Sanctorum cum gloria creſcit vbique,
Et meritum ſplendor fulget in orbe ſoli.
Aſia magnificat Iacobum, Auſonia quoque Petrum,
Iohannemque Epheſus, Africa Cyprianum.
Non minus exaltans celebrat Germania laudes,
Et Bonifacij opus martyris almificum.
Ordinat hunc Roma, mittitque Britannia mater
Doctorem populis hoc decus Eccleſiæ.
Pontificem ſummum ſignorum fulmine clarum,
Eloquio nitidum moribus egregium.
Tanta prophetalis quem gratia fulcit honoris,
Ventura vt multa retulit vti noua.
Quem Francos Freſoque ſimul Saxoque miniſtrum
Æternæ vitæ prædicat eſſe ſibi.
Quanquam Freſonum gens moribus effera ſemper
Martyris ergo manus ſanguine polluerit:
Prædixit Chriſti ſed vox veriſſima, quod nunc
Cernitur impletum pluribus eſſe locis.
Quod terra moritur, frumentum plurima confert
Semina, fructumque multiplicare ſtudet:
Sicque ſacerdotis Domini lætiſſima creſcit
Paucis ex granis glorificanda ſeges.
Mortuus ecce modo viuenſque ſolebat vt ante
Lucrarut Chriſto agmina multiuaga.
Signa mouent populos, cernent magnalia cæci,
Surdorumque ſonus auribus ipſe tonat.
Morborum fugiunt labes, furor impius atri
Dæmonis abſiſtit Martyris ex precibus.
Sicque tuum famulum Chriſtus ditauit honore,
Vt regnet cælo, imperet atque ſolo.
Multorum æternas Dominus dat creſcere laudes,
Quos fidei meritum fecerat eſſe ſacros.
Sed merito Eccleſiæ laudantur in orbe magiſtri,
Quos opus & verbum præparat atque fides.
Ergo vir iſte Dei ſpernens mundana reliquit,
Pro Chriſto cuncta qui meliora daret.
Centuplicemque metens fructum hic accipit amplum,
Inſuper æternam poſſidet & requiem.
Dignus quidem laude es, vitam ſine crimine ducens,
Qui æui ſic meras clauſerat & numeros.
Accola iam Domini ſæuum iam vicerat hoſtem,
Cum Chriſto regnat accola nunc Domini.
Gaudia magna Dei iam intrauit lætus, & ille
Inuitat vos ad gaudia magna Dei.
Sanguine nempe ſuo requiem ſibi comparat almum,
Imperat hanc nobis ſanguine nempe ſuo.

Martyrio decorat, quidquid Germania nutrit,
Et proprio sobolem martyrio decorat.
O patria, ô populus tanto ditata patrono,
Per quem vita venit ô patria ô populus.
Dignaque quæ fueras ô terque quaterque beata,
Præsule hocque regi dignaque quæ fueras.
Gloria digna Deo, talem qui illum dedit esse,
Quique dedit nobis gloria magna Deo.
Gloria magna Deo semper, per sæcula cuncta
Dicamus omnes, Gloria magna Deo.

21. *In natale S. Andreæ Apostoli.*

NObis ecce dies ordine congruo,
Venit nunc celebris, clarus, amabilis.
Quo Victor super alta
Scandit properè sidera.
Andreas Domini sanctus Apostolus,
Germanusque Petri Principis inclyti.
Princeps ipse virilis
Consors martyrio fuit.
Dum Christum comites gressibus & pares
Exæquant pariter, dogmata colligunt
Eius, morte sequuntur
Et vestigia per crucem.
Piscator fuerat Petrus & Andreas,
Post ambo rapiunt orbis & agmina,
Vastant æquora mundi,
Ad regna atque trahunt poli.
Laudem ritè crucis fortiter expetunt,
Dum Christi crepitant de cruce gloriam,
Cæli regna capessunt,
Vitam de cruce colligunt.
Andreas vtique conspiciens crucem
Exclamat subito taliter intonans,
Salue sancte triumphus
Christi perpetuus honor.
Me nunc tu famulum suscipe cernuum,
Qui dudum Dominum extuleras pium.
Tu nunc redde magistro,
Quæ me exquisieras Deo.
Huius nos precibus Christe pijssimis
Absolue, petimus, ipse reatibus
Luci trade redemptos
Purgans sanguine noxios.
Da mentem sobriam, sic regis aduenam,
Da stamen optimis de fece corporis,
Intus, foris, vbique
Tu nos inclyte protege.
Præsta hoc Genitor optime maxime
Hoc tu Nate Dei & bone spiritus.
Regnans solus in arce,
Per cuncta pie sæcula.

22. *Hymnus de conf. metro Sapph.*

SAncte Confessor meritis beate
Cerne deuotum tibi congregatum
Mentibus cœtum resonare cantum
Voce canorum.
Qui tuum gaudet celebrare festum,
Quo facer lethum viceras amarum.
Corporis clausttra referans eundo
Victor ad astra.
Vnde nunc præsens pie te rogamus,
Iudicem pulses precibus sacratis.
Quatenus nostri miserando clemens
Sit memor auctor.
Deque nos semper sibi corde fidos,
Actibus gratis sanis & placere
Omnis & noxæ veniam mereri
Ipse Redemptor.
Hoc Pater sancte precibus beati
Annuas, tecum tuus atque Natus
Almus & flatus tribuat precamur
Trinus & Vnus.

23. *Hymnus de S. Marcellino & Petro Martyribus.*

CLaras laudes ac salubres posco fratres dicite,
Quas proferre cogit apte nunc Sanctorum gloria.
O victores gloriosi his ouate laudibus.
Quot virtute Regis almi fortes vidi Martyres?
Marcellinus atque Petrus iam vicerunt sæculum.
O victores gloriosi &c.
Quos arx orbis & Regina Roma quondam protulit,
Ipsa misit ad supernum Regis Christi solium.
O victores &c.
Exorcista Petrus extat, Marcellinus Presbyter,
Plebem sacram conuocantes ambo Christo præparât.
O victores &c.
Verbo curant ac medelam ægris præbent artubus
Ex insanis foras arcent vim horrendam dæmonis.
O victores &c.
Qui torquentur, cæsi flagris, exarantur vnguibus,
Vincti tetro hi catenis includuntur carcere.
O victores &c.
Nam in cippo Petrus arcto, Marcellinus crustulis,
Fracti vitri decubando toto nudus corpore.
O victores &c.
Iudex ater quos serenus certat pœnis vincere,
Illi laudes valde dignas Christo Regi personant.
O victores &c.
Qui de cælis misit ipsis mox solamen Angeli
Vt de vinclis liberati, quoquo vellent, pergerent:
O victores &c.
Ipsi vero roborati confortati Martyres
Post serenoiam parati præsentari festinant.
O victores &c.
Tunc serenus turbulentus valde iratus præcipit,
Vt in sylua tracti foras truncarentur candida.
O victores &c.
Quo profecti gratulantes cella scandunt sydera,
Laudes illic sempiternas Christo dicunt principi.
O victores &c.
Hoc Hymnista carmen offert pauper vobis Martyres,
Qualecunque sit tenete, Seruus vester obtulit.
O victores gloriosi his ouate laudibus.

24. *Idem versus de eisdem Mart.*

SAlvator mundi qui cæli sceptra gubernas,
Imperio & dominans cuncta regis proprio.
Adsis propitius, seruorum atque annue votis,
Tu miserans præsta quæque rogant famuli.
Martyribusque tuis hoc addas iustus honore,
Reddere quod possint munera larga suis.
Hos Christi testes Romana asciuit ab vrbe
Vir probus Ainhardus constituitque locum.
Cuius successor perfecta Presbyter aula
Ratlaicus Sanctis condidit hunc titulum.
Quos tu Christe Deus æterna in sæcula serua,
Cumque tuis Sanctis præmia redde *poli his. **polis.*

ANte sæcula & mundi principium
Tu Pater sancte genuisti filium,
Qui tecum regnat cum sancto Spiritu,
Nouem fecisti ordines Angelicos.
Aspice Deus de supernis sedibus,
Quos Deudofredus condidit, *versiculos **de sex ætatibus.*
A mundi principio à protoplasto
Vsque in nouissimo.
Adam plasmatus prima ætas incipit,
Quem Draco ille fraudulenter decepit,
Per Euægustum de ligno illicito
Et expelluntur ambo de paradiso.
Bellum crudele inter duos geritur,
Cain occidit Abel sine gladio,
Ipse commisit primus homicidium,
Cuius origo innocentem sequitur.

A

Versus de Annuntiatione Mariæ.

ANGELVS Domini venit ad Virginem,
Ave Maria Dominus tecum est,
Beata Virgo & Dei Genitrix.
Beata Virgo & Dei Genitrix,
Quæ meruisti portare Dominum.
Beata &c.
Casta est enim semper Virginitas,
Quam superuenit cœlestis gratia.
Beata &c.

DEVS orbis reparator, lux æternæ gloriæ,
Mihi quæso pœnitenti præbe pius veniam,
B
Vt admissi delitescant facinoris cumuli,
Quorum graui mole cogor anxiari spiritu,
Eo ad vltima cælorum non sum dignus sidera
Infelices pro delictis subleuare oculos,
Nisi tu clemens mearum lachrymarum riuulos,
Ope tuæ pietatis digneris respicere.

SVRREXIT Christus à sopore dormiens,
Pronus adfixus suscitauit mortuos.
Morte redemit hominem, quem condidit,
Iudas tradidit Redemptorem sæculi.
Inde accepit falsitatis pretium,
Ipsum reiecit, se suspendit laqueo.
Iudæi ergo comprehenderunt Dominum,
Et flagellatum duxerunt in prætorium.
Et coronatum duxerunt ante Præsidem,
Pilatus præses inquirebat crimina.
Nihil inuenit in eo facinoris,
Christus tacendo Adam de morte liberans.

TERTIO in flore mundus,
Adhuc dum pubesceret.
C
In decore iuuentutis,
Sæculum pulchresceret.
Atque prolem subter omnes,
Late cæli cardines.
Germinando pullularet,
Humana feliciter.
Natus est homo in mundum,
Patriarcha nobilis,
Abraham Dei amicus.
Puer fidelissimus,
Ebræa aurea de stirpe.
Oriundus extitit,
A quo cœpit Ebræorum.
Diffamari populus,
Gloriam dicamus cuncti,
Sempiterno Domino.
Qui nos sua pietate,
Fecit esse cælibes,
Simul quoque iubilemus,
Laudem vnigenito.
D
Atque sancto paracleto,
Nunc perenne sæculum.

SOPHIA Patris
Christe magister
Munera linguæ
Dulcia nostræ
Da Deus auctor
Rexque Redemptor
Semina verbi
Sparge per orbem
Gentibus vt te
Rite canentes
Laudibus ornent
Lucis amator
Psallite summo
Psallite Regi,
Psallite Iesu,
Psallite Christo,
E
Psallite viuo.
Psallite vero,
O sanna in altis.
O sanna in astris,
O sanna in aruis,
O sanna in vndis,
O sanna in istis,
O Deus odis.
Gloria Patri,
Gloria Nato,
Gloria sancto,
Spiritui, qui es.
Summa potestas,
F
Sanctaque virtus.

25. *Hymnus Columbani ad Andream Episcopum De obitu Caroli.*

A Solis ortu vsque ad occidua,
Littora maris planctus pulsat pectora,
Heu mihi misero.
Vltra Marina agmina tristitia,
Tetigit ingens cum mærore nimio.
Heu mihi misero.
Franci Romani atque cuncti creduli,
Luctu punguntur & magna molestia.
Heu mihi misero.
Infantes, senes, gloriosi præsules,
Matronæ plangunt detrimentum Cæsaris.
Heu mihi misero.
Iam iam non cessant lachrymarum flumina.
Nam plangit orbis interitum Caroli.
Heu mihi misero.
Pater communis orphanorum omnium.
Peregrinorum, Viduarum, Virginum.
G
Heu mihi misero.
Imperatorem iam serenum Carolum,
Telluris tegit titulatus tumulus.
Heu mihi misero.
Christe cælorum qui gubernas agmina,
Tuo in regno da requiem Carolo.
Heu mihi misero.
Hoc poscunt omnes fideles & creduli,
Hoc sancti Senes, Viduæ & Virgines.
Heu mihi misero.
Spiritus sanctus qui gubernat omnia
Animam suam exaltet in requiem.
Heu mihi misero.
Væ tibi Roma Romanoque populo,
Amisso summo glorioso Carolo.
Heu mihi misero.
Væ tibi sola formosa Italia
Cunctisque tuis tam honestis vrbibus.
Heu mihi misero.
Francia diram perpessa iniuriam,
H
Nullum iam talem dolorem sustinuit.
Heu mihi misero.
Quando augustum facundumque Carolum,
In Aquisgrani glebis terræ tradidit.
Heu mihi misero.
Nox mihi dira iam retulit somnia,
Diesque clara non adduxit lumina.
Heu mihi misero.
Quæ cuncti orbis Christiani populi,
Vexit ad mortem venerandum Principem.
Heu mihi misero.
O Columbane stringe tuas lachrymas,
Preces effunde pro illo ad Dominum.
Heu mihi misero.
Pater cunctorum misericors Dominus,
Vt illi donet locum splendidissimum.
Heu mihi misero.
O Deus cunctæ humanæ militiæ,
O que cælorum, infernorum Domine.
Heu mihi misero.

A In sancta sede cum tuis Apostolis,
Suscipe pium, ô tu Christe, Carolum.
Heu mihi misero.

26. *Hymnus de Charitate.*

ALMA, vera ac praeclara, indiuisa Charitas,
Quam qui habet, Deum amat diligitque proximum.
Qui non habet, nullum auget incrementum veniae,
Bellua saeua truculenta nempe auaritia.
Quae in aeuum secum trahit sibi consentaneos
Ad inferna tenebrosa, vbi poenas sentiant.
Charitatem vocitauit dilectus Apostolus,
Deum verum, summum, iustum, omnia qui condidit,
Quem qui timet, ipse habet charitatis vinculum
Dira fames, duplum malum, est cupido pessima,
Dimittendi & augendi semper erit anxia,
B Ipsa namque & Gehenna, nunquam dicunt, sufficit.
Ex radice charitatis cuncta bona prodeunt,
Namque lingua Angelorum simul atque hominum,
Huic sola comparata, quae est mater omnium.
Fera fallax, faetor malus, haec est auaritia,
Quae est tristis & rugosa & intollerabilis,
Ipsa sibi nulli fratrem confert adminicula.
Grata, laeta, & alacris virtus ista maxima,
Credit amat atque sperat, omniaque sustinet,
Patienter cuncta gestans laxat nostra crimina.
Heu quam dolenda nimis haec est inanis stipula,
Semper stridens atque mordens frendensque in labijs.
Quae nec sibi miseretur, nec succurrit alijs.
Ille namque charitatis sequitur vestigia.
Qui & fratres amat, propter Dominumque in proximo,
C Veneratur, vt lex docet diligendo iugiter.
*Kalipsitem infernalis est auarus Clericus,
*Chalybs
Qui Exempla Scripturarum conuertit in vitium.
Quod nec Paulus inter sanctos nominari censuit.
Laetum tamen largitorem ipsum amat Dominus,
Qui alacris semper suum impertit pauperibus,
Eius namque iustitiae permanet in saecula.
Male verò distributa ipsum amat Dominum:
Quando ore murmuranti, corde quoque dolenti,
Dat tamen, sed iam non erit summo Deo placita.
Nutu Dei felix homo collaetatur fratribus,
Misellinis & pupillis, & egenis & orphanis,
In his susceperunt viri celsi Dominum.
Olim iamque extitisse sacrae ferunt paginae,
D Quod nec vllus puto laret pauperem & diuitem.
Quos qui vult considerare, ...
Pauper felix collocatur sinu summo Abrahae
Patriarchae, glomeratur, decos sanctis aedibus,
Diues verò catenatus mancipatur ignibus.
Quare frater Christiane tale post exitium,
Es immemor vtrorumque aeternale praemium.
Qui propter vitam istam paruam capis tuum meritum,
Rex aeternus, Rector Regum legumque dispositor.
Ipse * reddo cunctis aequum pro factis & meritis,
*reddit.
Quae post huius saecli noctem nos in imo penetrant.
Sana fide sancte*homo intende sagaciter,
*sanctae spei.
Quia cessant fides atque ipsa spes in vltimo,
Laeta tamen haec in aeuum clara regnat Charitas.
Toto nisu ô beata Charitatis viscera
Semper mente retinete, semper ore promite,
Etiam dictu atque factu proximis impendite.
Viua tuba * salpinx sancta & sanctarum agmina
Σάλπιγξ tuba.
Haec exemplis verbis sacris cecinerunt populis,
Vnde regna semper laeta*capessere patriae.
*possidere
Christe fane votis Iesu Regum Rex & Domine
Trahe ad te, qui te volunt Charitate *sequier
*sequere.
Quia tu es vita luxque viaque perpetua.
Ymnum tibi nunc cantamus sacra sancta Charitas,
Quia tu es benedicta celsa scandens aethera,
Quae est omen atque nomen Dei Patris gloria.

E Zmaragdo luces pulchrior, omni gemma clarior.
Nitor splendens, super aethra sedens alto solio,
Fac vt tecum Charitate regnemus in gloria.

1. *Epitaphium Hiltibrati Episcopi.*

PONTIFICIS clari hic requiescunt membra sepulti,
Hildibrath dicti nempe Dei famuli.
Francia quem genuit mater, quem Fulda nutriuit,
Delectu & Patrem hunc sibi constituit.
Nam Praesul post hic humili moderamine factus,
Iugiter extersit crimina cum lachrymis.
Cuius nunc animam fac tu Dee Christe beatam,
Hoc dic, O lector, dic, petit ipse pater.

2. *Epitaphium Einhardi.*

TE peto, qui hoc templum ingrederis, ne noscere spernas. F
Quid locus hic habeat, quidque tenens moneat.
Conditus ecce iacet tumulo vir nobilis isto,
Emhardus nomen cui Genitor dederat.
Ingenio hic prudens, probus actu, atque ore facundus
Extitit, ac multis arte fuit vtilis.
Quem Carolus Princeps propria nutriuit in aula,
Per quem & confecit multa satis opera.
Nam horum Sanctorum condigno functus honore, SS. Marcellini & Petri.
Exquirens Romae corpora duxit & huc,
Vt multis prosint precibus curaque medelae,
Ipsiusque animae regna poli tribuant
Christe Deus hominum Saluator, Rector & auctor.
Aeternam huic requiem da super astra pius.

3. *Epitaphium Lotharij Imperatoris.*

CONTINET hic tumulus memorandi Caesaris ossa,
Lotharij magni, Principis atque pij.
Qui Francis, Italis, Romanis praefuit ipsis, G
Omnia sed spreuit, pauper & hinc abijt.
Nam bis tricenos monachus sic attigit annos,
Et se mutauit, ac bene post obijt. 11. *Cal. Octob.*

4. *Epitaphium Haistulphi Archiepiscopi.*

QVI intrastis templum, precibus qui implestis & ora,
Discere non pigeat, quis tumulo hoc iaceat.
Praesulis Haistulphi sita sunt hoc membra sepulchro,
Pontificiale suum qui bene gessit opus.
Bis senis vrbem hanc pastor qui rexerat annis,
Dogma & Apostolicum protulit ore, manu.
Iustitiae custos, rectus, patiensque, benignus,
Fidus in eloquijs & pietate placens.
Lulli discipulus, successor rite Richulphi,
Ambobus meritis non minor iste fuit.
Quis te sancte pater cum Christo nesciat esse, H
Splendida quem tecum vita fuisse probat?

5. *Epitaphium Otgarij Archiepiscopi.*

QVI intrasti templum, pronus qui hanc sistis ad arā,
Non spernas lector hunc titulum legere.
Nam hic tibi mox pandit, tumulus sit cuius, & istic
Otgarij nomen factaque clara dabit.
Pectore sub cuius regnans patientia victrix,
Fluctibus in tantis anchora fixa fuit.
Felle carens, animo placidus, dulcedine pastus,
Praesulis officium rite peregit ouans.
Quattuor hic lustra, binos compleuit & annos,
Moxque vrgente die raptus ab orbe fuit.
Hunc meliore via credo ad caelestia vectum,
Non premit vrna rogi, sed tenet aula poli.
Rex Regum Christus huic laetus semper adesto,
Et nobis clemens sis sine fine Deus.

A

6. *Epitaphium Hrabani Archiepiscopi.*

LECTOR honeste meam si vis cognoscere vitam,
Tempore mortali discere sic poteris.
Vrbe quidem hac genitus sum,ac sacro fonte renatus,
In Fulda post hæc dogma sacrum didici.
Quo monachus factus seniorum iussa sequebar,
Norma mihi vitæ regula sancta fuit.
Sed licet incautè hanc,nec fixè semper haberem,
Cella tamen mihimet mansio grata fuit.
Ast vbi iam plures transissent temporis anni,
Conuenere viri vertere fata loci.
Me abstraxere domo inualidum, Regique tulere,
Poscentes fungi Præsulis officio.
In quo nec meritum,vitæ nec dogma repertum est,
Nec Pastoris opus iure bene placitum.
Promptus erat animus,sed tardans debile corpus,
Feci quod poteram,quodque Deus dederat.
Nunc rogo te ex tumulo frater dilecte iuuando,
Commendes Christo me vt precibus Domino.
Iudicis æterni me vt gratia saluet in æuum,
Non meritum aspiciens,sed pietatis opus.
Rhaban nempe mihi nomen,& lectio dulcis,
Diuinæ legis semper vbique fuit.
Cui Deus omnipotens tribuas cælestia regna,
Et veram requiem semper in arce poli.

B

7. *Epitaphium Alchuuini.*

HIc rogo pauxillum veniens tu* siste viator,
Et mea scrutare pectore dicta tuo.
Vt tua deque meis *agnoscas fata figuris,
*Vertatur species vt mea sicque tua.
Quod nunc es,fueram,famosus in orbe viator,
Et quod nunc ego sum,tuque futurus eris.
Delicias mundi casso sectabar amore,
Nunc cinis & puluis,vermibus atque cibus.
Quapropter potius animam curare memento,
Quam carnem,quoniam hæc manet,illa perit.
Cur tibi rura paras,quam paruo cernis in antro,
Me tenet hic requies,sic tua parua fiet?
Cur Tyrio corpus inhias vestirier ostro,
Quod mox esuriens puluere vermis *erit?
Vt flores pereunt,vento veniente minaci,
Sic tua namque caro gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem lector rogo carminis huius,
Et dic,da veniam Christe tuo famulo.
Obsecro nulla manus violet pia iura sepulchri,
Personet Angelica donec ab arce tuba.
Qui iaces in tumulo terræ de puluere surge,
Magnus adest Iudex millibus innumeris,
Alchuuin nomen erat Sophiam mihi semper amanti,
Pro quo funde preces,mente legens titulum.

*M. S. S Galli. subsiste. *cognoscas. *vertitur tu. *edet.

C

8. *Epitaphium Reginbaldi Chorepiscopi.*

ECce Reginbaldus pausat Chor-Episcopus istic,
Corpore,sed tantum,Spiritus astra petit.
Ore manuque simul populo huic qui præfuit aptè,
Mercedem plenam cui dabit omnipotens.

9. *Epitaphium Egili Abbatis.*

D

INGREDIENS lector per parui domatis antrum,
Cerne legens titulum noscеque fata viri.
Abbas iste fuit famosi nominis Eigil,
Qui iacet in tumulo,sed super astra manet.
Hoc quoque Cœnobium rexit feliciter ipse,
Multaque facta bona rite peregit ouans.
*Martyris ergo sacra cum Præsule transtulit ossa,
*Ac binas pariter has dicat Ecclesias.
Post hæc alta petit,animamque ad sidera misit,
Corporis infirmi membra locauit & hic.
Huic quoque Hrabanus vilis successor amando,

*S.Bonifacij. *S.Saluatoris & S.Michaelis.

E

Conscripsi hunc titulum Christus vtrosque iuuet.

10. *Epitaphium VValafredi Abbatis.*

NOSCERE quisque velit, tumulo hoc quis conditus extet,
Perlegat hunc titulum,omnia sicque sciet.
Ergo Walachfredus tumulatus forte quiescit,
Presbyter & monachus ingenio hic validus.
Abbas Cœnobij huius,custosque fidelis,
Hic fuerat caute dogmata sacra legens.
Nam docuit multos metrorum iure peritus,
Dictauit versus,prosa facundus erat.
Inuitans instanter oues ad pascua Regis,
Distribuit dulcem fratribus ore salem.
Moribus ipse probus,virtutum exempla reliquit.
Discipulis Pastor, plebis & almus amor.
Mors fera sed iuuenem hinc rapuit, damnumque ferebat.
Multis,sed Christus hunc tulit ad Superos.
Quisquis hunc titulum recitas pro hoc posco fideles,
Funde preces Christo,sicque places Domino.

F

11. *Epitaphium Adalhardi.*

HIc iacet inclusus Adalhardus nomine dictus,
Vnus de clero,mors fera quem rapuit.
Hartnandus titulum quem condidit ipse precando,
Cui dicat,Lector,tu miserere Deus.

12. *Epitaphium Isanberti presbyteri & monachi.*

NORICVS ex Patribus ego sum Germanicus exul,
Wasconia genitus,Presbyter & monachus.
Nomen sique meum quæris tu lector honestè,
Isanbert dicor,cui miserere Deus.

G

13. *Eiusdem.*

NORICVS ex genere fueram atque Aquitanicus ortu,
Francia me que aluit,quoque fui monachus.
Ferrum me clarum dudum dixere parentes,
Mortis nunc tumulo vincula dira premunt.

14. *Eiusdem.*

NORICA prima parens fuerat Aquitania mater,
Francia me rapuit,Presbyter atque fui.
Qui vixi monachus Isanbert nomine dictus,
Cuius tu lector esto memor precibus.
Ecce tibi vt peteras,conscripsi promptus amore,
Versus ad tumulum dulcis amice tuum.
Tripliciter condens titulum,Trinumque precando,
Quod te conseruet summus ab arce Deus.
Tu memor esto mei cum viuas sanus in orbe,
Post funus tecum vt lætus ad astra petam.

H

15. *Epitaphium VVigfridæ.*

NOBILIS ecce iacet tumulata hic femina Wigfrid,
Quam Saxo atque Thuring gaudent habere genus.
Hæc quoque coniugium,sortita ac pignora prompsit,
Et post busta viri Nonna dicata Deo est.
Nam titulum scribi hunc eius quoque filia fecit,
Theotfrid,quæ matri iungere funus amat.

16. *Epitaphium Irmingardis.*

INGREDIENS quisquis hanc ædem rite reuisas,
Noscere te libeat,quid tumulo hoc lateat.
Fæmina hic pausat Augusta & nobilis ortu,
Irmingarda cui nomen erat deditum.
Quæ hoc opus incipiens hic aulam condere iussit,
Ad Christi laudem atque sui requiem.
Nam pia Relliquias Sanctorum ex vrbe receptans,
Romana huc vexit,hicque locauit eas.
Ipsorum caperet meritis vt gaudia vitæ,
Delicti ac veniam perciperet precibus.

A Castè conuersans mundana hæc gaudia spreuit,
Pauperibus larga omnibus apta bonis.
Nobiliter vixit, alijs exempla reliquit,
Virtutum sibimet præmia læta parans.
Hæc quoque dum expleret iuuenile hic tempus & annos,
Maturæ ætatis inciperet, iam obijt.
Linquens regna soli penetrauit regna polorum,
Cum Christo & Sanctis gaudia vera tenens.
Hanc rogo tu Lector commenda rite Tonanti
Assiduis precibus, Christus eam vt habeat.
Cum quo congaudens viuat feliciter ipsa
Angelicis semper mixta beata choris.
Has ego Hrabanus confeci versibus odas,
Ex obitu mæstus, ex requie & gratulans.

Obijt autem Irmingarda Imperatrix anno Dominicæ Incarnationis D.CCCLI. Indictione XIIII. XIII. Cal. Aprilis in die Parasceue hora quasi sexta, & requieuit in pace.

17. *Epitaphium Tutini.*

HIc iacet insignis vir nomine Tutin humatus,
Complens communem sorte vocante diem.
B Alta clarorum qui natus stirpe parentum
More omni proceres æquiparauit auos.
Ingenio, probitate, fide, verbisque decore
Inter regales vixit honore viros.
Quem iuuenem medijs cecidisse viriliter armis
Effecit Domini gratia magna sui.
Frater Pontificis fuit ille celerrimus armis,
Qui huc germani detulit ossa sui.
Flecte genu, palmasque leua, bone Lector, & orans
Dic, precor, ambobus propitiare Deus.

18. *Epitaphium Gundramni.*

HIc locus *tenet congestos rite sepulchris (*ecce*)
Castorum cineres ac tegit ipse suos,
Nam Gundramnus adest istic, & corpore subtus
Sarcophago latitat, Spiritus alta petit.
Pro quo tu Lector digneris fundere Christo,
C Posco, preces Domino, vt faueat famulo.

19. *Epitaphium Otdrudæ coniugis eius.*

COniunx namque huius Otdruda & nomine dicta,
Cespite contecta hic condita rite iacet.
Horum nempe datu Bonifacius obtinet istum
Martyr rite locum, consecrat & Domino.
Christe Deus hominum Saluator, Rector & auctor
Æternam in cælis da pius his requiem.

20. *Epitaphium Ratlaici presbyteri.*

EN seruus Christi Ratlaicus nomine dictus
D Corpore hic pausat, Spiritus alta petit.
Presbyter hic fuerat, Sophiæ & studiosus amator,
Officium Abbatis & bene gessit opus.
Sollers ac strenuus diuinæ dogmate legis
Scrutando didicit atque alios docuit
Is ex Colonia adueniens Regi en Ludouico
Coniunctus valde, vtilis huicque fuit.
Plures nam docuit verbis, & scribere fecit,
Quæ fuerant apta plurima ad officia.
Nam iuuenis vitam hanc linquens migrauit ad æthra,
Atque ibi cum Christo gaudia vera tenet.

EST locus in primo felix Oriente remotus (*Paradisi inchoata videtur descriptio*)
Qua pater æterni maxima porta poli.
Nec tamen æstiuos hyemis vel propinquus ad ortus
Sed qua Sol verno fundit ab axe diem.
Illic planities tractus diffundit apertos,
Nec tumulus crescit, nec caua vallis hiat.
Sed nostros montes, quorum iuga *cæsa putantur, (*celsa*)
Per bis sex vlnas *imminet ille locus. (*eminet*)

E Hic Solis nemus est & consitus arbore multa
Lucus, perpetuo frondis honore virens:
Cum *Phaetonteus flagrasset ignis ab axe, (*Phaetonteo.*)
Ille locus flammis inuiolatus erat.
Et cum diluuium mersisset fluctibus orbem,
Deucaleoneas exsuperauit aquas.
Non hunc exsangues morbi, nec ægra senectus,
Nec mors crudelis, nec metus asper adit.
. . . .

Cætera desiderantur.

ANACLETA QVÆDAM HRABANI ET ALIORVM NON DISSIMILIS ARGVMENTI, ET STYLI, DIGNA QVÆ ad memoriam antiquitatis, dispersa & dissipata, recolliguntur.

F *Alexandri & Fabiani Pontif. Rom. elogium quod eis Hrabanus scripsit postquam illorum reliquias in monasterium & Ecclesiam B. Dei Genitricis intulit apud Fuldam in colle septentrionali, quem superiorum sæculi iniuria vastatum nouis operibus iam exornat Reuerendissimus Abbas Ioannes Fridericus.*

POntifices summi, Roma huc quos misit habendos,
Rectores fuerunt sedis Apostolicæ.
Hos seruus Christi Hraban suscepit ouando,
Illorumque ossa *hic condidit & loculo. (*hoc.*)
Leuitæ ergo duo prædicta ex vrbe secuti,
Venerunt istuc, digni & honore suo.
Quos idem famulus Domini mox obuius, astans,
Supplex accepit, hicque simul posuit.
Martyr Alexander, martyr Fauianus & ipse,
Huc venêre simul Doctor vterque pius.
Discipuli Christi, Papæ dignique ministri,
Felicissimus hic, Agapitusque manent.
Omnes hi pariter aulam hanc satis ossibus ornant,
G Virgo Dei genitrix quam dicat & meritis.
Vos quoque qui intrastis templum, istos cum prece fusa,
Patronos vobis quærite in auxilium.

Sanctorum Vrbani & Quirini ac Venantij ossa in Ecclesia montis S. Ioannis Baptistæ conduntur: & versus eorum honori erecto ciborio sequentes à Hrabano inscripti sunt.

PRÆCVRSOR Domini Christum qui tinxerat vndis
Hanc aulam inhabitat, sanctificatque domum.
Quatuor hancque viri Christi magnalia scriptis
H Qui tunc expresserunt, ecce colunt pariter.
Sed homines sancti valde & sacro ordine clari
Non minus exaltant, nobilitantque locum.
Quos huc diuersis duxit ex partibus orbis
Seruorum Domini strenuus actus amor.
Quirinum Roma, Quirinum Siscia misit:
Quos pie suscipiens continet iste locus.
Insignis præsul sanctus Venantius atque
De Alimino veniens hic simul ipse manet.
Hos quoque susceptos Hrabanus sorte locauit.
Sarcofago hoc digne *edidit & titulum (*condidit*)
Deposcens omnes templum qui gressibus intrant
Ipsum vt commendent rite Deo precibus.

A *Epigraphe SS. Tiburtij Valeriani, & Cæciliæ Lipsanothecis insculpta, quando eorum ossa, veneranda in Rathesdorstiensi nunc collegiali Ecclesia Fuldensis ditionis Hrabanus deposuit.*

POSTQVAM Rex regum Christus super æthera celsa
Victor conscendit arbiter omnipotens.
Seruorum turbam hic liquit plebemque fidelem,
Qui verbo & factis plurima lucra darent.
Inter quos isti, quorum hic membra quiescunt,
Virtutum titulis eximij fuerant.
Hi pompam mundi spernentes rite tenebant
Martyrij palmam virgineumque decus.
Germani ecce duo hic pausant, quos virgo beata
Lucrata est Christo dogmate Cæcilia.
Valerianus adest vnus, Tiburtius alter,
B Nomine præclarus clarior & meritis.
Has tres personas Romana ex arce meantes
Suscepit Hraban Christe tuus famulus.
Patronosque sibi exoptans fieri arte magistra
Ornauit Tumulum condidit & titulum.

Operi quadrilatero, quod turris instar Fuldæ Hrabanus in Basilica Saluatoris SS. honori molitus est, sequentia tetrasticha inscripsit.

Primum in orbem excurrit: sequentia lateribus adhæsere.

NOMINE quos noto locus hic & imagine signat
Præclaros Christi ecce Dei famulos.
Qui corde impauido rubuerunt sanguine sacro
C Pro Christo iam animas opposuere suas.

IN PRIMO LATERE.

MARTYRIVS Christi quorum hic ossa quiescunt
Hrabanus humilis condidit hunc tumulum.
Horum tu lector si noscere nomine curas
Arca superposita pandit & ipsa tibi.

IN SECVNDO.

ROMA decus mundi. Laus rerum. Summa potestas:
Hos iam lectores Pontificesque habuit.
Cum quibus hic pausant sumpti de partibus orbis.
Virtute clari Christe tui famuli.

D

IN TERTIO.

FELICES nimium atque beati
Quos rex Christus ouans arce superna.
Sanctis pro meritis collocat astris
Vitam supremam reddit & illis.

IN QVARTO.

QVI templum Domini gressibus intrant
Hos nunc admoneo corde benigno
Christum suppliciter vt prece poscant
Quo eum martyribus sidera præstet.

Ad Haistulphum Archiepiscopum Magontinum cum illi de institutione clericorum libros grati officij causa dedicaret.

HÆc tibi sancte pater deuoto munera trado,
Quæ tu dignanter qualiacunque cape
Tu decus es nostrum, Doctor summusque sacerdos
Dux sacer, & princeps, lux, via, pastor, honor.
Nam quia tu templum dedicasti martyris almi
Per seruum donum hoc martyr & ipse dedit
Nam est nonus & decimus octingentesimus annus,
Ex quo Saluator venit in arua pius.

E Qui te præfectum tribuat, faciatque beatum,
Inserat & lætum cœtibus Angelicis.
Abbas namque meus, vesterque fidelis amicus,
Ægil hæc voluit reddere dona tibi.
Se totum atque offert, suaque omnia sponte ministrat
Quem tecum summus saluet in arce Deus.

De ijsdem libris ad Fuldenses Monachos cum Parænesi qua illos ad diuinarum litterarum studia cohortatur.

CERNITE quid voluit, fratres, sententia legis,
Quæ mandat ritè noscere verba Dei.
Aures quisquis habet hic audiat, inquit, apertas,
Quid dicat sanctus Spiritus Ecclesijs.
Cui Psalmista pari concordat grammate, plebem
In legem Domini cernere rite iubens.
Sic quoque nos semper oculis atque auribus est fas,
F Intentis fratres discete verba Dei.
Quid mandet dictis quid factis indicet ipsis,
Quæ codex geminus continet ille suus:
Quid cebrando pijs signet charissima Christi
Sponsa sacramentis & studijs varijs.
Namque poposcitis hæc vobis reddere scriptis,
Exhibui paruis hæc tribus ipse libris.
Quid cultura velit, gradibus quid nunciet almis,
Quid prece, quid festis sancta Dei Ecclesia
Dogmata quæ cunctis pia discere, quæue docere,
Condecet ordinibus mystica dicta Dei.
Sed licet hæc tota non possum carpere scriptis,
Plurima complexus hic tamen arte dedi.
Hæc ego peccator Hrabanus dona tonantis,
Vobiscum capiens, nunc pia participo.
Supplex vos posco testans per sceptra tonantis,
Me vt commendetis vos precibus Domino,
G Quatenus ipse pius concedat dona salutis,
Vobiscum mihimet regna beata poli.
Christus dux vester, Christus rex, Christus amator,
Semper vos saluet, summus in arce Deus.

VVALFRIDI STRABONIS POEMATA.

Ad Maurum Hrabanum Abbatem Fuldensem Magistrum suum.

SVSCIPE seruorum, pater optime, verba tuorum
Annuat vt vestris omnipotens precibus.
Fac supplere moras torpentem pectore Strabum
Plurima ne dominis probra legat proprijs.
Suscipe putriculum clementi corde libellum
Emendata tuo viscera vt ore ferat.
Vix reparata tuis concedere dogmata seruis
Dignare, vt norint quam bene amore cales;
H Cresce valens, augere vigens, firmare beate,
In Domino semper, inclyte quæso pater.

Ad eundem de calceamentis.

HRABANO patri per verba precantia Strabus
Ante aliquot menses spondebat Epistola nobis.
Huc autumnali venturos tempore missos
Vsibus vt nostris ferrent, quæ nostra poposcit
Paupertas, sed spes miserum me vana fefellit,
Quo sic suspensum improuisa perurget egestas
Sed licet innumeri pulsent mea pectora questus
Plus tamen impugnat, quod nudipedalia cogat
Ecce pati, ni vestra prius solatia nostros
Respiciant casus, verbis vt pauca momenti
Occurrat, quæ sit cunctis largissima mater
Vestra manus, valeas per sæcula cuncta precamur.

A

Ad eundem pro seruitore dando.

QVÆSVMVS exigui temet pater optime serui,
Sit nostri vt clemens vestra memor bonitas.
Ædes enim nostra est nobis angusta duobus,
Si terni essemus, lata satis fieret.
Vnde expectamus vestri promissa fauoris,
Tu nos vt clemens, teque iuuet Dominus, Amen.

HRABANI MAVRI MONACHI OLIM FVLDENSIS VETVS SCRIPTVM DE S. CRVCE.

EX HERSFELDIENSIS ABBATIÆ BIbliotheca.

B

Ex imaginis Christi membrorum situ crux cum suis mysteriis effigiata.

1.Pet.1.

ECCE imago Saluatoris membrorum suorum positione consecrat nobis saluberrimam, dulcissimam ac amantissimam sanctæ Crucis formam: vt in eius nomine credentes, & eius mandatis obedientes, per eius passionem spem vitæ æternæ habeamus, vt quotiescunque S. Crucem aspiciamus, ipsius recordemur, qui pro nobis in ea passus est, vt eriperet nos de potestate tenebrarum, deglutiens quidem mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur. Profectus in cælum, subditis sibi Angelis & Potestatibus & Virtutibus, vtque recogitemus, quod nō corruptibili argēto vel auro redempti sumus de vana nostra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine suo, quasi cruore agni incontaminati & immaculati Christi, vt simus & nos immaculati in conspectu eius in charitate: vt per hæc efficiamur diuinæ naturæ consortes, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Sunt quippe & in ipsa depicta cruce nomina Redemptoris eiusdem Domini nostri, quædam ex diuinitatis eius substantia, quædam verò ex dispensatione susceptę humanitatis assumpta, vt ostenderetur, quod idem mediator Dei & hominum, & Patri esset in Deitate consubstantialis atq; coæqualis: & Matri in humanitate suscepta connaturalis atque consimilis, quia omnem naturam nostram ipse perfectè suscepit absque peccato humano.

C

Qualitas autem eorum facile per rationem subternexam potest cognosci, vtrum ad diuinam, vel ad humanam eius pertineat naturam.

CHRISTVS namque Græcè à Chrismate est appellatus, hoc est, vnctus. Sacerdotes ergo & Reges apud Iudæos sacra vnctione in veteri Testamento vngebantur, & ideo Christus vnctus latinè appellatur; vel vnctio dicitur, quia Rex & Sacerdos est, qui non oleo materiali, sed oleo lætitiæ, hoc est, Spiritu S. vnctus est præ omnibus participibus suis. Et apud Hebraicam linguam Christus Messias nominatur.

IESVS Hebraicè, Sother Græcè, salutaris vel Saluator, Latinè interpretatur; pro eo, quod cunctis gentibus salutifer aduenit.

D

IMMANVEL vel Emanuel ex hebræo in latinum significat, nobiscum sit Deus, scilic. quod per virginem natus Deus hominibus in carne mortali apparuit.

DEVS dicitur propter vnitam cum Patre substantiam. DOMINVS propter seruitutem creaturarum. Deus autem & homo, quia verbum simul & caro est.

VNIGENITVS autem vocatur per diuinitatis excellentiam, quia genitus sine fratribus. Primogenitus per susceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ habere fratres dignatus est, quibus esset primogenitus filius.

HOMOVSION Patri ab vnitate substantiæ appellatur. Substantia enim vel essentia græcè Vsia dicitur. Omousum vtrumque coniunctum sonat vna substantia.

E

PRINCIPIVM eo quod ab ipso sunt omnia, & quia ante eum nihil est.

FINIS, quia dignatus est in fine sæculorum humiliter in carne nasci & mori: vel quia, quicquid agimus, ad illum referimus, & ad eum cum peruenerimus, vltra quod quęramus, non habemus.

OS DEI est, quia verbum est eius. Nam sicut pro verbis, quæ per linguam fiunt, sæpè dicimus illa vel illa lingua; ita pro verbo Dei ponitur os, quia mos est, vt ore verba formentur. VERBVM autem ideo dicitur, quia per eum omnia Pater condidit siue iussit.

VERITAS etiam vocatur, quia non fallit, sed tribuit quod promittit.

VITA est, nam omnia viuificat. IMAGO dicitur propter Patris parem similitudinem. FIGVRA, quia suscipiens formam serui per operum virtutumque similitudinem Patris in se imaginem atque immensam magnitudinem designauit.

F

Manus Dei est, quod omnia per ipsum facta sunt. Hinc & dextera propter effectum operis totius creaturæ, quæ per ipsum formata sunt. Brachium nuncupatur, quod ab ipso omnia continentur.

VIRTVS, quod omnem Patris potestatem in semetipso habeat, & omnia potest.

SAPIENTIA græca vox. Sophia, quod ipse reuelet mysteria scientiæ & arcana sapientiæ. Splendor, propter quod manifestat.

LVMEN, quia mundum ex alto illuminat. LVX, quia ad virtutem contemplandum cordis oculos reserat. SOL, quia illustrator iustitiæ ac prudentiæ.

ORIENS, quia rerum cælestium fons & luminis auctor, & quod oriri nos faciat ad vitam æternam. FONS, quia omnium in natura rerum origo est, vel aduocatus scientiarum, quod faciat homines verè scientes.

PARACLETVS, id est, consolans, aduocans & pronocans, quia pro nobis intercedit apud Deum Patrem, & ad culpas nostras remouendas curam gerit.

SPONSVS, quia de cælo descendens adhæsit Ecclesiæ, vt essent duo in carne vna. ANGELVS dicitur propter annunciationem paternæ ac suæ voluntatis, vnde & apud Prophetam magni consilij Angelus legitur, dum sit Deus atque Dominus Angelorum.

G

MISSVS dicitur, quia verbum caro factum est. Homo verò, quia incarnatus est.

MEDIATOR, quia de morte ad vitam nos perducit. PROPHETA, quod futura reuelauit. Sacerdos, quod pro nobis hostiam se obtulit. Pastor, quia custos est. Magister & Doctor Rabbi, quod ostensor.

NAZARENVS verò à loco, Nazareus à merito, id est, sanctus siue mundus adiectiuè, quia peccatum non fecit. Siquidem & aliis inferioribus rebus nominum species ad se trahit Christus, vt facilius intelligatur.

H

PANIS autem dicitur, quia caro viuificans. VITIS, quia ex sanguine ipsius redempti sumus. FLOS, quia electus præ filijs hominum. VIA, quia per ipsum ad Deum Patrem imus. OSTIVM, quia per eundem ad Deum ingredimur. MONS, postquam excelsus est & fortis.

PETRA, quia maxima firmitas est piè credentium. Lapis angularis, quia duos parietes è diuerso, id est, de circumcisione & præputio in vnam fabricam Ecclesiæ iungit: vel quod pacem Angelis & hominibus facit. LAPIS offensionis, quod veniens humilis offenderunt in eum increduli, & factus est petra scandali. FVNDAMENTVM autem ideo vocatur, quia nostra fides in eo fundata est vel quia supra eam Catholica Ecclesia & Apostolica & doctrina diuinitus constructa est.

A & Ω, quod Christus initium & finis est; AGNVS etiam dicitur propter innocentiam. OVIS ipse quoque vocitatur ob mansuetudinem seu patientiam. ARIES propter principatum. HOEDVS ob similitudinem carnis peccati: Vitulus pro eo, quod pro nobis est immolatus.

LEO pro regno & fortitudine, Serpens pro morte & sapientia. Vermis idem, quia resurrexit. Aquila, propter quod post resurrectionem ad astra lætus remeauit.

Nec

Nec mirum, si vilibus significationibus figuretur, qui dum sit patri coæternus ante sæcula filius, naturæ nostræ vilitatem non spernens natus est in tempore hominis Filius. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis.

S. CRVX.

DExtra Dei summi cuncta creauit HIesus,
Christus laxabit è sanguine debita mundo.
In cruce sic positus dissoluens vincla Tyranni
Æternus Dominus deduxit ad astra beatos,
Atque salutiferam dederat Deus arce coronam.

Veste quidem parua hic tegitur qui continet astra:
Atque solum palmo claudit vbique suo.

Iste est Rex Iustitiæ. Ordo iustus Deo facer.
I. N. R. Regum Dominus Dominorum. A. M. Ω.
Principium, Medium, Finis.

In Hersfeldiensis ad Fuldam amnem inclyti Basilica legebantur hi versus.

In fronte chori inferioris quem laicorum appellabant ad leuam.

VT guttæ roris delentur caumate solis,
Vt flos, aut folium soluitur in nihilum:
Sic decus omne perit, quod oberrans hic homo quærit,
Quo breuiter fruitur, post breue qui moritur.
Nil fert syncerum vel constans machina rerum,
Dum qui heri stabat, cras hodieue labat.
Sed quæ sunt sursum non norunt gaudia Cursum,
Lector ad hæc propera iusta sequens opera.
Lux, laus sollemnis, ibi cunctis paxque perennis,
Nec decor vllus abest, Rex vbi summus adest.
Desine vana sequi, quo munere iudicis æqui
Ob bona facta tibi viuere detur ibi.
Eia quam lætus, concors, facer, atque quietus,
Omnis ibi cætus non dolus, ira, metus.

Ad dextram Saxis insculpti.

Sicut agri flores, sic mundi constat honores
Tempore stare breui conditione leui.
Mundus transibit, sed non omnino peribit,
Eius mutatus in meliora status.
Porrò diuina cura sunt condita bina
Angelus ac anima fœdere finitima.
Vtraque fine carent, sed fini cætera parent,
Quæ maris vnda tegit, terra vel aura vehit.
Hinc homo discerne, quid sis, pacisque supernæ
Tendens ad patriam, quære teneque viam.
Corpore casurus, anima nunquam moriturus,
Iuncta spe fidei dilige dona Dei.

Epitaphium vetus in Cœmeterio.

Sta, lege, pertracta, quid sis, quæ sint tua facta,
Per breue, per dubium viuitur hic spatium.
Vt flos ecce cades, cinis ad cinerem citò vades.
Summa vel ima petens, digna que lucra metens.
Nunc age, dum viuis, summæ patriæ fore ciuis
Mors sit spesque tibi fixa frequenter ibi.
Qua perpes vita, qua gaudia sint stabilita
Absque labore quies & sine nocte dies.
Qui legis hæc, ora pro me, pro teque labora,
Pro te meque reo da tua vota Deo.
Posce mei miseri miseratorem misereri,
Meque boni veri participem fieri.

In vestibulo chori superioris circum Apostolos à dextris.

Quærunt scituri quæ proœmia sint habituri,
Cuncta relinquentes mundi, Christumque sequentes,
Quos consessuros sibi, censoresque futuros
Promittit, mundo cum venerit ille secundo.

In eodem vestibulo à sinistris.

Patres bisseni, diuino pneumate pleni.
Ortum nascentis clauso de ventre parentis,
Cernunt, effantur, præsignant, testificantur.
Pectore, sermone, factis, scriptis, ratione.

Versus deorsum legendi, iuxta sepulchrum Albini.

Angelus	*Intactus*	*Verbũ*	*Noua*	*Per tria dona*
Iussa Dei	*Venter*	*Caro*	*Stella magos*	*Deus infans*
Fert;	*Imprǎgnatur;*	*Fit;*	*Ducit;*	*Magnificatur*
Christus	*Rex mortis*	*Mors*	*Clausi*	*Plãta* venusta*
Ad mortem	*Captus*	*Moriẽs*	*Tenebris*	*Paradisi*
Traditur;	*Arctatur;*	*Perit;*	*Exiliunt;*	*Renouatur;*
Christus	*Districtus*	*Cunctũ*	*Sua proœmia*	*Nostrum*
Exurgens	*Iudex*	*Cor eũ*	*Quisquis*	*Opus omne*
Ascendit;	*Rediet;*	*Metuit;*	*Capiet;*	*Patefiet;*
Sanctũ Pneuma	*Noua*	*Fidei*	*Baptisma*	*Supernis*
Discipulos	*Lingua*	*Virtus*	*Hominũ scel⁹*	*Ima*
Inflammat.	*Dantur.*	*Crescit.*	*Tollit.*	*Sociantur.*

* *vetusta.*

Laus Deo & Virgini Matri.

SCHOLIA
R. P. CHRISTOPHORI BROVVERI
SOCIETATIS IESV PRESBYTERI.

Ad

POEMATA HRABANI MAVRI.

HRABANI plura extare ingenij monumenta oratione numerosa conscripta, quam quæ vulgo innotuerint, versus, quos in lucem damus, argumento sint. Atque illi quidem integri ad manus nostràs vtinam peruenissent. Iam enim non solum multi ex hoc numero, sed Epici plurimi quoque desiderantur, quos de Luduici Pij liberorum, Lotharij, Caroli, Luduici rebus gestis, carmine heroico ab eo contextos aiunt, oblitescere, & clausos teneri Bibliothecarum carceribus; quo leuius præsentium iactura nobis ferenda quidem est. Asper in his, quæ damus, fateor, & agrestis ac illex numerorum cantus, & qui canoris Latialium cygnis molestè etiam obstrepat. Sed memineris velim, id temporis vixisse Hrabanum, quo cum neque teneretur, quibus legibus aptè sonarent metra; neque curaretur, quibus verbis sententijsque vestirentur, abundè creditum est seruitum arti, dum intelligeretur quid dicerent, lausque ingeniorum fuit prima, sapientiæ studijs non remissis intermicans vitæ integritas & morum innocentia. *Hrabani poesis excusata.*

AD PASCHALEM PAPAM.

Paschalis clari nominis, & egregius munificentia Pontifex, septennium ab anno DCCCXVII. sedit, & Lotharium Luduici Pij filium diademate ornauit. *Paschalis Papa.*

Maturè igitur Hrabanus carmina ludere exorsus, primæ suæ paginæ vindicem Paschalem assumpsit.

A

AD GREGORIVM PAPAM: DE LIBRO S. Crucis &c.

Gregor. IV.

Hic Gregorius IV. est. cuius pontificatui initium daut ad annum Christi DCCCXLII. Baronium haud piguit Gregorio laudem adstruere ex hoc poëmate, quod acrostichide de S. Crucis laudibus Hrabanus elaborauit; eumque præconio suo, ceu fulgens exortum Germaniæ sidus attollere. Libri illius Gregorio paratum quidem munus, at non oblatum per impedimentum, pronuntiaut. Ego, vt titulus hic præit, & missum, & in Gregorio Apostolorum principi oblatum, facile credo: quid enim obstet, eundem librum, pluribus descriptum exemplaribus, & auidè tunc expetitum, Gregorio, ac successori Sergio Pontifici pariter missum, inscriptumque. Retineant itaque fidem suam Pithæani, seu Fuldenses annales, quorum Strabum nonnulli auctorem faciunt, ad annum DCCCXLIV.

S. Crucis opus quibus & quando Hraban⁹ dedicarit. Per quos in Vrbem miserit.

B

» Hrabanus Sophista, & sui temporis poëta nulli secun-
» dus, librum, quem de laude Sanctæ Crucis CHRISTI,
» figurarum varietate distinctum, difficili & mirando poëmate composuit, per * Asterichum & * Theodbertum monachos monasterij Fuldens. Sergio Papæ Sancto Petro offerendum transmisit. Poëmatij huius titulus, Wimphelingiano exemplari ante C. annos edito præscribitur.

** Ascribũ & Hrnod berdum. Ruchertũ.*

COMMENDATIO PAPÆ.

Neque agnoscit MS. hic noster epigrapham mediam ante versum:

Præsul amate Deo.

OFFERT MVNVS PONTIFICI.

Bella mouent gentes, hostis vbique furit.

Anast. Bibl.

Aetas Gregorij IV. bellis inquieta.

» Huius (Gregorij) sanctissimi Patris temporibus, im-
» pia atque nefaria, & Deo odibilis Agarenorum (siue
» Saracenorum) gens, à finibus suis consurgens, pœne in omnes insulas, & omnium regiones terrarum circumiens, deprædationes hominum, & locorum desolationes atrociter faciebat. His malis associata per Gallias ciuilia, ne dicam parricidalia liberorum regum in Luduicum parentem odia, bellaque.

C

Quæ Christi ad laudem conscripta est tempore prisco.

Acrostichis Hrabani laudata.

Operis argumentum: Vindicatio humanæ salutis, finis: CHRISTI gloria; quo referuntur omnia. Scriptionis genus, recondita in arte, & multiplici subtilique literarum, ceu numerorum sparsione, olim à Sibyllis, Psalte regio, alijsque Prophetis vsurpatum. Iam etiam religionis nostræ arcana sic animis optimè videmus effingi, vt cum ab aspectus iudicio remotissima sint, imaginibus tamen, figuris & conformatione quadam rudibus offerantur, & facillimè notentur, ita, vt occurrere, celeriterque sensus intimos percutere, & ad pietatem permouere possint. Quare de omnibus temerè vsurpes.

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

D

Quando scripta.

Quando autem Hrabanus inceperit litterulas spargere, Porphyrij exemplo, in Moguntiacis suis inquirit Serarius: verum explorati vix quicquam ab illo constitui potuit. Ad Gregorium scribens, prisco tempore hæc ab se lusitata testatur. Sedit Gregorius sedecim annis; & peruenit ad Christianum DCCCXLIII. Trithemius Hirsaug. Chron. & alij eum sequuti, Hrabanum cessisse Fuldensis monasterij gubernatione tradunt anno DCCCXLII. Alij quoque vetustiores, in quibus Lambertus, immitius actum cum illo, & expulsum meminerunt, eodem anno. Inde in Luduici Germaniæ regis, aut Luduici Pij Imperat. gratiam & patrocinium confugisse. id quod in Ecclesiast. script. indice clarius exprimitur. At Luduicus Imp. vita excessit anno DCCCXL. & ex Lupi Ferrariensis Epistolis docuit Cæsar Baronius, Hrabanum vltro, otij & quietis studio, gubernaculis excessisse, anno DCCCXXXVIII. quippe Lupum Epistol. 40. scribere: sarcinam administrationis deposuisse, quo rebus diuinis impensius vacaret. Obseruauimus alias, Hrabanum Luduici pij arcanis operam dedisse, siue id factum consilijs, siue conscientiæ tractandis officijs. Annus, quo abdicauit, pontificatus Gregorij fuit XI. Luduici Imp. XXV. quo circiter tempore opus hoc acrostichidum in vrbem venisse putamus. Sed quot iam tetto annis opus de S. Cruce inchoarit, haud æquè facilem habet dijudicationem. Ponamus viginti, vt ad DCCCXVII. veniamus: quo iam tricesimum ætatis annum agebat ipse: nam sex impleuerat lustra, cum litterales figuras eas contexuit. Summa igitur reliqua hæc esto. Creatus Abbas Hrabanus in Haistulphi locum, anno Domini DCCCXXII. ætatis suæ XXXV. præfuit XXIV. aut, vt Rudulphus in actis eius meminit, XX. ita vt post secessum in monte S. Petri expletum, cathedram Moguntiacensem adierit, anno DCCCXLVII. in qua sedit IX. annis. Vixit igitur annos circiter LXIII.

E

Hrabani tempora annotata

F

VERSVS MAVRI ET PERSONA ALBINI.

ERROREM latè pertinentem abstergit horum versuum titulus. Imposuit lectori vulgata inscriptio:

Hrabano asserit sui versus.

Intercessio Albini pro Mauro.

Hinc duplex peccatum, & eorum, qui poëma hoc Albino tribuunt; quos in Antiq. Fuld. libro primo secuti sumus: & aliorum, qui Pontifici Gregorio inscriptum volunt: nam pater carminis ipse Maurus Hrabanus, sed assumpta persona Albini, & patronus quem inuocat Sanctus Martinus. Ciuitas, ad quam libri exemplar dono transmittit, Turonum est, apud quos monasterium & gymnasium extitit celebre; in quo Albinus Doctor & Hrabanus discipulus eius vixere.

G

Qui Turones ad S. Martinũ, nõ Romã ad Pontificẽ missi.

Abbas namque suus Fuldensis rector ouilis,
Illum huc direxit ad sua tecta Pater.

Planissimus huius distichi sensus, in quo frustra explicando fuere, qui ad Gregorium Pontificem subtiliter transtulere sententiam. Abbas enim, qui eum direxit Ratgarius fuit; Pater, cuius ad tecta missus, S. Martinus, cui Turones omnia debent.

Quo mecum legeret metri Scholasticus artem
Scripturam & sacram, &c.

Lectio & Prælectio magistrorum.

Cum aliquo legere, sermonis genus ex vsu vernaculo tractum, scitè notauit, in Moguntiacis, Serarius. Vsurpauit alibi Hrabanus de discipulis suis. Alcuinus de Ludgero. Et nota vetus Scholarum consuetudo, cum Grammatici iuxta ac Rhetores, teste Fabio, prælectione docebant.

H

Qui typicos numeros, tropicas & rite figuras
Indidit.

Acrostichidum ostensa vetustas.

Exemplo scilicet Melicorum veterum, tum illius, qui in Psalterio suo decachordo Simonides noster, Pindarus & Alcæus Christum lyra personans, litteris ad versuum capita numeros sæpe concinnat, Psalm. VII. XXIV. XXXIII. XXXVI. CX. CXI. CXLIV. CXVIII. tum alterius, qui vrbis excidium, & populi sui captiuitatem lamentis prosequens, in Threnis quadruplex diuersis metris nectit alphabetum. Quid Erythræam vel Cumanam Sibyllam memorem, quæ ante tot sæculorum ætates, vt est apud Beatum August. de Ciuit. libr. XVIII. c. XXIII. tam disertè Ἰησῦς χρισὸς Θεῦ ὑὸς σωτήρ, capitibus versuum expressit; vnaque Piscem, ἰχθύν, notabili mysterio verbis ijs implicuit. Taceo iam Sedulium in hymno genethliaco, & Fortunatum nostrum Christianos poëtas, hoc genus carminum, non vt inanem περιεργίαν, sed vt priscis vsitatum, εὐρυθμίαν non aspernatos esse.

Ἰχθύς

Et quia

A

Hraban non Parisiis, sed Turonib. studiorũ gratia vixit.*

Et quia se meminit nutritum in domate claro
Istius ecce loci, &c.

Domatis huius vestigia neque Parisiis, vbi Rabanus operam Alcuino dedisse putatur; neque in illius vrbis gymnasiorum aliquo est quod perquiras: sed, vt dixi, in monasterio S. Martini Turonensi, vbi Rabanus doctorem Alcuinum discipulus audiuit. Parisiis etiam Rabanum vixisse, nedum doctoris sibi, vel discipuli, munere functum esse, veterum, quod sciam, nemo prodidit, etsi Catalogi Fuldens. abbatum vulgati scriptor id asseueret.

tu tamen ista
Patronus mitis accipe.

Operis curam, etsi non tanti, iterum commendat S. Martino, cuius bibliothecam ornari artificis ingenio, precibus & intercessione vitam communiri posse, sperat.

Scholiorum horũ ratio.

In Poemata.

Arcta hinc nobis via sæpius incedendum, quod in tenebris illius ætatis facile prospectus adimatur, & hominum rerumque memoria, quibus tituli poematum seruiunt, aut obscurata sit, aut certe vehementer implicata. Cæterum recondita non ita sunt Poetæ nostri sensu, quin fine nobis perspici, & à quolibet intelligi queant. Itaque pressius & parcius scholia, more veterum, dabimus; cum iam nobis haud liceat esse tam disertis, Qui musas colimus seueriores.

B

III. P.

Africani Poeta.

Corduba quem genuit, Africa quem tenuit.

Aliquem forte vult ex istis, quos Martialis laudat Συμπατριώτας.

Duosque Senecas (patrem Rhetorem F. Philosophũ) vnicumque Lucanum.

Facunda loquitur Corduba.

Sed neminem ex his, vt mea mens, Africa tenuit: quisquis igitur ille, si diuersum notat, adhuc latet. Plures enim Africa tenuit. P. Terentium Comœdum. Sept. Seu. Tertullianum. Terentianum Maurum.

IV.

C

** Baturichum & Bathuricum.*

Baturicus Ratisponensis episcopus, & eius elogia.

Ad * Baturicum Episcopum.

Baturicus, qui Tendisca vernacula Baterich, quod cũ Rabano interpretamur, Emolumentorum diues, multis commodans vtilisque, episcopus fuit Ratisbonensis. Prodijsse ex S. Wigberti disciplina, & Friteslariæ sub Albnino præsule adoleuisse Lupus Seruatus grauis autor, in S. Wigberti vita, indicare videtur, qui inter eos monachos illum nominat, quibus sancti corporis clam Hersfeldiam transferendi mandata prouincia. Reperio & in Synodali epistola Rabani Baturatum, vt ibi mendosè scribi videtur, interfuisse Synodo Magontiacensi, quem Rabanus anno DCCCXVI. celebrauit. Et licet Ratisbonensis ecclesia Moguntinæ prouincialis hodie non sit, Metropolitano tamen Franciæ Orientalis tunc subiacuit. Illustrauit Baturici præsulis memoriam Wiguleius in Salisburgensi Metropoli, qui quartum numerat Ratisponensis ecclesiæ Episcopum, Adalbini successorem, & ab anno Christi DCCCXIV. aut biennio setius, viginti octo, vel triginta annis sedisse. *S. Emmerani monasterium, qua apud Luduicum regem Germaniæ, Pij Ludnici filium, eximia fuit gratia & autoritate, sibi ecclesiæque asseruit; isque rex illum summum suum Capellanum, tabulis donationum scripsit; munera el ad splendorem, & incrementum sedis, regifica multifariam impertijt, de quibus adi prædictam Metropolin. Illud in Baturici laudibus vnum antecellit omnibus, quod Christianæ fidei amplectendæ, Bohemicæ genti, viam muniuit, XIV. Dynastis ab se initiatis, & sancto baptismatis lauacro tinctis.

Synodo interest Magontiaci.

D

Ratisbona in diœcesi olim Magontina.

Baturici gratia apud Ludui cũ regẽ & L. filium.

** al. 26.*

Baturicus Bohemorum proceres baptizat.

Vrbem Regensem minitantia mœnia cœlo
Qua fluuius Regan labitur arua rigans.

E

Ratisbona tituli, antiquitas, splendor.

Iac. Spiegelius.

Non vrbs in Europa superbior titulis Ratisbona, de qua G. Ligurinus.

Inde Ratisbona vetus ex hoc nomen habenti,
Quod bona sit ratibus, vel quod consueuit in illa
Ponere nauta rates. Hac Noricus vrbe ducatus
Præcipua gaudet, &c.

Vbi scholiastes. Inter Danubianas vrbes, quondam opibus atque potentia celebris, vt quæ Impp. vires non formidaret. Irenicus Hiaspalim, Auentius Augustam Tiberij fuisse indicat. Petrus Appianus Reginoburgum, ego à flumine Rego, (hic Regan) quem illic Danubius excipit, nomen accepisse puto. Hæc ille. Plura quoque in Thesauro Geographico, & in Synonymis Ortelius nomina congessit. Quin & peruetus scriptor vitæ S. Emmerani Meginfredus Tom. II. antiq. lect. *Ratisbonam vrbem agnoscit totius Germaniæ & nomine & dignitate principem, & adhuc eiusdem gentis Metropolin, & antiquæ prosapia caput.* Vbi & Scholium, Germanisheim à Germanico dictam, & à Romanis Tiburniam, meminit. Verum limatissimi iudicij scriptor, suspensa manu & animo, an Reginoburgium Augusta Tiberij, an Eugippij Tiburnia, vel Tigurina, in Boicarum 3. & 4. libro, & scholiis in vitam Sancti Seuerini, disquirit. Quin huc suffragio libero vadit, potius vt castra Regina, quorum in libello Notitiæ vtriusq; imperij mentio, Reginoburgo nomen dederint. Regen quippe fluuium eius loci in castrorum nomen adoptatum, vt Quintana ab amne Quintanica. Arnolfus in S. Emmerani miraculis certè Reginum hanc ipsam ciuitatem appellat, lib. 1. c. 5. & alibi.

F

Cl. V. Marci Velf.

Regen vel Reginafiu. & castra.

Ex persona Isanberti.

De Isanberto planius in epitaphiis, qui presbyter & monachus, origine Boius, Fuldæ vixisse videtur, Baturico episcopo ob patriæ consuetudinem familiaris.

Cui domus & patria Norica tellus erat.

Norici recentior acceptio pro Bauaria &c.

Scholiastes in vitam S. Seuerini, vbi veteris Norici situm describit, opportune monet, posterioribus sæculis barbaros scriptores Norico nomini adiecisse, quicquid Bauariæ ditione continetur, testemque citat Paulũ Diaconum libro 3. capite 19. quomodo hic Norici soli Ratisbona, aut, vt Rabanus loquitur, vrbs & diœcesis Regensis.

Regensis vrbs & diœcesis.

Spiritus atque Dei,
Qui triplex simplex.

G

Personas S. Trinitatis postquam tres nominatim inuocauit, Deum pronuntiat Triplicem, an bona pace Theologorum, scholæ viderint. Sanam fuisse mentem Rabano vndique liquet; & in oratione sua ilico nunc dixit:

Vnus natura, personis trinus.

Deus, Triplex an recte dicatur?

Scio, qui tenacius Concilio Toletano II. inhærent, & cum S. Augustino, & D. Thoma, negant, Deum posse dici triplicem, virgulam censoriam hic stringere, & hoc locutionis genus, ceu improbum notare. Cæterum cum simplex hic Dei natura prædicetur, & omnis excludatur plurium compositio, triplex hic pro trino & personarum ternario, licet accipias; quo modo Gabriel noster Vasquez, præstans Theologus, nomen TRIPLEX, quum refertur ad personas, omnino in diuinis vti fas esse putat, recteque Mirandulani versum atro carbone signauit, qui in nomine, quod ad essentiam pertinet, temere dixit:

Disp. 131. ad 31. q. D. Thom. 1. p.

Vnum in triplici Numine numen habens.

H

VI. VII. VIII. IX.

Præclarus episcopus quis?

PRæclaro episcopo versus dat, monitorios plerosque & parænericos, inuitis Musarum Gratiis, & quod de Romanæ eloquentiæ parente quidam dixit, Musis & Apolline nullo: sed rerum tamen pondere, si non poetico genio victuros. Episcopum autem hunc difficitum longinqua regione, barbaris populis fidei Christianæ facem prætulisse, indicio versiculi:

Est rudis hic populus, est durus quem regis ipse.

& alter, de amoris mutui fœdere:

Nec mare, nec tellus, montes, nec silua vel alpes,
Huic obstare queunt.

A

Francorũ gemina nomina, vernaculũ & Latinum.

Venit in mentem aliquando, vt rarus Latinorum nominum vsus in baptismo apud Francos extitit: sæpe tamen in propriis, siue per lusum, siue per elegantiam & decus affectatus; ita huic Præclaro, cuius non valde clara alioqui memoria, aliud fuisse nomen proprium; vt Beati Witta & Wittanus, Albinus dictus fuit. & Ioannem Salisburgensem Episcopum Alcuinus Aquilam vocauit.

Christi typi ex veteri testamento repræsentati.

In IX. poemate, typorum in veteri testamento quicquid eximium est, egregie in Christo Domino expletum ostendit, serpentino schemate, quo hemistichia, quæ hexametrum inchoant, pentametrum finiunt, inconcinno quidem, & coacto sæpe numero, sed ingeniosa figuratũ & varietate, & apta relatione similitudinis.

Arca Dei tegitur nam propitiante tabella.

Arca fœderis.

Superior arcæ pars siue operculum, Caphoreth dixerunt Hebræi, à Caphar, cui & operiendi & propitiandi notio subiecta, tabella hic dicitur, alijs oraculum, propitiatorium, cui maris & fœminæ specie Cherubini insidebant, se mutuo adspicientes, cuius descriptionem vide, apud B. Ariæmontanum, in libro de sacris fabricis.

B

Cum vitiis Zabulus pellitur atque foras.

In Zabuli notionem inquisitũ

Zabulus pro Diabolo multoties à SS. PP. vsurpatur, seu κακόβουλος versipellis, malisque consultis vafer, & qualis compositio in ζάθεος, ζάκοτος, ζαγρεῦς, in quibus τὸ ζα Hesychio teste ἐπιτατικόν est. Animaduertunt tamen alij τὸ ζα idem etiam apud Æoles & Atticos interdum valere quod δια vt in ζάκορος, quod æditus, Plutarcho διάκορος: & ζαβάλλειν, aut ζιαβάλλειν, pro διαβάλλειν. Vnde procliui originatione fiat ζάβολος, siue διάβολος. Quo & I. Lipsius libr. de recta pronuntiatione c. XVI. & Martialis interpres spectauit, quando ad Epigram. 43. lib. 2. diætas, ad hanc formam, Lampridio Zetas Æolica dialecto nuncupatas obseruat: & magnus S. Hieronymi Criticaster, cum in VI. cap. epistolæ ad Ephes. is tradit Diabolum secundum Græcos, criminatorem significare, secundũ Hebræos καταῤῥέοντα; quia habeat quandam similitudinem cum Zabulon, quod significat καταῤῥέοντα, accusat hanc originationem vt violentam, διαφορῶς à nobis dictam solum agnoscens, qualem in Zeta pro diæta vulgus vsurpat. Sed prius etymon veterum scriptura potius affirmat, quæ Zabulum, quasi à βουλή, non Zabolum exprimit.

Mat. Roderus.

C

X.

Fridericus Episc. Hrabano familiaris.

FRidericum Episcopum ex humili ad pontificij culminis fastigium ascendisse, nec cathedræ tamen, vbi sederit, meminit. Etymon nominis Germani Friederich geminum reddit, vt sit initæ pacis aut fœderis auctor, & violati vindex. Meminit Rudulphus in elencho librorum Rabani, ipsum in Octoteuchum commentarios scripsisse, rogatu episcoporum Frecholfi, Fridurichi, & Humberti, qui Herbipolensis fuit.

XI.

Ad Otgarium Archiepiscopum.

D

Otgarius Archiep. Mog.

QVintus hic à S. Bonifacio Moguntiacensis archiepiscopus: de quo in Mogunt. rerum libro 4. vbi ab anno Domini 826. vsque ad 847. sedisse traditur. Consule & Antiq. Fuld. Rabanus pro amicitia, quæ illi cum eximio præsule fuit, non versus hos modo & epitaphiũ ei scripsit, sed & Commentarium in Sapientiam, atque, vt ad annum 827. tradit Sigibertus, in Ecclesiasticum, dedicauit.

XII.

Ad Brunvvardum Chorepiscopum.

Brũvvardus Suffra. Mog.

VSus fere huius ætatis habuit, vt Chorepiscopus, vel Coepiscopus idem esset, qui iam nobis vulgo suffraganeus, & Episcopi in pontificia functione Vicarius. Exempla passim suppetunt, in ipsis quoque Rabani libris. Cæterum Brunvvardus, quem Præsulem & pastorẽ laudat Rabanus, Haistulpho aut Otgario Moguntiæ, vel quibus alibi locorum operam dederit, tacetur. Brunvvart alioqui celebrem Hersfeldẽsis monasterij abbatem memorat Lambertus in Chronico suo, ad annũ DCCCXLVI. sub quo, vt æqualem Rabani & familiarem noris, ecclesia Hersfeldensis à Rabano dedicata: & abbates eo tempore Chorepiscopi munus gessisse, S. Wigberti & Albuini Fritislatiensium exempla docent. Brunsvvartum igitur hunc haud abnuas Episcopi vita in Thuringia pro Otgario excubasse, atque inde amplissimi monasterij gubernacula adeptum esse. Ad hunc Brunvvardum scripsisse Hincmarum Remensis ecclesiæ Archiepiscopum, Flodoardus historiæ suæ lib. III. c. XXIV. meminit, quando ei possessiones S. Remigij, & colonos commendauit Remensis ecclesiæ in Thuringia constitutos.

E

Abbas Hersfeldensis.

Vltima quem clarum hunc cassat prima nigellum.
Syllaba.

F

Brunvvardi etymon.

Lusus est in Brunvvard dissyllabon, vt olim seruorum nomen. Nam Bruin Teutonicè fuscum & nigellum sonat. Ward clarum qui referat in hac idiomatum deflexione, inquiritur. Sed Würt aut Würd/ qui in pretio est, facilem ad hunc fontem viam apetit. Vnde Germanis ἔνδοξοι & ἐπιφανεῖς, clari eiusmodi dicuntur lieb vnd Wardt/ per ἰσοδυναμίαν viri præclari.

XIII.

Ad Ratgarium abbatem suum.

Ratgarij Abbatis Fuld. encomium.

DE Ratgario, Fuld. ecclesiæ III. abbate, etsi multa in Antiq. Fuldens. libris; nonnulla tamen nunc dabo, beneficio perantiqui MS. indicis Abbatum. „*Ratgarius in partibus Germaniæ, parentibus nobilibus natus, susceptus est à S. Sturmiono in monasterium Fuldense, & successit Baugulfo in regimine Abbatiæ anno Domini DCCCII. & depositus fuit anno Domini DCCCXVII. Hic nobiliter rexit monasterium per XVI. annos, & vt sapiens architectus occidentale templum mira arte, & immensa magnitudine alteri copulans, vnam fecit Ecclesiam. Hrabanum & Hattonem Thuronis direxit ad Albinum Magistrum gratia liberales discendi artes. Brunonem ad Einardum, variarum artium doctorem peritissimum. Modestum & Candidum, cum alijs ad Clementem Scottum Grammaticæ studendi gratia. Sed auro & argento, coronis & lucernis, & omnibus bonis, locum hunc gloriose prouexit.*

G

Hrabani institutor

Monasterij B. Virg. conditor.

„*Fecit etiam hic venerandus Pater monasterium laudabilis & discreta mensura, in monte, cui pretiosus martyr Bonifacius Montem Episcopi nomen indidit; & ab Haistolffo Moguntinensis ecclesiæ Archiepiscopo in honorem S. Dei genitricis Mariæ dedicari fecit, & in introitu claustrali ipsius Ecclesiæ ad dextram, senex & plenus dierum bonorum sepultura traditus est, cui successit Aegil.*

Clemens Scotus.

Porro quod ad Clementem Scotum, si idem is est, qui an. DCCXLV. à S. Bonifacio & Zacharia Pontifice ob hæresin in Synodo Romana damnatus, detrusum in monasterium alicubi resipuisse, & decrepita ætate pœnitẽtem, dixerim ad Grammaticæ canones rosisse vngues digitosque suos. In Rabano hic laudem votiua Paupertatis studium, qui ne quidem ingenij sui fœtus, nisi antistitis bona pace sibi vindicarit.

Hrabani paupertatis studium.

H

XIV. XV.

Ad Aegilam.

Aegil Fuldens. Abbas.

ÆGili ceu adhuc æquali hæc carmina apparet inscripsisse. Ægilis huius vitam à Candido literis proditam, iam vsus publici fecimus.

XVI. XVII.

Ad Gerhohum Presbyterum.

Gerhohus presbyter. Gerhoh sagitta.

GErhohum Bibliothecarium suis versibus ornat, & nomen à sagitta ferre monet. Nescio an Gerhoh

A

antiquis Germanis sagitta fuerit; huius certè vernaculi sermonis vsu effectum sagittæ luculenter exprimit, gar hoch/id est, valde altum. Vnde & sagittam nonnulli dici tradunt, quod neruo excussa satis longe agatur.

XVIII. & seq.

Ad Samuelem Episcopum.

Samuel Hrabani condiscipulus.

SEptem epigrammata, quæ sequuntur, Samuelis Presbyteri memoriæ & amicitiæ scripta sunt, de quo aliud hinc exploratum habeo nihil, nisi quod ab ipso Hrabano traditur, olim apud Turones Hrabani condiscipulum & sodalem extitisse, Albinum communem magistrū habuisse, ipsum denique à Hrabano magnis terrarum & fluminum spatiis longè disiunctum, Doctoris munus alicubi sustinuisse. At circumspicienti diligentius occurrit, Samuelem hunc eundem esse, qui deinde ex Laurisheimensis, prænobilis olim Rhenensi tractu in Palatinatu monasterij abbate, ad Wormatiensem cathedram euectus est, & anno DCCCXLVII. celebri in Synodo Moguntiæ Hrabano, inter coepiscopos assedit, vt ex epistola synodica colligitur, quæ tom. 3. Conciliorum, & apud alios legitur. Et consentiunt indices ecclesiæ Vangionum, qui hoc eodem anno die XV. Octobris, S. Cyriaci honori templum Neuhusij dedicasse perhibent.

B *Vangionū Episcopus ex abbate Laurisheimensi.*

XXV.

Ad Isanbertum presbyterum.

Isanbertus presbyter.

ISanbertus, cuius nomine Baturico paulo ante scripsit, ex notatione Latina dicitur ferro clarus; eiusque epitaphia virum plenius ostendunt.

XXVII.

Ad Irmingildum.

Buoloni vt regnum det.

Irmingildus. Buolonus

AVt Irmingildo nomen diuersum id obtigit; aut amico tertio bene precatur. Carminis vmbilicus abscissus, vnde & insequentis bene longi poematis, de Patientia Sanctorum, exordia perierunt.

C *Patientia Sanctorū*

XXVIII.

Bonosus.

Bonosus, post Hatto Fuld. abbas.

EPigraphen tamen Bonoso deberi versus vltimus indicat. Hunc ego Hrabano in studiis æqualem extitisse interpretor; qui & ipsi in abbatis munere successit, alio scilicet nomine nuncupatus Hatto, pictoria arte præstitisse, quæ ad eundem scripsit hexametra satis arguunt. De Hattono autem vetus MS. Abbatum catalogus: „*Hatto Bonosus dictus & gloriosus, suscepit gubernaculum Abbatiæ, anno Domini* DCCCXLI. *& per annos XXII. discretè & modestissimè rexit in morem Moysi, de quo scriptum est: Erat mitissimus super omnes homines. Sibi subditis discretus & mitis, potentibus autem sæculi valde grauis & æquus extiterat. Hic æterna virginitate præditus, Monasterium magna vtilitate adimpletum, glorioso fine vitam præsentem conclusit; anno Domini* DCCCLXII. Nec affirmem temere hunc illum esse Bonosum Abbatem, ad cuius interrogata Rudulphus in Catalogo refert, librum confecisse Hrabanum, de cognationis commixtione, & Magica arte vitanda.

Hattonis seu Bonosi abbatis Fuld. elogium. D

Item ad eundem.

Nam pictura tibi.

Scriptura & Pictura comparatio.

Contendit inter se scriptoriam artem cum pictoria, qua sese Bonosus iactantius efferebat, atque ab vtili, iucundo, necessariam humano generi, & à Deo ipso monstratam scribendi facultatem, longè quidem anteponit pingendi delicato inuento.

Primitus Aegyptus vmbrarum.

Ita Plinius lib. 35. c. 3. & eius interpretes, quanquam apud ipsos sex millibus annorum inuentam, priusquam in Græciam transiret, & vanam prædicationem refert. Inuentæ vero gradus artis, primum ponit vmbram hominis lineis circumductam; inde imaginem singulis coloribus expressam, monochromaton dictam: hinc demum Babylonios colores diuersos intexuisse picturis. de quibus adi Cæliū Rhodig. lib. VIII. c. XI. & lib. XXIX. c. XXIV. & μονόγραμμοι in Adagijs Hrabano autem fauet contra Bonosum artis elogium singulare. Pictorem, cum ipse loquitur, loqui male, at cum pictura, bene vtique opus enim tunc loquitur, & commendat artificem Ægypti vero hic etymon altius repetitur à מצרים Misraim Hebræo, quod Chami filio nomen, Tribulationem significat & angustias, vt ex צר radice liquet.

E *Picturæ inuentio Aegyptiis tributa.*

Mons sonat illa mea mensura atque amphora.

Sin & Sinai, quomodo mēsura vel amphora?

Obscurus hic versus, si montis nomine Sina vel Sinai in deserto Pharan accipit, cuius in vertice lapideis descriptam tabulis legem Moysi Deus tradidit. Sinai enim vel Sin Hebræis rubus, Syris est inimicitia. Hrabanus autem hic mensuram interpretatur vel amphoram. Cum vero Sin longe à notione Middah vel Chad, sepositum sit, suspicari liceat Sin & Hin Hrabanum confudisse, vt cum notissimum Hin in scripturis mensuræ genus sit, & Latinus interpres alicubi Sextarium verterit, huius vocis etymon, incurioso talium vsu, Sin & Sinai monti adscripserit. Id quod callens linguæ Theologus amicus ita dedocebat, vt Hrabano oblatum forte hoc etymon conijceret, quod pro צ vel ס assumpto ז. Sonuerit ei Zehina זהינא. Ecce Hin mea, id est mensura vel amphora. Verū facilius hoc mihi credi postulem, Hrabano S. Augustinum, quam linguæ illius arcana fuisse hic in mente, & in oculis, qui ad Psalm. 67. quod Sinai terminos & claustrum quoddam esset regionis Iudææ, mensuram interpretatus est; quod in allegoriarum Silua Hieronymus Laoretus etiam obseruauit.

F

Quid laborem scriptis commenta edicere plura?

Etsi quantitatis parum sedulus obseruator in poetica sua Hrabanus, putauit tamen scripsisse potius; *Quid labor est.* nam nullo alioqui negotio vertere carmen potuit:

Quid scriptis commenta edicere plura laborem?

Scriptoriam facultatem commēdat, alibi à nobis laudatam, pro captu Hrabani & mediæ ætatis, ceu expetitam nobilibus monasterijs & bibliothecis, imò reip. ante typographiam inuentam, apprimè necessariam. Eius Deum facit autorem, qui legem iubens & tabulas, digito suo scriptas Mosi tradiderit. Quo & vatum antiquissimos, & eorum principem Mosen referre licet, qui secundum Isaiæ sermonem manu sua Domino scripserunt. Et quid in hoc genere diuinius? *Iesus inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Ioan. 8. *Ego Paulus scripsi manu mea. &, Salutatio mea manu Pauli.* In veterum placitis est: Manus Rationis ac Sapientiæ quasdam esse ministras. Ab earum motu facili ac innato, innumeras artes in genus humanum profluxisse, architectonicam, culturam agrorū, musicorum cuiusq; generis organorum fabricam, vsum & suauem concentum; vestiariæ, armaturæ, rei metallicæ, nauticæ copias ad ornatum & vtilitatem sane quidē affluentes; omnium denique, quæ hominum iuri in orbe subiacent, manuum solertia percipi & administrari. Sed de pingendi & scribendi ratione, quæ genera duo latissime patent, nobis sermo; & quia posterius priori Hrabanus anteponit, legatur ea de re, si placet, Cæl. Rhod. Lect. antiq. lib. IV. c. III. vbi post manuum laudem, commendat scribendi donum. Græci duplex statuere scriptorum genus, partim eorum, quos τὰς γράφοντας εἰς κάλλος appellabant; vnde & ijs καλλιγραφία, qui nobis librarij, & venustè scribētes antiquarij; partim aliorum, qui γράφοντες εἰς τάχος, priscis notarij. de quibus Martialis.

G *Li. 1. Antiq. Fuld. Scriptoria ars. Scriptoria laus. Deut. 9.*

H

Scriptorum genera.

Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Sed ne aliorum hic in messem ingrediamur, satis sit instituto nostro, meminisse Theodosium iuniorem imp. litteras tam venuste pinxisse, vt inde ceu victum factitaus Calligraphi nomen meruerit; & hac ætate nobilem scriptorem Repertum esse, qui nobiliore scriptoriæ artis Symbolo, interpretor mentis suæ, Pennam scientiæ,

Vsus laudatus.

prudentiæ,

A prudentiæ, sapientiæ operatam gloriosæ Deiparæ matris honori consecratam, perenne donarium esse voluit, quo discerent, qui ἔπεα πτερόεντα, vt Homerus sæpe loquitur, pennata verba, per huius æui caco·thes temere plurimum & imperitè spargunt, cælitum ope, non solum calami beneficio, perennare.

In pennas inquisitiŭ. Quæri verò solet, an prisci nostri cœnobitæ librarij, qui pellibus & membranis tot scrinia bibliothecarum impleuerunt, pennis, vt iam vulgo scriptores, ex anserŭ, gruum, cygnorum alis vsi sint; an iuncis potius & arundinibus, ex quibus calamos aptabant prisci. Autores, qui rem certo definiant, fateor haud me legisse; ex arundinis & calami promiscua significatione, qua sequioris ætatis nonnulli vtuntur, lis finiri non potest. Si quis coniecturæ locus, apices maiusculos, & ductus vnciales, quibus vetustiores membranæ plerunque exaratæ, ausim pronuntiare calamorum opera perfectos, minutiores litteras, & ταχυγραφίαν, pennis expedita fuisse, quem sensum in versibus Albini, scriptorio consecratis, insinuari putamus. *Scriptoriæ instrumenta calamus & penna.*

Tramite quò recto penna volantis eat.

B Vtriusque, & calami & pennæ, in monasterijs ad rituales libros, & cantum ecclesiasticum celebrem vsum viguisse, recordantur aui nostri.

XXIX.

De fide Catholica rythmo carmen compositum.

Affectu à dispositione plurimŭ poeta laborat. Iambici versus sunt; sed in quibus, vt de Pindaro quoq; dixit magnus vates, FERTVR NVMERIS LEGE SOLVTIS. Rythmum appellari crediderim, quia, cum teste V. Beda, Rythmus sit modulatio sine ratione, non metrica lege, sed numero syllabarum ad aurium iudicium examinata, hic Iambici concinnitas soni tantum imitatione quadŝ. Argumentum valde pium est, totius humani generis conditi & restaurati œconomiam complectens; nec non religionis Christianæ præcipua capita subijciens animo lectoris, haud inualido sensu. Inspice lemmata & notas, quas ad oram adspersimus. *Œconomia Christi circa salutem humanã.*

C

XXX.

De transitu Monachorum.

Schisma Fuld. sub Ratgario abbate. Secessionem sub Ratgario abbate factam hac ode describit, de qua ex commentario vitæ Ægilis abbatis Lib. I. Fuld. antiq. cap.

Ecclesiarum illustres inscriptiones.

Ecclesiarŭ illustrium inscriptiones. Sequitur aliud Carminum genus, quo pro ingenij laude, qua floruit, & opinione doctrinæ Hrabanus, illustres passim ætate sua excitatas basilicas, versibus suis partim sponte, partim rogatus ornauit. Codicis hic mutili & hiantis sortem deplorent merito homines, antiquæ historiæ, & ecclesiarum suarum originum amantes. Nam præter inscriptiones & lemmata, quæ librarius sæpenumero neglexit, plagulæ membraneæ complures excisæ; atque sic vna tituli & argumenta versuum non pauca petiere. Neque dissimulo, nomine cælitum hic multa legi, & à Hrabano celebrari, quorum non temere alibi memoriam eruas. Et quia in honoratijs tot epigraphis, quæ non templis tantum nobilibus, sed eorum singulis etiam aris contigere, longum & spissum nimis opus sit, in translationes, reliquias, & conditoria Sanctorum, qui agminatim promuntur, inquirere, & ex tam densè cohærentibus vuis scilicet mustum exprimere; nos posca contenti, vt quodque dignum memoriæ prodi in manus venerit, ita qua licebit, noscitandæ historiæ veteri facem accendemus. Vnum monere non sit abs re, titulorum & transmissionum autoritate, nisi aliunde magis elucescat, non hic doceri, aut ex Hrabani verbis cogi, integra sanctorum corpora translata, deposita, condita; sed eorum reliquias; cineres & exuuias satis fuisse parandæ memoriæ, condendisque titulis. Nec laborandum mihi apud æquos censores video, qua fronte excepturi sint agrestem hanc Musam delicati poetæ; quos meminisse oportet, sua cuique ætati & ornamenta & vitia adhæsisse, horúmque fructum & incommoda iuxta æstimari. Sed ne Hrabanum ipsi tamen inauditum iugulent, quæram ex ijs, quo iure Virgilio licuerit & Propertio Italiam. Arabiam capite corripere, Iuuenali Stoicidas penultima breui inducere; Ouidio Tuticanum eundem contrahere & producere atque id genus. Cur, inquam, alijs etiam poetis fas fuerit sibi tam multa indulgere? an quia contumaces in eos plurimæ voces & Syllabæ, iugum poeticum excussum ibant; atque iccirco cogi in versus sine fustuario non poterant? An eiurato Latij iure in Græcorum poetarum leges transire malebant, *Sanctorŭ translationes Synecdo-* D

E *chicè acceptæ. Hrabani prosodia excusata. Poetica licentia documentum.*

- - - - Quibus est nihil negatum,
Et quos ἄρες, ἄρες, decet sonare.

ita vt in eorum floribus reperias passim Lucianos, Claudianos, Iulianos, penultima correpta. Quæ à me taceri propterea non decuit, quod his animaduersis, toti Christianorum poetarum nationi, non solum Fortunato & Hrabano mitiora iudicia video parari, & Grammaticorum vna ferulas vtcunque reprimi.

F

Basilica S. Saluatoris Fuldensis inscriptiones.

Fuldensis Basilicæ anno Christi DCCCXVIII. Indictione XII. mensis Nouembris prima die dedicatæ memoriam Cap. III. Lib. II. Antiq. Fuld. recoluimus; in qua quidem Dei beneficio singulari contigit, vt cum epigrammata Hrabani seorsim istic litteris mandata sint, ex ijs coniecturam faceremus, Inscriptiones altarium, quæ hic ex abrupto traduntur, omnes pertinere ad Basilicæ Fuldensis ornatum, quæ Saluatoris honori consecrata fuit. Cæterum vt in illa descriptione, plagarum & situs templi potissimum habita ratio, ita hic altarium, quæ Sanctorum exuuijs, & illustribus versuum epigraphis pulcra stetere. Vnde & plura hic epigrammata, quam in actis Dedicationis leguntur. Sed, quæ rerum omnium vicissitudo est, neque templi situs, neque altarium vel carminum memoria in posthumis operibus, præterquam in hisce scriptis, viuit. Tantum in præsens meminero eorŭ, quæ nuper lucem adspexerunt, vt ex his norit lector, illa ornari, & hæc per ista expleri posse. *Basilica Fuld. S. Saluatoris, cŭ altarium & reliquiarum monument i-*

G

XXXIII.

Ad altare S. Stephani.

Secundum ordine inter editas Basilicæ epigraphas, cuius ibi titulus.

In porticu Septentrionali, in sinistra, absida orientalis.

XXXIV.

Ad altare S. Clementis.

IV. in editis, scriptumque fuit vel insculptŭ, DEXTRÆ ABSIDIS ORIENTALIS, IN PORTICV BASILICÆ MERIDIANA.

XXXV.

Ad altare S. Agathæ.

H

Dedicationis actio. IN PARTE SEPTENTRIONALI TRANSVERSÆ DOMVS. Et distichon illic omissum:

Praxede cum sacra foueas nos virgo Basilla;
Sicq; piis meritis Sancta Pudentiana.

XXXVI.

Ad altare S. Lucæ Euangelistæ.

Hvic epigrammati titulum olim dedimus à loco. IN SINISTRA ARCVS, QVI RESPICIT DOMVM ORIENTA-

A

ORIENTALEM. Iamque carmen id tetrasticho nouo cumulatum cernis.

XXXVII.

Ad altare S. Marci Euangelistæ.

TItulus editi carminis. IN DEXTRA EIVSDEM. Carmen autem duobus, qui ibi præteriti fuere, versiculis explendum est.

Candidus Exuperus, &c.
Silenus martyr, & Timotheus ouat.
Abdoq; cum Senne, Protus martyrq; Hyacinthus,
Quos nobis &c.

XXXIX.

Ad altare S. Benedicti.

ACcessit hac editione distichon, quod suppressum est in actis dedicationis.

B

Eucherius, Trudo, Arnulphus, Seruatius atque
Cuthbertus, Beda hic, Equstiusque manent.

XLI.

In Cœmeterio fratrum &c.

Cœmeterium veteris Monasterii Fuld. COemeterium hoc, cum singularis artificij templo, anno DCCCXXII. ab Heistolfo Moguntiacensi Archiepiscopo dedicatum; & versuum ornamenta, quæ hic leguntur, Lib. II. Antiq. Fuld. c. v. memoriæ tradidimus. *S. Michaelis monast. seu Præpositura.* Superest interiectus basilicæ ad Septentrionem collis, & S. Michaelis Præpositura & templo, ex ruderibus veteris ecclesiæ suscitato, non ignobilis.

XLIV.

In ecclesia S. Mariæ, &c.

C

Ecclesia montis B. Virg. apud Fuld. DE monte Episcopi, qui nomen id à S. Bonifacio infessore retinet, & varijs loci ornamentis, sæpiuscule loquuntur Antiquit. Fuld. libri. Templum id præter alias clades, quibus afflictum olim, tam multis nuper labefactatum iniurijs, vt ruinæ proximum videatur. Loci amœnitas in oppidi conspectu, accliui colle ad Aquilonem siti, & celebris soli religio Balthasarum, felicis memoriæ Abbatem, permouerant, vt labem resarciret; & operi iam manus adhibueat. Neque templi modo fabrica, sed aptum Monasticæ domicilium surgebat, cum præclaram animi contentionem in medio spatio, inuidia fregit & praua factiosorum æmulatio: donec tandem Ioannes Fridericus successor, templo restaurato benignam operi manum admouit. Interim Raigarij operum, aut monumentorum Hrabani nullum ibi in corpore templi, vel turribus ipsis, vestigium; etsi lapis sepulchralis Raigarij istic hodieque monstretur. Itaq; abiere omnia, quæ ex Rudulpho nos olim lib. III. antiq. meminimus, de illatis hunc in locum Sanctorum exuuiis, alijsque collatis ornamentis.

D

XLVII.

In absidæ ecclesiæ S. Petri.

Reginbaldus Suffr. Otgarii Archiep. Mog. OPus hoc Hrabani Ecclesiam à Reginbaldo, Chorepiscopo Ogarij Moguntini Pontificis dedicatam, pignoribus sanctorum, conditoriis & epigrammatis mirifice instruxit. Testatam hanc rem commentario Rudulphi dedimus, qui extat in antiq. Fuld. lib. III.

CAPVT XLVIII.

HOc epigramma arcæ reliquiariæ inscriptum, porrectis in vtramque partem versibus, narrationi suæ Rudulphus, actorum Hrabani scriptor, intexuit.

E

LXII.

Ecclesia S. Mariæ in Holtzkyricha.

Monasterii & ecclesia Holtzkyrich. WAldzatia regione apud Mœnum, prope ab Odonis sylua, immensæ olim magnitudinis, hanc ecclesiam cum monasterio, in antiq. Fuld. libris, sitam ostendimus; quæ hodieque primariæ congregationis Præposituris annumeratur. Locus Holtzkyricha dictus. quia ecclesia, quæ ex κυριακῇ Græco, Germanis Kyricha, nemoroso in solo & cæduis fertili, quod iisdem Holtz/exstructa. Et rectè dicti eius tractus homines Waldsassen/ ceu nemoris accolæ. *SS. Ianuarius & Magnus.* Origines loci alibi, & præclarè Rudulphus, sæpe nobis laudatus, Diuorum Ianuarij & Magni, qui hic nominantur à Hrabano, euectionem descripsit. Etenim Humberti Wirziburgensis Episcopi studium, cuius in diœcesi Monasterium id erectum, excitauit, vt ossa martyrum is venerabiliter conderet; atque inde Hrabanus, machina super sepulchro lignea affabre exstructa, & vario metallo inducta, versus addidit, qui hic epigrammate LXIII. leguntur: ECCE VIROS ISTOS; quos eidem Rudolphus in acta misit. *Humbertus Wirziburgi Episcopus.*

F

LXI. & LXX.

Venant. Fortunati poema. POst magnum hiatum & paginas aliquot membranæ detractas, leguntur hæc carminum paralipomena, quæ ex Fortunati libr. VIII. poem. v. cui titulus: IN LAVDEM S. MARIÆ VIRGINIS ET MATRIS DOMINI, decerpta sunt. Nam ea, quæ his præscribuntur titulo 61. Versus in ECCLESIA DEI GENITRICIS: cum ijs, quæ num. 70. excurrunt, perperam miscentur. Apud Fortunatum enim in Epilogo poematis hoc ordine leguntur.

Pulchra super gemmas splendorem solis obumbrans, &c. supra.

Facile itaq; iacturam hanc feremus, si Fortunati, quod opinamur, prolixum poema hic intextum fuerit.

LXXI.

Versus more Litaniæ facti.

G

Litaniæ formula. NOtabilis hic veteris Litaniæ ritus expressus, qui in nostram ætatem vsq; propagatur, vt ab inuocatione SS. Trinitatis gradatim per Sanctorum certas classes supplicatio finiatur, agni Dei, id est, Christi Domini nostri ope & misericordia implorata. Mos autem obtinuisse Hrabani æuo videtur, vt ad faciliorem cantum, & harmoniam, litanias metro conciperent, cuiusmodi Tomo V. antiq. lect. à S. Galli duobus eruditis, & rara pietate monachis elaboratæ afferuntur, Rutperto & Nothero; *Litaniæ versu scriptæ.* & nos iam promemus eam, quam à Hrabani aut coætanei cuiuspiam ingenio profectam suspicabamur, & in D. Marci Nudipedalibus olim decantari, & ad hanc diem in Supplicatione campestri à Monasterio Fuldensi adhiberi solitam sciebamus; Verum Monasterii S. Galli monumentis inspectis, prorsus eam Hartmanno siue Hartmundo Hrabani discipulo adscriptam animaduertimus, quo de Trithemius & Henrici Canisii notæ Tom. v. antiq. lect. Porro Litaniis illis epigraphe datur. *Litaniæ S. Gall. & Fuld. inter se incomparata.*

Ad Processionem diebus Dominicis.

H

Earumque tenor hic est:

Humili prece, & sincera deuotione
Ad te clamantes semper exaudi nos.
Summus & Omnipotens genitor, qui cuncta creasti
Aeternus, Christus filius atque Deus. &c.

Collatis autem cum vulgato manuscriptis Fuldensibus, lectionis & ordinis magnam varietatem deprehendimus, ita vt Sangallenses versibus nonnullis immutatis, Litaniam à Hrabano forte concinnatam, ad sui monasterii vsum transtulisse suspicari possis.

Vulg. *Perpetua radians cum virginitate pudoris.*
Fuld. *Perpetua semper radians cum virginitate.*

Hinc

A

Hioc post Apostolorum inuocationem, à verbis his:

Fac bona cuncta sequi.

Interponunt Fuldenses tetrastichon:

S. Bonifacius patronimium.

*Summe*Bonifaci miles fortissime Christi,*
Nobis nunc famulis auxiliare tuis.
*Nil*scis perspicuum poterit vox*clara referri,*
Vt decet in talis nunc Patris obsequio.

**aliq vulg. Valle Dei summi. *sic. *nos*

Rursum post versum:

Chrysogonusque pius nos miserando iuuet.

Fuldenses ordinem interpolant, & martyrum diuersorum patrocinia superaddunt:

**sic. *Ossibus.*

*Hic*tibi perpetuis resonant concentibus ades,*
Arcibus& sacris semper habetur honos.*
Cum lati famuli celebrant hac festa benigni,
Laudibus instantes nocte dieque tuis.
Dirige corda pius, tu tempora dirige nostra,
Atque dies latos ducere da famulis,
Vt semper valeant tibimet seruire quieti,
Te quoque cælesti cernere luce poli.

B

**Quirin⁹ Hac desunt Litania Hartmũdi. Fuldenses patroni. *Vulg. Othmare S. Adelbertus. S. Hãmeranus.*

» *Basilides, Nabor, Gorgonius atque*Cyrinus*
» *Martyrio nitidi qui estis in arce poli.*
» *Vocibus assiduis effundite rite precati,*
» *Nosmet vt innocuos efficiat Dominus.*
» *O dilecte Deoradians virtute corusca*
» *Sancte*Albane pater, iunge preces pariter.*
» *Intercede pius veniam poscendo misellis,*
» *Aureq; tam blanda carmina percipimus.*
» *Præsul Adelbertus Christi pro nomine passus*
» *Adiuuet indignos subsidiis famulos.*
» *Ad Christum Dominum; qui saluat sanguine mundum,*
» *Vt sit peccatis propitius hominum.*
» *Hammerane sacer princeps, & in ordine pastor,*
» *Sanguine qui fuso testis ades Domino*
» *Semper cum populo rogita pro crimine cuncto;*
» *Vt seruet famulos, hoste nocente, suos.*

Hinc iam subijcitur:

O vos martyrio, &c.

Vulg. *O Benedicte sacer atque benigne pater.*
Fuld. *O Benedicte pater, iunge preces pariter.*

Claudunt Litaniam Fuldenses Græco disticho.

ΚΥΡΙΕ ΠΑΤΟΚΡΑΤΩΡ ΙΗΣΟΥΣ ΣΩΤΗΡΙΕ ΠΑΝΤΟΣ
ΕΥ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΜΩΝ ΧΡΙΣΤΕ ΕΛΕΗΣΟΝ

C

Litania approbata & in S. Galli monasterio quoq; recepta.

Atque hanc rythmicam Litaniam Sangallensis cœnobita sui monasterij illustrator, Iodocus Motzlerus, fatetur in ferijs rogationum adhuc, vt hodieque Fuldæ, vsurpari; & formulam hanc à Nicolao III. pôtifice quoque probatam. Adi Antiq. Lect. Tom. V.

LXXVI.

Versus in tumulo S. Sergij.

SS. Sergius & Bacchus martyres.

MArtyrum Sergij & Bacchi frequens in tabulis Ecclesiasticis memoria. Fratres fuisse, & eorum pignora Roma in Germaniam translata, quod hic poeticè quidem, at verè canitur, non perinde testari possumus. Ad VII. Octobris Martyrologium Romanum memorat eorum martyrium; & locus, vbi Sergius quiescit, proditur Sergiopolis, aliaque ad horum martyrum præconium, in annotationibus suis, Cæsar Baronius ex Græcorum commentariis obseruauit. At ex Eoæ Euphratesia prouincia quando in Occidentem, & vt hic Hrabanus, in vrbem Romuleam penetrarint, quis nobis ad inuestigandum viam muniat, vbi tot historiæ sanctorum offusæ tenebræ? Satis Gregorius Turon. docet Lib. Franc. 7. cap. 31. reliquias eorum Gallis innotuisse, satis Anastasius, Gregorio III. sedente, Diaconiam sub eorum titulo surrexisse. At corpora sanctorum vel integra, aut sui potiore parte, Romam allata, manet obscurum. Et tamen Moguntiacensis archiepiscopus à S. Bonifacio quintus.

D

Translatio eorum in Occidentem.

Romulea ex vrbe hos præsul Otgarius ambos
Aduexit.

SS. Sergius & Bacchus

Quin & basilica condita, monumentum S. Sergio, venerationis & honoris ergo publicè posuit. Sane iucundum fuit, antiq. lect. Tomo V. hymnum legere, testé eorum in occiduum orbem aduentus, quique horum martyrum laudes, & sepulturæ locum exprimeret, etsi non ita clarè, vt locum omnem tolleret ambigendi.

E

secunda translatio in Moguntinã diœcesin.

Inde vos sacli pretium sequentes,
Quæsumus, nobis meritis fauete,
**Noxios vt vestris nequeat nocere*
Ciuibus istis.
*Hic*topus vester vocitatur Alba,*
Ciuitas sacris decorata gazis,
Quem sacrosancti cineres adornant.
**Somata sancta.*

**Morbus. *Locus. Alba ciuitas SS. Sergii & Bacchi. *Corpora*

Character ab æuo nepotum Caroli Magni, cum Helleoismi affectatione. Sed Albam hanc quis nobis Geographus radio suo designet? in censu quidem suo plurimas id nominis vrbes habet. Hagiologi recentiores, vt Wicelius in Choro sanctorum, & Martyrologium vulgo Petro Canisio adscriptum, hos martyres tradũt apud Venetos quiescere; quanquam Wicelius id constanter affirmari nolit. Ego præeunte Hrabano, in Moguntinam diœcesin importatos cogor credere. Atque ex sequentibus Epigrammatis colligo, in celebri qua basilica S. Sergij corpus, aut ossa eius præcipua deposita. Nam thecam qua componeretur, ei Hrabanus faciendam curauit, Epigr. 77. & Confessionem sepulcri versiculis ornauit Epigr. 78. denique inchoatam ab Otgario Ciborij structuram, & superimpositam altari S. Martini, perfecit, vtriusque Diui, & S. Martini, qui hodieque ecclesiæ Moguntinæ patronus, & sancti Sergij martyris honori eam collocans Epigr. 79. Vbi obiter trado. Ciborium apud Athenæum lib. xi. & eius interpretem I. Casaubrium, ab Ægyptijs vsurpatum nomen, pro certo poculi genere. Vnde Hesychius κιβώριον αἰγύπτιον ὄνομα ἐπὶ ποτηρίου. Ecclesiasticus vsus prisce iam pro conditorio accepit, vel theca, quæ corpus Christi, aut sacrosanctorum ossa reciperet, iam pro grandioribus machinis illis, quæ turrium instar & arcarum, super altaris mensam erectæ, nomen atæ retinent, quo modo hic Ciborij arcem Hrabanus appellauit. Consule de ritibus eccles. Steph. Durantum lib. 1. c. xvi. Sed ad martyres ilico redeo, & eorum quoque memoriam in Eisfeldiæ non ignobili oppido Heiligenstadio venor.

F

Sanctorũ Sergii & Bacchi tumulus ab Otgario & Hrabano ornatus. Ciborium

SS. Sergius & Bacchus in Eisfeldia quæsiti.

Oppidum id in centro Germaniæ, Melibοco monte finitum, limes est multarum nobilium prouinciarum, Hassiæ, Thuringiæ, Brunsvvigiæ; paretque ditioni Archiepiscopi Moguntini, qui per collegium Societatis, multiplici cultura, rudem, & labantem ob temporum iniurias, istius regionis populum expoliuit, & in Catholica religione conseruauit. Hic itaque dum Moguntiacensis historia silet, rituales libri fatentur, in ecclesia Collegiali peruetusta, quæ D. Martino dicata, sanctorum martyrum Sergij & Bacchi frequentari patrocinia. Qua de re cum Clerum istius loci consultum eo; illustria sane quam, testataque eius narrationis monimenta isticextare comperior, quæ horum versuum titulos, & martyrum fugientem memoriam ab obliuione facile vindicent, oppidique illius Origines, abstersis fabularum nebulis, iuxta in meliore luce collocent. Enimuero Aurei & Iustini, Sergij & Bacchi martyrum conditoria, pignoraque S. Martini basilicæ MS. liber, & templi conditi fundatique munificentiam Dagoberto Francorum regi fert acceptã. Quippe regem ob lepræ fœditatem à suis desertum, relicto regno, in cognitas adijsse terras, atque in Eisfeldia repertis locatisque sedibus, vt fit, venatum ijsse; hinc fessum, blandiente herbidi soli floribus intermixtis amœno toro indulsisse somno; experrectum rore manus imbutas admouisse oculis; roris attactu rediisse salutem: sed manibus & vultui duntaxat; inde prouolutum toto corpore iterum reginæ coniugis monitu, immersisse se roscido gramini, cum lepra funditus extersa, eremicolæ responso didicit, Iustini & Aurei precibus obtigisse sanitatem, quorum reliquiæ istic loci, vbi rex conionatus, tenerentur indefossa. Itaque, anachoretæ hortatu, religioni dicasse locum, sumptum & prædia donasse, vnde templum existeret, & clerus ad Dei cultum coalesceret. Nomen quoque loco reliquisse à sanctis, quod Heiligenstadium fo-

G

Heiligenstadium oppidum, eiusq; situs & Origines. S. Martini Collegialis Ecclesia.

SS. Aureus & Iustinus.

H

Dagobertus traditur fundator Ecclesiæ S. Martini Heiligenstadii.

nat.

A

SS. Aurei & Iustini passio non sincere tradita.

Otgarius SS. Sergium, & Iustinum presbyterũ, Bacchi & Aurei reliquias Heiligenstadij deponit.

B

Heiligenstadium à sanctis his nomen accipit.

S. Iustini Confessoris memoria vindicata.

C

Sanctorũ IV. memoriã S. Martini basilica conseruat, apud Heiligenstad.

** Aurei martyris.*

** Iustini Confessoris.*

** Luduici pij fauore: Otgarij Archiepiscopi studio:*

D

Hrabanus basilicam eã dedicat & ornat.

Heiligẽstadium sero muris inclusum.

Sub VVilligiso locus dictus Heiligenstat.

VVilligis. iniit 977

nat. Verum vt post tot inflicta huic loco bellicarum cladium & flammarum vulneta, quod ipsi fatentur, qui hæc memoriæ mandarunt, credamus iam inde à Dagoberti temporibus, hac iam vicina Thuringis regione, templi clerique vestigia superfuisse; illa tamen, quæ fabulantur de Aurei & Iustini martyrio, istic in solitudine peracto, & eorum capitibus quę truncis suis auulsa, Attilæ iussu, Moguntiacum exportata sint, fidem nullam merentur: non quod Iustinum pro Iustina celebrent, sed quod in Aurei passione, prorsus historiæ prouinciali repugnent, & palæstræ gloriam Metropoli adimant; ac denique commenta poëtis magis, quam sacris scriptoribus digna, pro vera historia vendirent. Sic igitur tota de re nos pronuntiamus. Luduico Pio rerum potiente Otgarium Archiepiscopum, Heiligenstadio pręcipuum honorem & gratiam conciliasse, translatis eo sanctorum Sergij martyris, & Iustini presbyteri pignoribus, ijsque Bacchi & Aurei præsulis auctario cumulatis. Ab horum sanctorum cultu & veneratione, magnis, vt ea tempora erant, hominum coitionibus frequentata, decus & famam venisse loco, præsertim cum priscæ S. Martini forte vel collapsæ vel obscuræ, ornatior & auctior basilica, Otgarij impensis, succederet, & Hrabani cultu magis etiam efflorescerer. Sane Iustini presbyteri & Confessoris, quem Otgarium Roma extulisse, Hrabanus non vno loco docet, Num. 105. & 128. ac seqq. merito hic optamus memoriam instaurari; cuius absque hisce versibus, & Heiligenstadiensis cleri iudicio esset, nomen & titulum vetustas sepelisset. Nam cum Aurei & Iustinæ sororis notior in vulgus sit historia, religioni non paucis fuit, S. Iustini patrocinium vsurpare, ob erroris & falsi nominis suspicionem. Sed præter veteris libri constantem scripturam, cuius mihi copia facta est, etsi perperam ibi diaconus & martyr habeatur, lapis quo sepulchrum integitur medio basilicæ choro Iustinum loquitur, eiusque amictu Leuitico, vt pontifici B. Aurei, imagines geminæ huic lapidi insculptæ visuntur, & tacente licet epigrapha, quæ ibi nulla, maiorum tamen vox Iustinum & Aureum sanctos interpretatur. Vniuerse manuscriptus à me laudatus, tametsi multis, & equidem interpretor, fabulosis narrationibus inquinatus sit, ex maiorum traditione tamen, de quatuor patronorum Heiligenstadij quiescentium memoria sic edisserit:

> *Conseruantur in hoc præclaro templo, præter Beatorum * Aurei & * Iustini martyrum pretiosas reliquias, non minori reuerentia & cultu, fortissimorum Christi martyrum Sergij & Bacchi ossa veneranda, olim * regali translata solertia, quorum omnium Mausolea videntur dextra læuaq; chorum subeuntibus, materia & arte conspicua.*

Ita quidem ibi, ad priscam vsque basilicæ faciem & lætiora primordia; quibus multiplices inde clades ac ruinæ superuenêre, accommodata narratione. Et quo omnia denique nostra stabiliuntur, confessio Sergiani sepulcri, Theca martyri fabricata, & iunctus his S. Martini veteris patroni cum ciborio titulus, sepulchri Sancti Iustini, quam postea dabimus, inscriptio, scilicet aditum nobis huc aperire videntur. Accedit denique, quod Hrabano nobilioris basilicæ tribuunt dedicationem, quam ipse Kalend. Nouembris, anno ob temporis iniuriam obliterato, peregisse traditur. Atque iam etiam despiciendum, puto, num huic Eisfeldiæ regioni Albæ vocabulum prius hæserit, quam sanctorum nomen percrebresceret, quomodo Sapphicis antiquis antea prodnum meminimus. Sed illam ciuitatis gloriam facile nobis, opinor, incolæ condonabunt, cum etiam Willigiso sedente, Moguntinæ sedis illustri Episcopo, cuius liberalitate cleri fortunæ maiorem istic in modum auctæ, ciuitatis vel oppidi nomen haud meruerit. Nam autor vitæ Burchardi Wormatiensi Episcopi, Ottonis Tertij ætate, eum cum Willigiso in locũ Heiligenstat peruenisse scribit, atque ibi pontificalis benedictionis vnctione venerabiliter à Willigiso consecratum. Hæc de sanctis illis & ciuitate Sanctorum habuimus dicere.

LXXXI.

Pontifices isti hanc sedem rite tenebant
Postquam hunc Hunni deripuêre locum.
Sed numerum annorum certum, quo quisq; regebat
Ecclesiam, vsquam reperire haud potui.

E

Maguntiacensis Ecclesiæ historiæ obscuritas quoad seriem Episcoporum.

Obliuionem, ordinem, nomina.

Meginfridus Fuld. monachus historicus.

Meginfridi labor in Episcoporum Moguntinorũ serie digerenda.

De eo censura.

F

Mogunt. Ecclesiæ Episcoporũ interrupta successio.

Agit de Moguntiacensium præsulum successione, atque eorum tantum, vt apparet, qui post Hunnicam cladem, puta ab anno Christi CCCCLI. præter propter subiere. Serarius certè noster, postquam ex Tritthemio opinionem eorum, qui quadraginta Episcopos ante Bonifacium admittunt, quos recentiores alij tantum XVI. agnoscunt, arripuit, & in eorum Chronologiam permultum certè lib. 2. Mogunt. rerum, & subtiliter inquisiuit, non habuit, quo totam illam disputationem fulciret, grauiorem autorem, quam Meginfridum Fuldensem monachum, à Tritthemio cum alibi, tum in præfatione ad vitam S. Maximi Mog. Episcopi laudatum: quippe de quo scribit, temporibus Ottonis II. & III. Fuldæ vixisse, libros XXIV. historiarum de temporibus gratiæ composuisse. Ipsum Moguntinos præsules ante S. Bonifacium XL. commemorasse, eorum nomina, tempus & regiminis annos clarè per ordinem expressisse &c. Megenfridi quidem librorum nihil hic Fuldę reperiri, sed nec aliunde erui, in tam vtili reip. Christianæ negotio, sæpe doluimus. Nec minus tamen mirandum, si sua Tritthemio constat fides, Hrabanum in antiquitate Ecclesiæ suæ tam hospitem & peregrinum extitisse, vt cum in Monasterio Fuldensi, sæculo fere tardius Megenfrido, tam illustria documenta suppeterent, ipse omni doctrina liberaliter institutus, vnde vniuersum flumen erumperet, à seclusa aliqua fontis aquula superatus sit. Sed tamen Serarius noster aurum multifariam defossam, quasi commonstraturus, satis habuit, si signa & notas ostenderet abditorum locorum, quibus exploratis, lector sibi ipse foderet. Vnde & numeros quoscunque præsulum nõ delendos putauit, sed seruandos. In rebus enim perobscuris magnum afferre sæpe momentum, vel tenuissimum lucis alicuius radium. Neque diffitetur aut alienum vero censet, Moguntinæ Ecclesiæ per varios temporũ casus Interpontificia contigisse, aut vacua interstitia; id quod in Albini & Theonesti actis castigatioribus, & rituales ipsi libri fatentur, & in Metropoli nostra Treuerica obseruauimus, quando Treuerensibus Episcopis diœcesim patuisse per Germaniam primam, in qua Maguntiacum, ex Venerabilis Bedæ historia docuimus.

G

LXXXII.

In Ecclesia S. Mariæ, iuxta sepulchrum Sancti Bonifacij.

Ecclesia S. Mariæ Moguntiæ, quæ nunc S. Ioannis.

S. Bonifacij exta & sanguis ibi asseruata.

H

Tumulus reliquiarũ S. Bonifacij, vel tumba.

S. Bonifacius Moguntiam trãslatus.

ILlustrauit hunc locum Serarius noster in Moguntiacis suis Lib. III. Notat. 47. Sed qui maximum & decus & lumen afferunt loco, hucusque ignorati versus & priscus Ecclesiæ titulus, qui nunc S. Ioãnnis, olim sanctæ Dei Genitricis, meritoque huius Ecclesiæ Metropolis fabrica vicina censetur antiquior. Et probabile est conditorij religionem non mutasse locum, etsi sæpius instaurata sit.

De Fresia huc vectus, cum theca hac rite locatus,
Sanguinis hic partem liquerat hinc abiens.

Theca hæc forsitan humi mersa in conspicuo non est, si superest. Tumbam vocat Epigraphe vetus, Leonino versu concepta & saxo insculpta.

Desuper hunc tumulum Hrabanus condere iussit,
Ad laudem sancti exiguus famulus.

Anno MCCCCLVII. tumulus hic conciderat, sed Gerlaci Archiepiscopi studio restitutus est. Inde memoria nostra obsolescens, Reu. Stephani Suffraganei pietate refloruit, picturis & ingeniosis versibus australi parieti inscriptis, è quibus vnum hoc:

Quum diuersa hominum contentio, Friso parentem
Occidit, cæsum gestit habere Mogus.
Corpus habere nequit, sperantia suscipit exta,
Spiret vt hic pietas Præsulis atque fides.

Triecesima namque die à martyrio V. Iulij cæsi martyris corpus, vt memorant prisci, aduerso amne sponte Moguntiacum aduenit.

A

Fuldensis Ecclesiæ inscriptiones.

LXXXIII. LXXXIV.

AD Fuldana templa, & principis basilicæ ornatum, quæ de Mauri capella, ara vel capsa, figuris, Cruce Guntrami comitis, aliisque Crucibus scribit, dum certiora sese offerant, hæc omnia refero.

LXXXV.

In Ecclesia Vodilhohi.

Vodilhohi Ecclesia.

AT quod, In Ecclesia Vodilhohi, scriptum, inuestigatione loci non obuij, fateor, aliunde merito exspectari iudicium.

C I.

Versus iuxta corpus Permenij scribendi.

S. Permenius, vel Pirminius.

PIrminus, Permenius, Pyrminius, aliaque varietate huius Episcopi nomen legunt veteres, Meldensis an Metensis, de quo certamē est, in Mediomatricum Ecclesię tabulis, Metropoli Treuericæ annexis, inquirimus. Meldensem siue Metensem fatear, antiquorum indicum fide non obtinebis. Tritthemius Meldensem pronuntiat sine dubio; nos Metensem malumus. Attigit hanc controuersiam, rerum Boic. lib. V. Marcus Velserus, & Caroli, Martelli temporibus ait in Germaniā venisse; vt Molani Chronologiam hic prætercam, qui ad III. Nouembris, quo Depositio S. Pirminij celebratur, obijsse vult, anno MXXXIV. Eisengreinius in catalogo testium verit. Vitæ Pirminij autores laudat Warmannum Episcopum Constantiensem, Henricum Comitem à Cahye Augiensem Abbatem, & in Acronij lacus insula Augiæ diuitis, quod Monasterio nomen, conditorem laudat impensè Walafridus Strabus, non vsquequaque remotus ab ætate Pyrminij, & istius gregis archimandrita. Eum sæpe cito ex Antiq. Lection. Tom. VI.

B

Rhenus ab Ausonio, quo ducitur Alpibus, aequor
Miscet in occiduis diffusus partibus ingens.
Illius in medio suspenditur insula fluctu,
Augia nomen habens; iacet hanc Germania circa
Hæc solet egregias monachorum gignere turmas.
Primus in hac Sanctus construxit mœnia præsul
Pirminius, terniq; gregem protexerat annis.

C

Quia vero versus quos illustramus petiti à Hrabano, quo seruirent memoriæ, vbi præsulis defuncti corpus depositum fuit, facem nobis præclaram Walafridus accendit, cum sepulturæ locum renudauit. Subijcit enim hosce versus:

Huius quisq; velit sanctam cognoscere vitam
Ipsa sepulchra petat; satis ipse probabit in Hornbach

Atqui Hornbach monasterium est S. Benedicti Metensis diœcesis, in Hundesruchi tractu, haud procul oppido Biponte, cuius Tritthemius, Chronico Hirsaugiensi, ad an. MLXXXIII. & Spanheimensi, ad MCCCCLXX. meminit, & tabulæ nostro Metensium præsulum in Stephano Episcopo.

CIII. CIV.

Versus in sepulchro Ferrutij martyris.

D

DE Ferrutio martyre ex Meginhardi sermone multa promit autor Mog. rerum lib. 2. cap. 34. & lib. 4. ad S. Lulli vitam. Quia vero martyris Castello, quod cōtra Moguntiacum, carceris semestris squalore consummatus dicitur, indeque à Lullo transportatus in monasterium transrhenanum, nunc Canonicorum collegium, Bleidenstadt, diligentius hic despiciendum erit Moguntinis, quia quo modo vna cum Albano Martyrium is obierit, quando Hrabanus ita loquitur:

Martyr cum Albano testificans socio:

S. Ferrutius Bleidenstadiū transfertur. Bleidenstadij monasterij,

nemine post Hrabanum, quod sciam, siue veterum, siue recentiorum, in illius palmæ societatem adscribente Ferrutium? Scilicet rectè fatetur Meginhardus, suo tempore latuisse actus S. Ferrutij, siue scriptorum penuria, siue deperijsse bellorum turbinibus; vnde translationis ille tantum memoriam attigit. Nam vbi à Lullo conditū exornatumque scripsit Bleidenstadiū, eius successores addit Richolfum, Haistolphum, Hrabanum, eadem deuotione locum Sanctum coluisse. Ecclesiam amplificasse, tumbam sanctarum exuuiarum decenter composuisse, pauperes Christi, pro sacris ossibus excubantes, humanitatis summa consolatione fouisse. Quæ eadem duobus his epigrammatis cōplexus est Hrabanus; & hoc insuper, maiorum exemplo arcam ibi & titulum martyri condidisse ipsiusque studio & amore scripsisse laudes.

E

nunc Collegij Ecclesia.

C V.

Versus ad sepulcrum S. Iustini Confessoris.

IVstini Confessoris his sepulcrum, postea basilicæ vel templi S. Iustino ab Otgario Archiepiscopo Moguntino erecti, quatuor altaria, à numero 128. celebrabit, quæ ingenij sui monumentis ad posteros traducere studuit. Temporis & obliuionis vsitata damna Iustinum penitus nobis abstulerant, nisi Heiligenstadiensi basilicæ S. Martini eius impressa vestigia fuissent. Transtulit eius corpus Roma Otgarius, & sepulcro conditis ossibus epigraphen inscripsit Hrabanus, qui Presbyterum fuisse, & tumulandis martyribus operam nauasse in Christianorum persecutione, meminit.

S. Iustini trāslatio, & instauratus honor.

C V I.

De capsa, quam Isanbertus Monachus fecit.

F

LAudauimus in antiq. Fuld. libr. 1. Sollertiam veterum monachorum, in re quoque fabrili & pictoria. Vtriusque hic artis excultæ specimen habes.

C I X.

In Ecclesia Monasterij, quod dicitur Clinga.

Clinga, Clingense monasterium. Clingemünster. Spirensi diœcesi.

QVinque Epigrammata huius Ecclesiæ honori data, atque in Nemetes transmissa sunt. Est enim in Spirensi diocœsi situm Clingense monasterium; sed pristino mutato colore, aliaque facie. Tritthemius Hirsaugiensi Chronico ad annum DCCCCLXXXV. mirificè laudat, ob virtutis & sapientiæ famā, qua tota Germania claruit, Adelbertum Abbatem Clingensis monasterij, ex Hirsaugiæ monasterio istuc euocatum. Et Clingæ monasteriū (Clingemünster ipse vocat) celebrat aliquam multis locis: ad annum MXLI. ceu fraterno fœdere Hirsaugiensi adunatū. iterum ad MCCXXXVII. & Spanheimensi Chronico, denique narrat anno MCCCCXCI. à primæui instituti regula S. Benedicti desciuisse ad Canonicos sæculares, magno malo Abbatis, qui metu seuerioris disciplinæ Canonicis manus dederat.

G

Canonicos pro monachis accipit.

CXVII.

In sepulcro S. Theoduli Martyris.

S. Theodulus martyr Roma à Carolo magno trāslatus. S. Theoduli basilica à Hrabano exstructa.

ALexandri, Euentij & Theoduli martyrum perennat in Ecclesia cultus & veneratio V. Non. Maij. Narrat hic, non obuium alibi facile, Hrabanus, Theoduli corpus à Carolo magno translatum Roma ex via Numentana in Germaniam, an & in Moguntinam diœcesim. Sed martyris memoriam, & Ecclesiam desuper conditam, flammis incendioque labefactatam, ab se restitutam, & nouam martyri sedem cum elogio versuum collocatam. Ex martyrum actis in martyrologio Notheri id exceptum notabiliter, quod Seuerina religiosa femina colligens beatum Alexandrum atque Euentium in vno sepulchro, sanctum vero Theodulum separatim in altero diligenti accuratione, cōmendauit. Vtinam huius martyris abstrusam, & latentem, vt apparet, nunc memoriam, cum Hrabano renouare liceat; & sanctis eius liminibus, aut saltem vestigijs. aduolui.

H

S. Theoduli vetus sepultura.

CXVIII.

Hi versus scripti sunt in Ecclesia S. VVigberti, &c.

S. VVigberti basilica apud Hersfeldiam.

FRiteslaria rursum hic, & Herolsfeldia, amica viris Apostolicis loca, ab obliuione nobis sæpe vindicanda sunt; & hoc obnoxius, quo ab hæresi magis atque magis obteruntur. Hoc egimus in Antiq. Fuldensium libris. Hic illustris basilicæ magnitudo in conspectu ponitur, quæ apud Monasterium Herolsfeldiam olim exstructa est. Loci origines debentur Fuldensi congregationi. S. Lullus Bonifacij discipulus & successor incrementa dedit. Ac tenuia quidem, aut obscura, vt omnium rerum, sic & monasterij & Ecclesiæ huius fuere principia, quando Friteslaria Lullo iubente, probante Carolo magno, S. Wigberti

A *Basilicæ structura & dedicatio.*

berti corpus istuc aduectum est. nam interuallo temporis Bruno Hirsfeldiæ, & Hrabanus Fuldæ Abbates, basilicæ grandioris fundamenta iecêre. Testis domesticus Lambertus Hersfeldensis ad annum Christi DCCCXXXI. Sanctum vero Wigbertum sacra dignaque receptum sede, sed non hac ampliore, quæ titulis hic ornatur, res clara est. Et epigraphen illustrem olim eruimus, posterioris dedicationis notam, ab anno DCCCLII. quanquam pro certissima, noluerimus haberi; in ea Luduicus pius Imperator, exstructor basilicæ nominatur, & biennio duntaxat Chronologiam Lamberti supergreditur, qui L. illius sæculi dedicatã affirmat. At certè rem non inutilem egerim, si Lupi Seruati, scriptoris egregij, meo sensu, obscuram orationem de S. Wigberti translatione, interpretatione mea non nihil adiuuem. Is itaque duplicem eam agnoscit, primam ex Fritzlariensi cœnobio factam in oppidum Buriburgum, hinc alteram in monasterium Herolsfeldiense. Ceterum in amplissimo Hassonum pago, qui Saxoni limitaneus, apud Friteslarium vicum, primitiæ collectæ Hassonum Ecclesiæ, qui populi ante Saxones, cum Thuringis ad fidem Christianam conuersi, & in limite regni, aduersus Saxones, æternos hostes collocari, vt à S. Bonifacio, eiusque discipulis impigrè exculti sunt; ita Francico Imperio militiæ strenuam operam nauarunt. Limitẽ hunc describo, quicquid terrarum, ripis Adranæ, Fuldæ ac Visurgis, à Septentrione, solstitio brumali versus Occasum prætenditur. hac enim parte præsertim à Lippia & Paderæ tractu, Saxones infesti Hassonibus vel Hassis imminebant. Ergo apud Adranam fluuium S. Bonifacius cum monasteriũ loco, qui Friteslar dictus, Hassonibus exstruxisset, conuenæ, cœtusque religiosorum, à feroci hoste, violato limite, sæpe diuexari sunt, ægreque stationem incolæ tuebantur, donec placuit munitius oppidum, trans flumen editiore loco, condere, cui Buriburgo nomen extitit. Huic cathedræ Episcopalis honos obtigit, cuius procurationem penes S. Wigbertum Bonifacius esse voluit, qui simul & Abbas Frideslariensis cœnobij, &, vt Lupus Seruatus ait, ex quo omnia hæc haurimus, Sacerdotis secundi ordinis dignitatem, puta apud Hassones, oppido Buriburgo sustinuit. Nam Sacerdos secundi ordinis, vel Suffraganeus, vel idem qui Vicarius Episcopi & Archidiaconus, vt olim monuimus. Quin & B. Vitta, qui & Albuinus, Wigberti successor, disertè à Zacharia Papa, Lupo Seruato, alijsq; salutatur Buriburgensis Ecclesiæ Episcopus; ita vt manifestũ sit, etiam publicis Zachariæ Papæ rescriptis, Buriburgum Episcopali sede cohonestatũ. Buriburgi vero nomen, rerũ Moguntiacarũ scriptor mutatũ suspicatur, aut aliũ in sonũ migrasse, quo minus promptũ fuerit loci situm explorare. At qui Fritzlariã diligentius inspexerint, negant eo loco conditũ, quo nunc cernitur, sed ea regione, cui nomen est Frauuemünster, ant monasteriũ B. Virginis; atque in vicinia Buriburgũ, excelso in monte, qui è propinquo hodieq; conspicatur trans flumen, situm fuisse tradunt. Rem prorsus hanc attestari videtur Lupus Seruatus, qui in translatione S. Wigberti, quæ facta ex veteri domicilio Cœnobij Friteslariẽsis clarè meminit, vallem depressam interiectam fuisse, & mediũ flumẽ, quo superato, tanquã in vicinum montẽ, vbi Buriburgum recens munitum oppidum visebatur, minimo negotio euasum sit & sancti corpus in tutum receptũ. Quare & Topographi diligentiores Buriburgũ vicino in monte trãs Ederam in hostico Saxonibus obuerunt; Friteslariam citima regione versus Fuldam & Visurgin describunt, quæ modo infernate rure fluminis Adranæ vel Ederæ, ripam vtramque ponte iungit. Buriburgum igitur vicinum Friteslariensi vico monasterioque stetit, munimentum aduersus Saxones, sed cladibus etiã suis caducum atq; hoc in oppido postquã translati præsulis Wigberti cineres quieuêre, memorabiles Hassonum eruptione clades Saxonibus, etiam supernè datis auxilijs, illatæ; & ingens miraculorũ lux apud sancti nouum sepulcrũ effulsit. Interim Ecclesia princeps, quam S. Petri honori Bonifacius olim posuerat apud monasteriũ, ob incursus populationesque Saxonum assiduas, vasta ad tẽpus, & inculta permãsit, profanata sæpius ab hoste, qui equis ibi præsepia & stabula fecerat, visis etiã cælestibus, aduersum incendia, aliosq; casus bellorũ custodita; quibus exterriti pagani & in fugam acti, libidinẽ nocendi posthabere coacti sunt. Præclare hæc publicis Francorum annalibus Lupi seruati, aliorumque scriptorum literis, ob miraculi magnitudinem, ad posteros trãsmissa ac celebrata sunt. Regino ad annum DCCLXXIV. qui melioribus exemplaribus DCCLXXIII. Buriburgum castrũ agnoscit & munitionem. Frideslare vero locum à castro diuersum notat, in quo basilica à S. memoriæ Bonifacio martyre consecrata, & circa eã patentibus locis, villarum ædificia. Caue verò in Lupi Seruati cap. XXIV. vbi Albuinus dicitur Præsul Friteslariensis eiusdem oppidi, Friteslariũm eum oppido iungas, qui ab ipso, alijsque priscis tantum locus dicitur, cum oppidi nomẽ, de vicino Buriburgo, cuius fuit Albuinus Episcopus, accipi debeat; & Friteslariensis monasterij tantũ abbas extiterit. Sed translationem alterã accuratius etiam prosequitur Lupus Seruatus, imperatamque diuinitus affirmat; forte ne prædam tandem barbari de sacro thesauro facerent: elã tamen exportari cineres oportuit, quo ne Buriburgi incolæ pignoris amabilis accensi desiderio, baiulis id excuterent, aut euectionem prorsus impedirent. Quare vbi Lullus Archiepiscopus, magnusque Carolus annuêre, sanxit denique Albuinus Episcopus Buriburgensis, vt fidi tres monachi S. Wigbertum Buriburgo exportarent, ac Herolsfeldij cœnobitæ iustis honoribus eum exciperent. Ita factum, & in Ecclesia Hersfeldensi, principe loco magnificè conditus. Monumentum suæ in Diuum pietatis, arcam Lullus erexit, Ciborium Hrabanus, ligneum culmen Einhardus in translatione SS. Marcellini & Petri, appellauit, quam more tunc in Gallijs Germaniaq; recepto, auro argentoque, & alijs metallis venustè contectam, sepulchro superposuit, Idib. Augusti, ipso Imperatore Carolo operi fauente. Ceterum huius translationis annus etsi à Lupo non exprimitur, haud ita multo post Saxonum incursiones tamen euenisse colligis ex ipsius verbis, cum aliquot interiectis annis, trãslatum narrat. puta ex quo Saxones absentiam Caroli in Italia contra Desiderium Longobardum bellum gerentis, suam rati occasionem violato limite Friteslariam iterata populatione infestarant. Id quod Francici annales cum Anastasio, Regione & alijs, ad annum DCCLXXIII. vel DCCLXXIV. referunt: cum autem S. Lulli pontificatus annorum periocha contineatur, quæ à DCCLIV. vsque ad DCCLXXXVII. excurrit, circa Domini ann. DCCLXXX. hãc translationem factam, haud temerè conijcias. At Basilica ad quam epigrammata pertinent, quę nunc præ manu sunt, anno, vt Lambertus scribit, DCCCL. vel DCCCLI. V. Kalend. Nouembris, ab ipso Hrabano, tũ Moguntiacensi Archiepiscopo dedicata est. eodẽque tempore, postero scilicet anno, translata sunt in alium basilicæ locum, Ossa S. Lulli. Quippe in veteri catalogo reliquiarum Ecclesiæ Hirsfeldensis hi extant tituli.

B *S. Vvigberti trãslatio in monasteriũ Hirsfeld. Friteslariensis monasterij sedes.*

Buriburgum oppidum, sedes Episcopi.

C *S. Vvigbertus Buriburgi Coëpiscopus. B. Vitta, vel Albuinus Buriburgi Episcopus.*

D *S. Vvigbertus quomodo ex Friteslariensi monasterio Buriburgum trãslatus.*

Ecclesia Friteslariensis.

E

S. Vvigbertus Buriburgo translatus Hersfeldiam. F

Translationis annus quis?

G

S. Vvigbertus. S. Lullus olim in Hersfeldensi monasterio quiescebat.

S. Vvigbertus Abbas totus hic præsens est corpore.

S. Lullus Episcopus requiescit hic corpore.

CXXXII.

In Ecclesia S. Philippi.

Hanc in Diœcesi Moguntina adhuc inquirimus.

HYMNI HRABANI.

H *Hymni Ecclesiastici.*

LIbro II. de Institutione Clericorum, cap. 49. hymnos dici vult Hrabanus, quæcunque in laudem Dei carmina dicuntur; vsum eorum Christi & Apostolorum exemplo commendatum; & valere quidem ad mouendum piè animum, & inflammandum diuinæ dilectionis affectum. alios afflatu superno, alios humano ingenio factos. Autores hymnorum Ecclesiam habere præcipuos, in Occidentis Ecclesia, Sanctos Hilarium & Ambrosiũ. Hactenus ex Hrabano, qui hos aliosque æmulatus, hymnodiam contexere aggressus est, ex qua non pauca carmina in hanc diem Ecclesia vsui publico consecrare, aut à maioribus accepta retinere voluit. Et hymnorum certè canendorum studium quantopere Hrabanus in suorum discipulorum animis excitarit, & in cætera monasteria exemplum deriuarit, docent hymni antiquorum patrum, qui nuper ex Sangallensi bibliotheca prodierunt, Tom. V. Antiq. lect.

Autores eorum.

Hrabani hymnodia.

A Porro hymnos nonnullos hic reperiri, qui scriptoribus alijs vindicari possint, haud diffitear; & quia vetustæ membranæ manu non antiquissima nonnullos insertos obseruauimus, eos ad discrimen faciendum asteriscis insigniuimus; reliquos plerosque, quia eodem charactere & titulo versuum Hrabani præscripti sunt, eidem, ceu prolis legitimæ parenti transscribere nil veremur.

2. De Natale Domini.

Hrabani hymnus Natalitius. IVrisconf. clarus Henricus Canisius cum Theodolfi Aurelianensis Episcopi poëma recenset, quod Tom. V. antiq. Lectionis euulgarat, Tom. VI. promit inter alia & hûc hymnum sanè dulcem, de Natali Domini, metro trochaico tetrametro scriptum, & ingenuè fatetur, in libro, quo vsus est, autorem nullum prodi, vt conditione possidentium hic vti meliore liceat.

4. De Epiphania.

Ophir. THus, myrrham, aurum ab Ophir. Hoc postremum ad Salomonis classem, quæ aurum ex Ophir adportauit, aliaque loca scripturæ veteris alludere videtur. De situ &
B notatione Ophir multum inquirunt scripturæ interpretes. Adi B. Ariæmontani præfationem in Phaleg. Ioseph. Acost. lib. 1. c. 3. &c. de Nouo orbe. I. Bochium in psal. 219.

9. De Ascensione. Festum nunc celebre.

Hymnus de Ascensione. PRimus hic hymnus est, qui in multis Galliarum & Germaniæ Ecclesijs receptus. Retulit eum in thesaurum suum, cautè, si quidem legendus, Georgius Fabricius, incerti autoris titulo. Inspeximus hymnorum librum, Coloniæ ante centum annos Henrici Quentelij typis excusum, vna cum expositione, vt magna tunc temporis erat Ecclesiasticorum carminum reuerentia, in quo nonnulli ex his, ceu in Ecclesia vsitati enarrantur, v. g. IX. *de Ascensione Domini*, & XVIII. *Præco præclarus, sacer & propheta*, de natali S. Ioannis Baptistæ: Tum XIII. *Fit porta Christi peruia.* Denique XII. *Quod chorus vatum venerandus olim.* In Purificatione S. Mariæ. Nam cæteri, quos Ecclesia Romana frequentat, *Veni creator spiritus*, hic X. ab alijs S. Ambrosio. *Aurea luce* XVII. SS. Apostolorum Petri & Pauli ferijs, Elpi Seuer. Boëthij vxori. *Christe Sanctorum* XIV. & XVI. *Tibi Christe splendor Patris*, qui in laudem Michaëlis Archangeli canuntur, incerto autori tribuuntur.

Hymni Hrabani ab Ecclesia recepti.

Hymni dubie illi adscripti.

C

23. & 24. SS. Marcellini & Petri.

SS. Marcellini & Petri trāslationes & memoria. SS. Martyrum Marcellini & Petri gloriosa & plena miraculis extitit translatio; quam Eginhardus ex Caroli Magni & Ludouici filij Palatino, religiosus & eruditissimus Abbas, quatuor libris, qui tomo VII. Suriano leguntur, accuratè pieque descripsit; annalium ecclesiasticorum scriptor excerptum anno Christi 826. & sequentibus attexuit. Primus aduentus martyrum ex Vrbe Michilunstadium, in saltu cui nomen Odonowald, inter Nicrum & Mœnum, sex circiter leucis à Mœno flumine dissitum, quo in loco recens Einhardus secessum vitæ tranquilliori, & basilicam erexerat, sed eo dum tempore non dedicatam. Hic Martyres depositi, multis supernæ monitis vrgebant
D discessum, donec repetitis mandatis, septem continuo diebus, perenni sanguinei humoris scatebra distillantes impetrarunt euectionem; conditique sunt basilica Mülinheimia, vbi nunc cum amplissimo monasterio, cui Einhardus præfuit, basilica & oppidum Seligenstadium Moguntinæ ditionis, ad Mœnum amnem situm est. Horum itaq; martyrum patrocinijs indulget hic Hrabanus, & memoriam sibi familiarem (nam diurno non multo amplius itinere Fulda distat) impensè veneratur.

Michilūstadium.

Mülinheimium. Seligenstadium.

Cuius successor perfecta presbyter aula
Ratlaicus sanctū condidit hunc titulum.

Einhardus Abbas Seligenstad. Ratlaicus successor quis & qualis. Ainhardum basilicæ conditorem memorat, huius successorem Ratlaicum presbyterum & abbatem, basilicæ nouam fabricam vel aulam adiecisse, qua martyres decentius accubarent, atque ad tituli decus poposcisse ingeniū amici poëtæ. Ratlaicus is, qua consilij, virtutis, doctrinæque præstantia, postea in Luduici Imp. palatio floruerit, ex eius Epitaphio cognoscetur. Prorsus eundem censemus, quem Einhardus in actis translationis SS. Martyrum, suū vocat

E Notarium; & cuius perspicaci industria, solertiaque, corpora ista primum in Vrbe ex crypta basilicæ S. Tiburtij extracta, indeque magnis itineribus, ausu non magis forti, quam felici successu, ductuque cœlitum ad Mœnum trāslata sunt, renouatis vbique, & quacunque incederent, impressis veterum sanctorum, quæ in eiusmodi traiectu euenire solent, miraculorum vestigijs. Vna vero litera mutata passim Eginhardo dicitur Ratlaicus.

25.

Columbanus scriptor. COlumbanum hymnographum nullus exsculpo Caroli magni exstincti desiderium, & virtutū eius splendorem pingit haud inscite. Animæ commendationem defunctis impertiri solitam clarius etiam approbat.

26.

Hymnus de Caritate & Auaritia. VLtimus qui agmen claudit, & ἄμετρος, & acrostichis est Alphabeti serie, Caritatis æque bona atque auaritiæ sordes ob oculos ponens; mendis scatebat, & metri inconcinnitas, sermonisque barbaries dubitare suadent, an in Hrabani partu numerari debeat.

IN EPITAPHIA HRABANI. F

1. Hiltebrati Episcopi.

Hiltebratus Episcopus. EX Fuldensis congregationis gremio ad Episcopi dignitatem euectus; quam vbi sustinuerit, nullo veterum indicio facile constituas. Hildebertos, quos cum Hiltebrati nomine concilio, reperio non paucos. Quid autem Hilt in eiusmodi cōpositione veteribus Germanis significarit, inuestigat Gretserus noster, in prolegomenis ad Commentarium Pauli Bernriedensis de vita Gregorij VII.

2. Einhardi.

Einhardus abbas ex regio Senatore. HOc Epitaphium basilicæ Seligenstadiensi scriptum, in qua Einhardus tumulum accepit; cuius viri sua ætate rerum vsu doctrinaque longe principis clarior, apud eruditos fama, quam quæ scholijs attolli debeat. Vindicauit autem ab amoris improbi leuitate castum ipsius coniugium Cæsar Baronius annalium Tomo IX. ad annū Christi DCCCXXVI. Superuixit anno DCCCXLVIII. quo secundæ Synodo à Hrabano celebratæ interfuit, vna cum ceteris abbatibus annus vitæ supremus mihi non compertus.

G

3. Lotharij Imp.

Lotharij Imp. GEmma carius hoc monumentum, frustra apud Prumiæ posteros cœnobitas quærendum. Regino in
« Chronicis, ad annum DCCCLV. Lotharius dispositis atq;
« ordinatis regni negotijs, valedicens suis mundum reliquit,
« atque in Prumiam monasterium veniens, comam capitis
« deposuit, habituque sanctæ conuersationis suscepto, in re-
« ligionis professione diem clausit extremum III. Kalendas
« Octobris. qui dies signatè Epitaphio subijcitur, à quo discedit annalium Ecclesiast. Scriptor, qui quartum Kalend. Octobris ex sua, ex aliorum quoque sententia sextum expressit; meminitque Lotharium à Hrabano laudatum in libro de Anima, & ab Angelomo, præfatione in Cantica.

Dies obitus Lotharij.

H

4. Haistulphi Archiepiscopi.

Haistulphi Archiepiscopi Mog. tumulus in S. Albani. DE quo cōsule rerum Moguntiacarum lib. IV. in Haistulpho, vbi licet tumulus non disertè ostendatur, illum tamen cum hoc epitaphio in S. Albani monasterio olim exhibitum, & à Hrabano illustratum, ea verba docent, quibus locus is auorum memoria, bello Brandeburgico, sacrilega flamma proditur deletus.

5. Otgarij Archiepiscopi.

Otgarij Archiepiscopi ibidē. ET is monumentis Ecclesiæ Moguntinæ cantatus est. Anno Christi DCCCXLVII. relicta vita, in S. Albani sacello, quod D. Bonifacij titulum habuit, sepultus, à successore Hrabano ornatus est hoc epitaphio.

6. Hrabani Archiepiscopi.

Hrabani Archiepiscopi indidem. HOc epitaphiū verbatim prope expensum à se in Moguntiacis edidit Nicolaus Serarius; & ab ipso superstite dum Hrabano conscriptum ostendit, & præter alia coarguit quoque versuum contextus. Publicarat iam ante Melchior Hittorpius in Commentario de diuinis Cathol.

Ecclesiæ

Ecclesiæ officijs, vbi Hrabani libris de Institutione clericorum præfigitur, cum hac epigrapha:

EPICEDION HRABANI MAVRI
in vitam suam.

Hrabani translatio. IACOBVS Wimphelingius, ante centum amplius annos, ad calcem operis Acrostichidum de S. cruce, reiecit, ceu ex ruderibus monasterij Montis S. Albani, quod iam tūc cesserat Canonicis, erutum & addit, in Moguntinensi cathedra sedisse annis IX. obijsse DCCCLVI. sepultū in monte S. Albani, inde Fuldam translatum; cui parum concors Trithemius, cum S. Maximum & S. Hrabanum ab Alberto Cardinale, Moguntia exportatos scribit in Saxoniam, conditosque in Hallensi S. Mauritij basilica, anno MDXV. *Hrabanus an in Sāctis.* Sanctis autem annumerari Hrabanum, etsi priuati quidam monent scriptores; in publicum tamen, vel hic etiam Fuldæ, neque probantur, neque audiuntur.

7. *Alchuini.*

Alcuinus vel Albinus Flaccus. Alcuini monumēta. ALCVINI seu Albini Flacci, viri suis temporibus in rerum maximarum scientia summi, quis laudes præconiaque nescit. Trithemius in illustrium scriptorum censu illum merito posuit. Multa ipsius hac ætate ingenij monumenta in lucem prolata; inter quæ posteriores non ferunt, quæ Tomo I. V. & VI. Antiq. Lectionis, vir iuris ac veteris memoriæ callens, Henricus Canisius, qui & hoc Epitaphium ipsius, Albini an Hrabani, ingenio scriptū intexuit, de quo libro I. antiq. Fuldens. inquisiuimus, cum vicina Fuldanæ Hirsfeldensis Ecclesia Albini cineres & vrnam sibi vendicet. Mortuum ferunt anno DCCCIV. & titulus à Canisio proponitur, quo Beatæ memoriæ Dominus Alchuinus abba obijsse scribitur, in pace XIV. Kalend. Iunias. Tom. VI. antiq. Lect. & ad eandem diem Martyrologio Hrabani eius celebratur depositio. *Alcuini memoria.*

8. *Reginbaldi Chorepiscopi.*

Reginbaldi Suffraganei Otgarij Mog. ABsque Rudulphi commentatio fuisset, huius Reginbaldi iam nulla memoria viueret. Traditur itaque in actis Hrabani, Otgarij Archiepiscopi fuisse suffraganeus, siue Chorepiscopus, & Hrabano in transferendis condendisque SS. Venantij, Vrbani & Quirini, aliorumque diuorum reliquijs, sedulum & pium affuisse constat.

9. *Aegilis Abbatis.*

Aegil. abbas Fuld. DE Ægile Abbate Fuldensi, Hrabani educatore, actum alibi.

10. *VValachfredi Abbatis.*

VValachfredus abbas Augiensis. AVgiæ diuitis is Abbas, Walafredi strabi nomine vulgo notior, discipulus Hrabani, & in S. Galli ac Fuldensi monasterijs educatus. de quo Tom. VI. antiq. Lect. ex diuersis multa collegit Henricus Canisius, & in antiq. Fuld. lib. 1. laude eum sua pro merito cohonestauimus. Creatum abbatem volunt in ordine duodecimum, anno Christi DCCCXLII. obijsse in Augia, quo hoc epitaphium transmissum DCCCXLIX. regiminis sui VIII. Vt Iodocus Metzlerus lib. de illustribus viris S. Galli, ex Hermanno Contracto, docuit.

15. *VVicgfrida.*
Et post busta viri Nonna dicata Deo est

VVicfrida Nonna. REpetitum ab vltima Christianorū antiquitate Nonnæ vocabulum patribus vsurpatur pro religiosa & consecrata Deo fœmina, id quod valde significanter S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium Maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem. Castæ vocantur & Nonnæ. Consule.

16. *Irmingardis.*

Irmingardis regina Lotharij. PLane consentiens huic Epitaphio Reginonis Chronicon. Anno Dominicæ incarn. DCCCLI. *Obijt Hermingardis regina coniux Lotharij imp. venerabilis & Deo acceptabilis matrona.* At priscis diplomatis nomen etiam Imperatricis præferre obseruauimus. Porro Irmingardi Augustę in prænobili Alsatiæ soli virginum monasterio, quod Ehrinsteinium appellant, sepultura obuenit. id vero monasterium Hirmingardis vxor Luduici pij, circa annum Domini DCCCXIX. felici origine beasse; Lotharius autem & eius cōiux Irmingardis multis opibus cumulasse scribitur. Vnde Bruschij placita in catalogo Argentinensium Episcoporum non dissimules, qui cum Lotharij reginæ tribuit Parthenonis originem, hanc & filiam eiusdem nominis ibi tumulatas accepit. Sed auscultem hic magis recentioris, haud vulgaris notæ scriptoris, Francisci Guillimanni arbitrio, quem adeas licet in * Vthone Arg. Ecclesiæ XXI. Episcopo. *Ehrinsteiny monasterio Alsatia sepulta. Irmingardis Luduuici pij coniux. * Hattone.*

18. & 19. *Gundrammi & Otdruda coniugis.*

Gundrāmus & Otdruta. Solahofij, aut cella S. Sola benefactores. IN obscura priuatorum memoria nihil hic occurrit excogitatu promptius, quā quod lib. III. Antiq. Fuld. Cap. XIII. in monasterij Solahofij originibus traditum est, vbi facta mentio Guntrami nepotis Hrabani, cuius donatione tractus ille terrarum, in Bambergæ & Eistadij diœcesion limitibus, Monasterio Fuldensi obtigit. Neque prohibet, ibi Capellanum & D. sacrum salutari. cum enim in palatio, militasse; & regia liberalitate S. Solæ curiam impetrasse scribitur, ficti ponit, vt maturior iam annis, post matrimonium abdicato sæculo, monasticen amplexus sit, & hinc iterum ad regum obsequia traductus. Nostræ coniecturæ fauet iste versiculus:

Horum nempe datum Bonifacius obtinet istum
Martyr rite locum, consecrat & domino.

20. *Ratlaici Presbyteri & Abbatis.*

Ratlaicus presbyter Notarius. Abbas Seligenstadij. EIus in hymnis meminimus, ceu successoris Einhardi, & Abbatis Seligenstadiani; hic iam iustis honoribus à Hrabano cumulatur.

FINIS.

HRABANI MAVRI COMMENTARIA IN REGVLAM SANCTI BENEDICTI ABBATIS.

PROLOGVS REGVLÆ S. Benedicti Abbatis.

* * *

A ## INCIPIT PRÆFATIO IN EADEM Regula metrice dictata.

QVisquis ad æternum mauult conscendere regnum,
Debet ad astrigerum mente subire polum.
Religione pia vitæ perquirere callem
Scandere quo valeat aurea regna celer.
Est monachis Sancti Benedicti Regula patris
Perfectis palma suauis & ampla via,
Aspera sed pueris necnon tyronibus arcta
Quos aluit gremio lactea vita diu.
Hæc est sancta via prælucida semita cæli,
Carpere quam cupiunt castra beata Dei.
Admonet hæc monachos sublimis Regula cunctos,
Vt rebus careant, regna superna petant.
Propria dimittant, habeant vt propria cuncta
Prospera quæ socijs cælica regna manent.
Patribus à nostris in sacro carmina legis
Regia rectegradus dicitur ista via.
B *Hæc est vita bonis, necnon & norma salutis*
Arcus & arma pijs fulgida tela malis
Hanc nullus nolens cupiens implebit, & omnis
Esto grauis grauibus, suauis & apta bonis.
Altigeri monachis ostendit hæc paradisi,
Regula lucifluum desiderare locum.
Hæc benè materno natos castigat amore,
Arguit erudiens, & sine felle manens.
Hic patienter eos tenero cum verbere nutrit.
Candida post obitum præmia multa dabit.
Pandit iter nostris cælestia pandit amicis
Currere ne pigeat, sed patienter eant.
Examinat vitam, mores componit, & ornat,
Vibrat, & æquiparat, & moderando minat,
Annihilat prauum, iustum conflagrat vt aurum,
Limat, & examinat, & poliendo librat.
C *Est ouibus virga gracilis, moderatio iusta*
Lima piacla pians, regna beata parans.
Arguit, obsecrat, increpat, atque libenter emendat
Quos sibi germano fœdere consociat.
Nouit ad æternum monachos perducere regnum,
Et sociare choro dulciter Angelico.
Quamuis hæc socios cæli deducat ad alta,
Est tamen angustus callis, & arcta via,
Arca pios celsi deducit ad atria regni,
Ampla malos putei mergit in ima nigri.
Nemo viam timeat monachus intrare per arctam,
Ducit ad astrigerum, castra beata, polum.
Ille poli poterit leuiter conscendere celsa,
Quem nocuo nulla pondere culpa grauat.
Aliger æthereus grauido cum corpore nullus
Verberat æthereas sæpè volando vias:
Nullus enim monachus peccati pondere pressus
Stelligeri poterit regna subire poli:
Omnis enim monachus lachrymis commissa lauare
D *Debet, & vlterius nulla lauanda pati.*
Temperet interea monachi discretio mentem
Et via per medium regia ducat eum.
Vt caueat dextram sollers timeatque sinistram,
Hortantur sacra munia legis eum.
Tristia non timeat, timeat sed prospera mundi,
Scandere tunc poterit regna beata poli.
Quisquis amat rutilos sanctorum carpere fructus,
Actibus in cunctis consocietur eis.
Moribus ornatus, & casto corpore comptus
Viuat, & à Domino semper amatus erit.
Sit tacitus, humilis, mitissimus, atque benignus,
Sit patiens, sobrius, prouidus atque pius.
Indolis & docilis, sapiens, & mente pusillus,
Compunctus, placidus & bene cautus eat.
Excuat interea cordis compunctio fontem
Qui sordes animæ illuuiesque lauet.
Cl-ismate perfuso lachrymarum fusio fonti
Acquiparat maculas tergit vt ille nigras,
Tergit & ablutos paradisi ritè colonos, E
Efficit, vt habeant iam sine fine ciues.
Qui iugiter laudis possint persoluere grates
Viuere cum Domino, semper & esse suo.

INCIPIT PROEMIVM.

CVm turbas plurimorum cernerem monachorum in beati regula Benedicti, interpretationes verborum, & intellectum diuersarum sententiarum, discretionemque iudiciorum sagaciter quærerem plurimorum, qui variante modulo varia fit culparum vt expositioni eius operam darem, & à meipso motus, & ab alijs sum coactus. Et quamuis eius expositione non indigeant docti, tamen simplex simplicibus grata est eius expositio monachis, qui per eius obseruantiam ad cœlestia cupiunt scandere regna, de ea frequenter audire vel modica desiderant verba: & qui eius tenentes rectitudinem, æterna sperant perfrui beatitudine, crebrò regularem gaudent audire sermonem. Cuius Domini opitulante gratia iam ordinatim incipiam exponere verba. F

EXPOSITIO HRABANI IN REGVLAM BEATI BENEDICTI Abbatis.

INCIPIT PROLOGVS REGVLAE BEATI Benedicti patris Monachorum.

O*Bscula*] Hæc nos hortantis beati verba sunt Benedicti. Ille etenim Spiritu sancto repletus, vt nos ad meliora proficiscamur, hortatur. Sunt enim, qui eum ausu temerario reprehendere conantur dicentes. Ausculta debuit dicere, non obscula. nescientes, quia sicut rectè dicitur obaudi, & obtempera, & obsecunda, & alia multa talia: ita rectissimè dici potest, obscula.

O fili] O interiectio, pro diuersis sensibus diuersas habet significationes. Aliquoties admirantis, vt illud. *O quam*
pulchra & casta generatio. Aliquoties dolentis, vt illud. *O vos* G
omnes, qui transitis per viam, videte si est dolor, vt est dolor meus.
Aliquoties optantis continet significationem, vt illud. O Sap. 4.
Domine saluos nos fac. O Domine benè prosperare. Quam & Matt. 11.
hic rationabiliter obtinet vim. Nam & filij nomine eum Psal. 105.
placuit appellare, quem voluit habere imitatorem. Qua- Psal. 117.
tuor enim modis filij appellantur. natura, imitatione, adoptione, doctrina. Hic autem non natura, non adoptione, sed doctrina, vel imitatione filius appellatur, qui ad obscultanda magistri hortatur.

Præcepta.] Præcepta sunt, quæ aut quid faciendum, aut quid non faciendum sit docent. Faciendum, vt *dilige Dominum Deum tuum. & honora patrem tuum.* & reliqua. Non faciendum. vt *non occides. non mœchaberis. non furtum facies,* & similia.

Quod autem dicit *Magistri.*] subintelligitur Christi. Quam- Exod. 20.
uis enim abusiue plures vocentur magistri, vt est illud in Ecclesiasten de lege, legisque latoribus dictum; quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno. Vnus tamen per naturam est Deus magister, & pater. Ipse enim
ait. *Et patrem nolite vocare super terram. Vnus est enim pater ve-*
ster, qui in cælis est. Ne vocemini magistri, quia magister ve- Mat. 10.
ster vnus est Christus. Nos verò quando patrem vocamus hominem, honorem ætati deferimus, non auctorem nostræ vitæ ostendimus. Magister verò ex consortio veri ma-
gistri veraciter dici potest: quia sicut per naturam vnus H
Deus, & filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem dij vocentur & filij; ita vnus pater, & magister non præiudicat alijs, vt abusiuè patres appellentur, & magistri. Magister dux, gubernator, præceptor, vel doctor intelligitur. Cuius ethimologia à Græco sermone steron descendit: Græce enim steron statio dicitur. Ergò magister latino sermone maior visitatione vocatur.

Et inclina aurem cordis tui.] Auris enim cordis nostri tunc ad audiendum veraciter inclinatur, quando admonitio pij patris, id est, Domini, à nobis libenter auditur; & effica-

HRABANI MAVRI COMMENTARIA IN REGVLAM SANCTI BENEDICTI ABBATIS.

PROLOGVS REGVLÆ S. Benedicti Abbatis.

* * *

A

INCIPIT PRÆFATIO IN EADEM Regula metrice dictata.

QVisquis ad æternum mauult conscendere regnum,
Debet ad astrigerum mente subire polum.
Religione pia vita perquirere callem
Scandere quo valeat aurea regna celer.
Est monachis Sancti Benedicti Regula patris
Perfectis palma suauis & ampla via,
Aspera sed pueris necnon tyronibus arcta
Quos aluit gremio lactea vita diu.
Hæc est sancta via prælucida semita cæli,
Carpere quam cupiunt castra beata Dei.
Admonet hæc monachos sublimis Regula cunctos,
Vt rebus careant, regna superna petant.
Propria dimittant, habeant vt propria cuncta
Prospera quæ socijs cœlica regna manent.
Patribus à nostris in sacro carmina legis
Regia recte gradis dicitur ista via.
B *Hæc est vita bonis, necnon & norma salutis*
Arcus & arma pijs fulgida tela malis
Hanc nullus nolens cupiens implebit, & omnis
Esto grauis grauibus, suauis & apta bonis.
Altigeri monachis ostendit hæc paradisi,
Regula lucifluum desiderare locum.
Hæc benè materno natos castigat amore,
Arguit erudiens, & sine felle manens.
Hic patienter eos tenero cum verbere nutrit.
Candida post obitum præmia multa dabit.
Pandit iter nostris cælestia pandit amicis
Currere ne pigeat, sed patienter eant.
Examinat vitam, mores componit, & ornat,
Vibrat, & æquiparat, & moderando minat,
Annihilas prauum, iustum conflagrat vt aurum,
Limat, & examinat, & poliendo librat.
C *Est ouibus virga gracilis, moderatio iusta*
Lima piacla pians, regna beata parans.
Arguit, obsecrat, increpat, atque libenter emendat
Quos sibi germano fœdere consociat.
Nouit ad æternum monachos perducere regnum,
Et sociare choro dulciter Angelico.
Quamuis hæc socios cæli deducat ad alta,
Est tamen angustus callis, & arcta via,
Arca pios celsi deducit ad atria regni,
Ampla malos putei mergit in ima nigri.
Nemo viam timeat monachus intrare per arctam,
Ducit ad astrigerum, castra beata, polum.
Ille poli poterit leuiter conscendere celsa,
Quem nocuo nulla pondere culpa grauat.
Aliger æthereus grauido cum corpore nullus
Verberat æthereas sæpè volando vias:
Nullus enim monachus peccati pondere pressus
Stelligeri poterit regna subire poli:
Omnis enim monachus lachrymis commissa lauare
D *Debet, & vlterius nulla lauanda pati.*
Temperet interea monachi discretio mentem
Et via per medium regia ducat eum.
Vt caueat dextram sollers timeatque sinistram,
Hortantur sacra munia legis eum.
Tristia non timeat, timeat sed prospera mundi,
Scandere tunc poterit regna beata poli.
Quisquis amat rutilos sanctorum carpere fructus,
Actibus in cunctis consocietur eis.
Moribus ornatus, & casto corpore comptus
Viuat, & à Domino semper amatus erit.
Sit tacitus, humilis, mitissimus, atque benignus,
Sit patiens, sobrius, prouidus atque pius.
Indolis & docilis, sapiens, & mente pusillus,
Compunctus, placidus & bene cautus eat.
Excitat interea cordis compunctio fontem
Qui sordes animæ illuuiesque lauet.
Clarissimate perfuso lachrymarum fusio fontis
Acquiparat maculas tergit vt ille nigras,
Tergit & ablutos paradisi ritè colonos, E
Efficit, vt habeant iam sine fine ciues.
Qui iugiter laudis possint persoluere grates
Viuere cum Domino, semper & esse suo.

INCIPIT PROEMIVM.

CVm turbas plurimorum cernerem monachorum in beati regula Benedicti, interpretationes verborum, & intellectum diuersarum sententiarum, discretionemque iudiciorum sagaciter quærerem plurimorum, qui variante modulo varia fit culparum vt expositioni eius operam darem, & à meipso motus, & ab alijs sum coactus. Et quamuis eius expositione non indigeant docti, tamen simplex simplicibus grata est eius expositio monachis, qui per eius obseruantiam ad cœlestia cupiunt scandere regna, de ea frequenter audire vel modica desiderant verba: & qui eius tenentes rectitudinem, æterna sperant perfrui beatitudine, crebrò regularem gaudent audire sermonem. Cuius Domini opitulante gratia iam ordinatim incipiam exponere verba. F

EXPOSITIO HRABANI IN REGVLAM BEATI BENEDICTI Abbatis.

INCIPIT PROLOGVS REGVLAE BEATI Benedicti patris Monachorum.

O*Bscula*] Hæc nos hortantis beati verba sunt Benedicti. Ille etenim Spiritu sancto repletus, vt nos ad meliora proficiscamur, hortatur. Sunt enim, qui eum ausu temerario reprehendere conantur dicentes. Ausculta debuit dicere, non obsculta. nescientes, quia sicut rectè dicitur obaudi, & obtempera, & obsecunda, & alia multa talia: ita rectissimè dici potest, obsculta.

O fili] O interiectio, pro diuersis sensibus diuersas habet significationes. Aliquoties admirantis, vt illud. *O quam pulchra & casta generatio.* Aliquoties dolentis, vt illud. *O vos* G
omnes, qui transitis per viam, videte si est dolor, vt est dolor meus.
Aliquoties optantis continet significationem, vt illud. *O* Sap. 4.
Domine saluos nos fac. O Domine benè prosperare. Quam & Matt. 11.
hic rationabiliter obtinet vim. Nam & filij nomine eum Psal. 105.
placuit appellare, quem voluit habere imitatorem. Quatuor Psal. 117.
enim modis filij appellantur. natura, imitatione, adoptione, doctrina. Hic autem non natura, non adoptione, sed doctrina, vel imitatione filius appellatur, qui ad obscultanda magistri hortatur.

Præcepta.] Præcepta sunt, quæ aut quid faciendum, aut quid non faciendum sit docent. Faciendum, vt *dilige Dominum Deum tuum.* & *honora patrem tuum.* & reliqua. Non faciendum. vt *non occides. non mæchaberis. non furtum facies,* & similia. Exod. 20.

Quod autem dicit *Magistri.*] subintelligitur Christi. Quamuis enim abusiue plures vocentur magistri, vt est illud in Ecclesiasten de lege, legisque latoribus dictum; quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno. Vnus tamen per naturam est Deus magister, & pater. Ipse enim ait. *Et patrem nolite vocare super terram. Vnus est enim pater vester, qui in cœlis est.* Ne vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Mat. 20. Nos verò quando patrem vocamus hominem, honorem ætati deferimus, non auctorem nostræ vitæ ostendimus. Magister verò ex consortio veri magistri veraciter dici potest: H quia sicut per naturam vnus Deus, & filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem dij vocentur & filij; ita vnus pater, & magister non præiudicat alijs, vt abusiuè patres appellentur, & magistri. Magister dux, gubernator, præceptor, vel doctor intelligitur. Cuius ethimologia à Græco sermone steron descendit: Græce enim steron statio dicitur. Ergò magister latino sermone maior visitatione vocatur.

Et inclina aurem cordis tui.] Auris enim cordis nostri tunc ad audiendum veraciter inclinatur, quando admonitio pij patris, id est, Domini, à nobis libenter auditur; & efficaciter

A citer impletur, quando humiliter excipitur, & puro corde
Matt. 11. tenetur. Hanc autem Dominus quærens dicebat. *Qui habet aurem audiendi audiat.* Auris enim ab audiendo, vel hauriendo vocatur. Auris enim corporis homini voces, cordis autem auris intellectum haurit sermonis.

Et admonitionem.] Admonitio propriè dicitur, quando ea, in quibus exciderat homo, ad memoriam reducuntur. A paradysi enim gaudio, exultatione, & gloria per inobedientiam Adæ generaliter omnes recessimus, sed ad ea, quæ per inobedientiam perdidimus, imitando Christi o-
Philip. 2. bedientiam, qui *factus est obediens patri vsque ad mortem*, redire debemus.

Pij patris.] Pius enim pater propriè ille dicitur, qui cordium aliorum impietates valenter remittit. Cui Psalmista
Psal. 31. ait. *Dixi confitebor aduersum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Pius enim Deus dicitur propter clementiam, benignitatem, & misericordiam. Pietas enim patris est iustitiæ, quæ propriè, vt ait Augustinus, Dei cultus intelligitur. Pater enim propriè Deus solus dicitur;
Ephes. 3. quia, vt ait Apostolus, *ex illo omnis paternitas in cælo, & in*
Mat. 20. *terra nominatur.* Nam & ille in Euangelio dicit. *Et patrem nolite vocare super terram. Vnus est enim pater vester, qui est in cælis.* Et per Prophetam ipse loquitur dicens. Patrem vocabis
B me, & post me ingredi non cessabis. Et cui generaliter omnis, Pater noster qui es in cœlis, clamat Ecclesia. Quod autem dicit *libenter excipe*, intelligitur studiose, summopere, & summa voluntate. Excipere enim dicitur accipere, vel suscipere.

Addidit. *Et efficaciter comple.* Efficaciter autem faciliter, expeditè, velociter, perseueranter, vel vigilanter intelligitur. Venit enim hoc aduerbium à nomine efficax, quia nullam habet difficultatem in faciendo.

Vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras.] Quod autem dicit, vt ad eum, subauditur Deum. A Deo enim, sicut supra dictum est, siue generaliter in Adam omnes, & Euam, siue specialiter vnusquisque nostrum per inobedientiæ vitium, desidiumque cordis recessimus. Ad quem nos per obedientiæ humilitatem, laboremque beatus Benedictus hortatur redire. Obedientia enim dicitur humilitas, obtemperantia, eo, quod
C humiliter obediat, vel obtemperet imperanti. Labor enim obedientiæ vocatur omnis humana actio nostra, quæ iustè à Domino imperata, ab auditoribus est secundum distributionis gratiam humiliter adimpleta. De bono autem o-
Prou. 20. bedientiæ per Salomonem dicitur. *Vir obediens loquitur victorias.* Vir quippe obediens victorias loquitur, quia dum vnusquisque electorum per obedientiæ humilitatem Deo se toto animo subdit, & eius præcepta humiliter implet, & pro his omnibus non sibi, sed Deo gratias agit, & ab inobedientiæ culpa miserante Deo liber efficitur, & de inobedienti triumphans diabolo in cœlum Victor ascendit. *Vir*
Prou. 21. enim *obediens victorias loquitur*, quãdo vnusquisq; vitia calcat vitiorũ, quod bella fortiter superat, ita vt cum Paulo dicat.
Rom. 8. *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Et pro tanti triumphi victoria non sibi, sed Deo tribuit gloriam. Ad Deum enim per obedientiæ laborem redimus, quan-
D do ea, quæ nobis sunt præcepta, totis viribus humiliter adimplemus, quando propriam voluntatem odimus, & *desi-*
Gal. 5. *deria carnis non perficimus.* quando *persecutionem pro iustitia pa-*
Matth. 5. *tienter toleramus.* quando *nec malum pro malo, nec maledictum*
Rom. 12. *reddimus pro maledicto.* quando nec dolum in corde tenemus,
1. Pet. 3. *nec iracundiæ tempus reseruamus.* quando *præcepta Domini factis*
Ephes. 4. *quotidie adimplemus.* & seniorum nostrorum iussionibus in
Iac. 1. omnibus obedimus. quando *orationi frequenter insistimus, vi-*
Rom. 12. *gilijs, ieiunijs, lachrymisque, & multis laboribus, diuersisque affli-*
1. Cor. 7. *ctionibus castigatum corpus in seruitutem redigimus. crucem nostram*
Coloss. 4. *tollimus, & abnegantes nosmetipsos post Christum currere festina-*
1. Cor. 9. *mus.* Labor prorsus obedientiæ est omnis pro Deo castiga-
& 11. tio corporis, & afflictio cordis, vilitas, omnis despectio, &
Matt. 16. abiectio monachorum. Hæc enim est arcta, & angusta via,
Marc. 8. quæ per se gradientes ad vitam perducit æternam. In hac
Luc. 9. etenim fideliter laborantes, & vsque in finem perseuerantes ad æternitatis satietatem, refectionemque inuitati me-
Matt. 11. rebuntur audire. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos,* dicit Dominus. Sicut enim humilitas

E obediendo obedientia dicitur: ita superbia inobediendo inobedientia dicitur. Desidia autem, pigritia vel tarditas dicitur. Vnde & hi, qui ad bonum opus tardi, pigrique inueniuntur, desides vocantur. Quo vitio mala omnia nutriente concrescunt, & bona omnia ne perficiant mala soporata quiescunt. De hoc enim vitio per Salomonem dici-
Prou. 19. tur. *Pigredo immittit soporem.* Pigredo enim torpenti animo soporem immittit, quod quem in bonis operibus tepidũ, tardumque inuenerit, ne in bonis crescat, & oculos cordis claudit, & manus ligat. Per eundẽ enim Salomonẽ dicitur.
Prou. 27. *Propter frigus piger arare noluit.* Propter frigus quippe piger non arat, quia desidiæ tempore constrictus agere quæ debet bona dissimulat. Et dum parua mala metuit, operari bona maxima prætermittit. De pigro quoque rectè subdi-
Prou. 20. tur. *Mendicabit æstate, & non dabitur ei.* Quia qui in præsenti sæculo in bonis operibus non desudat, cum tempus retributionis aduenerit, à mercedis munere mente vacua ieiu-
Prou. 30. nat. Econtrario de formica idem Salomon ait. *Formica populus infirmus parat in messe cibum sibi.* Et per formicas nisi strenua vita monachorum signatur. Quia ad comparationem
F amatorum sæculi huius, per humilitatis gratiam velut formicæ minimi videntur. Hi enim præsenti in vita velut in messe fructum bonorum operum, vnde in futuro gaudeãt, congregare non cessant. Item de obedientibus, & inobe-
Prou. 15. dientibus scriptum est. *Mens iusti meditabitur obedientiam. os*
Prou. 10. *impiorum peruersa.* Monachus enim humilis dum Seniorum suorum imperio ob amorem æternæ vitæ studet parere, prius obedientiam meditatur in cogitatione. Inobediens verò dum maiorum iussa contemnit implere verbis procacibus contradicit. Iste enim talis Adæ inobedientiam imitando recedit à Deo. Humilis autem monachus Christi obedientiam imitãdo redit ad Dominum. Adam enim peccauit, sed nec peccatum suum cognouit, nec peccati veniã
1. Petr. 2. postulauit. *Christus* autem *peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius,* sed *vt nos à peccato redimeret, factus est obediens patri*
Phil. 2. *vsque ad mortem:* & *innocens pro nobis passionem, mortemq́; susti-*
Esa. 53. *nuit, nobis relinquens exemplum, vt imitantes eum sequamur vestigia*
1. Pet. 2. *eius. In Adam* enim *cadente omnes cecidimus,* & *omnia bona opera*
1. Cor. 15. *perdidimus. In Christo autem resurreximus,* & maiora, & sine fine mansura recepimus: ita tamen, si perseueranter eius vestigia teneamus. Adam nos obnoxiauit malis omnibus per propriam culpam, sed Christi nos liberauit aduentus per gratiam. Et vt totum dicam, inobedientia Adæ nobis ab-
G stulit paradisum: obedientia Christi donauit & regnum. Ergo qui per inobedientiæ desidiam recessimus à Deo, per obedientiæ laborem redeamus ad Deum, vt impleatur in
Luc. 2. nobis. *Per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.*

Ad te ergo meus sermo dirigitur.] Multi hoc in loco meus, pro mihi quasi emendantes commutare conantur, nescientes, quod hoc genere locutionis multi scholasticorum Doctores vsi sunt: sicut quodam loco beatus Gregorius ait. Hæc mihi ad eos dicta sint. Et alibi. Iam enim mihi ad vos sermo conuertitur. Sermo enim à serendo nomen accepit. Est enim dissertio, vel collatio, quod non est vnius verbi tantum: sed à multis verbis serendo sermo vocatur. vt sermo Hilarij, sermo Augustini, & reliquorum.

Quisquis abrenuncians proprijs voluntatibus.] Abrenuntiare enim poni solet pro eo, quod est spernere, reijcere, vel contradicere, siue aliquid aliud, quod hoc verbo in hoc sensu exprimi potest. Duabus etenim vicibus fit abrenun-
H tiatio monachorum. siue omnium debet esse fidelium. Sathanæ enim, qui & Diabolus nuncupatur, primo in baptismo ab omnibus fidelibus abrenuntiatur, vt liberius Domino Saluatori seruiatur: quia iuxta eiusdem Domini
Matth. 6. vocem *nemo potest duobus Dominus seruire.* Abrenuntiatur operibus eius, quia opera illius contraria sunt operibus Saluatoris. Abrenuntiatur pompis eius, quæ vtique opera sunt Sathanæ, sed eo quasi discerni videntur à cæteris operibus eius, quod in eis superbia, cuius ille auctor est, & quæ eum deiecit de cœlo quodammodo designatur. Pompæ ergo eius sunt ambitio, arrogantia, vana gloria, & cætera, & huiusmodi, quæ de fonte superbiæ procedunt. Secundo autem à monachis, & à fidelibus Christianis abrenuntiatur proprijs voluntatibus, exemplo Domini, qui ait. *Non veni*
Ioh. 6. & 7. *facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me.* Nam & Scriptura

ait. Et

A Eccl. 17. ait. *Et à voluntatibus tuis auertere.* Propria enim vnicuique dicitur vernacula, priuata, vel peculiaris voluntas. Voluntas autem ab eo, quod est velle, nomen accepit. Est enim arbitrium mentis, potestas consilij sui, atque propositum sensus sui. Et hoc est secundum hominem, non secundum Deum viuere. Ille enim secundum hominem viuit, qui secundum seipsum, & secundum voluntatem suam viuit. Qui cum quibus vult, & vbi vult pergit, quantum vult, & quando vult, dormit: quando, & quandiu vult, loquitur: quæ vult, & vbi vult, quantum, & quando vult manducat, & bibit: quando, & quantum vult ridet. Postremò, quicquid oculis delectabile: quicquid naribus suaue; quicquid cæteris est sensibus carnis suæ iucũdum, exercet, & sequitur. Qui autem secundum Deum viuit, non eum carnaliter hæc omnia delectant: sed quæ spiritalia sunt, spiritaliter eum ædificant; & omnia desideria carnis spiritalis desiderij delectatione compescit. Futura B præsentibus anteponit; carnem spiritui subdit: & quicquid cupit arte agit: non vult ex sua, sed ex Dei sui voluntate procedere: cui placere totis viribus concupiscit.

Domino Christo vero Regi militaturus.] Dominus dicitur eo, quod dominetur vniuersæ creaturæ suæ: vel certè, quod omnis creatura dominatui eius deseruiat. Christus enim à chrismate appellatur. Chrisma enim Græcè, Latinè vnctio dicitur. Quod nomen etiam Domino Iesu Christo accommodatur, quem Deus pater non vtique visibili, sed inuisibili, & spiritali perunxit oleo. Vnde & in Act. 4. actibus Apostolorum ad patrem dicitur. *Collecti sunt in hac* Psal. 44. *ciuitate aduersus filium tuum, quem vnxisti.* Ad ipsum Psalmographus filium. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis,* &c. Qui ideò rex verus appellatur, quia omnia condidit; rectè sustinet, gubernat, protegit, atque regit. Quamuis Psalm. 2. enim sancti abusiue Reges dicantur; vt est illud in Psalmo. *Et nunc Reges intelligite.* Et in Iob. Et Reges in solio C collocat: tamen Christus Dominus est verus, & Rex; Psal. 71. quia veri Regis filius. Vnde & Psalmista ait: *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Reges ergò sunt sæculi, quia tentationum suarum motibus non succumbere, sed regendo præesse nouerunt. Reges sunt sæculi, quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frænant; modo æstum auaritiæ temperant; modo gloriam elationis inclinant; modo suggestiones liuoris obtuunt; modo ignem furoris extinguunt. Sed hæc omnia non suis viribus, sed Domino operante perficiunt. Et quia, vt hæc operentur, à Domino accipiunt, 1. Tim. 6. non propriè, sed abusiuè Reges dicuntur. *Christus* enim Ioh. 1. *Dominus verus, Rex Regum, & Dominus Dominorum* veraciter esse probatur: quia sicut *omnis creatura per illum facta cognoscitur,* ita per illum recta, & gubernata esse probatur. Sunt enim milites sæculi: sunt & milites Christi: sed milites sæculi infirma, & lubrica arma, milites autem Christi fortissima sumunt atque præclara. Pugnant illi contra ho-D stes, vt se, & interfectos æternam perducant ad pœnam: pugnant isti contra vitia, vt post mortem, æternam vitam consequi possint ad præmia. Illi vt descendant ad tartara; isti vt ascendant ad gloriam. Illi vt post mortem cum dæmonibus mancipentur in inferno: isti vt cum Angelis in perpetuo possideant regnum. Illi vt dæmonijs socientur semper: isti vt cum Angelis semper lætentur. Illi vt cum diabolo semper lugeant: isti cum Christo exultent. Vtrumque militum genus vna sententia comprehendit Pau-2. Tim. 2. lus Apostolus: ait enim: *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus,* ostendens esse milites Dei: sicut sunt etiam milites sæculi. Duplex ergo militia, duo genera militum signat. Alios militia spiritalis ad cœlestia castra per gratuitam gratiam cœlestis Imperatoris adducit: alios militia corporalis laborare cum mundo secundum voluntatem terreni Regis astringit. Milites seculi passionibus, & desiderijs tenentur obnoxij: milites Dei carnem suam crucifigunt cum vitijs, & concupiscentijs. Illi dapibus nutriuntur: isti virtutibus. Illi rapere aliena conantur: isti autem propria vel patienter perdere, vel misericorditer cupiunt erogare. Illi gerunt, vnde laudibus falsis extollantur: isti quærunt, vnde sempiternis præmijs honorentur. E Illis tribuit imaginem vanitas lætitiæ: istis vera confert gaudia veritas. Illi suis vtilitatibus consulunt: isti communibus. Illi peritura perituri saluare festinant: isti nunquam peritura, ne in æternum pereant, possidere desiderant. Illis viuere labor est, & mori supplicium: istis viuere Christus est, & mori lucrum. Illi præliantur contra visibiles, isti contra inuisibiles inimicos. Illos auaritia facit crudeles, istos misericordia benignos. Illos inuidia contentiosos, istos facit mansuetudo pacificos. Illi per superbiam pro suis honoribus litigant, isti per humilitatem alter alterum existimant superiorem sibi. Per illos Babylonia tegitur, per istos, & in istos à Domino Ierusalem cœlestis administratur. Milites seculi prosperitas extollit, aduersitas deijcit, milites autem Dei siue in aduersitate, siue in prosperitate immobiles perseuerant.

Obedientiæ fortissima, atque præclara arma sumis.] Arma e-F nim obedientiæ ideò fortissima beatus nominauit Benedictus, quia omnes humanos labores, qui voluntariè fiunt, obedientiæ labor exuperat. Quid enim fortius esse potest, quam vt se homo ex omnibus seruum faciat homini? Et vt, cum sit liber, & honoratus, velut vile mancipium, despectumque se cunctis exhibeat, & abiectum: ita vt dicat. Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Quid fortius, quam vt percussus in maxilla præbeat aliam: auferenti tunicam dimittat & pallium: angariatus miliario, vadat & duo? Et in his omnibus gaudeat, quod dignus est habitus pro nomine Domini cõtumelias pati. Quid enim fortius, aut durius esse potest, quam vt homo homini voluntarie se in omni subdat obedientia? & duras, & contrarias in ipsa obedientia patienter illatas sustineat iniurias? quam vt omni vilitate, & extremitate contentus sit, & ad omnia, quæ illi iniunguntur, paratus, & omnibus se inferiorem, & viliorem non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam corde existimet? & vbicunque fuerit, sederit, vel ambularit, inclinato sit semper G capite, & fixis semper in terram oculis: reum se de peccatis suis existimet dicens; Domine non sum dignus aspicere, & videre altitudinem cæli præ iniustitijs meis. Videamus cur B. Benedictus obedientiæ arma fortissima dixerit, atque præclara. Ideo fortissima, quia omnes humani generis labores, qui voluntariè fiunt, vt supra diximus, obedientiæ labor exsuperat. Fortissima sunt enim obedientiæ arma, vt abneget homo semetipsum sibi: præclata, vt sequatur Christum. Fortissima, vt declinet à malo: præclara, vt faciat bonum. Fortissima, ne reddat malum pro malo: præclara, vt reddat pro malo bonum. Fortissima, ne maledicentem maledicat; præclara, vt etiam benedicat. Fortissima, ne in corde teneat odium: præclara, vt tanquam semetipsum diligat inimicum & proximum. Fortissima in abiectione; præclara in operatione. Fortissima in toleran-H tia; præclara in obedientia. Fortissima in continuato ieiunio: præclara in recreatione pauperum. Fortissima sint lumbi vestri præcincti; præclara & lucernæ ardentes, in infirmitatis tolerantia fortissima, in visitatione aliorum infirmorum preclara. Ne vanitatis mendacio resoluatur fortissima, vt veritatem corde, & ore loquatur præclara. In tolerando patienter iniurias fortissima: in non faciendo tolerandas præclara. In refrænando appetitum gulæ fortissima: in frugalitatis, & parcitatis amore præclara. In corporis castigatione fortissima: in castitatis amore præclara. Sed & hoc veraciter dicere possumus, quia quantum in præsenti vita obedientiæ arma fortissima sunt in operatione, tantum præclara erunt in æterna remuneratione. Et quantum in exercitatione præsentis vitæ fuerint fortissima, tantum in futura requie erunt præclara. Quantum in via aspera, & grauia; tantum in peruentione erunt amœna, & leuia. Quantum in præsenti despecta, tantum in futuro erunt honorata. Obedientibus enim Apostolis ait: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Colos. 3. *Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.* De ijsdem ipsis & Dominus patri dicit: *Pater quos dedisti mihi, volo, vt, vbi ego sum, & illi sint mecum, vt* Ioh. 17. *videant claritatem meam. Et ego claritatem, quam dedisti mihi,*

dedi eis.

A Matt. 19. *dedi eis.* Et cum Apostolis audiunt. *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel.*

Inprimis vt quicquid agendum inchoas bonum.] In primis, id est, in initio conuersationis vel inchoationis boni operis dicit. Insidias inter te, & antiquum serpentem esse intellige monache. Tu illius, quantum præuales, nociuum contere caput; quia ille, quantum valuerit, non cessabit insidiari calcaneo. Tunc enim prudenter caput serpentis conteris, si initium malæ suggestionis eius nec consentis, nec recipis. Et si cogitando recipis, meditando non nutris. Ille, inquã, caput serpentis bene conterit, qui suggestiones eius nec cogitando ruminat, nec delectando fouet, nec meditando nutrit, nec consentiendo, nec nutriendo ad peccati perpetrationem perducit. Et hoc modo qui caput serpentis conterit, totum à se diaboli corpus repellit. Callidus enim serpens, & lubricus, vbi caput suggestionis suæ merserit, totus conatur illabi, vt à quo male receptus est totus, male recipiat totum. Et male receptum male possideat vinctum. Caput ergo serpentis, id est, suggestionem diaboli, bonus monachus in initio conterat, ne eius in fine possessio fiat.
B Bene conterat, ne male conteratur: feriat, ne feriatur. Occidat, ne occidatur. Et in his omnibus fortis victor existens, non sibi laudes, sed creatori suo referat grates, à quo accepit, vt vinceret, ne victus periret. Ergo totam sollicitudinis suæ custodiam ad calcaneum extremæ vitæ suæ prouidus monachus conuertat, ne venenato morsu serpentis improuidus pereat. Quid enim per hominis calcaneum. num tempus vitæ significatur extremum? Quid callidus insidians inimicus pestifero dente percutit, si à custodia sui animus malè sanus recedit. Ergo monache salutis tuæ audi consilium, & operis tui sollicitè serua calcaneum; ne in fine vitæ tuæ deceptus alicuius erroris labaris in deuium. Et vbi sperabas recipere præmium, ibi deceptus inuenias detrimentum: & vbi sperabas lætus scandere cœlum, ibi tristis mergaris in tartarum: & incautus subito perdas, quod
C diu acquisitum in æternum habere poteras. Quid enim
Matt. 10. prodest homini opus bonum inchoare, & non perficere?
Matt. 24. *Non enim*, ait Scriptura, *qui inchoauerit, sed qui perseuerauerit, saluus erit.* Inter cætera enim sacrificiorum genera Domino iubetur offerri cauda. Sicut enim in calcaneo, ita finis corporis ostenditur in cauda. Et ille bene caudam in sacrificio Domino immolat, qui in bono opere vsque in finem perseuerat. Caudam enim hostiæ Domino offerimus, quando opus bonum perseueranti fine complemus. Nam & Ioseph, qui auctus interpretatur, talari tunica vestitus esse describitur. Tunica enim, qua indutus erat, perseuerantiam bonis operibus significat. Ille autem talari tunica viuens ornatus incedit, qui virtutibus actus in bono, quod cæpit, ad perseuerantiam tendit, & bonum, quod agere cæpit, imperfectum non relinquit. Extendat ergo prudens monachus tunicam boni operis sui vsque ad talum, ne inimicum humani generis patiatur infestum; & perseuerantiæ tunica nudum in profundum mergat infernum: aut partim vestitum, partimque truncatum ad ignominiam in æternũ conseruet damnandum. Talaris ergo pedes monachorum perseueranter ornet, & muniat, vt in fine vitæ Deo illos feliciter reddat, vbi cum felicitatis gloria æterna consequa-
D tur & præmia.

Ab eo perfici instantissima oratione deposcas.] Sed vt hæc tibi, quisquis es, monache, Deo largiente proueniant, non tarde, non tepide, sed instantissima oratione deposce. Audi
Rom. 12. Apostolum de instantia orationis nos monentem. Ait e-
Colos. 4. nim: *Instate orationi vigilantes in ea.* Et iterum: *Vigilate, & o-*
Matt. 26. *rate.* Et alibi dicit: *Oportet enim semper orare, & nunquam de-*
Marc. 13. *ficere. Multum* enim *valet*, ait Apostolus, *oratio iusti assidua.*
Luc. 18. Oratio Heliæ cœli cardines clausit. Oratio Danielis leo-
Luc. 5. num ora conclusit. Oratio trium puerorum caminum ignis extinxit. Oratio Ecclesiastica Petri vincula soluit. Oratio Cornelij aures Domini penetrauit. Oratio in Cruce latroni paradisum aperuit. Non enim pigeat instanter o-
1. Cor. 3. rare monachum: quia quem orat habitatorem inter se
2. Cor. 16 habet Dominum. Sic enim ait Apostolus. *Templum Dei e-*
stis: & spiritus Domini habitat in vobis. Ciiò enim ab habitatore exaudiuntur Domino, qui eius habitationis templum, & habitaculum fiunt. E Infra se enim portat, quem rogat: imò ab illo exauditur, à quo portatur. Qui vult ergo opus bonum ad perfectionem perducere, orationi frequenter debet incumbere. Oratio enim supplicatio, vel petitio dicitur. Dicta autem oratio, quasi oris ratio. Contextus autem verborum sine sensu, quia non oris ratio.

Vt qui nos in filiorum numero dignatus est computare.] Tunc enim nos Dominus primum misericorditer in filiorum dignatus est numero computare, quando eum per fidem meminerimus recipere, sicut Euangelista Ioannes ait:
Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: Ioh. 1.
quando *non spiritum seruitutis in timore, sed spiritum accipimus*
adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Et adoptio- Rom. 8.
ne recepta filiorum abrenuntiamus diabolo, & operibus eius, & pompis eius in baptismo; postea autem in filiorum numero computati sumus, quando per conuersionis gratiam relinquimus mundum, & secuti sumus Christum,
audientes Prophetæ vocem dicentis. *Audi filia, & vide, &* Psal. 44.
obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Quando obliti sumus patrem mundum, qui nos male lactando nutriuit, & secuti sumus patrem Christum, qui nos bene castigan-
do lactauit, & bene lactator hortatus est dicens: *Patrem* Ierem. 3.
inuocabis me, & post me ingredi non cessabis. Magna dignatio F
Dei Patris. Nos in seruorum esse numero non meremur, ille nos in filiorum numero computare non dedignatur. Grandis inquam dignatio est, vt, *cum simus naturaliter filij*
iræ, & ab infantia peccatores, filij Dei misericorditer vocemur, & Ephes. 2.
hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Magna Rom. 8.
bonorum est apud Deum patrem exaltatio monachorum, quibus permissum est, *vt fulgeant sicut sol in regno cælorum, &*
sedeant super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel, Dan. 12.
qui à Domino cum Apostolis audient. *Sicut dilexit me pa-* Matt. 19.
ter, dilexi vos, manete in dilectione mea. Et dicitur: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos: & videbo vos, & gaudebit cor vestrum,* Ioh. 15.
& gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et quodcunque petieri- Ioh. 16.
tis patrem in nomine meo dabit vobis. Grandis dignatio est,
pro quibus filius patrem exorat dicens: *Pater sancte ser-* Ioh. 17.
ua eos in nomine tuo, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: & volo, vt, vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam: & ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi
eis. G

Non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari.] Actus ab agendo, & actione nomen accepit. Opera enim nostra, siue bona, siue mala actus nostri significant. Si enim recta fuerint opera nostra, de his actibus nostris Dominus lætatus exultat. Sin autem fuerint praua, contristatus de illis punit illa, & nos condemnat, & iudicat. Sicut enim Deus pater in filijs lætatur electis; ita tristatur in reprobis.
Ait enim Salomon in Prouerbijs. *Filius sapiens lætificat pa-* Prou. 10.
trem, filius autem stultus mæstitia est matris suæ. Quia non solum Deus pater in filio nequam, sed & mater sancta contristatur Ecclesia. Nam & Apostolus ait: *Nolite contrista-*
ri Spiritum Sanctum, in quo signati estis. Spiritum enim san- Eph. 4.
ctum contristamus, quando ea, quæ non sunt illi placita, agimus, & quæ placita sunt illi agere recusamus. Omnium enim bonorum auctor est Christus; malorum autem diabolus. De his autem, quos in suis sanctis actibus perficere cernit, & crescere lætatur; de his autem, quos in diaboli actibus irretitos videt, & deditos contristatur. Contristari enim Deus dicitur non propriè, sed abusiuè. A nostro enim vsu tractum est. Nam Deus, qui semper i-
dem ipse est, nunquam contristatur: quia nunquam mu- H
tatur.

Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est.] Tempora autem à motu syderum sunt dicta. Vnde &
Deus, cum hæc institueret, dixit: *Vt sint in signa & tempora* Gen. 1.
dies, & annos, id est, in aliquo mutabili motu, cuius aliud prius, aliud posterius præterijt: eo, quod simul esse non possunt. Tempora enim momentis, horis, diebus, annis, lustris, sæculis, & actibus diuiduntur. Nam proprie nec centum anni sunt vnum tempus, nec vnius mensis, nec dies, nec hora: quia cum aliud transit, aliud aduenit: simul vnum esse non potest. Quod autem dicit, *ita ei parendum est,*

A *dum est*, subintelligitur vero Regi Christo, cui superius obedientia armatum militaturum dixit esse monachum. *Parendum* dicit, id est, obediendum, obsequendum, vel obtemperandum. Quod verò dicit, *omni tempore*, in prosperis, & in aduersis intellige dictum. Quod ergo intulit *de suis bonis ei esse parendum*, ostendit, quod nihil, vnde ei parere possimus, habemus de nostro. Ergo qui nec velle possumus habere de nostro, festinemus illi *omni tempore* parere de suo. Tunc enim Deo de bonis suis paremus, quando de acceptis virtutibus non nobis, sed illi gratias agimus, quando illius mandata prædicantes ore complemus & opere: sicut ipse ait. *Si diligitis me, mandata mea seruate:*
Ioh. 14. quando nosmetipsos abnegantes crucemque ferentes sequimur Dominum toto corde lætantes, quando accepto semine verbi corde bono, & optimo & ab omni malitiæ
Matt. 13. fæce purgato, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud
Marc. 4. verò centesimum reddimus fructum. Quando accepto
Luc. 8. pecuniæ talento, ad Dominum cum magno redimus lu-
Matt. 18. cro; quando peccanti in nobis non solum septies dimitti-
Matt. 25. mus, sed vsque septuagies septies. Quando in summi Regis
Matt. 22. nuptijs inuitati cum veste recumbimus nuptiali, ne aut cum illo, qui fratri in se peccanti dimittere noluit: aut cum illo, qui pecuniam Domini sui fodiens in terram abscondit: aut cum illo, qui in nuptijs non habens vestem nuptialem, interfuit, pedibus & manibus ligati in tenebris exte-
B rioribus inclusi, & in pœnam perpetuam mereamur esse damnati. Vnde & sequitur.

Vt non solum iratus pater non aliquando filios suos exhæredet, sed nec vt metuendus Dominus iratus à malis nostris, vt nequissimos seruos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum sequi noluerint ad gloriam.] Quod autem dicit *iratus pater* non hoc proprie in Domino, sed abusiue intellige dictum. Humano enim vsu hæc, & his similia in Scripturis sacris de Domino plurima inuenies dicta. Iratus enim dicitur ita actus, id est, ira agitatus, quæ duobus modis in Domino dicitur, aut cum flagellat omnem filium, quem recipit ad gloriam, aut cum percutit omnem iniquum, quem tradit ad pœnam. Pater enim noster ideo dicitur, quod ille nos, vt essemus, creauit, & per baptismi gratiam iterum recreauit, & in renatis Spiritum sanctum, *in quo clamamus Abba pater*, tradidit, &,
Rom. 8. *Pater noster qui es in cœlis*, idem nos orare præcepit. Pater e-
Matth. 6. nim dignitatis & honoris est nomen. Quod veraciter in i-
Luc. 11. pso Deo constat esse perfectum. De illo enim Apostolus
Ephes. 3. ait: *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. Et ipse*
Rom. 8. *spiritus, quem accepimus in baptismo, testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij Dei, & hæredes: Hæredes*
C *quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Quam hæreditatem alio loco Apostolus incorruptam, & incontaminatam, & immarcessibilem appellat; & nobis eam in cœlis conseruatã esse promittit. Ipse enim qui dedit nobis potestatem filios Dei fieri, ipse etiam dedit nobis potestatem hæreditatem in cœlis accipere: si tamen salui perseuerauerimus vsque in finem. Incorruptibilem ideò cœlestem dixit hæreditatem; quia nec senio tangitur, nec fœdatur, nec morte corrumpitur, nec pœnitentiæ mœstitia, nec sorde, nec parcitatis continentia coarctatur. Nihil enim exterius recipit, à quo corrumpi, aut violari possit. Incontaminatum ideo eam narrauit; quia semper in semetipsa integra, & inuiolata perseuerat: & nec hæredum termino, nec fune coarctatur extento. Non eam occultus contaminat latro, non violen-
D tus diripit prædo: semper enim incontaminata, semper enim incorrupta perseuerat. Ideò immarcessibilem eam dixit: quia nec sectione falcis, nec caumate solis violenter oppressa marcessit. Semper enim viridis, semper perseuerat immortalis. Est enim in filijs florida, in virtutibus fœcunda, in delicijs amœna, in hæredibus præclara, in possessoribus gloriosa, & in præmiorum donis semper excelsa. In illa enim est vita æterna, immortalitas sempiterna, potestas perpetua, pax longa, sanctificatio certa, iustificatio vera. Et, vt breuiter dicam, Christus est hæreditas nostra, in quo est bonitas tota. Vnde summopere cauendum est, ne nos *iratus pater* ab hac tam clarissima claritate eliminet, & *vt metuendus Dominus irritatus à malis nostris vt nequissimos seruos perpetuam tradat ad pœnam.* Notandum, quia qui primum rectè credendo, & bene viuendo vocati sunt filij, ijdem ipsi postea male viuendo vocantur nequissimi serui. Duo E enim seruorum genera in Scripturis inueniuntur diuinis. Vnum bonorum, aliud vero malorum. Bonorum de quibus per Esaiam Dominus dicit. *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabun-* Esa. 65.
tur, & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Et de quibus Dominus in Euangelio ait: *Euge* Matt. 25.
serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Malorum autem genus seruorum est, de quibus scriptum est: *Omnis qui peccat, seruus est peccati: seruus autem* Ioh. 8.
non manet in domo in æternum. Et, *serue nequam, omne debitum dimisi tibi*, & cæt. De quibus & hic ait, *vt nequissimos seruos* Matt. 18.
perpetuam tradat ad pœnam: Non enim Dominus aliquem, sed ipse se tradit ad pœnam, qui peccare non dubitat. Scriptum est enim: *Quasi à facie serpentis, sic fuge peccatum.* Ergo Eccl. 21.
ipse se cruciandum serpenti tradit diabolo, qui nec metuit, nec fugit peccatum. Ipse se perpetuam tradit ad pœnam, qui mollis, & dissolutus viuens peccare non cessat. Pœna dicta est, eo quod peccatores in tormentis constringat, & puniat. Intelligitur enim pœna, immanis peccatorum gehenna, tormenta perpetua, supplicia sempiterna, F concrematio infinita, consummatio certa, mors vera, cruciatus æternus, dolor perpetuus, continuus gemitus, interitus sempiternus. *Vbi* secundum Esaiam *impiorum vermis non moritur, nec ignis eorum extinguitur.* Esa. 14. Vermem dicunt diabolum, & angelos eius, qui animas reproborum, velut vermes, dente malitiæ rodunt, & igni inextinguibili, & æterno semper ardendas, & semper cruciandas tradunt. Ad hanc enim merito terribilem traduntur pœnam, qui Christum sequi nolunt ad gloriam. Ad illam videlicet, de qua Psalmista ait: *Exultabunt sancti in gloria.* Et benè posi- Ps. 147.
tum est, sequi, quia vocatur, vt Apostolus ait: *Deus autem* 1. Petr. 5.
omnis gratiæ, qui vocauit nos ad æternam gloriam suam, vt cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos appareamus cum illo in gloria. Gloriam dicit vitam æternam, gaudium plenum, & sempiternum. Vbi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, felix æternitas, æterna felicitas. Vbi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer mo- G tus. Vnde fulgentibus meritis sanctorum congregatio micat, æterna salus exuberat, veritas regnat. Vbi est intellectus sine errore, memoria sine obliuione, cogitatio sine perturbatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, & tota sanitas sine morbo.

Exurgamus ergo tandem aliquando.] Otiosis enim, & ignauiæ sopore depressis *exurgamus* rectè dicitur: quia anima somno dedita negligentiæ, & tarditati inertia pressa, quasi dormiens in otiositatis lecto malè soporata quiescit. *Exurgamus* enim dicit, id est, erigamus nos ab illo negligentiæ loco prouidi, in quo diu iacuimus nociua segnitia pressi. Leuemus corda nostra cum manibus, id est, cum bonis operibus ad Dominum, qui malis actibus pressi, prauisque moribus incuruati longo iam tempore adhæsimus sæculo. H Maligni enim spiritus molli, dissoluteque viuenti animæ dicunt: Incuruare, vt transeamus. Quæ si malis eorum suggestionibus acquieuerit, sub pedibus eorum malè calcata peribit. Si verò rectà in opere Dei perseuerauerit, cum Helia dicere poterit. *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto.* Et cum 3. Reg. 17.
Paulo: *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Quod autem di- ad Phil. 3.
cit *tandem aliquando*, nisi fallor temporis tarditatem significat. Ex duobus enim aduerbijs temporum vnum compositu: idem est enim tandem, quod & aliquando. Ac si dicat. Et si in primæuæ ætatis tempore, id est, in iuuentute, in bonis operibus nos exercere nolumus, saltem in senectute resipiscamus, & ad vias virę, vel tarde conuersi, remedia salutaria non perdamus.

Excitante nos scriptura, ac dicente.] Non enim vigilans, sed dormiens anima excitatur. Dormit enim anima, quæ Domini sui obliuiscitur, & mãdata eius nõ recordatur. Vigilat, quæ Dñi sui memoriã semper tenet in corde, & eius mãdata seruat in opere. Dormit anima, quæ commissa præterita non emendat, & de futuris nil cogitat. Vigilat, quæ præterita peccata plangit, & plangenda vlterius non com-

mittit

A mittit. Dormit anima, quæ per latam, & spatiosam pro-
grediens viam de futura vita, vel gloria nil cogitat, sed
clausos oculos vel dormiens quotidie peior effecta ad æ-
ternum interitum properat. Vigilat, quæ de æterna vita,
& futura cogitans gloria per arctam, & angustam gradiēs
viam virtutibus quotidie crescit, & innouatur, & vt ad
creatoris sui cognitionem perueniat, laborare non ces-
sat.

Hora est iam nos de somno surgere.] Hora hic pro tempore
posuit. Cuiuscunque enim temporis quantitas conuenien-
Mat. 20. ter hora vocatur, vt in Euangelio scribitur. *Exijt paterfami-
lias hora tertia, sexta, nona, & vndecima mittere operarios in vi-
neam suam.* Horæ enim ibi pro temporibus positæ sunt. Di-
cit enim: *Hora est iam nos de somno surgere*, id est, tempus est,
vt nos de grauitate mentis, & torpore negligentiæ ad ob-
seruāda Domini præcepta vigilemus. Hortatur nos de hac
Prou. 20. re Salomon dicens: *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat.*
Somnum diligere est, torporem mentis per desidiam am-
plecti, & de futuro nil cogitare, quem egestas, id est, æter-
na miseria, malè securam opprimit animam.

Et apertis oculis nostris.] Illis videlicet, de quibus Salomon
ait: Aperi oculos tuos, & saturare panibus. Aperire oculos
est, intellectum mentis ad iustitiæ lumen resecare. Saturare
B panibus est, spiritalibus cibis diuinæ scientiæ mentem refi-
cere.

Ad Deificum lumen.] id est, diuinum, quod animæ tribuit
intellectum.

Attonitis auribus.] id est, attentis mentibus.

Audiamus diuina.] id est, Deo plena, diuinitate referta.

Ps. 94. *Quotidie clamans, quid nos vox admonet, dicens: Hodie si vocem
eius audieritis.*] Hodie habet ethimologia hoc die. Sed & hoc
in loco semper, vel in omni tempore significat: quia iugi-
ter, & omni hora audiendum est. Qui salutariter monet, &
misericorditer docet. Cuius sermonis vim Apostolus po-
Hebr. 3. tenter dicens expressit: *sed adhortamini vosmetipsos per singulos
dies.* Donec hodie cognominatur.

Si vocem eius audieritis.] *Eius* dicit, id est, illius boni pasto-
Ioh. 10. ris, qui ait: *Ego sum pastor bonus; & oues meæ vocem meam au-
diunt, & sequuntur me, & ego cognosco eas; & nullus rapit eas de
manu mea. Sed & vitam æternam dabo eis.* In lege enim, & Pro-
phetis, in Euangelio, & Apostolis vox Domini multis mo-
dis sonans auditur; sed à corde bono, & optimo auditur,
& exauditur. A duris verò & lapideis cordibus auditur qui-
dem, sed non exauditur. Ergo animæ, quæ obdurant corda
C sua, ne vocem illius boni, verique pastoris audiant, nec se-
quuntur eum, nec oues illius sunt, nec cognoscunt eum, nec
cognoscuntur ab eo. Qui enim ignorat, ignorabitur. Et
nec de manu raptoris liberabūtur, nec in locis pascuis col-
locabuntur, nec vitam accipient sempiternam.

Nolite obdurare corda vestra.] Sic enim alibi Apostolus ait:
Hebr. 3. *Non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Illi enim corda sua
obdurant, qui quod de mandatis Dei rectè intelligunt, o-
perari recusant. De quibus per Salomonem dicitur: *Pigre-
Prou. 19. do immittit soporem.* Piger enim rectè sentiendo quasi vigi-
lat, sed nil boni operando corde obdurato, sensuque sopo-
rato in tarditatis suæ dormitat lectulo. Illi inquam obdu-
rant corda sua, qui audiunt quidem prædicantem, sed imi-
tari nolunt operantem. Qui non obediunt voci Domini
Psal. 33. dicentis: *diuerte à malo, & fac bonum.* Qui non audiunt de-
ponentes veterem hominem cum actibus suis: induite no-
D uum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sancti-
ficatione veritatis. Qui non renuntiant sæculo, & Crucem
portantes sequuntur Christum.

Et iterum: Qui habet aures audiendi.] Aures hic cordis non
Mat. 13. corporis requirit. Ille enim aures audiendi habet, qui quod
Marc. 4. corde intelligit, opere implet. Ille aures audiendi habet in
Luc. 8. corde, qui memoriæ suæ præcepta Domini commendat, &
commendata cum multiplici fœnore Domino reddenda
reseruat. Ille audiendi non habet aures, qui Domini man-
data nec memoria retinet, nec operibus implet, nec recon-
dit in corde, nec exercet in opere.

Audiat quid spiritus dicat Ecclesijs.] *Audiat* dicit, id est, intel-
ligat. *Quid spiritus*, id est, spiritus omnipotens, Spiritus san-
ctus, spiritus ille, qui testimonium reddit spiritui nostro,
quod sumus filij Dei. Et de quo Apostol. ait: *Tēplum Dei estis,
& Spiritus S. habitat in vobis.* Spiritus S. dicitur secundum id, E 1. Cor. 3.
quod aliquid spirat. Ideò autem Spiritus Dei sanctus voca- 2. Cor. 16
tur, quia patris, & filij sanctitas est. Nam cum sit & pater
spiritus, & filius spiritus, & pater sanctus, & filius sanctus:
propriè tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tanquam san-
ctitas, & consubstantialis amborum. Ecclesia Græcum est,
quod in latinum vertitur conuocatio, propterea quod oēs
ad se vocet. Quę cum vna sit, vniuersalis, id est, Catholica; à
Ioanne in Apocalypsi septem scribuntur Ecclesiæ propter
vniformem spiritus plenitudinem, id est, spiritus sapien- Apoc. 1.
tiæ, & intellectus, consilij, & fortitudinis, scientiæ, & pie-
tatis, & timoris Domini.

Et quid dicit: Venite filij, audite me.] Magna pietas & mise- Psal. 33.
ricordia Spiritus sancti, qui ante conuersionis habitum v-
numquemque ad se audiendum inuitat. Et quos ad con-
uersionis gratiam inuitat, filios vocat. Ipse est enim, qui per
Prophetam ait: *Patrem inuocabis me, & post me ingredi non ces- Iere. 3.
sabis.*

Timorem Domini docebo vos.] De hoc timore & alibi Psal-
mista ait: *Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi.* Quā- Psal. 18.
tum enim quis attentius Dominum diligit, tanto eum di-
ligentius offendere pertimescit. Vox paterna est, vox pie-
tatis, quæ nos admonet, ne pauescamus, quod audiuimus
timorem. Non est enim timor iste, qui formidetur, sed qui F
diligatur. Timor humanus amaritudinem habet, iste dul-
cedinem. Ille ad seruitium cogit, iste ad libertatem trahit.
Postremò ille claustra metuit, hic cœlorum regna patefa-
cit. In timoris etenim laude Salomon ait: *Timor Domini ap- Prou. 10.
ponit dies.* Time ergo Dominum ô monache! sed illo timo-
re, qui sanctus permanet in seculum seculi. Illo casto amo-
re, qui tibi ad dies temporis huius adijciet dies ęternos, dies
perpetuos, dies immortales, & dies perennes. Immò diem
vnum sine vespera, & infinitum. Diem felici gaudio ple-
num, indeficiente luce refertum, angelico comitatu suffal-
tum, diem quem nox non interpellat, tenebræ non obscu-
rant, nubilum non obfuscat, quem importabilem non effi- G
cit calor æstatis, pigrum non reddit frigus hyemis, dies qui
tibimet inniserit cum sanctis, communis cum angelis, æ-
ternus cum vtrisque, qui tibi cum felici gaudio consortiū
tribuat angelorum, & socium faciat Patriarcharum, in nu-
mero computet Prophetarum, in exultatione socium fa-
ciat Apostolorum. Scriptum est enim: *Qui timent Dominum,
sperauerunt in Domino, adiutor eorum, & protector eorum est.* Et a- Ps. 113.
libi: *Plenitudo sapientiæ timere Deum; & corona sapientiæ timor Eccl. 1.
Domini replens pace, & salutis fructu. Et qui timetis Dominum cre-
dite illi, & non euacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum di- Eccl. 2.
ligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Et, *quam magnus, qui
inuenit sapientiam? sed non est super timentium Deum.* Beatus cui Eccl. 25.
datum est habere timorem Dei. *Timor autem Domini sicut pa- Eccl. 40.
radisus benedictionis:* quia in illa est fiducia fortitudinis; per
illum fructus pullulat salutis, & pacis. Audi adhuc, & dili-
genter attende ô monache! quid Dominus per Prophetā
timentibus se promittat. *Orietur*, inquit, *vobis timentibus no-
men meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, & egrediemini, & Malac. 4.
salietis sicut vituli de armento*, &c. Et tibi ô monache timen-
dum est nomen Domini, vt sol iustitiæ tibi oriatur Chri-
stus, qui mentis tuæ tenebras expellat, ignorantiam cordis
auferat, & lucem intelligentiæ infundat. Hic iustè viuere
tribuat, & post mortem vitam æternam concedat. H

Currite dum lumen vitæ habetis.] Non hic cursum corporis,
sed profectum quærit animarum. Vnde Psalmista ait: *Ibunt Psal. 83.
de virtute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Sion.* Et alibi: Psal. 118.
Viam mandatorum cucurri, dum dilatares cor meum. Nam & hic
cursus obseruationem mandatorum, & profectum signi-
ficat animarum. Dum lumen vitæ habetis, inquit, id est, dū
viuitis, dum vobis vitæ huius spatium tribuitur. Nam & il-
le lumen vitę in se habet, qui relicto prioris conuersationis
errore, ad meliores vias conuertitur vitæ, dicente Apostolo:
Eratis aliquādo tenebræ, nunc autē lux in Domino. Sed & ille lumē Eph. 5.
vitæ in se habet, qui illū habet, qui dixit: *Ego sum lux mūdi, qui Ioan. 8.
sequitur me, non ambulat in tenebris.* Vnde & hic aperte seqtur.

Ne tenebræ mortis vos comprehendant.] Hoc in loco *tenebræ*
mors, siue diabolus intelligitur. Possumus & illas hic non
inconuenienter intelligere tenebras, quas in Euāgelio Do-
minus exteriores appellat. Qui verò, dum viuunt, à vitijs se

separare

A separare non satagunt, & virtutibus crescere nolunt, merito à mortis tenebris comprehensi in inferno lugent dānati. Interiores quippe tenebras dicimus cæcitatē cordis, exteriores vero tenebras æternā noctem damnationis. Tunc ergo damnatus quisque non in interiores, sed in exteriores tenebras mittitur; quia illic inuitus proijcitur in nocte dānationis, qui hic spōte cecidit in cæcitatem cordis. Vbi fletus & stridor dentium esse perhibetur; vt illic dentes strideant, qui hic edacitate gaudebant. Illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabātur. quatenus quæque singula membra supplicio subiaceant, quæ hic singulis quibusque vitijs subiecta seruiebant. In fletu quoq; oculorum, & stridore dentium, per metaphoram membrorum corporalium magnitudo ostenditur tormentorum. Tenebræ autem dicuntur, eo quod teneāt vmbras. Non aliquid
B sunt tenebræ, sed vbi lux est tenebræ fiunt. Sicut enim tenebræ nihil sunt, nisi absentia lucis; ita mors nihil est, nisi priuatio vitæ. Mors dicta vel à morsu, vel quia amata est.

Et quærens Dominus in multitudine populi, cui hæc clamat, operarium suum; iterum dicit.] In multitudine enim Dominus
Matt. 20. paucos operarios quærit; *quia multi sunt vocati, pauci autē electi.*
Matt. 11. Quærit vtique operarios modo præsenti in vita, quibus
Prou. 12. postea misericorditer clamans dicat. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, dicit Dominus. Scriptum est enim: *Qui operatur terram suam saturabitur panibus. Qui autem sectatur otium, in egestate erit.* Ille terram suam strenue operatur, qui arcana cordis sui per quotidiana exercitia, per legis meditationem, per vigilantiam mentis, velut per agriculturam instanter erudit, atque spiritalibus cibis, velut panibus, ne fame ignorantiæ periclitetur, interioris hominis sui sensum inuisibili alimento reficere non desistit. Ille, inquam, qui in terra corporis sui operando no-
C cturnas exercet vigilias, vberesque pro peccatis effundit lachrymas, corpus suum seruituti redigens castigat, carnē suam ieiunio macerat, & varijs afflictionibus cruciat, ille panibus supernis, & præmijs saturabitur æternis.

Psal. 33. *Quis est homo qui vult vitam, & cupit videre dies bonos?*] Talis interrogatio posita est, quam omnium sequitur assensus. Quis est enim, qui possit dicere, aut vitam nolo, aut dies bonos videre non cupio? Sed vtinam sic vitam perpetuam quæreremus, sicut in ista temporali corda defigimus. Bonos autem dies non istos dicit, in quibus caducis delectationibus occupamur, sed illos, qui verè boni sunt, & in summa sanctitate versantur. *Quis est homo*, dicit, *qui vult vitam*, id est, vitam beatam, perpetuam, immortalem, sine morte, sine fine, & sine labore: quia in hac vita homo ad laborem nascitur. Ad illam, vt sine labore, &, vt in æternum viuat, peruenit. Illa est enim vita beata, ad quam qui cum bonorum operum consummatione peruenerint, beatis
D angelis similes erūt, & simul cum Deo suo sine fine regnabunt. Quod hic crediderāt, ibi videbunt sui creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes, æterna exultatione gaudebunt, diuinæ dilectionis, & mutua dilectione possessi in æternum, & inuicem sibi feliciter adhærebunt. Receptis enim incorruptione, atque immortalitate corporibus municipatum patriæ cœlestis accipient; atque eius in æternum ciues effecti promissa præmia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cęlestium gratia gaudiorum, vt remuneratori suo pio pro tantis muneribus gratias agant, & nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perfectione sustineant.

Quod si tu audieris, respondeas: Ego: dicit tibi Deus.] Quid sit Deus? Deus hoc est, quod nulla attingit opinio. Plus est enim, quam quod dici potest, aut cogitari. Nam vnaquæque natura pro capacitate sua suspicatur de Deo. Et quantum natura distat à natura, tantum sententia distat à sententia. Quia enim super omnia est, necesse est, vt omnium mentes excedat. Homines enim quantū possunt aciem mentis extendere, aspiciūt, quid Deus sit, opinione, nō definitione. Angeli autem, qui superiores hominibus sunt, quia plus aliquid de Deo sentiunt, non est dubium. Archangeli vero eo ipso amplius. Cherubin autem & Seraphin, qui proximè iuxta iuxta Deum esse dicuntur, maiora de Deo sentiunt: non tamen cōprehendunt penitus, quid Deus sit: q[uia] nemo nouit patrem, nisi filius, nec filiū quis nouit, nisi pater. E
Igitur est Deus, sicut hominibus videtur, spiritus, natura simplex, lux inaccessibilis, inuisibilis, inæstimabilis, infinitus, perfectus, nullius egens, ęternus, immortalis omnimodo, à quo initiū omnia consecuta sunt, venerandus, diligētibus, metuendus, extra quē nihil est, imo in quo sunt omnia, quæq; sunt sursum, deorsum, summa, & ima, omnipotens, omnia tenens, vere in omnibus diues, quia nihil est, quod nō eius sit, bonus, iustus, misericors. Est & seuerus, vt terrore, quæ ab eo benè cōdita sunt, cōseruentur, ne negligētia pareret vitæ præcipitium. Et ne, quod mirabilius est, prætermittā, tāta est clementia eius, vt contumelias passus ab his, quos fecit, sufferat, & prior vocet eos ad pacem.

Si vis habere veram, & perpetuam vitam.] Vita dicta propter vigorem; vel quod teneat vim nascendi, atque crescendi. Quæ vera, & perpetua dicitur; vel pro Christo, qui dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*: vel propter æternitatem, qua viuitur in ea. Isti enim vitæ mors succedit, illi nunquam. Pro- F Iob. 14.
pterea ista fallax, illa vero vocatur verax. Ista breuiter terminata, illa vocatur perpetua. Ista mortalis, illa vocatur æterna. Ista misera, illa autem est gloriosa. Ista doloribus, & laboribus plena, illa sanitate, & quiete manet iucunda. Ista odijs, & defectibus languida, illa charitate, & virtutib. lætatur fœcunda semper. De his B. Augustinus in expositione Euangelij ait: Duas itaq; vitas sibi diuinitus prædictas nouit Ecclesia. Quarum vna est in fide, altera in specie. Vna in peregrinatione, altera in æternitate. Vna in labore, altera in requie. Vna in via, altera in patria. Vna cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat. Ergo vna bona est, sed adhuc misera, altera melior, & beata. Ad quam qui felix venerit, felici gaudio æterno perfruetur in regno.

Prohibe linguam tuam à malo.] *Prohibe*, dicit, abstine, cohibe, coërce, vel comprime. *A malo* subauditur, omni; videlicet detractionis, maledictionis, murmurationis, irrisionis, vituperationis, iniustæ increpationis, à verbis mendacibus, & sermonibus otiosis, & similia. Scriptum est enim: Psal. 33.
Detrahentem secreto proximo suo hunc persequar: &, *Neque maledici* G
regnum Dei possidebunt. Et, *Qui murmurauerunt à serpentibus peri-* Psal. 100.
erunt: Et, *Os, quod mentitur, occidit animam*. Et, *Perdes omnes,* 1. Cor. 6.
qui loquuntur mendacium, & his similia. Ecce monache! cur 1. Cor. 10
dicitur *prohibe linguam tuam à malo?* Si enim detrahentem Sap. 1.
Dominus persequitur; & maledici regnum Dei non possi- Psal. 5.
dent; & murmuratores à serpentibus, id est, à dæmonibus peribunt; & perdet Deus omnes, qui loquuntur mendacium; cum omni vigilantia prohibere debemus linguam nostram à malo, ne cum his pereuntibus & nos pereamus in æternum. Et adhuc de malo linguæ audiamus, quid Iacobus Apostolus dicat: ait enim: *Lingua ignis est, & vniuersitas iniquitatis*. Lingua constituitur in membris nostris, quæ Iac. 3.
maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarū, & volucrum, & serpentium etiam cæterorum domantur, & domata sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest. Inquietum malum; plena veneno mortifero; in ipsa benedicimus Deum, & patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio: non oportet hæc ita fieri, &c.

Et labia tua ne loquantur dolum.] Imitetur bonus quantum H
potest monachus Dominum, & nec in corde teneat, nec 1. Petr. 3.
in labijs loquatur dolum. Quia *Dominus malum non fecit, nec* 1. Petr. 2.
dolus inuentus est in ore eius. Disperdet enim Deus labia dolo- Psalm. 11.
sa, eorum videlicet, qui in corde, & de corde locuti sunt mala. Dolus autem vocatur occulta malitia blandis sermonibus adornata, quæ propriè fraus, insidiæ, seu fallacia nuncupatur; quando fallimus audientem, vt quod creditur ad auxilium inferre videatur impedimentum. Quod merito prohibetur, quia puræ conscientiæ constat semper aduersum.

Diuerte à malo & fac bonum.] Multi enim faciunt bonum, Psal. 33.
sed non declinant à malo. In die celebrant ieiunium, & in nocte cōmittunt adulterium. Pauperib. tribuunt eleemosynam, & à pauperibus accipiunt prædam. Pauperi porri-

A gunt alicem,& bibunt illi vſque ad ebrietatem. Tribuunt
eſurienti buccellam,& comedũt vſq; ad crapulã. Et vt bre-
uiter dicam,in publico fas, & in occulto non ceſſant agere
nefas. Et taliter agentes à dextra nolunt ſegregare ſiniſtrã.
Aliud verò genus hominum & valde monachorũ eſt,quod
diuertit à malo,& operatur minimè bonum. Terrenos in
ſeculo relinquit labores, & in monaſterio ſectatur otioſi-
tates. De talibus enim Dominus ait: *Arbor, quæ non facit fru-*
Matth.7. *ctum bonum,excidetur, & in ignem mittetur.* Et in Apocalypſi:
Luc.3. *Quia nec frigidus,nec calidus,ſed tepidus es, & nauſeam facis, inci-*
Apoc.3. *piam te euomere de ore meo*,dicit Dominus. Vnde & otioſitas
inimica eſſe deſcribitur animæ. Ergò diuertere à malo, &
facere bonum ſingulariter,& propriè eſt electorum. Non
enim ſuper ſpinas, tribulos, vel vrticas agricola, vel horti-
cola frugum ſuarum ſerit ſemina,ſed prius ab his purgat a-
grum,& ſic iactat congruentis ſeminis granum. Ita & ele-
ctorum quiſque prius cordis,& corporis ſui agrum à vitijs
purgat,& poſtea virtutum ſemina iactat: & hoc modo di-
uertit à malo, & facit bonum omnis homo.
Pſal.33. *Inquire pacem,& ſequere eam.*] Sciens autem Propheta in
hoc agone ſeculi,cum corpore pacem fideliſſimos non ha-
B bere, & cum ſuis vitijs hic illis continuum eſſe certamen,
pulcherrimè dicit, *inquire pacem*; vt quamuis eam hic non
habeant, tamen ſemper ab eis ſtudioſiſſimè perquiratur.
hic imperat, *ſequere eam* quaſi præcedentem. Quæramus er-
go ſeduli,ſequamur intenti;quia illic eam inuenire nõ poſ-
ſumus,niſi hic diligentius inquiramus. Quæ tunc compre-
hendi dabitur, quando ipſum conſpiciemus pacis aucto-
rem. Pax eſt ſerenitas mentis,tranquillitas animi, ſimplici-
tas cordis,amoris vinculum,conſortium charitatis. Hæc
eſt,quæ ſimultates tollit, bella compeſcit, comprimit iras,
ſuperbos calcat,humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos
concordat,cunctis eſt placida,non quærit aliena, nihil de-
putat ſuum,docet amare,quæ odiſſe non nouit, neſcit ex-
tolli,neſcit inflari. Hanc ergo qui accepit teneat,qui perdi-
dit repetat,qui amiſit requirat; quoniam qui in eadem re-
non fuit inuentus,abdicatur à patre, exhæreditatur à filio,
nihilominus à Spiritu S.alienus efficitur.
C *Et cum hæc feceritis.*] Id eſt,ſupradicta.
Oculi mei ſuper vos.] Hæc vox Domini eſt, vox miſericor-
diæ, vox pietatis, qui vt hæc ab homine fiant,miſericordi-
ter præſtat: quia nihil poteſt humana fragilitas, niſi quod
poſſe dederit diuina Maieſtas. *Et cum hæc feceritis* dicit,id eſt,
cum prohibueritis linguam veſtram à malo;& labia veſtra
non fuerint locuta dolum: cum diuerteritis à malo, & fe-
ceritis bonum; cum inquiſieritis pacem, & ſecuti fueritis
eam,tunc *oculi mei ſuper vos*. Hic oculi Domini reſpectio di-
uina vocatur,quæ ſuper iuſtos miſericorditer aperitur. Re-
ſpexit enim Dominus Petrum, & ille verbi Domini recor-
Luc.22. datus eſt illicò,& amarè fleuit, quia ter Dominum nega-
uit. Ergo oculi Domini, id eſt, reſpectio diuina & memo-
riam iuſtis tribuit,& intelligentiam,& à morte eos æterna,
& à fame liberat ſempiterna. Sic enim & in alio ſcribitur
Pſal.33. Pſalmo: *Oculi Domini ſuper metuentes eum, vt eruat à morte ani-*
mas eorum,& alat eos in fame.
D Addidit: *Et aures meæ ad preces veſtras.*] Aures Domini hoc
Pſal.44. in loco exauditio intelligitur diuina, quam Pſalmiſta totis
Pſal.85. viribus poſtulabat dicens: *Inclina Deus meus aurem tuam, &*
Pſal.129. *audi me*: Et, *Auribus percipe Domine orationem meam.* Et, *Fiant*
Pſal.16. *aures tuæ intendentes ad orationem ſerui tui*:& mille talia. Sed &
Salomon vtrumque in oratione ſua,id eſt, oculos, & aures
Domini ſimul comprehendit dicens: *Vt ſint oculi tui aperti,*
& aures tuæ intentæ ad orationes ſeruorum tuorum. Sed licet fre-
quenter Dominus audiat peccatores, iuſtis tamen multò
amplius exauditio,& celerius promittitur, quando in pre-
ces eorum paratas aures habere monſtratur. Noli ergo ti-
mere ô iuſte monache hominum perſecutiones, ſeculique
labores. Oculi enim Domini ſuper te ſunt, vt liberent te,
Rom.8. & aures eius,vt audiant te. Tu autem tene vias eius, & ſpe-
ra in eum,& dic cum Apoſtolo: *Si Deus pro nobis, quis contra*
nos? Deus pro nobis,vt oculi eius reſpicerent nos. Deus
pro nobis,vt aures eius audirent nos. Deus pro nobis, vt
prædeſtinaret nos. Deus pro nobis,vt vocaret nos. Deus
pro nobis,vt iuſtificaret nos. Deus pro nobis, vt glorifica-
ret nos. Si Deus pro nobis,quis contra nos? Prædeſtinauit,

antequam eſſemus: vocauit, cum auerſi eſſemus: iuſtifica- E
uit,cum peccatores eſſemus: glorificauit, cum mortales eſ-
ſemus. Si Deus pro nobis,quis contra nos? prædeſtinatis,à
Deo vocatis, iuſtificatis, glorificatis? Qui vult aduerſari,
paret ſe,ſi poteſt bellare aduerſus Deum. Vbi enim audiui-
mus: Si Deus pro nobis quis contra nos? niſi qui Deum
vincit,non lædit nos.
Et antequam me inuocetis,dicam vobis: Ecce adſum.] O ſermo Eſa.65.
manſuetudine, & benignitate plenus. Non expectat con-
ſummari orationem,ſed ante tribuit petitionem. Nouit e-
nim Dominus antequam petamus eum, quid opus ſit no-
bis. Et hoc ideò,quia templum Dei ſumus; & ſpiritus Do-
mini habitat in nobis. Velociſſimè enim habitaculum
ſuum habitator exaudit Deus.
Quid dulcius nobis hac voce Domini inuitantis nos fratres cha-
riſſimi?] Verè enim dulcis hæc vox Domini ſanctis mona-
chis eſt; quia eos ad eã magnam multitudinem dulcedinis
ſuæ,quã abſcondit timentibus ſe,inuitat. Factus eſt illis ha- F
bitator,vt eos etiã non inuocatus exaudiat. Factus via,&
patria,vt per illum ad illum veniant. Factus paſtor,& oſtiũ,
& paſcua, vt ab illo gubernati per eum intrent, & ingre-
diantur,& egrediantur,& paſcua inueniant.
Ecce pietate ſua demonſtrat nobis Dominus viam vitæ.] Ipſe er-
gò Dominus, vt prædictũ eſt, factus eſt nobis via, veritas,
& vita. Via ſc. regia,vt per eum gradientes, nõ declinemus
ad dexterã,aut ad ſiniſtrã: ſed ad vitam, quæ ipſe eſt,perue-
niamus æternam: vbi non fletus vllus poteſt eſſe, nec gemi-
tus: vbi habebunt omnes ſancti amorem perfectum,timo-
rem nullum,& gaudium ſempiternũ. Ibi enim erit eis vo-
luntas certa, cupiditas nulla; quoniam fruendo cœleſtibus
bonis,ad quæ peruenire cupiebant, nihil eis deerit, quid
vlterius concupiſcant,& in illa regione perpetuæ ſecurita- G
tis, ac pacis, perfectè beati, nec timoris ſtimulos paſſuri
ſunt,nec doloris.
Succinctis ergo fide vel obſeruantia bonorum actuum lumbis no- Eph. vlt.
ſtris.] Elegantiſſime enim,& more Prophetico B.Pater Be-
nedictus duplicem hic monachorum poſuit cingulum.
Cognouit autem,quia fides ſine operibus mortua eſt,& o-
pera ſine fide vacua. Et ideo non ſimplum, ſed ex vtroque
textũ monachorum voluit eſſe cingulum. Eſaias autẽ hoc
ipſum dupliciter in Domino poſuit, dicẽs: *Et erit iuſtitia cin-* Eſa.11.
gulum lumborum,& fides cinctorium renum eius. Vt enim ille fi-
dem,& iſte poſuit fidẽ. Vt ille iuſtitiam, & iſte bonorum a-
ctuum obſeruãtiam. Omnis autem bonorum actuum ob-
ſeruantia non incõgrue vocatur iuſtitia: ſicut ſcriptum eſt:
Iuſte,quod iuſtum eſt exequeris. Fide enim lumbos mentis no- Deut.16.
ſtræ ſuccingimus, ſi de ſancta Trinitate rectè ſentimus, &
eã fideliter credimus. Bonorum actuum obſeruantia lum-
bos ſuccingimus, ſi nos in bonis operib. ſeduli exercemus, H
ſicut Apoſt. ait: *State ergo lumbos mentis veſtræ ſuccincti*,id eſt,in Eph.6.
omni prælio viriliter præparati,& ab omnibus curis ſeculi
expediti. Et ad Iob Dominus ait: *Accinge,ſicut vir,lumbos tuos.* Iob.38.
Scriptura enim ſacra illos viros vocat,qui via Domini for-
tibus,& non diſſolutis greſſibus ambulant. Lumbos verò
viriliter accingere eſt,vel in opere,vel in cogitatione carnis
& mentis luxuriã refrænare. Sed cur B.Iob dicitur? accinge
lumbos tuos ſicut vir: niſi quia aliud eſt carnis luxuria, qua
caſtitatem corrũpimus: alia vero luxuria cordis eſt, qua de
caſtitate gloriamur. Dicitur ergo ei, accinge ſicut vir lũbos
tuos,vt qui prius luxuriam corruptionis vicerat,nunc luxu-
riam ſtringat elationis; ne de patientia,vel de caſtitate ſu-
perbiat. In veteri Teſtamento Zona pellicea legimus circa
lumbos: in Nouo autem Zona aurea circa pectus. Vt enim
adulterium nõ committatur, zona pellicea adhibenda eſt
circa lumbos,vt non videatur mulier ad concupiſcendum:
zona aurea circa pectus, vt *per ducatum Euangelij pergamus i-*
tinera eius.] Ducatum Euangelij,id eſt,ducatum Chriſti; ne-
que enim alioſum Chriſtus, alioſum ducit Euangelium;
ſed ipſa Domini geſta,vel ſanctiſſima verba,vocantur Eu-
angelia,quæ ſequentes per itinera recta perducunt ad cœ-
leſtia regna. Sed diligenter nobis eſt intuendum, qui ſunt,
aut qui ſequuntur,vel quo tendunt hi,qui per ducatum Eu-
angelij pergunt. Hi ſunt vtique,quibus Dominus ait: *Amen*
dico vobis,quia vos,qui reliquiſtis omnia,& ſecuti eſtis me,in regene- Mat.19.
ratione,cũ ſederit filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ,ſedebitis & vos
ſuper

A *super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Et ille, cui
Matt. 19. dicit: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis*
Marc. 10. *thesauros in cœlis, & veni, sequere me:* Et: *Qui vult post me venire,*
Matt. 16. *abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* & simi-
lia. Cognouimus qui sunt, sc. qui relinquunt omnia, & qui
vendunt, & dant pauperibus, & qui abnegant semetipsos,
& tollunt crucem suam. Quem sequuntur Christum? vide-
licet qui dicit eis; & secuti estis me: &, veni, sequere me.
Quomodo sequuntur, videamus. Sequitur autem Christũ,
qui præceptis eius insistit: qui per magisterij eius vestigia
graditur: qui vestigia eius, & itinera sectatur. qui, quod
Christus docuit, & fecit, imitatur: sicut Petrus hortatur di-
1. Pet. 2. cens: *Christus passus est pro nobis relinquens nobis exemplum, vt se-*
quamur vestigia eius: exemplum scil. tribulationum, non deli-
ciarum: contumeliarum, non gaudiorum: flagellorum, do-
lorum, opprobriorũ, spinarum, crucis, & mortis. Quo ve-
rò isti tendunt, qui per Euangelij ducatum currunt, melius
videbimus, si prius vocantem eos Dominum audiamus: ait
Matt. 11. enim Dominus: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis,*
Matt. 25. *& ego reficiam vos.* Iterum dicit: *Venite benedicti patris mei, perci-*
pite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. & similia.
Liquet, ecce, vbi tendunt, qui per Euãgelij ducatũ pergunt,
videlicet ad tantã gloriam, vt cum sederit filius hominis in
B sede Maiestatis suæ, sedeãt & illi super duodecim sedes, &
iudicent duodecim tribus Israel; & vt refectionẽ æternam
accipiãt; & vt regnum à constitutione mundi paratum per-
cipiant. Vnde & apte verba B. Benedicti sequuntur dicẽtis:

Vt mereamur eum, qui nos vocauit, in regno suo videre.] De vo-
Galat. 1. cationis Gratia sic Apost. Paulus ad Galatas ait: *Miror, quod*
Gal. 1. *tam cito transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi.* Et
de se idem ait: *Qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit*
per gratiam suam. Et iterum alibi dicit: *Obsecro itaq; vos ego vin-*
ctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum o-
mni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicẽ
in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum
corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vna spe vocationis ve-
stræ. Hic autem qui nos vocauit B. Benedictus dicit, & sub-
auditur vel ad gratiam fidei primum, vel ad religionis po-
stea & conuersionis habitum.

In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illic bonis a-
ctibus currendo minimè peruenitur.] Manifestum est enim, quia
C benefacientes, & nõ malefacientes cœlestis regni taberna-
1. Cor. 6. cula possidebunt. Sic enim de malis Paulus Apost. ait: *Quia*
neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures,
neq; auari, neq; maledici, neq; ebriosi, neq; rapaces regnum Dei possi-
debunt. Nos autẽ si cupimus regnũ Dei possidere, in omnib.
exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros; *in multa patiẽ-*
2. Cor. 6. *tia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carce-*
Colos. 1. *ribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate,*
in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu S. in charitate
non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Per arma iustitiæ à de-
xtris, & à sinistris. Per gloriam, & ignobilitatem. Per infamiam, &
bonam famam. Vt seductores, & veraces. Sicut qui ignoti, & cogniti.
Quasi morientes, & ecce, viuimus. Vt castigati, & non mortificati.
Quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egentes, multos autem
locupletantes. Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Et sic
per istos, & alios bonos actus currentes tabernaculi regni
cœlestis esse merebimur habitatores.

Psal. 14. *Sed interrogemus cum Propheta Dominum dicentes: Domine quis*
habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in mõte sancto tuo?]
D Quamuis alij Doctores hoc in loco tabernaculum præsen-
tem intelligãt Ecclesiã; beatus tamen Benedictus nõ minus
repletus Spiritu S. habitationem cœlestem, quod est regnũ
æternum, per hoc voluit intelligere tabernaculum. Vnde &
Luc. 16. Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cũ*
defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Mons autem ipse
Dominus noster Iesus Christus intelligitur: de quo Esaias
Esa. 2. ait: *In nouissimis diebus erit præparatus mons domus Domini in ver-*
ticem montium. In quo omnes electorum animæ perpetuo
requiescunt: sicut idem illis Dominus ait: *Tollite iugum meum*
Matt. 11. *super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inue-*
nietis requiem animabus vestris.

Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respon-
Psal. 14. *dentem, & ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi, & dicentẽ: Qui*
ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatẽ E
in corde suo; qui non egit dolum in lingua sua; qui non fecit proximo
suo malum; & opprobrium non accepit aduersus proximum suũ: qui
malignum diabolum aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasione sua à Ps. 136.
conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum, & paruulos co-
gitatus eius tenuit, & allisit ad Christum: qui timentes Dominum, de
bona obseruantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona, non à
se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominũ ma-
gnificant, illud cum Propheta dicẽtes: Non nobis Domine, non nobis; Ps. 113.
sed nomini tuo da gloriã.] Videamus per singula, & de omni-
bus, vt Dominus dederit, disputemus. *Qui ingreditur sine ma-*
cula. Hanc sententiam B. Augustinus Prophetæ interroga-
tionem; B. autem Benedictus Domini esse dixit responsio-
nem: sed quia secundum Ezechiel rotæ animalia sequun-
tur, vterq; bene, vterq; rectissimè hanc sententiam intelle-
xit. Interrogatus enim Dominus, quis habitaret in taberna-
culo suo, respondit. *Qui ingreditur sine macula.* ac si diceret.
Qui viuit sine culpa, & custodit se à peccati contagione,
ipse in meum intrabit tabernaculum. *Macula* intelligitur F
peccatũ. Nã & in Domini holocausto animal nõ offereba-
tur, nisi immaculatum. Domini enim sacrificium nil reci-
pit maculatum. Vnde & sponsus sponsæ, Pulchra es, inquit,
amica mea, & macula in te non est. *Et operatur iustitiam.* Di- Cant. 4.
cta autem iustitia, quia iuris status. Est enim iustitia æqui-
tas, vel rectitudo. Sed quia iustitia ex operibus constat, &
fide, ille pleniter iustitiam operatur, qui rectè credens, totũ
se in bonis operibus exercet. *Ingreditur sine macula,* qui viuit
sine culpa. *Operatur iustitiam,* qui sedulus, quæ præualet, agit
bona. *Ingreditur sine macula,* qui plangit commissa, & plan-
genda vlterius non committit peccata. *Operatur iustitiam,*
qui diligenter in omnibus Domini custodit præcepta. *Qui*
loquitur veritatem in corde suo. Homo enim lingua loquitur, &
ore, non corde; sed quia os nõ loquitur, nisi quod ei à cor-
de ministratur; rectè hic dicitur, *qui loquitur veritatem in corde*
suo. Ac si diceret. Non sufficit linguę, vt tãtum veritatem lo-
quatur ore, nisi eam à sincero susceperit corde. Siue enim
bonum, siue malum loquatur lingua, fons illius hoc ipsum
cordi ministrat: sicut scriptum est: *Ex abundantia enim cordis* Luc. 6.
os loquitur. Sunt enim alij, qui maligno spiritu repleti, aliud
simulate loquũtur ore, aliud meditantur in corde. De qui- G
bus Salomon ait: *Simulator ore decipit amicum suum.* Ideo Do-
minus ait: *Qui loquitur veritatem in corde suo:* hic habitabit in Prou. 11.
tabernaculo meo. *Qui non egit dolum in lingua sua.* Idẽ ipsum,
est enim in lingua dolum non agere, quod est in corde lo-
qui veritatem. Aliquoties enim dolus profertur in lingua;
sicut hic dicitur per Psalmistã. Aliquoties labijs pariter me-
ditatur, & corde: sicut habes in Salomone: *Labijs suis* inquit, Prou. 26.
intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos. In lingua tan-
tum profertur dolus ab homine, vt amicus videatur in ser-
mone, hostis in corde. In labijs pariter meditatur dolus, &
corde, vt inimicũ se esse corde simul demõstret ex ore. *Qui*
non fecit proximo suo malum. Proximus hoc in loco intelligen-
dus est omnis homo. Vnde scriptum est: *Non adulterabis cum* Leuit. 18.
vxore proximi tui: id est, cum nullius hominis. Propter proxi-
mitatem enim sanguinis, omnis homo homini proximus
vocatur. Sanguis enim hominum ab aliorum segregatur
sanguine animalium. *Qui opprobrium non accepit aduersus proxi-*
mum suum. Non accepit dixit, id est, gratum nõ habuit; nec li-
benter audiuit. Accepta enim illa dicimus, quæ nobis gra- H
ta esse mõstramus. Ille enim opprobriũ aduersus proximũ
suum accipit, qui detrahẽtis verba libenti animo accipit. Et
hoc illis solet cõtingere, qui proximũ sicut semetipsos no-
lunt diligere. De hoc enim fomite procedit, vt detrahentis
verba libẽter possint audiri. Ille verò, qui sicut semetipsum,
sic diligit & proximũ, quãtum nec de se, tãtum nec de pro-
ximo vult audiri opprobriũ. Quod si quis corde cogitans
dicat. quis est homo, qui sic inter homines sine macula vi-
uat? vt nec proximo faciat malũ, nec labijs loquatur dolũ.
cum scriptũ sit: *Non est homo qui viuit, & non peccet.* Audiat si- 3. Reg. 8.
bi Paulum Apost. respondentẽ. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti* 1. Cor. 6.
estis, sed sanctificati estis. &c. *Qui malignum diabolum.* Diabolus
Hebraice deorsum fluens interpretatur, eo quod superbiæ
põdere pressus deorsum corruens cecidit. Græce autẽ dia-
bolus criminator dicitur: quia sicut à crimine criminator,

A & à superbia superbus,& ab iniquitate iniquus; ita à malignitate malignus vocatur. *Aliqua suadentem sibi*,id est, peccata,& vitia. *Cum ipsa suasione*,id est, adhortatione, vel incitatione. *A conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum*. Diabolū enim iustus respuit,quando nec illi,nec suasioni eius cōsentit. Ad nihilum eum deducit, quādo nec recipit suggestiones eius,nec nutrit. Adnihilatio ergo diaboli perfectio est monachi. Tunc enim in semetipso fortis esse diabolus æstimatur,quando ab illo miser monachus vincitur. Tunc verò adnihilatur,quando à perfecto monacho, vt inermis vincitur,& respuitur. *Et paruulos cogitatus eius tenuit, & allisit ad Christum*. Paruuli cogitatus eius, id est,diaboli:mala sunt eius initia suggestionum, quæ bene sunt tenenda, ne male crescant,& ad petram,id est,ad Christum sunt elidenda,vt pereant,ne forte robur fortitudinis faciant, & contra nos nociua bella committant. *Qui timentes Dominum de bona obseruantia non se reddunt elatos*,id est,non se ponunt, siue existimant elatos, quia viribus suis aliquid boni agere possint. præsertim cum Dominus Apostolis dixerit: *Sine me nihil potestis facere*. Iob. 15. Nā velle bonum,& posse à Domino accipit homo. Elatus enim dicitur pro eo, quod seipsū super mensuram suam eleuet,dum magnus sibi videtur de his quæ agit B operibus. *Sed ipsa in se bona non à se posse, sed à Domino fieri existimantes*. Superbi cupiunt in se, quod non faciunt prædicari. Humiles refugiunt quicquid boni operantur, agnosci. Illi vitia sua à se facta esse recusant,& bona suis viribus facta turpiter iactant. Humiles,quia peccata commiserint volūtarie cōfitendo semetipsos accusant;& omnia bona sua nō à se facta esse,sed diuino munere deputant:& non à se, sed Psal. 113. à Domino in se facta esse confirmant. *Operantem in se Dominum magnificant illum cum Propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis,sed nomini tuo da gloriam*. Ille in se Dominum operantem magnificat, qui de bonis suis actibus non sibi, sed Domino gloriam tribuit. Operantem in se Dominum magnificare debet,qui sine illo nihil boni agere valet. Cognouit enim Propheta,quia non est hominis dirigere vias suas, sed illo disponente Domini est dirigere gressus eius. Ideò ille tribuit gloriam,à quo se cognouit accepisse omnia bona: Coloss. 3. ait enim Apostolus: *Omnia quæcunq; facitis, in nomine Domini facite*. Ergo totum nomini illi tribuat Ecclesia, à quo, & in quo nomine,virtutem accipit operandi recta, & humiliter, Psal. 113. veraciterque dicat cum Propheta: *Non nobis Domine, non nobis,sed nomini tuo da gloriam*.

C *Sicut nec Paulus Apostol. de prædicatione sua sibi aliquid imputabat,* 1. Cor. 15. *dicens: Gratia Dei sum id, quod sum.*] Fuerat enim antea blasphemus,& persecutor Ecclesiæ Paulus: sed gratia Dei vocatus, & à synagogæ vtero segregatus, is prædicator factus erat in Ecclesia fidelis,& rectus:ideo dicebat: 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum id quod sum*:id est, per memetipsum fui prauus,gratia Dei sum rectus. Per memetipsum persecutor, per gratiam Domini sum modò Ecclesiæ defensor. Per memetipsum blasphemus,& impius, per Domini gratiam fidelis factus sum,& pius. Et hoc est *gratia Dei sum id, quod sum*: id est, non meritis meis,sed gratia Dei factus sum de infideli fidelis,& de lupo pastor,de persecutore defensor,& de prauo rectus, & de impio pius, Christianus de Iudæo, & Apostolus de Pharisæo; & hoc est, *gratia Dei sum id,quod sum*: id est,non sum, qualem dudum me fecit malitia, sed qualem me modo D Domini voluit esse gratia.

Et iterum ipse dicit: Qui gloriatur,in Domino glorietur.] 1. Cor. 1. Nihil enim,vt prædictū est, homo habet aliquid boni, 1. Cor. 4. nisi quod accipit à Domino. Si ergo accipit,non glorietur,quasi non acceperit,ne forte subtrahat,quod dedit largitor,vt remaneat vacuus,qui gloriabatur de alieno. Et alibi Apostolus: Ephes. 2. *Non ex nobis, Dei enim donum est; non ex operibus,ne quis glorietur*. Non ergo nobis,sed nomini Domini totis viribus gloriam demus: quo nomine saluari sumus,& in æternum saluari fideliter speramus. Non enim est aliud nomen in toto mundo,in quo saluus fiat populus. Ephes. 3. Vnde & Apostolus ait: *Ipsi gloria in Ecclesia, & Christo Iesu, in omnibus generationibus seculi* Phil. 2. *seculorum amen*. Istud est ergo nomen, cui omnia genu flectunt: cœlestium, terrestrium,& infernorum: Et, *omnis lin-* Phil. 2. *gua confitetur, quia hoc nomen*,id est, Dominus Iesus Christus, *in gloria est Dei patris*.

Matth. 7. *Vnde & Dominus in Euangelio ait: Qui audit verba mea hæc, & facit ea,similabo eum viro sapienti,qui ædificauit domum suam supra* E *petram: venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domū illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram*. Sapiēs enim vir non super arenam,id est,super semetipsum, quia puluis est,& reuertetur in puluerem; sed super petram,illam videlicet,de qua Apostol. ait: *Petra autē erat Christus*, 1. Cor. 10. domū suam ædificat,id est, initium primæ conuersationis,quasi fundamentum domus suæ, & medietatem bonæ actionis, quasi medium parietis sui; & perseuerantiam perfectionis, quasi consummationis perseuerantiæ suæ super fundamentum illud ponit: de quo alibi Apostol. ait: *Fundamentum aliud ne-* 1. Cor. 3. *mo potest ponere,præter id, quod positum est, qui est Christus Iesus*. Ab hoc enim fundamento accipit vires, vt ædificetur domus,id est,omne monachi opus,& fortitudinem,ne pulsata tempestatibus,id est, tribulationibus tentationum destruatur. Stultus autem ędificat super arenam; quia de opere suo non Deo,sed sibi tribuit gloriam. Sapiens autem ædificat super petram; quia de omnibus operibus bonis suis non sibi laudes tribuit,sed Deo gratias agit; & largitori suo humiliter cuncta tribuit: quia ab illo se accepisse cuncta co- F gnoscit. Alio enim sensu hæc parabola maxime ad inobedientes respicit. Sic enim legimus: *Omnis qui audit verba mea,* Matth. 7. *& non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam*, & reliqua: id est, cum influxerint stillicidia passionum, cum aduenerint flumina, & torrentes, atque impetus tribulationum ex multitudine negligentiarum: *cum flauerint venti*, illi vtique,qui per istum aerem volitant, parati ad Christi aream ventilandum, sicubi inueniant paleas, quas ad ludibrium suum rapiant, atque dispergant, tūc irruent in domum illā, quæ sine obedientiæ fundamento ædificata est; & fiet ruina illius magna. Non ergo pluuia, G neq; flumina cum impetu descendentia; neq; venti validissimi commouere poterunt domum super petram fundatā; vt ex hoc intelligas, quia qui seipsum non prodiderit, nec à seipso fuerit motus, nulla superueniēs tētatio deijcere eum poterit, aut mouere. Illud verò aliud ędificiū facile subuertitur, nō præ tentatione violentiæ, alioquin & illud ædificium deiecisset, sed propter fundamenti, id est, propositi infirmitatem. Arena est res mobilis,& infructuosa, quæ sine dubio instabilitatē, atq; inconstantiā designat animarū.

Hæc complens Dominus, expectat nos quotidie, his suis sanctis monitis factis nos respondere debere.] Quod autem hæc complens Dominus ad superiora bona, quæ de habitatore tabernaculi dixerat, respicit. Impleuit enim Christus Dominus superius dicta: sermone impleuit,& opere. Prędicauit verbo, quod impleuit & actu. Ipse enim in se impleuit, quod implere tabernaculi habitatorē præcepit. Ipse enim sine peccati macula ingressus est mundum; ipse sine peccato vixit in mundo, & sine contagione peccati ascendit in cœlum. H Princeps enim mundi ad eum venit,sed in eo nil,quod cōdemnaret,inuenit. Ipse quamuis iustus Dominus iustitiam diligat,& semper vbique iustitiam operetur; tamen potissimum iustitiam operatus est,quando superbum,fortemq; diabolum vinxit,& domum eius ingrediens vasa illius,quę iniustè tenebat, abstulit. Et sibi ea fonte baptismatis lota in perpetua seruitia sacrauit. Ipse enim loquitur veritatem in corde,quia veritas est: & quod ore promit,opere complet, Ipse enim ait: *Ego sum via, veritas, & vita*. Ipse non egit Iob. 14. dolum in lingua sua, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Ipse proximo suo non fecit malum, sed econtrario fecit ei bonum, quando eum, id est, genus humanum,cuius per carnem factus affinis,& proximus,descendens de Ierusalem in Ihericho,id est, de cœlo in mundum. Inuenit eum à latronibus,id est, dæmonib. multis peccatorum plagis vulneratum; infundit vinum,& oleum,id est, austeritatem pœnitentiæ, & refocillationem veniæ imposuit: in iumentum suum, id est, corpori suo sociatum, duxit ad stabulum,id est,fidelem eum faciens corpori Ecclesiæ. Et stabulario, id est, gubernatori præcepit Ecclesiæ,vt curam illius haberet,& de nouo, & veteri Testamento,quasi de duobus denarijs eum prædicans gubernaret. Ecce quomodo Dominus Iesus Christus non fecit proximo suo malum, sed misericordiam in illam faciens præstitit ei bonum. Ipse enim Sapiens: quia ipse est sapientia patris. Super petram suam fundauit domum,quia super

semetipsum

A

femetipsum fundauit Ecclesiam. Et hoc est, quod ait: *Hæc complens Dominus*: id est, vniuersa superius comprehensa, & verbis prædicando, & operibus impleuit complendo. *Expectat nos quotidie his suis sanctis monitis factis nos respondere debere.* Respondere cuilibet dicimus, cum eis factis congrua adinuicem opera reddimus. Deo ergò respõdere est, donis eius præcedentibus nostra obsequia reddere. Tunc Deo vera obsequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus.

Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitæ dies ad inducias relaxantur, dicente Apostolo: An nescis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?] Nam & Petrus Apostolus de hac ipsa re sic ait: *Non tardat Dominus promissionem, sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Ipse iterum dicit: *Propter quod, charissimi, hæc expectantes satis agite immaculati, & inuiolati inueniri ei in pace. Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitramini.* Non ergo nobis à Domino concessas per corporis negligentiam dierum nostrorum perdamus inducias, sed emendare celeriter festinemus, quod multo tempore negligenter egimus, ne forte post carnis huius resolutionem cum illis reprobis, qui in libro Sapientiæ scribuntur, infructuosam pœnitentiam agentes, & præ tristitia cordis nostri gementes nobismetipsis reputantes dicamus: *Nos insensati errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via vanitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & nos in malignitate nostra consumpti sumus.* Non enim Dominus lætatur in perditione viuorum, sed magis vult saluare pœnitentes, quam perdere delinquentes. Sicut ipse per Prophetam ait.

Rom. 2.
2. Pet. 1.
2. Petr. 3.
2. Petr. 3.
B
Sap. 5.

Nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum: sed si compleamus habitatoris officium erimus hæredes regni cælorum.] Hic audire beatus Benedictus pro exaudire posuit. Ac si diceret. Tunc verè audiuimus, si habitatoris officium compleamus: sicut Dominus in Euangelio ait: *Oues meæ vocem meam audiunt*: id est, exaudiunt. Si autem habitatoris officium non compleamus, minimè habitandi præceptum audiuimus: sicut & idem Dominus Iudæis dicit: *Qui est ex Deo verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Vnde & alibi aures cordis requirens aiebat: *Qui habet aures audiendi audiat.* Ergo non audit vocem Domini, qui corde non retinet, & opere non implet, quod audit. Sin autem aliquis hic sub auditionem maluerit intelligere taliter ponenda erit. Sed si compleamus habitatoris officium, & nos eiusdem supradicti tabernaculi habitatores erimus.

Ezec. 18.
Ezec. 33.
Ioh. 10.
C
Ioh. 9.
Matt. 11.
Matt. 13.
Luc. 8.

Ergo præparanda sunt corda, & corpora nostra sanctæ præceptorum obedientiæ militatura.] Quomodo sunt nostra ad militandum præparanda corpora. Audi nos obsecrantem Apostolum, ait enim: *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & bene placens, & perfecta.* Et alibi dicit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius; sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Peccatum vobis non dominetur.* Quomodo nobis iterum corda nostra sint præparanda, idem Apostolus ipse ait: *Dico autem, spiritu ambulate, & desideria carnis ne perficiatis.* Item ipse: *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Tunc enim corda nostra, & corpora in Domini præparantur militia, si abijciamus à nobis opera mortua, id est, peccata, opera tenebrarum, opera carnis, & tenebrarum, & induamur arma lucis, & fructus spiritus, qui sunt virtutes animarum. *Opera autem carnis sunt adulteria, fornicationes, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, indignationes, prouocationes, dissensiones, sectæ, hæreses, inuidiæ, iræ, rixæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia; quæ prædico vobis, sicut & prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, lenitas, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* Et ad Corinthios de cordis pariter, & corporis præparatione sic ait: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros. In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris: per gloriam & ignobilitatem: per infamiam, & bonam famam: vt seductores & veraces: sicut qui ignoti, & cogniti. Quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati. Quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egentes, multos autem locupletantes. Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

Rom. 12.
D
Rom. 6.
Gala. 5.
Gal. 5.
E
2. Cor. 6.

Et quod minus habet in nobis natura possibile.] Naturam dicit ingenium, mores, & astutiam animi. Natura enim dicta ab eo, quod nasci aliquid faciat. Gignendi enim, & faciendi potens est: fragilis est enim humana natura: quia quod vult bonum agere, perficere non valet, nisi adiutorium à Domino accipere meruerit. Vnde & Apostolus ait: *Nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Vnde & hic apertè sequitur.

F
Rom. 7.

Rogemus Dominum, vt gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrare.] Inter ministrare, & subministrare sic dicit distare Fulgentius, quod in vno horum obsequium humilitatis, in altero autem abundantiæ iudicium ac potestatis ostenditur. A ministrante quippe obsequium redditur, à subministrante verò subsidium prærogatur.

G

Et si fugientes gehennæ pœnas ad vitam perpetuam volumus peruenire.] Gehenna est locus ignis, & sulphuris. Futuri ergò supplicij locus, vbi peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo designatur. Nam duplex in gehenna damnatorum est pœna, illorum autem & mentem vrit tristitia, & corpus flamma. Nam sicut ille ignis camini non arsit ad trium puerorum supplicium, & tamen arsit ad comburenda ligamina vinculorum: ita ignis gehennæ & lucebit miseris ad augmenta pœnarum; & non lucebit ad consolationem gaudiorum.

Dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis viam vacat implere, currendum & agendum est modo quod in perpetuum nobis expediat.] Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis. Vacemus, & videamus, quam suauis est Dominus, & dum tempus est operemur bonum ad omnes. Quia quod seminauerit homo, hoc & metet. Et qui in præsenti vita seminauerint in lachrymis, in futuro sæculo in gaudio metent. Currendum est ergo nobis, non pedibus, sed vita, & moribus, vt illud possimus in hac vita conquirere, quod nobis in æternum cognoscimus expedire, id est, illas supradictas virtutes, charitatem videlicet, gaudium, pacem, & cæteras omnes habere in præsenti sæculo, & cum illis, & pro illis viuere possimus in futuro.

H

Constituenda est ergo nobis Dominici schola seruitij.] Schola Græco vocabulo dicitur locus, in quo adolescentes litteralibus studijs operam dare, & ad audiendos magistros vacare solent. Vnde schola vacatio interpretatur. Denique in Psalmo, vbi canimus; *Vacate, & videte, quoniam ego sum Dominus.* In Græco habetur schola sace. Ergo sicut in schola pueri cum disciplina, quæ illis necessaria sunt discunt, & quæ in futuro prosint, capiunt: ita & monachi in monasterij regularis schola, & quæ eos in præsenti honestè viuere faciant, & quæ in futuro fœlices reddant, discere sagaciter, & efficaciter debent implere.

Psal. 45.

In qua institutione nihil asperum, nihil graue nos constituturos speramus.] Institutio enim regularis vitæ volentibus eam nihil asperum habet, nihil graue. *Iugum enim meum,* ait Dominus, *suaue est, & onus meum leue.* Nolentibus enim, & suas voluntates implere volentibus omnia bona sunt

Matt. 11.

A aspera, omnia sunt grauia. Institutio enim dispositio, vel ordinatio intelligitur.

Sed & si quid paululum restrictius dictante aequitatis ratione.] Æquitas est veritas, & veritatis iustitia, ratio, motus quidam animi visum mentis acuens, veraque à falsis distinguens. Mens hominis dum recta iudicat, ratio est. Dum spirat spiritus.

Propter emendationem vitiorum.] Vitia nihil sunt. Sed vbi bonitas deest, vitium est. Omnis enim natura opus Dei est. Opera enim, quæ vitia dicuntur, actus sunt, non res. Quamquam per se agere dicuntur aliquid cum ea, & per ea totum egit diabolus, vel damnata dicuntur, cum ipse pro his damnatur: & homo cum per liberum arbitrium his allectus trahit ad sensum. Et ideo in futuro sæculo non erunt vitia, quæ in auctore suo diabolo damnabuntur, cum ille, scilicet damnatus, in gehenna, vt peccent homines, amplius potestatem hæc agere non habebit.

B *Vel conseruationem charitatis processerit.*] Charitas Græcè, Latinè dilectio interpretatur, eo quod duos illigat. Vnde & Apostolus ad Colossenses ait: *Super omnia autem*

Coloss. 3. *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Nam dilectio à duobus incipit, quod est amor Dei, & proximi. Non enim temporalis debet esse charitas, sed obseruata contin-

1. Pet. 1. nuo. Vnde & alibi Petrus Apostolus ait: *Ante omnia mutuam in vobismetipsis continuam charitatem habentes.* Perfecta enim charitas, & perpetuo conseruata in Deum & proximum amorem complectitur æternum.

Non ilico pauore perterritus refugias viam salutis.] Sicut scri-

Luc. 9. ptum est: *Quia qui ponit manum in aratro, & respicit post tergum, aptus non erit regno cælorum.* Pauidi enim in lege non admittuntur ad prælium, ne & illi pauentes pereant, & alios pauere faciant. Non enim qui inchoauerit, sed

2. Tim. 2. qui perseuerauerit, saluus erit. *Nemo militans Deo*, ait Apostolus, *implicat se negotijs sæcularibus, vt placeat illi, cui se probauit.* Nam qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit.

Quæ non est nisi angusto initio incipienda.] Arcta, & angusta via est, quæ ducit ad vitam: lata & spatiosa, quæ ducit ad

Luc. 13. mortem. Sed & Dominus discipulis ait: *Contendite intrare per angustam portam.* Oportet enim nos per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum.

C *Processu vero conuersationis, & fidei.*] Processu dicit conuersationis, augmentum virtutum, & profectum animæ, in quibus monachus quotidie augmentari debet, & crescere. Sic enim Apostolus pro nobis orans ait: *Oramus, vt ambuletis*

Coloss. 1. *digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes & crescentes.* Quotidie enim monachus nouus, & nouus effectus, de virtute crescere debet in virtutem, & quæ retro sunt obliuiscens in ea, quæ priora sunt, se extendere, donec ad destinatū perueniat brauium supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu Domino nostro. Nam & quod fides in homine processum, id est, augmentum, & profectum faciat, Apostolorum nobis ostendunt verba, vbi Domino dicūt:

Luc. 17. *Domine auge nobis fidem.* Fides est diuinitatis confessio, & religionis solidum fundamentum. Fides est credulitas, qua Deum confitemur, cultus & religio, quam illi credentes exhibemus. Dicta autem fides ab eo, quod fit illud, quod in vtrosque placitum est, quasi inter Deum, & hominem.

D Fides propriè dicitur, quando id creditur, quod nondum videtur. Nam credere iam non possumus, quod videmus.

Dilatato corde.] Dilatato corde dicit, id est, magnificato, & spatioso facto; quia quantū homo in seruitio Dei profe-

Ps. 118. cit, tanto lætior in præceptorum eius amplitudine crescere satagit: vt Psalmista ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri,*

Psal. 30. *dum dilatares cor meum.*

Inenarrabili dilectionis dulcedine.] Inenarrabilis dulcedo dicitur illa, de qua Psalmista ait: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, & perfecisti*

1. Cor. 2. *eis, qui sperant in te.* Quam & Apostolus inenarrabilem dicit, vbi ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.*

Curritur via mandatorum Dei.] Sicut superius de primo

1. Cor. 9. dictum est, viam mandatorum tuorum cucurri, dum dilatares cor meum. Nam & Apostolus ait: *Sic currite, vt comprehendatis.* Non hic cursum pedum, sed morum significat. Ambulate enim de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion: cursus est animæ. Sed vt iste expeditior sit cursus, castigandum est corpus: vt idem Apostolus ait: *Ego sic curro*, inquit, *non quasi in incertum. Sic pugno, non* 1. Cor. 9.

quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et alibi 2. Tim. 4.

ipse Apostolus ait: *Certamen bonum certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.*

Vt ab ipsius nunquam magisterio discedentes.] Ab ipsius, dicit, id est, Dei. Magisterio, id est, doctrina, vel eruditione.

In eius doctrina vsq; ad mortem in monasterio perseuerantes.] Non enim qui inchoauerit, sed qui perseuerauerit, saluus erit. Monasterium etiam vnius monachi habitatio dici potest. Monos enim apud Græcos solus dicitur. Sterium statio vocatur. Ergo monasterium solitaria habitatio dici potest.

F *Passionibus Christi per patientiam participemur.*] Petrus Apo- 1. Petr. 2.

stolus ait: *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Per patientiam participemur, dicit, quia in passionibus patientia necessaria habetur. Ille enim pro nobis tam patiens in passione extitit, vt quasi agnus mansuetus duceretur ad victimam, & non aperiret os suū. Participemur, dicit, id est, sociemur.

Vt & regni eius mereamur esse consortes.] Consortes, dicit, id est, socij, hæredes, vel participes. Consors dicitur, qui sorte se iungit: sicut & concors, qui corde iungit. Dictus consors eo, quod ad eum pertineat pars bonorum. Nam veteres sortem pro parte ponebant. Si enim filij sumus, & hæredes erimus. Si autem hæredes, sine dubio, & consortes erimus, Amen.

Explicit Prologus.

Regula appellatur, vt B. Benedictus ait, ab hoc, quod obedientum dirigat mores. Alij verò dicunt, Regula dicta, quod rectè ducit, nec aliquando aliorsum trahit; vel G

quod regat, vel quod normam rectè viuendi præbeat; vel quod distortum, prauumque corrigat.

De quatuor generibus monachorum.

CAPVT I.

Monachorum quatuor esse genera manifestum est.] Monachus Græca ethymologia vocatur, eo quod sit singularis. In libris collationum Alonardi, siue Alonazontai, singularis, ac solitariæ vitæ distinctione nominati sunt. Vnde cōsequens fuit, vt ex cōmunione consortij, Koino, bisatai, cellæ, quæ, ac diuersoria eorum, Koinobia vocarentur. Istud ergo solū fuit antiquissimū monachorū genus, quod nō modo tempore, sed etiā gratia primū est, quodque per

annos plurimos solū vsq; Abbatis Pauli, vel Anthonij durauit ætatē. Cuius etiam nunc adhuc in districtis cœnobijs H

cernimus residere vestigia. Itaque cœnobitarū disciplina à tēpore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordiū. Nā talis extitit omnis in Ierosolymis illa credentiū multitudo, quæ

in actibus Apostolorū ita describitur: *Multitudinis autem credentiū erat cor vnū, & anima vna, nec quisquā eorū, quæ possidebāt, aliquod suū esse ducebat, sed erant illis omnia cōmunia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant ea omnibus, prout cuique opus erat.* Talis, inquam, erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc per paucos in cœnobijs inuenire difficile est. Act. 4.

Primum, Cœnobitarum:] Primum, hoc non pro temporis ordine, sed pro gratiæ magnitudine positū intellige. Cœnobitæ, genus monachorū, quos in cōmune viuentes possumus appellare. Cœnobiū enim est monasteriū plurimorū, id est, in cōmune viuentiū; ꝙ ex Græco, & Latino videtur esse positū. Cœnon enim Greci cōmune dicūt. De hoc perfectorū numero, & vita dixerim fœcundissima radice sanctorū, etiā Anachoritarū, post hęc flores, fructusq; prolati sunt. Cuius professionis principes hos, quos paulo ante memorauimus, sanctū videlicet Paulū, & Anthoniū nomi-

nis ex-

[A] nis extitisse. Qui non, vt quidam, pusillanimitatis causa, nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus, contemplationisque diuinæ solitudinis secreta sectati sunt.

Militans sub regula, vel Abbate.] Militans, dicit, quia [Iob. 7.] *militia vita est hominis super terram.* Sicut & alibi scriptum est, [Eccle. 2.] *Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia, & prepara animam tuam ad tentationem.* In qua militia positi flagitare cum Propheta [Psal. 34.] debemus Dominum dicentes: *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi.*

Secundum genus est Anachoritarum, id est, Eremitarum.] Anachorisis enim, Græcè eremus dicitur. Anachoritarũ genus est monachorum, qui post cœnobitatum vitam deserta petunt; & ab eo, quod procul ab hominibus recesserint, tali nomine nuncupantur. Ergo Anachoritæ, secessores interpretari possunt.

Horum qui non conuersionis feruore nouitio.] Nouitius enim compunctionis feruore coactus omnia regularia obseruare se promittit præcepta. Sed quia hominis est disponere vias suas, & Domini est dirigere gressus suos, vtrum ad per- [B] fectionis perueniat calcem, ignorat homo.

Sed monasterij probatione diuturnã.] Diuturnam, dicit, id est, multis temporibus, vel diebus probatam. Sicut enim in camino ignis coquendo probatur aurum; ita in monasterij claustro, & regulari disciplina tribulãdo, bonus probatur monachus: vt sicut in diademate regis probatum fabricatur aurũ: ita in diademate veri Regis Christi, bene probatus fabricetur monachus. Sicut scriptum est de ipsius [Esai. 61.] veri Regis persona: *Quasi sponsum decorauit me corona.* Corona enim Christi sunt omnes electi, inter quos bene probati computati sunt monachi.

Didicerunt contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare:] Sicut in luctaminibus huius seculi sine agone, seu certamine non coronatur, ita & in spiritali conuersatione, & proposito sancto, nemo sine luctamine potest immarcessibilem coronam accipere, vitæque æternæ hæres existere. Semper enim perfecti athletæ sine aliquo metu, & cum magna alacritate inueniũtur in certamine. Sic ergo & perfectissimi luctatores, & cõtinentissimi monachi decertãt, habentes semper præ oculis paradisi iucunditatem, & ex- [C] pectantes delicijs eius perfrui, & quæ promissa sunt bona, & immortalia secula, & lumen sempiternum. Vis in agone certare, & victor existere, indue te armatura Dei, sicut vestimento, id est, scuto fidei, galea salutis, & cæteris, quæ ab Apostolo præcipiuntur.

Et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu, vel brachio cõtra vitia carnis, vel cogitationũ Deo auxiliante pugnare sufficiunt.] Acies dicitur instructus ordo militum ad bellandum contra diabolũ. Ex qua iste solus monachorũ ordo egreditur pugnaturus. Pugna vocata eo, quod primitus in bello pugnis præliari incipiebãt. Nullus enim absq; certamine coronabitur: neq; gratia Dei deserit quemquã, si cum alacritate, & bona voluntate pugnauerit contra vitia carnis. Vitia autẽ carnis omnibus nota sunt, sicut Apostolus ait; *Manifesta autem sunt,* [Galat. 5.] inquit, *opera carnis. Quæ sunt fornicatio, immunditia,* & reliqua. sicut iã supra dicta sunt. Sic dixit cõtra vitia carnis, vel cogitationũ; ac si diceret, cõtra vitia operis, & voluntatũ. Aliquoties autẽ sunt vitia, primũ in cogitatione, post egrediũ- [D] tur in opere. Aliquoties verò sunt tantũ in cogitatione, & non procedunt in opere. Vnde & ponderosus in lege panis Domino prohibetur offerre. Ponderosus verò est, qui vitia turpiter nõ exercet in opere, ab illis tamen frequenter polluitur in mente. Et quamuis opus nefarium nõ exerceat in cogitatione, tamen turpia vitia gestat. Contra quæ vitia sola manu, vel brachio monachus pugnat, quia propria virtute, vel operatione, quæ per brachium significatur, & manum, sine fratrum adminiculo, cum Domini tantum adiutorio victor extitit in eremo.

Tertium verò monachorum teterrimũ genus est Sarabaitarum.] Tertium dicit, nigerrimũ, obscurissimũ, horribile, agreste, vel ferum. Veteres enim pro nimis fero teterrimũ dixerũt. Sarabaitæ autẽ interpretantur Rennuitæ, eo quod maiorũ exempla, vel doctrinam sequi renuant. Emersit enim hoc teterrimum, & infidele monachorum genus, vel potius

[E] noxius illa plantatio rediuiua concreuit, quæ per Ananiã, & Saphiram in exordio Ecclesiæ pullulans, Apostoli Petri seueritate succisa est. Quæ inter monachos tam detestabilis, execrandaq; iudicata est, ne cà quoquam vlterius vsurpata est, quamdiu illius tam districtæ formido sententiæ memoriæ fidelium infixa durauit. Qua B. Apostolus prædictos noui facinoris principes, non pœnitentia, non vlla passus est satisfactione curari, sed perniciosissimum germen celeri morte succidit.

Qui nulla regula approbati experientia magistri sicut aurum fornacis.] Qui nulla regula approbati, dicit, id est, nullius regulæ examinatione experti, vel eruditi. Omnium enim rectè viuentium vitæ sine dubio regulæ sunt vocatæ. Experientia, notitia, vel doctrina, ab experimento dicta. Quarum omnium exemplar Sarabaitæ non imitantur, vt viuant, sed in suis corrupti voluptatibus resoluuntur, vt pereant. Non regulari disciplina probantur, vt aurum, sed suis desiderijs mollescunt, vt plumbum. Vnde & sequitur; [F]

Sed in plumbi natura molliti.] Aurum enim in fornace positum, & fortitudinem accipit, & fulgorem; ita & probus monachus in camino regulari positus, & fortitudinem accipit, vt aduersa æquanimiter toleret, & fulgorẽ, vt bonorum operũ cunctis exemplar demonstret. Plumbum verò in ignem missum mollescit, & deperit, sic quando monachus reprobus in regulari disciplina positus tepescit, perit. De illo dicitur: *Tanquam aurum in fornace probauit eum Dominus.* [Sapien. 3.] De isto autem, *Quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo,* [Apoc. 3.] dicit Dominus. Vnus auri fulgore recepto cum Christo regnaturus ascendit in cœlum; alter in plumbi natura mollitus cum diabolo cruciandus descẽdit ad tartarum. Vnus virtutibus auctus crescit in melius, alter tepidus factus decrescit in peius. Vnus pollet virtutibus sacris, alter tepescit seculi curis. Vnus veraciter monachi nomen portat, alius falsatoris monachi nomen gestat propter tonsuram. Vnde & sequitur;

Adhuc operibus seruantes seculo fidem mentiri Deo per tonsuram noscuntur.] Ille enim fidẽ seculo seruat, qui ea, quæ secularis egit, in habitu monachi positus agere non cessat. Quid est enim aliud operibus seruare seculo fidem, nisi ea facere in [G] monasterio monachum, quæ egit in seculo, adhuc in seculari habitu positus. Seculo fidem seruat, quia eius voluntatem facere non cessat. Seculo fidem seruat, quia nec desiderio, nec cogitatione, nec opere ab illo separare, sed tantum per tonsuram, & religionis habitum Dei sese mentitur filium. In habitu enim, & religione exterius à nescientibus videtur esse monachus, operibus tamẽ à sciẽtibus Domino videtur esse mentitus. De talibus enim Dominus ait: *Videbitis eos in vestibus ouium, intrinsecus autem sunt* [Matth. 7.] *lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos.*

Qui bini aut terni, aut certè singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ouilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas.] Sine pastore dicit, id est, sine Abbate, qui in monasterio vicem Christi videtur agere, qui dixit: *Ego sum pastor bonus, qui pasco oues meas, qui cognosco meas, quia cognoscunt me mea.* [Ioan. 10.] Et quia pastorem non habent, non in Dominicis, sed suis inclusi ouilibus manent. Domini enim ouilia Sanctorum monachorum sunt monasteria, qui rectè à summo Pastore Christo reguntur, & in loco pascuæ collocantur. A quo isti nec reguntur, nec collocantur, sed desideria sua im- [H] plentes turpiter in suis cubilibus commorantur. Vbi & pro lege tenent omnia, quæ operantur, & desideria suarum implentes voluptatum. Omnia, quæcunq; volunt, peragunt. Vnde & subditur

Cum quicquid putauerint, vel elegerint, hoc dicunt sanctum; & quod non voluerint, putant non licere.] Quicquid putauerint, dixit, non quicquid auctoritate diuinarũ scripturarũ, vel exemplis probauerint patrũ. Cum quibus enim voluerint ieiunia soluere soluunt, qui dicũt bonũ, & sanctum est pro hospite ieiunia soluere. Illis autẽ, quibus noluerint humanitatẽ exhibere, nõ nobis licet ieiuniũ hodie soluere. Aliter putant in cordibus suis, & eligunt in mente sua potius solitariam vitam ducere, quam cum alijs sub regulari disciplina manere. Dicentes sanctius est secura mente, & secreta diuisim viuere, quam aut alijs irrogare,

A aut ab alijs irrogatam regularem recipere disciplinam. Nescientes scriptum: *Vae soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem.* Multa enim pericula sunt solitario proxima. Primum, quia sibimetipsi in omnibus actibus suis placet, & nullum alium habet, qui opus eius probet. Deinde quaeque illi vitia abundent, quaeque virtutes desint, non cognoscit. In quo humilitatem suam probet, neminem habet, obedientiam fratri non impendit, in ieiunijs patientiam nō ostendit. Melius est ergo monacho, vt viuat in monasterio cum disciplina vnius patris, multorumque consortio, & ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam; vnus enim silentium, alter docet mansuetudinem: non faciat, quod vult: comedat, quod iubetur: habeat quantum acceperit: operis sui pensam persoluat, subijciatur cui non vult. Lassus ad seruitium veniat, ambulansque dormitet, necdum expleto somno surgere compellatur. Passus iniuriam taceat.

Eccle.4.

Quartum vero genus est monachorum, quod nominatur gyrouagum, qui tota vita sua per diuersas prouincias trinis aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur, semper vagi & nunquam stabiles.] Gyro circuitus dicitur. Ergo gyrouagus dicendus
B est ille, qui vagus, atque vagando aliorum cellas, pariterque casas circuit. Ipsi & alio nomine Circilliones vocantur, qui sub habitu monachorum hac, illacque vagantur vaenalem circumferentes hypocrisin. Circumeuntes prouincias nusquam missi, nusquam fixi, nusquam stantes, nusquam sedentes; semper & vbique.

Proprijs voluptatibus & gulae illecebris seruientes.] Illecebrae dicuntur delectationis illicitae, luxuriosae, voluptuosae, siue turpissimae, in quibus mollis, & dissolutus monachus frequenter inuoluitur.

Et cum sint isti *per omnia deteriores Sarabaitis, de illorum omnia miserrima conuersatione* melius est silere, quam loqui.

Qualis debeat esse Abbas.

CAPVT II.

C QValitatem enim boni pastoris in subsequentibus ostendere volens Beatus Benedictus praemisit, dicens: Qualis debet Abbas esse? Cui respondendum est affirmatiue. Bonus vtique. Talis, qualem Apostolus describit dicens: *Sine crimine, sicut Dei ministrum, non superbum, non iracundum, non vinolentum; non percussorem, non temporalis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.* Talis sine dubio, & huiusmodi debet esse.

Tit.1.

Abbas, qui praeesse dignus est monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur.] Dicitur enim, & vocatur Abbas, id est, pater. Si enim pater est, paterno more filios, id est, monachos suos nutriat, paterno more diligat, & cum necesse fuerit, paterno more castiget, arguat, obsecret, & cum increpatione corripiat. Et si necessario excommunicationis cauterium, vel virgarum adhibuerit flagellum; nō animi odio, sed hoc faciat amore paterno, non causa vindictae, sed amore iustitiae. Scriptum est enim: *Iuste quod iustum est exequeris.* Et quia iustus Dominus iustitiam diligit,
D Abbas, qui in monasterio eius vices videtur agere iustitiam debet amare.

Deut.16.

Et nomen maioris, factis implere.] Multi namque Abbatum gaudent habere nomen maioris, id est, abbatis, sed tamen sudorem timent adire laboris. Appetunt gloriam temporalem, & non pro mandato exercere laborem. Et si contigerit eos fratribus exhortationis proferre sermonem pro vana gloria, id agunt non pro aeterna mercede. Qui ergo vult prae caeteris nomen maioris habere, in bonis operibus prae caeteris debet sudare. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.

Christi enim vices agere in monasterio creditur, quando ipsius vocatur praenomine, dicente Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.] Tunc enim Abbas in monasterio vicem Christi agit, quando gregem sibi commissum prouide, & iuste regit, quando cuncta, quae disponēda sunt, recte disponit, temperare, quae agenda sunt, agit,

E Catholicè, quae docenda sunt, docet. Operatur, quae operanda sunt, & cum discretione, quę iudicanda sunt, iudicat, & misericorditer, quae relaxanda sunt, relaxat, & totū sibi gregem commissum in charitatis dilectione conglutinat, & totum, velut pater vnicum filium, amat, & tunc iuste, & rationabiliter pro nomine Christi fungens, ab omnibus, velut à filijs Abba pater vocatur.

Ideoq́, Abbas nihil extra praeceptum Domini (quod absit) debet aut docere, aut constituere, aut iubere:] Omnis enim doctrina duobus modis consistit, verbis videlicet, & exemplis. Sicut idem B. Benedictus in subsequentibus ait: Cum aliquis, inquit, suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis praeesse discipulis. Ergo nihil, quod extra praeceptum Domini sit, in hac duplici doctrina debet Abbas docere. Scripturarum etenim diuinarum plenitudo & exemplis patrum referta, & verbis Doctorum est plena. Nō ergo quod extra pręceptū Domini sit debet docere; sed eius doctrina cum praeceptis Domini debet in omnibus diligentissime concordare. A praeceptis enim Domini debet accipere in omnibus, de quibus discipulos suos vult docere. *Aut*
F *constituere;* Constituere dicit, diffinire, vel modum ponere, quod extra praeceptū Domini ab Abbate fieri non debet. Modus enim, & diffinitio Abbatum secundum Domini in omnibus debet fieri pręceptū, ne aut remisse viuentes mergat in laqueum; aut nimium abstinentes in nociuum compellat murmurium. Abbatis ergo constitutio in via regia rectum facere debet gressum; ne si plus fecerit, gregem suū laborare in ambulando defectionis sustineat detrimentū. Et si remissius, quam decet, nutriuerit eum, luxuriose viuēs labatur in tartarum. *Vel iubere.* Iubere dicit, praecipere, vel imperare, quae ab Abbate extra praeceptum Domini fieri non debent. Si enim, quae secundum Domini praecepta sunt, discipulis praecipiens imperauerit, & ab illis gratiā, & à Domino mercedem recipiet sempiternā. Si autem, quod extra praeceptum Domini sit, imperando pręcepit, & discipulis damnum, & animae suae ingerit detrimentum. Et ideo nihil, quod extra praeceptum Domini sit, debet aut docere, aut constituere, vel iubere.

G *Sed iussio eius, vel doctrina fermentum diuinae iustitiae in discipulorum mentibus conspergat.*] Fermentū enim à feruore nomē accepit. Quod hoc in loco charitatis significat dilectionē, quae ad amorem diuinae iustitiae feruere facit, & excitat mentes; donec ad tantam eos dilectionis perfectionem perducat: vt nihil eis, praeter creatorem suum diligere libeat. Ergo iussio, vel doctrina Abbatis in monachorum mentibus fermentum debet cōspergere charitatis, vt nihil terrenum sapiant, nihil vanum diligant, nihilque caducum concupiscant; sed diuinam semper amantes, tenentesque iustitiam ad Redemptorem suum, & ad supernam festinent conscendere patriam.

Memor sit semper Abbas, quia doctrina suae, vel discipulorum obedientia vtrarumq́, rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio.] Haec verba non indigent expositione, sed potius Abbatibus, & monachis fortissimum incutiunt pauorem. Abbatis enim doctrinae in hoc erit in tremendo iudicio discussio, vtrum de Sanctae Trinitatis mysterijs fideli dogmate docuit, & vtrum, quae secundum Domini praeceptū
H discipulos agere praecepit, prior ipse compleuit, & quae in alijs arguens emendauit, prius in seipso correxit. Discipulorum enim obedientiae in hoc illo die tremendo erit facienda discussio, vtrum vestigia Domini sequentes humilia, vtrum se sub manu Abbatis sui facti obedientes vsque ad mortem, & omnia, quae illis ab Abbate imperata sunt, obedientes impleuerunt pro amore Christi, & velut Christo, cuius vices Abbas agit in monasterio obedierunt suo Abbati ex corde: quia scriptum est: *Quia qui vos audit, me audit.* Et alibi: *Obedite parentibus vestris in Domino.*

Luc.10.
Ephes.6.
Hebr.13.

Sciatq́, Abbas culpae pastoris incumbere, quicquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire.] Haec enim sententia Abbatibus multum fuisset formidanda, nisi à subsequenti sententia fuisset salubriter temperata, qua dicit

Tantum iterum erit liber.] id est, in tantum à culpa immunis erit, vt

Si inquieto, vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earū actibus vniuersa fuerit cura exhibita:]

Omnem

A Omnem diligentiam Abbas monachis suis tribuit, quãdo
eos moribus sacris componit, verbis conuenientibus, &
operibus sanctis instruit. Vniuersam curam exhibet, quan-
do eis, quę necessaria sunt animabus, & corporibus, in quã-
tum valet, ministrat. Diligentiã illis pariter exhibet & cu-
ram, quando illos internis sanctis virtutibus exornat; &
externis rerum substantijs temperanter gubernat; quando
pro exterioribus rebus interiorem curam non deserit; &
pro interiori solicitudine exteriorem prouidentiam nõ re-
linquit; sed in vtroque temperatus existens & diligentiam
animarum, & curam illis exhibet corporum.

*Pastor eorum in iudicio Domini absolutus, dicat cum Propheta
Domino: Iustitiam tuam nõ abscondi in corde meo: veritatem tuam:
& salutare tuum dixi:*] Voluntas enim Abbatis talis debet
esse, vt, quando potest prodesse, à prædicationis sermone
non cesset. Debitum quippe illi est superni patris gloriam
per vocem prædicationis ostendere; quanta in huius vitæ
itinere tentationum antiqui hostis lateant aperire; & sub-
ditorum mala, quæ tolerare nõ debet, leniter cum magna
B zeli asperitate corrigere; ne, si minus contra culpas accen-
datur, culparum omnium reus ipse teneatur. Ipse tamen
Abbatis sermo, qui propter iustitiam, veritatem fit, & sa-
lutem, aliquando debet subiectorum vitia durius increpa-
re, aliquando leniter arguere, & quæ, vel quibus, quan-
do, vel qualiter dicat subtili indagatione discernere, &
vnicuique secundum modum culpæ, cum discretione ta-
men, & tranquillitate mentis, iudicium imponere. Sit
Abbas necesse, vt Paulus Apostolus ait, potens exhortari
in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Clauis
enim apertionis est, sermo correptionis, quia increpando
culpam detegit, quam sæpè nescit ipse etiam, qui perpetra-
uit. Sunt, & erunt plerique monachi, qui per ignorantiam
committere culpas non desinunt, & ideo commissas non
plangunt, sed potius contra corripientem procaciter con-
temnentes insurgunt, & sui proteruè admonitionem Ab-
batis spernunt. De quibus & subditur.

Ipsi autẽ contemnentes spreuerunt me.] Tunc enim mali mo-
nachi bonum Abbatem suũ contemnentes spernunt, quã-
do præceptis eius humiliter non obediunt, quando saluta-
C ria mandata eius humiles non custodiunt, sed superbietiã
reprehendunt; quando ea, quę iubentur, implere despiciũt,
& quę non iubentur implere impudici contendunt; quãdo
in agendis operibus pigri & tepidi, vel etiam desidiosi, &
in actibus suis murmurosi efficiuntur pariter, & querulosi.
Debent enim subiecti Abbati suo, velut membra capiti suo
deseruire, & præcepta eius, velut imperium Domini sum-
mo amore custodire, & correctionem obiurgationis suis
negligentijs adscribere, non Abbatis seueritatem, aut disci-
plinam reprehendere.

*Et tunc demum inobedientibus cura sua ouibus pœna sit eis præua-
lens ipsa sc. mors.*] Quæ primis inobedientibus hominibus
præualuit in paradiso, ipsa nunc demum inobedientibus
monachis quotidie præualet in mundo. Reliquerunt enim
in paradiso per inobedientiam Adam & Eua Domini præ-
cepta; & tunc primum præualuit illis fortiter mortis æter-
Osea 13. næ pœna. Sed Dominus noster Iesus Christus, qui per Pro-
Philip. 2. phetam suum dixit; *Ero mors tua ô mors, semetipsum exinaniuit,
formam serui accipiens, factus obediens vsque ad mortem*, imperiũ
D mortis destruxit, & à cordibus obedientium misericordi-
ter illam illuminauit, & pœnam illis funditus extinxit. Sed
tunc demum inobedientibus ouibus, id est, monachis, qui
Abbatis sui, immò Domini Saluatoris relinquentes pręce-
Psal. 48. pta, sua conantur implere desideria, pœna sit præualens
ipsa mors; vt rectè de illis dicatur: *Sicut oues in inferno positi
sunt, mors depascat eos.* Merito enim qui boni magistri præce-
pta contemnunt talem mercedem recipiunt.

*Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina
suis præesse discipulis, id est, omnia bona, & sancta, factis amplius,
quam verbis ostendere.*] Caput namq; sunt subiectorum cun-
cti, qui præsunt, vt recta pedes valeant itinera carpere, per
hoc proculdubio prius caput debent incedere. Necesse est
vt Abbas, qui verbis subditos prædicat, viuendo eis vesti-
gia bonæ actionis ostendat; & cum verba sanctæ prædica-
tionis dicit, prius in studio bonæ actionis semetipsum eui-
gilet, prius semper sublimia facta exerceat, & tunc ad benè
viuendũ alios sollicitos reddat. Prius se districta animad- E
uersione corrigat, & tunc aliorum vitam loquendo com-
ponat. Prius punire propria fletibus curet, & tunc aliorum
delicta puniendo denunciet. Et antequam verbis exhor-
tatione insonat, omne, quod locuturus est, operibus cla-
met. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat,
quam dicentis vita commendat; quia, quod loquendo im-
perat, ostendendo adiuuat, vt fiat.

Vt capacibus discipulis mandata Domini verbis proponere.] Sub-
audis, debet. Vt enim aduerbium hoc in loco pro, &, con-
iunctione posuit. Capacibus dixit, id est, memoriosis, ac-
commodatis, vel intelligibilibus, qui ea, quæ à magistris
audiunt, velociter capiunt, memoriter retinent, & operi-
bus complent. Proponere, dixit, id est, anteponere; quia
capaces, & simplices discipuli, quæ prius viuaciter de præ-
ceptis Domini intelligentes audiunt, postea sagaciter im-
plere contendunt.

Duris verò corde, & simplicioribus.] Duris corde, dicit, id
est, contumacibus, rigidis, vel incorrigibilibus. Simplicio-
ribus autem illiteratis, & penè nullam in scripturis diuinis F
vel memoriam, vel intelligentiam habentibus.

Factis suis diuina præcepta monstrare.] Ille ergo, vt B. Grego-
rius ait, debet ad exemplum bene viuendi cæteris præesse,
qui cunctis carnis passionibus moriens iam spiritaliter vi-
uit; qui prospera mundi postposuit; qui nulla aduersa per-
timescit; qui sola interna desiderat; qui ad aliena concu-
piscenda non ducitur, sed propria largitur; qui nulla illici-
ta perpetrat, sed perpetrata ab alijs, vt propria, deplorat;
qui ita se imitabilem cæteris in cunctis, quæ agit, insinuat;
qui sic studet viuere, vt monachis suis in omni vita sua bo-
num exemplum valeat demonstrare; qui lacrymas, quas
vult à suis auditoribus fundi, prius ipse fundat, & sic eos
compunctione sui cordis accendat. Et sicut bene operan-
tes subditos honore superat, ita etiam factis, & vita tran-
scendat.

*Omnia verò quæ discipulis docuerit esse contraria in suis factis in-
dicet non agenda.*] Docet enim crapulam, ebrietates, & curas
huius seculi, & omnia simul vitia, atque peccata discipulis
esse contraria, à quibus omnibus necesse est, vt ille prius se
abstineat, & sic alios abstinere operibus, & verbis edo-
ceat. Ad hoc enim eligitur Abbas, ne dicta sua factis eua- G
cuet. Qui enim ad hoc eligitur, vt aliorum culpas corri-
gat, cauere debet, ne ab alijs reprehendenda committat.
Non enim debet prædicationis officium suscipere, qui
nescit cæteros bene viuendo præire. Prius ergo Abbas pra-
uis operibus omnimodis alienus existat, & sic alios firma
auctoritate coërceat. Necesse enim est, vt esse munda
studeat manus, qui diluere sordes aliorum curat, ne tacta
quæque deterius inquinent, si sordida insequens luctum
tenet. Hinc per Prophetam dicitur: *Mundamini, qui fertis* Esai. 52.
vasa Domini. Domini etenim vasa ferunt Abbates, qui pro-
ximorum animas ad interna sacraria perducendas in suæ
conuersionis fide susceperunt. Apud semetipsos ergo,
quantum debeant mundari, conspiciant, qui ad æternita-
tis templum vasa viuentia in sinu propriæ sponsionis por-
tant. Ergo quod non faciendum prædicat Abbas, ipse non
faciat; & quod faciendum prædicat, prius ipse, necesse est,
operibus impleat.

Ne alijs prædicans ipse reprobus inueniatur.] Alijs prædicans
prædicator ipse reprobus inuenitur, quãdo aliud loquitur,
& aliud operatur. Aliud sermonibus, aliud vero exercet o- H
peribus. Quod enim alijs prædicat operandum ipse piger
efficitur ad exercendum. Verbo viam rectitudinis osten-
dit, sed ambulare per eam negligit. Ad prædicandum ala-
cer, ad operandũ efficitur piger. Alijs tenendam prædicat
viam iustitiæ, ipse se nõ vult salutari subdere disciplinæ. Cui
rectè conuenit, quod subditur.

Ne quando dicat illi Deus peccanti: Quare tu enarras iusti- Psal. 49.
tias meas, & assumis testamentum meum per os tuum.] Nec
ad vnumquemque pertinet, quod prædicat alijs, &
ipse non operatur, quod prædicat. Os enim debet esse
iustum, quod iustitias Domini enarrare, & sanctum audeat
adsumere testamentum. Qui enim quæ prædicat, implere
dissimulat, & quæ facienda iudicat, implere non cessat,
nec iustitias Domini enarrare, nec sacrosanctum in prædi-

catio-

A cationis officium debet aſſumere teſtamentum. Scriptum
Eccl.15. eſt enim: *Non eſt digna laus in ore peccatoris.*

Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos poſt te.] Tunc enim ſubditus odit diſciplinã, quando ad correctiones iuſtas iniqua præſumptione remurmurat. Sicut ſcriptũ eſt: Stulti enim deſpiciunt diſciplinam. Tunc autẽ ſermones Domini poſt ſe proijcit, quãdo Abbatis ſui, vel Seniorum ſuorũ iuſſionibus iuſtis obedire contemnit. Prælatus autem ſanctam diſciplinam odit, quando ſecundum regularia præcepta viuere cõtemnit, ſcripturæ diuinæ obliuioſus, quæ dicit:
Prou. 5. Prou.19. *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abijcias, & audi cõſilium, & ſuſcipe diſciplinam; vt bene ſit tibi.* Vita etenim regularis tenentibus eam, diſciplina eſt ſalutaris. Poſt ſe ſermones Domini prælatus proijcit, quando quę de diuinis ſcripturis ſubditis prædicat implere ipſe diſſimulat. Qui enim curioſe aliena increpare feſtinat delicta, neceſſe eſt, vt ſua prouidè conſiderans per pœnitentiam damnet peccata; ne, dum alienum minimum publicè corripit delictum, ſuum inanis tanquã aurum abſcondat peccatũ. Nam ſunt nonnulli, qui
B aliorum ſemper ante oculos habent errata, ſua autem pro nihilo ducunt, & in obliuionem ponunt, & poſt dorſum proijciunt delicta. De quibus & apertè ſequitur:

Matth.7. *Et qui in fratris tui oculo feſtucam videbas, in tuo trabem non vidiſti.*] In fratris ſui oculo feſtucam Abbas videt, ſed in ſuo trabem non videt, quando vel minimas ſubiectorum ſuorum culpas publicè, & exaggerando iudicat, & ſua maiora paruipendens occultat, & emendare diſſimulat. In fratris oculo feſtucam videt, quando in corde alterius iracundiæ, pigritiæ, ſomnolentiæ, & cæterorum talium vitiorum eſſe vitium reprehendit; in ſuo trabem non videt, quando odij, ebrietatis, ſuperbiæ, & ſimilium talium crimen Abbas habens in corde habere ſe minimè recognoſcit, quando in aliorũ cordibus leuia, quæ increpanda ſunt, cernit, & arguit, & quæ in corde ſuo ſunt grauia, nec videt, nec corrigit.

Act.10. *Non ab eo perſona in monaſterio diſcernatur.*] Non enim perſonarum acceptor eſt Deus; ſed in omni gente in his, qui timent eum, acceptũ eſt illi. Et ideo ab Abbate in monaſterio perſona nõ diſcernatur, nec accipiatur; quia à Deo nec diſcernitur perſona hominis, nec accipitur, ſed tantũ opera bona, & accipit, & approbat.
C Prou.18. *Accipere enim perſonam in iudicio non eſt bonum,* dicit Salomon. Et in Leuitico ſcriptũ eſt:
Leuit.19. *Non facies, quod iniquum eſt, nec iniuſtè iudicabis, nec conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuſtè iudicabis proximo tuo.* Poſtquam verò ad monachatus de ſæculo quis venerit habitum, ſiue liber fuiſſet antea, ſiue ſeruus, ſiue pauper, ſiue diues, ſiue nobilis, ſiue ignobilis, non eſt ab Abbate diſcernendum, ſed vnumquemque ſecundum vitæ ſuæ debet vel caſtigare, vel amare meritum.

Non vnus plus ametur, quam alius, niſi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem.] Merito ab Abbate ſuo monachus cæteris plus amatur, qui in bonis actibus, & obedientia melior cæteris inuenitur. Iuſtè etenim ille ab homine diligitur homo, qui bonis operibus, & Sancta obedientia honoratur à Deo. Neceſſe eſt, inquam, vt amore tali diligatur homo, qui ab immortali diligitur Deo. Pro enim Dei amore ſe talis monachus præ omnibus obedientiæ ſubdit, & in bonis omnibus actibus exercet; & ideo ab Abbate præ omnibus meritò diligitur, & amatur.

D *Non præponatur ingenuus ex ſeruitio conuertenti, niſi alia rationabilis cauſa exiſtat: Quod ſi ita iuſtitia dictante Abbate viſum fuerit, & de cuiuslibet ordine id faciat. Sin alias, propria teneant loca:*] Quod autem dicit, non præponatur ingenuus ſeruo, ſubintelligitur, in ordine, vel miniſterio. Non propterea, quia ingenuus eſt, aut ſuperiorem ordinis teneat locũ; aut Præpoſiti, vel Decani teneat miniſterium, niſi alia rationabilis cauſa exiſtat. Rationabilis enim cauſa eſt, vt is, qui in Eccleſia melius poteſt cantare, & legere, vel omne officium implere, tali congruo cõſtituatur loco, vt dignè poſſit illud implere officium. Et ſi ita eſt intelligentia rationali præditus, & verbo, & operibus eruditus, vt Decanus poſſit eſſe, vel Præpoſitus, nihil illi vel ingenuitas officiat, vel ſeruitus. Sed ſi rationabilis exigit cauſa, & in ordine conſtituatur ſuperior, & in monaſterio prior. Hæc autem non tantum de ingenuili, vel ſeruili ordine faciendum eſt, ſed de cuiuslibet ordine, id eſt, ſiue de priori, ſiue de minori, ſiue de
E Sacerdotali, ſiue de Leuitarum, vel reliquorum ordine id faciat. Sin autem propria teneant loca, id eſt, propter potentiæ, vel ingenuitatis dignitatem alter non præponatur alteri, ſed vnuſquiſq; in quo ordinis loco venit, in ipſo permaneat.

Quia ſiue ſeruus, ſiue liber, omnes in Chriſto vnum ſumus.] Omnes in Chriſtum vnũ ſumus, dicit, id eſt, vnũ corpus Chriſti. Gal.1. Ephes.6. 1.Cor.12. 1.Tim.2. Sic enim alio loco Paulus Apoſtolus ait: *In vno ſpiritu omnes nos, & in vno corpore baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus.* Deus autem Dei filius, qui homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis perducere omnem ſexum, omnem ætatem, omnẽ conditionem, de vniuerſo genere humano redemit, & ex illis corpori ſuo electorũ numero ſociauit, & ideo in Chriſto, ſiue ſerui, ſiue liberi omnes vnum ſumus.

Et ſub vno Domino æqualẽ ſeruitutis militiam baiulamus:] Bonorum enim monachorum in hoc præſenti ſeculo vita in Chriſti eſt ſemper poſita ſeruitutis militia. Vnde & B. Iob ait: *Militia eſt vita hominis ſuper terra.* Quam ſub vno Domino
Iob.7. æqualiter baiulamus: quia quamuis æqualiter nõ viuamus, iugum Domini ſuaue, & onus eius leue in regulari vita degentes æqualiter promiſimus, & ſuſtinemus. F Quæ regularis vita, quæ hic vocatur militia, ab omnibus monachis æqualiter eſt tenenda, & nec à ſeruis, nec à liberis, nec à prioribus, nec à minoribus aliquando licenter eſt violanda. Et ſi propter fragilitatem humanam ab ea contigerit deuiari, à quoquam vna emendetur neceſſe eſt pœnitentia, & vna teneatur in omnibus diſciplina. Vnde & apertè ſequitur,

Act.10. *Quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum.*] Nos perſonas accipientes diſcernimus, quia venientes in hoc ſeculũ diſcretas eas inuenimus. Deus autem qui vniuerſos in initio de vno homine, & vna conditione creauit, perſonas nec accipit, nec diſcernit, ſed vnumquemque ſecundum opera ſua vel damnat, vel iuſtificat. Iniuſtos autem iuſtè, & meritò damnat. Iuſtos verò miſericorditer, & gratuito iuſtificat. Quos in prauis operibus ſuperbè viuentes inuenit, humiliat, & condemnat. Quos autem in bonis actibus humiliter viuentes inuenit, remunerat, exaltat. Vnde & hic ſequitur; G

Solummodo in hac parte apud ipſum diſcernimur, ſi meliores alijs in operibus bonis, & humiles inueniamur.] In his duabus rebus ſemper electi à reprobis diſcernuntur, id eſt, in vera cordis humilitate, & boni operis actione. Capitis enim, & corporis, id eſt, Chriſti, & Eccleſiæ vox eſt in Pſalmo: Pſal.42. *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta.* Nõ ergo diſcernit Dominus à perſonis perſonas, id eſt, à ſeruis ingenuos, ſed ab operibus diſcernit opera, & à meritis merita, vt vnicuique ſecundũ proprij laboris opera tribuat & præmia. Nam & illos, quos in bonis operibus, & virtutum meritis inuenerit meliores, & puritate cordis cęteris humiliorescum, præmiorum diſcretione congruas in regno cœlorũ tribuet manſiones. Quam virtutũ omnium matrem in omnibus Abbas tenere debet diſcretionẽ, & non perſonas diſcernere, ſed vniuſcuiuſque merito approbare, & omnes ſecundum merita operum ſincero corde diligere. Vnde & ſequitur; H

Ergo æqualis ſit ab eo omnibus charitas; vna præbeatur in omnibus, ſecundũ merita, diſciplina.] In hoc enim æqualis debet eſſe ab Abbate omnibus charitas, vt in dilectionis habitu non diſcernat perſonas. Æqualiter enim debet de nobili diligere monachos, æqualiter de ſeruili conditione creatos. Sic itaque ſingulorũ debet diſcernere merita, vt alteri alteram non præponat perſonã. Et ſi vnam, candemq; ingenuitas, vel ſeruitutis perſona cõmiſerit culpam, vnam, eandemque ſuſtineant diſciplinã. Non enim honoris gratia alius in pęnitentia leuigetur, alius vero deſpectionis cauſa grauetur. Sed ita ab Abbate cenſura iudicij temperetur, vt non vna perſona leuius, altera grauius iudicetur.

2.Tim. 4. *In doctrina namq; ſua Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſeruare, in qua dicit: Argue, obſecra, increpa:* In hac itaque Apoſtolica ſententia B. Hieronymi, & B. Proſperi ponẽda ſunt verba. Ait enim Hieronymus: Argue peccantes, cõteſtare, ne peccent, increpa reſiſtentes. Sed hæc omnia cum patientia, & ſecundũ doctrinã. Proſper autẽ dixit: Eccleſiæ

A quippe Doctoribus & censura debet inesse, vt arguant, & patientia, vt emendare nolentes fortiter ferant Apostolico satisfacientes imperio, qui Timotheo præcepit dicens: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Quasi diceret: Argue coæquales, obsecra seniores, increpa iuniores. Sed propterea addidit in omni patientia, & doctrina; quia leniter castigatus exhibet reuerentiã castiganti. Asperitate autẽ nimiæ increpationis offensus nec increpationẽ recipit, nec salutẽ. Possumus & in hac sententia, quã illi in diuersis rationabiliter intelligũt implendã personis, in vna eademq; persona per temporũ interualla sine dubio intelligere esse cõplenda. Primũ enim arguẽdus est peccator, quia peccat. Neq; enim aliũ decet arguere, nisi peccan-
Matth.18 tem. Sicut Dominus in Euangelio ait: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & argue eum inter te, & ipsum solum. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum.* Ecce iam lucratus es arguendo fratrẽ; quia audiens te, correxit se. Obsecra enim iterum, vt quotidie in bonis actibus iuuens, sic in virtutibus crescat, quatenus ad perseuerantiã boni operis veniat. Sin autẽ te non
B audierit, nec se emẽdauerit, aut fortasse post emendationẽ ad vomitũ redierit, increpa eũ duriter, & si vales, emenda, in omni tamẽ patientia, & doctrina. Et hoc modo in vna, eademque persona hæc tota impleri potest sententia. Aliter cõgruo tempore arguendus est peccans monachus, vt declinet à malo. Si emendauit iterum conuenienti tempore, obsecrandus est, vt non tepidè viuat, sed in virtutibus crescens faciat bonum. Sin autem emendare noluerit, vel obsecratus iterũ apto tempore terrendus est valde, & increpandus, ita, vt ethnicus, & publicanus. Huic sensui B. Benedicti videtur expositio congruere. Cum enim diceret, argue, obsecra, increpa, addidit

Id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta.] Ac si diceret, tẽporibus argutionis misce tempora obsecrationis: & temporibus oblectationis misce tẽpora increpationis. Et cũ peccatrix anima increpationib. magistri rigidis, iustisq; fuerit territa, addãtur illi paterno amore, ne in des-
C perationis mergatur foueã, & blandimẽta. Hinc & B. Gregorius ait: Miscenda est ergo lenitas cũ seueritate. Faciendũ quoddã ex vtroq; temperamentũ, vt neq; multa asperitate exulcerentur subditi, neq; nimia benignitate soluãtur. Omnis enim ab Abbate sagaciter exhibenda est cura, ne aliqua ex ouibus eius pereat. Vnde & subditur.

Dirum magistri, piũ patris ostendat affectũ:] Dirum magistri, dicitur grauitudo eius, vel magnitudinis, aut dignitas grandis honoris. Aliquoties enim dirus, magnus, vel dignus intelligitur. Quod autẽ dicit, piũ patris ostendat affectũ, subauditur, in se habere. Aliter dirum magistri dicit magnitudinẽ, vel terrorẽ increpationis, quæ erga subditos magister exhibet, vt sanentur. Quod dirũ, id est, quia terror, non odiũ, sed habere in se pij patris necesse est ostendat affectũ. Nõ enim in delinquentes discipulos terror de odij fomite, sed de pij patris procedere debet amore. Vt errantes magistri terror prouidus corrigat, & bene agentes pius patris amor refoueat. Vnde & apta expositio B. Benedicti in superiori sententia, qua dicit; argue, obsecra, increpa, lucidissimè subditur. Ait enim de argutione.

Id est, indisciplinatos, & inquietos debet durius arguere:] Ait de obsecratione.

D *Obedientes autem, & mites, & patientes, vt in melius proficiant* obsecrare,

Ait de increpatione

Negligẽtes & contẽnentes, vt increpet, & corripiat admonemus.] Nulla, vt arbitrior, lucidior expositio in hac Apostoli, quã B. Benedictus fecit; poterit inueniri sententia.

Neque dissimulet peccata delinquentiũ:] Non enim dissimulanda sunt peccata delinquentiũ, ne subditorum noxia diu protelentur delicta. Quam citius enim peccatoris emendanda fuerit culpa, tã citius consequitur & veniam. Celeriter hodie Abbas culpam manifestã emendat vnã; cras sine dubio, quã emendare debeat, habebit alterã. Ergo nõ tardans dissimulet emendare, quasi nesciens, quem tam grandis animarum regiminis premit fascis.

Sed mox, vt ceperint oriri, radicitus ea, vt praualet, amputet.] In hortu suo radicitus amputanda sunt vitia, vel peccata, ne fixis, firmatisq; radicibus noxios ramos mittant, & in ramis mali operis fructus ferant. Radicitus amputare peccata, E
vel vitia iussit; sed tamen, vt præualet, dixit. Non enim quãtum volumus amputare peccata, vel vitia valemus, sed quantum cum Domini adiutorio possumus amputare peccata delinquentium, festinemus.

Memor periculi Heli sacerdotis de Silo.] Quia enim falsa pie- 1.Reg.2.
tate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtũ iudicem semetipsum cũ filijs crudeli damnatione percussit. Pro iniquitate enim filiorũ suorũ damnatus est, quia nõ eos seueritate, & auctoritate Põtificis increpauit; sed mansuetudine paterna leniuit. Quæ sententia vigilanter ab Abbatibus est timenda, ne forte eum plus, quam decet, leniter subditorum suorũ palpauerint culpas, à districto iudice damnationis feriantur sententia.

Et honestiores quidẽ, atq; intelligibiles animos, prima, vel secunda admonitione verbis corripiat.] Honestiores dicit, honorabiliores. Honestus dicitur, quasi honoris status, eo, quod nihil habeat turpitudinis. Intelligibiles, ratione capaces, qui ea, quę audiunt, à magistris intelligũt, & operibus implere cõtendunt. Quod si in aliquibus rebus excesserint; quia non F
est homo, qui viuit, & non peccet, secundum Domini præceptum, secundo eos verbis admonere præcepit, quia eos taliter emendari credidit.

Improbos autem & duros corde, ac superbos vel inobedientes, verborum, vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërceat: sciens scriptum, stultus verbis non corrigitur. Et iterũ: *Percute filium tuum* Prou.18.
virga, & liberabis animam eius à morte.] Improbos, impudentes dicit, probitate mentis carentes. Duros autẽ, pertinaces, vel cõtumaces, & incorrigibiles. Istos autem, ac superbos, & inobedientes verborũ, vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërcere debet, ne peccati malũ crescat in altũ, & cũ consummatũ fuerit, auctori suo mortis generet fructũ: quia scriptũ est. Peccatũ cum consummatũ fuerit generat mortẽ. Castigatio autẽ, & in excõmunicatione, & in verbis, & in verberibus intelligitur. Coërceat, dicit, id est, cõpescat, refrẽnet, vel reprimat. Et quia scriptũ est: *Stul-* Prou.18.
tus verbis non corrigitur, necesse, vt exhibeatur ei corporis castigatio in excõmunicatione. Et si adhuc necesse fuerit, exhibeatur & in verberibus virga: quia scriptũ est. Percute filiũ tuũ virga, & liberabis animã eius à morte. Melius enim vt hic patris percutiatur virga, quam inferni male damnatus sustineat pœnam. Melius hic ad modicum patris cor- G
rectionem sustneat, quam in inferno perpetuo damnatus gemat. Correctio enim patris in modico videtur esse amara, sed dulcissimos fructus in futuro generat patienter sustinentibus eam.

Meminisse debet semper Abbas, quod dicitur: & scire, quia cui plus cõmittitur, plus ab eo exigitur.] Ne super bene viuentes superbia elatus extollat, & vitiose viuentes despiciat. Meminisse debet semper Abbas quod dicitur, id est, memorare, quia fragile figmentum est, & de molli terræ luto plasmatus. Et ideo fragilitatis suę semper timeat lapsum; & sic humiliter, & cum discretione alienũ damnet peccatũ. Aliena occulta indagatione sagaci perquirat, & inuenta discrete, atque cautissimè feriat. Tentato vero condoleat, timens ne aliquãdo tentatus & ille succumbat. Audiat Apostolũ dicentem: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis: cõsiderans te ipsum, ne & tu tenteris. Ac si diceret: Cum displicet ex aliena infirmitate quod conspicis, pensa H
quod es. Et memento, quod dicitur: Dicitur enim Abbas, id est, pater. Si verè pater est, amore paterno diligat filios suos, id est, monachos suos, & talem se exhibeat natis, vt ametur, & timeatur ab illis. Ametur à bonis, timeatur à prauis. In eademque vna Abbatis persona, & pia matris viscera, & districta patris debet inesse censura: vt quos amore nutrit materno, corrigat rigore paterno. Et quibus matris sugenda præbet vbera, sub patris teneat disciplina. Hinc B. Gregorius ait: Curandum quippe est, vt rectorẽ subditis, & matrẽ pietas, & patrem exhibeat disciplina: & tales se, qui præsunt, exhibeãt, quibus subiecti occulta sua prodere non erubescãt, vt cũ tentationũ fluctus paruuli tolerãt, ad patris mentẽ, quasi ad matris sinũ recurrant. Nã & illud scire debet Abbas, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Cui enim plus in cura regiminis commendatur, ab eo requi-

A requirendi ratio plus exigitur. Quantos enim vnusquisque Abbas in sua accipit monachos gubernatione, de tantis redditurus est Domino rationem. Et si bene viuendo se saluum fecerit, & illos bene, & iuste rexerit, de sua salute gratiam, & de omnibus illis mercedem à Domino recipiet sempiternam.

Sciatq́, quam difficilem, & arduam rem suscepit, regere animas,] Difficilem, & arduam rem dicit esse regere animam; quia tenuis, & laboriosa est, in comprehendendo subtilissima, & angusta in examinando; & ideò laboriosa, & ardua in gubernando, grauis, & pigra in emendando, & propterea periculum imminet omni gubernatori, de illa in rationem reddendo.

Et multorum seruire moribus.] Quia mores diuersorum diuersi sunt monachorum, diuersis impensionibus indigent curarum; quia diuersis vulneribus diuersa medela impendenda est medicaminũ. Et ideo B. Benedictus diuersorum hic morum, diuersum hic posuit curationis modũ dicens:

B *Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, aliũ suasionibus; & secundum vniuscuiusq; qualitatem, vel intelligentiam ita se omnibus conformet, & aptet.*] In expositione huius sententiæ B. Gregorij ponenda sunt verba: Ait enim. Sciendum quoque est, quod aliquando subiectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur indicanda. Aliquando & aperte cognita mature toleranda. Aliquando verò subtiliter, & occulte perscrutanda. Aliquando leniter arguenda; aliquando autem vehementer increpanda. Sed quia nõ vna, eademque cunctis exhortatio cõgruit, quia nec cunctos par morũ qualitas astringit, & ideo pro qualitate audientium formari debet sermo Doctorũ, vt & ad sua singulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat. Secundum vniuscuiusque ergo qualitatem, vel intelligentiã sic se conformet, & aptet Abbas, quando cum magno magnus, & cum paruis efficitur paruus. Quando infirmis efficitur infirmus; vt infirmos saluos faciat. Quãdo forma factus gregi, humilibus humilitatis ostendit formam, & obedientibus obedientiæ præbet exemplar. Similiter abstinentibus, & vigilantibus, & C orantibus, & omnibus bonis virtutibus cunctis sibi subiectis normam præbet salutis. Nam & quando cũ Paulo veraciter dicit: *Quis infirmatur, & ego nõ infirmor: quis scandalizatur, & ego non vror.* (2.Cor.11) & similia. Sic se omnibus conformat, & aptat, & boni pastoris bonam subditis ostendit formã. Et quando gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus, miseretur infirmis, compatitur tribulantibus, condescendit senibus, & infantibus, quãdo etiã mente infirmos patienter tolerat, fragiles benigne corroborat, & secundum morum omnium qualitates, & paruulorum, siue stultorum intelligentias omnibus se compositum reddat, & aptum.

Vt non solum detrimenta gregis sui sibi cõmissi non patiatur, verumetiam in augmentatione boni gregis gaudeat.] Detrimenta, damna, iacturam, vel diminutionem gregis, dixit, quã esse in grege sibi cõmisso Abbas nec pati, nec velle, in quantum valet, nec fieri sinere debet, sed magis in augmentatione, id est, in amplificatione boni gregis gaudeat. Quia in numero boni gregis amplificatio, vel in virtutibus augmẽtatio profectus est boni pastoris, & exaltatio. Bonorum, inquã, mo- D nachorum multiplicatio salus est animarũ rectorũ, & honor gubernantiũ. Notandũ, quia in augmentatione boni, nõ mali gregis gaudium dixit esse pastoris. Malorum enim multiplicatio, bonorũ est tribulatio. Magis ergo detrimentũ facit eorũ multiplicatio, quã diminutio. Et magis iustis generant iniusti luctum, quã gaudiũ. Multiplicatione enim malorum infirmatur cõgregatio bonorum; & è contrario, augmentatione bonorum infirmatur cõuentus malignorũ. Et profectibus virtutum fortitudo debilitatur vitiorũ.

Ante omnia, ne dissimulans, aut paruipendens salutem animarum sibi commissarum, non plus gerat sollicitudinem de rebus transitorijs & terrenis, atq; caducis:] Non enim debet Abbas dissimulare, id est, nescire se fingere rem, de qua in districto examine rationẽ debet Domino reddere; neq; paruipendere debet salutẽ monachorũ suorum, & pro magno existimare curã rerum terrenarum; neq; minus curare debet de salute animarum sibi commissarum, & plus gerere curam de substantia rerum. *Plus est enim*, ait Dominus, *anima, quam esca.*

E Nam sollicite de rebus terrenis curam gerere, & de animabus non curare, non est consilium salutis, sed mortis. Pro magno habere rem transitoriam, & terrenam, atque caducam, & paruipendere permanentem, & æternam, non est consilium salutis, sed stultitia perditionis. Paruipendere enim dicitur paruum æstimare, vel contemptui habere, siue etiam aliquid magnum animo superbo despicere. Pendere, dicitur enim æstimare. Qui enim aliquid se esse considerat, & alium despiciens, aut paruum, aut nihil existimat, paruipendit in alio, quod in se cõsiderat esse magnũ. Nonnulli obliti, quod fratribus animarũ causa sunt prælati, toto cordis annisu secularibus rebus inseruiunt. Hæc cum adsunt, exultant; ad has etiam, cum desunt, diebus, ac noctibus cogitationum æstibus anhelãt. Nam vt ratio recta postulat, minus de transitorijs, & plus curare debemus de in æternum mansuris. Minus de terrenis, plus de cœlestibus: Minus de caducis, & plus de manentibus solliciti esse debemus: quia non de terrenis, sed de monachorum nostrorum animabus rationem Deo reddituri sumus. Vnde & sequitur; F

Sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est.] Quia animæ substantia incorporea, & inuisibilis, atque ignotæ originis est; ideo ad regendum laboriosa, & difficilis, & ardua res est. Cum multo enim laboris ingenio ad puritatẽ cogitationis eius peruenitur; & ideo cum diuturno difficultatis labore peccati eius vulnus medetur. Multa enim peccatorum vulnera voluntariè suscipit anima, sed vt sanetur, multum inuita recipit medicinã. Nam si discretè, & rationabiliter animabus vulneratis spiritalia medicamina ab Abbate fuerint ministrata, & ille animæ medelam, & ille à Deo recipit gratiam. Ac verò, si animabus infirmis spiritalia medicamina neglexerit ministrare, de omnibus sibi subditis cogetur ponere rationem.

Et ne causetur de minore fortè substantia:] Ne causetur, dicit, id est, ne queraletur. Causatur enim, qui querelatur. Et qui pro paupertate caducarũ murmurat rerum, iniustam querelam deponit contra Dominum. Nesciens, quia sicut *in camino ignis probatur aurum*; (Prou.17.) ita in paupertatis fornace probatur vita monachorum. De minori substantia dicit, id est, de paucitate rerum terrenarum. Substantia autẽ hic abusiuè pro terrenis posuit rebus. Nam substantia ab eo propriè G dicitur, quod omnis res ab ipsa subsistat. Cui insunt octo, id est, quantitas, cognitio, situs, habitus, facere, pati, vbi, quando: quam Græci vsiam vocant.

Meminerit scriptum, Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis.] (Matth.6.) Primũ à nobis, id est, summopere, summo studio, & tota cordis intentione Domini quærendũ est regnum; & sic ab illo nobis necessarium sperandũ est terrenũ subsidiũ. Primum à nobis quærenda eius iustitia, & post ab illo nobis necessaria speranda est terrena substantia. A Domino enim quærendũ est & regnũ æternũ, & terrenũ subsidiũ. Illud quasi permanẽs bonum, istud quasi transitorium: sed tamen in via huius vitæ necessariũ. De hac enim sententia B. August. ait: Quid intersit inter bonũ, quod appetendũ est, & necessariũ, quod sumendum est. Hanc sententiam declarauit, cum ait: Quærite primum regnũ Dei, & reliqua. Regnum ergo, & iustitiam Dei bonum nostrum est & hoc appetendum, & ibi finis cõstituendus, propter quod omnia facimus, quæcunq; facimus. Sed H quia in hæc vita militamus, vt ad illud regnum perueniamus, quę vita sine his necessarijs agi non potest, apponentur hæc nobis, inquit. Sed vos regnum Dei, & iustitiam eius primum quærite. Cum enim dixit, primũ, significauit, quia hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate. Illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessariũ nostrum. Si hoc necessarium propter illud bonum, quærendum est à vobis.

Et iterum: Nihil deest timentibus eum.] (Psal.33.) Qui enim Deum habet, per quem cuncta creata sunt, & in quo manent, & constant omnia, nihil minus de spiritali, aut terrena potest habere substãtia. Potens est enim Deus & spiritalibus, & carnalibus delicijs plenam sanctis suis in seculi huius deserto parare mensam. Qui enim casto timore timet Dominum, in quo omnis plenitudo rerum, & copia manet virtutum, nihil minus habere potest de substantia

spiri-

A Eccl. 1. Psal. 113. spiritualiũ, & corporalium rerum. Scriptum quippe est: *Timenti Deum bene erit in æternum, & in diebus consummationis illius benedicetur.* Et, Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino, adiutor eorum, & protector eorum est.

Sciatque, quia suscepit animas regendas præparet se ad rationem reddendam.] Qui enim suscipit aliorum animas ad regendum, ne cogatur de illis cum Domino ponere rationem, & rectæ prædicationis verbo, & bonorũ operum eos docere debet exẽplo, quatenus & æterno iudici placere benè viuendo studeat, & exemplum bonæ vitæ subditis præbeat, & ea, quę in eis corrigenda sunt sagaciter deprehendat, & velociter, vt præualet, corrigat, & de hoc consilium Salomonis dicentis audiat. Prou. 6. *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, & laqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus. Fac ergo, quod dico fili mi, & teipsum libera. Discurre, festina, suscita amicum tuum,* &c. Spondere namque pro amico, est alienam animam in periculo suæ conuersationis accipere. Apud extraneum manus defigitur, quando in alterius cura mens ligatur. B Illaqueatur igitur verbis oris sui, dum ratione constringitur, ne eius vita ad aliud, quam admonet, relaxetur. Vnde apud districtum iudicem cogitur tanta in opere exsoluere, quanta eum cõstat alijs voce præcepisse. Quisquis enim ad viuendum alijs in exemplo præponitur, non solum vt ipse benè viuendo vigilet, sed etiam vt amicum prædicando suscitet admonetur. Etenim vigilare benè viuendo nõ sufficit, si non & illum, cui præest, à peccati corpore disiungit. Ergò sic Abbas & se custodiendo, & alios suscitando viuat, vt non pœnalem Domino rationem reddat, sed ab illo lætus præmia æterna recipiat.

Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicij ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem, sine dubio addita & sua anima.] Secundum monachorum suorum numeri quantitatem redditurus est Abbas in tremendo Domini iudicio rationem. Et si eum iusta saluauerit ratio, & salutis propriæ, & fratrum gubernationis accipiet præmium. Sin autem eum iniqua propria acta, & subditorum gubernatio damnarit iniusta, secundùm malorum quantitatem recipiet damnationem. Sicut enim de animabus subditorum suorum, ita Abbas & de sua redditurus est Domino rationem. C Et ideò & illorum, & suam vigilanter, & prouidè debet gerere curam, & nec pro illorum suam, nec pro sua illorum debet negligere vitam. Teneat necesse est Abbas exteriùs, quod pro illorum vtilitate suscepit: seruet interiùs, quod Domino pro & sua salute promisit.

Et ita semper timens futuram discussionem pastoris de creditis ouibus, cum de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis sollicitus.] Inferiores enim pastores summi Pastoris, id est, Christi, qui dixit, Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus,* solliciti semper, & de suis artibus, & de creditis ouibus futuram timere debent discussionem, Ezech. 34. ne quando increpando dicat illis Deus. *Quod fractum erat, non alligastis, & quod abiectum, non reduxistis.* Et cum ipsi limpidissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis, & oues meæ quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebant, & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant, &c. Hanc autem increpationis vocem Abbates ne audiant, & subditorum suorum sagaciter expleant curas, & suas prudenter agere non desistant. D Et sic in propriam sollicitudinem feruearit, vt à subditorum custodia non recedant. Dignum quippe est, vt hi, qui præsunt alijs, oculos apertos habeant, & hinc inde vigilanter aspiciant. Intus & foris pleni sint oculis, vt insidias antiqui à longè prospiciãt hostis; vt intus se diligenter custodiant, foris vt alijs benè viuendi exemplum præbeant. Et hoc modo, dum de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis sollicitus Abbas, id est, dum de subditorum suorum ratiocinijs cauet, Domino reddit rationem; redditur, id est, fit, de suis subauditur ratiocinijs sollicitus. Sollicitè enim cogitet, quia & de suis actibus, sicut & de ouiũ suarum ratione in tremendo iudicio redditurus est Domino. Inter rationẽ, & ratiocinationẽ ita distinguunt. Ratio. n. motus quidam est animi vera à falsis discernens. Ratiocinatio autẽ rationabilis est subtilis disputatio. Quã benè cauet ille cũ Domino ponere rationẽ, qui & se custodire, & subditos benè regere iustè nouit.

E *Et enim de admonitionibus suis emendationem alijs subministrat, ipse efficitur à vitijs emendatus.*] Dignum valde est, vt qui alijs panem vitæ ministrat, ipse fame non pereat. Qui enim fratribus causa dilectionis verbum præbet salutis, ipsa dilectione efficitur emendatus à vitijs. Charitas enim cooperit multitudinem peccatorum, sicut scriptum est: Iacob. 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ saluabit animã eius à morte. Et cooperit multitudinem peccatorum suorum.* Iustè ergo his, qui alios monitionibus suis ab errore liberat vitiorũ, prior à proprijs iuuante Domino liberabitur vitijs. Vitia enim dicuntur peccata, quæ per se nihil sunt, sed, vbi bonitas deest, vitium est. Omnis enim natura opus est. Opera enim mala, quæ vitia dicuntur, actus sunt, non res. Sed priuatione boni hoc nomen accepit.

CAPVT III.

De adhibendis ad consilium fratribus.

IDeò ab Abbate ad consilium fratres adhibentur; quia F scriptum est: Prou. 15. *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium. Vbi verò plures sunt consiliarij confirmatur.* Item, Prou. 27. *Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor, & bonis amici consilijs anima dulcorabitur.* Prou. 24. *Cum dispositione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia sunt.*

Quoties aliqua præcipua agenda sunt in monasterio.] Monasterium enim, vt prædictum est, etiam vnius monachi habitatio dicitur. Sed quærendum est, si vnius habitatio propriè monasterium vocatur, propter idioma græcæ linguæ, qua dicitur monas vnum. Cur multorum habitatio in vno positorum monasterium dicatur, nisi forte, vt arbitror, propterea, quia vna fides, vnum baptisma, cor vnum, & anima vna est in omnibus benè, & iustè viuentibus monachis; sicut priùs in religione rectè credentium & benè viuentium fuit. Vnum enim velle in omnibus rectè viuentibus monachis manet. Vni Domino seruiunt, sub vno Rege militant, & vnũm Christi corpus effecti eundem vnum Redemptorem adorant: & ideò vnà illorum omnium habitatio non incongruè monasterium vocatur.

Conuocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipse vnde agitur.] Vnde agitur, dicitur, id est, vnde consiliandum, vel vnde requirendum est. Inter congregationem autem, & conuocationem hoc interesse priores dixerunt. Congregatio & de hominibus, & de brutis animalibus, & de lapidibus, vel alijs quibusuis insensibilibus rebus dici potest; G quia congregari vel vocibus, vel alio quolibet modò possunt. Conuocatio autem non, nisi de hominibus rationabilibus fieri potest, qui proprijs nominibus conuocantur: quia conuocari proprium est eorum, qui audire, ac discernere norunt.

Et audiens consilium fratrum, tractet apud se, & quod vtilius iudicauerit, faciat.] Priùs enim Abbas de agendis rebus monasterij, vel aliarum quarumcunque rerum agendarum à fratribus omnibus in vno positis pariter consilium petat; & quod consilium vnusquisque dederit, libenter audiat, & postea in secreto cum senioribus tantum fratribus, qui vtilius, quiuè inutilius consilium dedit, subtiliter & acutè discernat. Et tunc quod melius iudicauerit, id est, discreuerit, implere satagat. Iudicare enim discernere dicitur. vt illud: Psal. 42. *Iudica me Deus, & discerne causam meam.*

Ideò autem omnes ad consilium vocari diximus: quia sæpe iuniori Dominus reuelat, quod melius est.] Scriptum est enim: 1. Cor. 14. *Si iuniori reuelatum fuerit, senior taceat.* H Sæpè enim propter humilitatis gratiam iuniori Dominus reuelat, quod senioribus celat. Non enim personarum acceptor est Deus, Act. 10. sed in omni ætate, conditione, sexu, & gente his, qui timent Deum, acceptum est illi, & in quibus vult de omnib⁹ his spiritus Domini misericorditer spirat; & gratiam sapientiæ benignus ministrat. Non enim Daniel, & Samuel ætatem discreuit, sed gratiam ministrauit. Sap. 4. *Cani etenim sunt,* dicit scriptura, *sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.*

Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, vt non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius iudicauerit esse, ei cuncti obediant.] Sic enim Abbati suo cuncti monachi debent obedire, vt acta illius nullus ex illis temerè audeat re-

A prehendere; sed potius tanquam patri filij, vel membra capiti, sic ei cuncti humiliter seruiant, & obediant subditi. Præcepta quoq; eius, si secundum Domini sunt mandata, velut imperium Domini summoperè custodiāt, & implere toto amor* contendant; & hoc esse sanctum, hoc sibi salubre, ac necessariū iudicent, quod Abbati suo placuerit, non quod ipsi sibi faciendum elegerint. Et ita obediētiæ, ac patientiæ virtute fundati Abbatis sui non discutiant constituta, sed faciant. Et quando rigor exigit disciplinæ, vt seueriter arguantur, acceptam correptionem magnanimiter ferant, nec motibus eorum, à quibus fuerint obiurgati, sed suis negligentijs, quod castigantur, adscribant.

Sed sicut discipulis conuenit obedire magistro: ita & ipsum prouidè, & iustè condecet cuncta disponere.] Debet enim Abbas subtili semper examinatione bona, malaq; discernere, & quæ, quibus, quando, vel qualiter congruant studiosè cogitare; & sic prouide, & iuste cuncta disponere; & propterea à
B cunctis illi discipulis, vtpote rationali patri conuenit, obediri. Hinc inde ergo, vt beatus ait Gregorius, qui præest se circumspiciat, vt & sibi, & subditis viuat, vt bonum quod faciant, & intra sinum mentis abscondat, & tamen ex eo ad profectum sequentium exemplar rectę operationis impertiat, vt subditorum culpas animaduertens corrigat, nec tamen superbiens intumescat, vt quædam leniter correpta toleret, nec tamen disciplinæ vincula eadem lenitate dissoluat. Et quædam tolerando dissimulet, nec tamen ea crescere dissimulando permittat. Vnde magnopere curādum sibi est, vt qui regendis hominibus præfertur, apud se intra secretarium mentis in Cathedra præsideat humilitatis, & vigilanti oculo incessanter aspiciat, cui quandoque iudici ipse de his iudicandis assistat; vt quanto nunc ante eum, quem non videt, sollicitus trepidat, tanto eum, cum viderit, securior cernat.

In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam.] Quod dicit, in omnibus, subauditur præceptis eiusdem regulæ.
C In officijs enim diuinis, & in actionibus humanis, in cibo scil. & potu, in vestimento, & calceamento, in vigilijs & orationibus, in somno, & silentio, in horis competentibus, & in laboribus, & in omnibus omninò eiusdem regulæ præceptis: eandem magistram omnes monachi sequantur regulam, id est, & subditi, & prælati, & discipuli, & magistri, & præpositi, & decani, & omnes omninò ministeriales, insuper & ipse Abbas in omnibus, quantum sicut & cæteri monachi, magistram sequatur regulam. Sicut & subditur:

Neq; ab ea temerè deuietur à quoquam.] Id est, ab ipsa regula nec à prælatis, neq; à subditis temerè declinetur, id est, inconsideratè, vel irrationabiliter. Ideò autem non dixit absolutè neque ab ea declinetur à quoquam; sed addidit, temerè, vt tu intelligeres, si necessitas postulauerit, vt declinetur rationabiliter, & cum discretione, & cum magna cautela, & pro necessitate fiat.

Nullus in monasterio proprij sequatur cordis voluntatem.] Omnis enim, qui compunctus, & à Domino missus venit ad monasterium non proprij cordis arbitrio, sed Abbatis sui, & Domini vult viuere consilio, & non sui cordis facere voluntatem, sed Domini, & Abbatis sui vult obtemperare mandatis, crebro ad memoriam reducens sententiam
D Ioan. 6. illam, qua dicitur: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me.* Sunt multi monachi minus intelligentes, qui dicunt, proprij cordis mei voluntas bona est, & ideò volo sequi eam. Cui respondendum est. Interroga Abbatem
Prou. 13. tuum, & spiritales fratres de ea: quia scriptum est. *Omnia fac cum consilio.* Et si illam iudicauerint, & consenserint esse bonam, fac illam, quia iam non solum proprij tui cordis, sed omnibus consentientibus est communis. Sin autem non consenserint, & eam bonam esse non approbauerint, proprij cordis tui eam esse cognosce. Et si vis saluus fieri, ab ea, quasi à facie colubri fuge.

Neque præsumat quisquam cum Abbate suo proterue, intus, vel foris monasterio contendere.] Proteruè contendere est, superbe, contumaciter, temerariè, vel præsumptiuè. Quam contentionem nec frater cum fratre, nec monachus cum Abbate suo debet habere. Sed sciendum est, quia, cum contentionem cum additamento, proteruè, vetuit, amicam, vel pacificam contentionem concessit. Est enim amica, proficuaque contentio, quæ frequenter inter duos homines pro qualitate interuenientis causæ efficitur: sicut inter beatum Benedictum, & Maurum eius discipulum pro puero placido quondam fuisse legitur. Dicebat enim beatus Benedictus, quod meritum esset discipuli eius Mauri, quod ad eripiendum de flumine puerum, super aquam pedibus ambulauit. Et è regione Maurus contendēs dicebat; Non suum, sed magistri sui esse meritum, quod super aquas ambulans de flumine illæsum eripuit puerum. Quam amicam contentionis formam foris esse vetuit, intus sine dubio, si res iusta exigit, fieri non prohibuit. Foris enim, vel alicubi proteruam contentionem damnauit, intus autem accusationis sui causa, aut pro vtilitate aliqua amicam esse contentionem, vt prædictum est, fieri non vetuit. Foris nec proteruam, nec amicam concessit; quia si in publico etiam amica contentio fiat, magistro inde nociua est despectio, & discipulo mortifera nascitur elatio. Vnde
F & beatus Benedictus cum dixisset, neque præsumat quisquam cum Abbate suo proterue, non dixit, intus, aut foris, sicut aliqui codices habent, sed sicut in illo, quem manibus suis scripsit, proterue, intus, aut foris monasterium reperitur. Vnde intelligitur, quia foris nullam, intus autem esse contentionem permisit amicam.

Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat.] Regulari enim disciplina in spiritalibus vitijs, id est, in contumacia, in inobedientia, in superbia, in murmuratione, in detractione, & in cæteris huiusmodi vitijs primò fieri debet secundùm Domini præceptum in admonitione semel, & secundo à senioribus in secreto. Si non emendauerit, fiat iterum in obiurgatione publica loco tertio. Si verò neque sic correxerit, fiat in excommunicationis vindicta in loco quarto. Sin autem ita reprobus est, vt nec sic corrigatur, corporali vindictæ subiaceat in vice quinta. Quod si eum flagellum non emendauerit, adhibeatur pro eo oratio fratrum etiam vice sexta. Quod si nec fratrum ei profuerit oratio, à fratribus ei dolenda separatio, & à monasterio dānosa impingatur expulsio etiam vice septima. Hoc enim G modo exceptis grauioribus culpis, & his, quæ à bono sunt iudicata Benedicto, omnis regularis disciplina cognoscitur esse composita.

Ipse tamen Abbas cum timore Dei, & obseruatione regulæ omnia faciat.] Cum timore Dei omnia agere debet Abbas: quia scriptum est: *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in* Eccl. 2.
conspectu illius sanctificabunt animas suas, & replebūtur pace & salutis fructu. Et notandum, quia cum obseruatione regulæ omnia agere mandāt Abbatem, ne cum alijs ipsam regulam implendam prædicat, ipse non implendo eam reprobus fiat; & ne aliquam excusationem in non implendo eam Abbas; vel aliquis prælatus inueniat, in hoc capitulo legat, & aperte inueniet: quia vt subditus monachus, ita & obseruatione regulæ constringitur Abbas, & omnis prælatus.

Sciens se procul dubio de omnibus iudicijs suis, æquissimo Indici Deo rationem redditnrum.] Ipse enim Dominus iudicibus ait: Matt. 7.
In qu[o] iudicio iudicaueritis, iudicabimini, Et ideo diligentissime Matt. 19.
H attendere debet Abbas, vt quod sibi non vult fieri, alij ne faciat, quia apud æquissimum iudicem Deo rationem redditurus, quicquid in præsenti vita agens seminauerit, hæc & in futuro procul dubio metet. Hanc enim sententiam ideò cordibus nostris scribens B. Benedictus frequenter inculcat, ne à nobis in obliuionem posita ducatur neglecta; sed potius teneatur, atque iudicet tremendam.

Si qua vero minora agenda sunt in monasterij vtilitatibus, seniorum tantum vtatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consi- Eccl. 32.
lio, & post factum non pœnitebis.] Magna etenim res est consilium, & Abbatibus valde pernecessarium, & non paruipendendum, sed super aurum, & argentū constituendum; & hoc ipsum diuina approbat scriptura dicens: *Aurum &* Eccl. 40.
argentum, & constitutio pedum, & super vtrumque consilium Eccl. 20.
beneplacitum. Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons vitæ permanet.

A

CAPVT IV.

Quæ sint instrumenta bonorum operum.

SIcut sunt fabrorum, vel aliorum artificum apta, & plu-
rima instrumenta ad illorum opera concinnanda; ita
sunt & bonorum monachorum apta, & spiritualium mul-
tarum virtutum instruméta, quibus & in præsenti pulchrè,
& secundùm Deum eorum componitur vita, & eadem
composita in futuro cum Christo feliciter regnant. Has
etenim virtutes, quibus bonorum monachorum caste cō-
ponitur ordo, in hoc B. Benedictus ordinatim ponere vo-
luit capitulo, vt his ornatus monachus incedat, & his fir-
matus hostem fortiter feriat, tentamenta seculi huius om-
nia vincat, & se sanctorum, & Angelorum omnium socie-
tati coniungat. De quarum omnium virtutum laude &
B nos, in quantum Dominus permiserit, conabimur dicere.
1. *Primum instrumentum. In primis Dominum Deum diligere ex*
Matt. 22. *toto corde, tota anima, tota virtute.*] Hæc enim regula dilectio-
Marc. 12. nis ita diuinitus constituta est, vt omnes cogitationes, &
Luc. 10. omnem vitam, & omnem intellectum in illo conferas, à
quo habes ea, ipse quæ confers. Cum autem ex toto cor-
de, & tota anima, & tota virtute Deum iubet diligere, nul-
lam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat à dile-
ctione Dei. Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus di-
ligit Deum. Quem si ex toto corde diligamus, nihil erit in
nobis, vnde peccati desiderijs seruiamus. Et quid est di-
ligere Deum, nisi illi occupare animum, concipere fruen-
dæ visionis eius affectum, peccare odium, mundi fasti-
dium, diligere proximum, in ipso amore seruare legiti-
mum modum, nec peruertere dilectionis ordinem consti-
tutum. Ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum
diligendi custodiunt, qui aut modum, qui contemnendus
est, diligunt, aut proximos, sicut seipsos, aut Deum sicut
seipsos fortè non diligunt. Illi Deum perfecte diligunt, qui
volendo, quod vult Deus, & nolendo, quod non vult, nec
vllis peccatis, quibus offenditur, adquiescunt, & semper
C se ad virtutes, quas ipse dignatur donare, diligendas, &
habendas ostendunt: qui verbum Dei studiosè obserua-
1. Ioan. 2. re contendunt, sicut Apostolus ait: *Qui autem seruat ver-*
bum eius, verè in eo charitas Dei perfecta est. Ille enim verè Deum
nouit, qui eius mandata seruando charitatem se eius ha-
bere comprobat. Hoc est enim Deum nosse, quod amare.
Nam quis eum non amat, profectò ostendit, quia quam
sit amabilis non nouit, quam sit suauis, & dulcis Dominus
gustare, & videre non didicit, qui eius placere conspecti-
bus continua intentione non satagit. Iterum dicit Apo-
1. Ioan. 3. stolus: *Qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo.* Sit
ergo tibi Deus domus, & esto domus Dei. Mane in Deo,
& maneat in te Deus. Maneat in te Deus, vt te contineat,
maneas in Deo, ne cadas. Serua mandata eius, tene cha-
ritatem, non diuellere à fide illius, vt glorieris in perso-
na ipsius, & securus manebis in eo, iuxta illud: *In æternum*
Psalm. 5. *exultabunt, & habitabis in eis. Deus* autem *charitas est: & qui ma-*
1. Ioan. 4. *net in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*
2. *Deinde proximum, sicut teipsum.*] Sic enim Paulus Apo-
Galat. 5. stolus in Epistola ad Galatas ait: *Omnis lex in vno sermone*
completur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Et
1. Ioan. 2. Ioannes ait: *Qui diligit proximum in lumine manet, & scan-*
D *dalum in eo non est. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit,*
in tenebris est vsque adhuc. Neque enim peccatorum tenebras
exuere potuit, qui viscera charitatis induere non curauit.
Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei, & filios dia-
1. Ioan. 3. boli. Sicut Ioannes Apostolus ait: *In hoc enim manifesti*
sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis, inquit, qui non est iu-
stus, & qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo. Qui
habent charitatem nati sunt ex Deo. Quidquid vis habe-
re, habe, hoc solum non habeas, nihil tibi prodest. Alia si
non habes, hoc habe, & implesti legem. Qui enim diligit
alterum, legem impleuit. Qui non diligit, manet in mor-
1. Ioan. 4. te. Item idem Apostolus ait: *Charissimi, diligamus inuicem:*
quoniam charitas ex Deo est: & omnis, qui diligit, ex Deo natus est,
& cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quia Deus
charitas est. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, nos debemus & al-
terutrum diligere. Si diligamus inuicem, Deus in nobis ma- E
net, & charitas eius in nobis perfecta est. Nemo ergo pu-
tet hanc dilectionem, in qua Deus manet, & in nobis
perfecta est, abiecta & desidiosa quadam remissione, &
negligentia seruari. Non est ista charitas, sed languor.
Ferueat charitas ad corrigendum, ad emendandum. Sunt
boni mores, delectent, sunt mali, emendentur, corri-
gantur. Sic ergo diligamus inuicem sincera, & discipli-
nabili charitate, & ita charitas eius in nobis perfecta est.
Cœpisti diligere, cœpit in te Deus habitare, vt habitando
faciat te perfectum. Ita autem perfecti erimus in charita-
te, si sicut ille salutis nostræ causa prior nos dilexit, ita eum
nos nullius rei causa, nisi tantum sui amoris dilexerimus. Et
hoc mandatum habemus à Deo, vt, qui diligit Deum, dili-
gat & fratrem suum. In hoc cognoscimus, quoniam dili-
gimus natos Dei, cum Deum diligimus. Ille ergo solus re-
ctè proximum diligere probatur, qui in conditoris amore
flagrare cognoscitur.
Deinde non occidere.] Quod autem dicit, non occidere, F
non tantùm simpliciter corporis, sed & occisio prohibetur 3.
fieri animę, pręsertim cum hoc monachis in regulari habi- Exod. 20.
tu, & sanctis in religione positis prohibetur. Non enim ar-
mis secularibus, vnde homicidia fiunt, sed virtutibus spiri-
talibus, vnde animæ saluentur, incedunt accincti. Sed sicut
est occisio ferri, est & odij, est & mendacij, est & alicuius
grauis peccati. Scriptum est enim: *Qui odit fratrem suum, ho-*
micida est. Et, *Os, quod mentitur, occidit animam.* Et, *Anima, quæ* 1. Ioan. 3.
peccauerit, ipsa morietur. De horum omnium generibus occi- Sap. 1.
sorum B. Benedictus vult abstineri monachum, cum dici- Leu. 4.
tur, non occidere, id est, nec aliorum corpora ferro, nec Leu. 21.
suam animam odio, vel homicidio, aut quolibet alio pec- Ezech. 18
cato: quia scriptum est: Homo quidem per malitiam occi-
dit animam suam. De omnibus his satis conuenit abstine-
ri non solum monachum, sed etiam omnem hominem
Christianum, quia quodcunq; horum fecerit homicidium
secundū Domini sententiā, qui occiderit, reus erit iudicio.
Non adulterari.] Nam & adulterium multis modis & in 4.
corpore, & in animo & committitur, & vocatur. Nam & Exod. 20.
fornicatio, & adoratio idolorum, & concupiscentia ocu- G
lorum, & amicitia secularium pro concupiscentia, & aua-
ritia rerum adulterium vocatur. De adulterio carnis simul
& animæ Apostolus ait inter cætera: *Neq; adulteri regnū Dei* 1. Cor. 6.
possidebunt. Et lex idipsum prohibet dicēs. *Non adulterabis.* De Rom. 13.
concupiscentia oculorū Dominus in Euangelio ait: *Qui vi-* Exod. 20.
derit mulierem ad concupiscendum eam, iā mœchatus est in corde suo. Matth. 5.
De amicis seculi huius, & de amatoribus temporalium re-
rum Iacobus Apostolus ait: *Adulteri, nescitis, quia amicitia hu-* Iacob. 4.
ius mundi inimicitia est Deo. Adulteros rectè nuncupat, quos
derelicto amore sapientiæ cœlestis ad amplexum potiùs a-
micitiæ mundalis esse deflexos increpat, quos conditore
contempto mammonæ magis seruire cernebat. Ostendit
etiā eos esse adulteros, qui sub fide, & confessione nominis
Christi illecebris; & amori deseruiunt mundi. Est adhuc &
aliud adulterij genus, de quo se negat esse Apostolus dicēs:
Non enim sumus, sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sin- 2. Cor. 4.
ceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. Ex
corde enim primùm auferenda sunt adulteria, vt non per-
trahant ad carnis perpetranda opera. Quia antequam per-
ficiatur adulterium in opere; iam adulterium est in cogita-
tione. Helias autem & Ioannes Zonis & pelliceis cingebā- H
tur circa lumbos: In Apocalypsi autem zona aurea circa
pectus. Has duas zonas vult regula, vt habeat monachus,
& eius semper zona pellicia cingat lūbos, & aurea pectus.
De vna enim Dominus ait: *Sint lumbi vestri præcincti.* De alia Luc. 12.
Propheta nos admonet dicens: *Accingite lumbos vestros super* Esai. 32.
vbera vestra. Hinc & Petrus ait: *Propter quod succincti lum-* 1. Pet. 1.
bos mentis vestræ, & reliqua. Amanda est ergo maximè à
monachis pulchritudo castitatis, quæ zonæ aureæ compa-
ratur. Cuius degustata delectatio dulcior inuenitur, quàm
omnis delectatio carnis. Castitas enim fructus suauitatis
est, & pulchritudo immolata sanctorum, securitas mentis,
& sanitas corporis. Per hanc homines leuantur ad cœlum,
& choro sociantur angelico.
Non facere furtum.] Et in lege scriptum est: Non fur- 5.
tum facies. Et Apostolus ait: *Qui furabatur, iam non furetur.* Exod. 20.
Eph. 4.

A
1.Cor.6. Et alibi inter cætera. *Neq; fures regnum Dei possidebunt.* Qui ergo regnum Dei vult possidere, à furti malo se debet omnimodè custodire: ne, dum cupit rapere aliena, & propriã animam perdat, & amittat cælestia regna. Non modicum, sed grande committit malum, qui fratri nummum, & sibi tollit regna cęlorum. Intelligere namq; debet monachus, quia non semper vniformiter committitur furtum. Qui.n. proprio Domino proprium tollit seruũ, & eum alteri non proprio subdit, procul dubio furtum facit. Ergo & qui prauè viuendo proprio conditori suo se tollit, & diabolo se subdit, nihilominus furtum facit. Dominus.n. Iesus Christus nos de limo terræ creauit, & ꝓprio sanguine redemit, & ideò per conditionem eius serui, & per redemptionem eius sumus famuli. Quod si aliquis ex nobis, vt prædictum est, se à seruitio Dei malè viuendo subtraxerit, & diabolo subdiderit, furtum pessimum facit. Se enim à filiorum societate segregauit, & seruus factus dæmoniorum, & hæreditatem, & mansionem amisit regni cęlorum. Scriptum est

B
Ioan. 8. enim: *Omnis.n. qui peccat, seruus est peccati. Seruus autẽ non manet in domo in æternum.* Similiter, & qui tollit membra Christi, & facit ea membra fornicationis, & meretricis furtũ facit, & seruus factus peccati non manet in domo in æternum, id
Ioan.14. est, in cęlo. De qua Dominus dicebat: *In domo patris mei multæ sunt mansiones.* Nam & ille, qui non intrat per ostium, sed aliunde ascendit, fur est, & latro. Et ideò quia non vno modo fiunt, non vniformiter, sed multis modis intelligenda sunt furta, horum omnium nos cauere debemus culpam.

6.
Exod.20. *Non concupisces.*] Non de illa concupiscẽtia dicit, de qua
Deut.5. Dauid canebat dicens: *Concupiuit, & defecit anima mea in atria*
Psal.44. *Domini:* &, *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in*
Psal.118. *omni tempore.* Et de qua alibi scriptum est: *Concupiscentia itaq;*
Sap.6. *sapientiæ deducit ad regnum perpetuum;* hæc enim in virtute est,
Exod.20. sed de illa, quæ in vitio est, de qua Dominus ait: *Non concupisces rẽ proximi tui.* Vnde & Iacobus ait: *Vnusquisque,* inquit,
1.Reg.15. *tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Et concupiscẽ-
Iacob.1. tia cum conceperit parit peccatum. Petrus quoq; ait: *Fugi-*
2.Pet.1. *entes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionẽ:* iuxta illud:
Eccl. 21. *Quasi à facie colubri, sic fuge peccatum.* Et Paulus Apostolus ait:
Rom.6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediat is concupi-*
C *scentijs eius.* Hinc datur intelligi, quia per concupiscentiam mortalis corporis maximè peccatum regnat in homine.
1.Ioann.2. Ioannes quoq; ait: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscẽtia oculorum, & superbia vitæ.* His quippe vitiorum vocabulis omnia vitiorum genera cõprehendit. Concupiscentia namq; carnis est omne, quod ad voluptatẽ, & delitias corporis pertinet, in quibus sũt maximè cibus, potus, concubitus, &c. Concupiscentia verò oculorũ est omnis curiositas seculi in acquirendis rebus temporalibus, & curis superuacuis, in dignoscendis bonis, & malis, & proximorum carpendis vitijs. Hoc.n. concupiscentiæ vitium multum est cauendum à monachis. Facile.n. subripit mentem, & infundendo vitus citò animam mergit in mortem. Propterea inter decem legis præcepta sicut homicidium, furtum, & adulterium, ita concupiscentiæ malum prohibetur à Domino. Quia sicut illa trahunt ad pęnam, ita abstractum, & illectum hominem concupiscentia inferni mergit in foueam.

7.
Exod.20. *Non falsum testimonium dicere.*] Falsum testimoniũ dicitur,
Deut.5. quo sæpè veritas illuditur, vt quæ facta, vel dicta sunt, quasi non facta negentur. Est & aliud mendacij genus, quod
D valde monachum facit reum. Omnis enim promissio, quæ tantum verbis profertur, & operibus non impletur, sine dubio falsum esse testimonium comprobatur. Hinc nam-
Prou.21. que Salomon ait: *Testis mendax peribit, vir autem obediens loquitur victorias:* quia qui se Deo seruire testatur, nec dicta factis exequitur, in æternum peribit. Qui autem vt promittit fideliter implere contendit, huius loquela ad victoriam peruenit, quia dum per obedientiam desideria sua vincere satagit, per iustitiam iudicis postmodum victoriæ palmam percipit. Nam & ille falsus esse testis probatur, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicuntur. De talibus enim erant illi, de quibus Euangelium dicit: *Nouissi-*
Matt.26. *mè autem venerunt duo falsi testes,* &c. Sed & illud falsitatis ge-
Psalm.57. nus, de quo psalmista ait: *Ab vtero errauerunt: &, à ventre locuti sunt falsa:* ab illis summopere cauendum est monachis, E
qui ad superna immunes cupiunt scandere regna: quia, vt Salomon ait, *testis falsus non erit impunitus.* Testis autem fal- Prou. 19.
sidicus tribus inuenitur personis obnoxius. Primùm Deo quem falsando, periurando, & mentiendo contemnit. Secundò iudici, quem simulando, mentiendo, & falsando fallit. Postremò innocenti, quem falso testimonio lædit, & opprimit. Nam sicut ille apud Deum condemnatur, quia aduersus innocentem falsum testimonium dicit, ita & ille, qui dicentibus facile credit, & citò aurem criminibus præbet. Sermo enim iusti hominis tantum ad ministerium debet esse salutis, non ad condemnationem fratris.

Honorare omnes homines.] Tunc omnes homines mona- 8.
chus honorat, quando se despiciens omnibus præ cun- 1.Pet.2.
ctis humiliat, & omnes superiores æstimans, inferiorem se esse demonstrat. Quando non solum humilitatem in cor- F
de, sed abiectionem, & despectionem suo monstrat in corpore. Quando cunctos amore fraterno complectitur, & humiliter, vt seniores, veneratur. Quando se præ cunctis peccatorem pronunciat, & inutilem seruum proclamat. Quando seniores honorat, vt patres, diligit iuniores vt fratres. Hinc enim Petrus Apostolus ait: *Omnes honorate,* 1.Pet.2.
fraternitatem diligite. Hinc Paulus admonet dicens: *Honore* Rom.12.
inuicem præuenientes. Honorat ergo omnes homines monachus, quando cunctis subijcitur, vtilis omnibus, munificus & gratus habetur. Nam & honor & sacris literis, non tantum in salutationibus, & obedientiæ officijs deferendis, quantum & in eleemosynis, donis ac muneribus intelligitur dantis.

Et quod sibi quis fieri non vult, alij non faciat.] Hæc sententia 9.
cum refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriun- Matt.7.
tur, cùm ad proximi, omnia facinora. Qui enim, quod sibi non vult, alteri non facit, fratri malum non ingerit, nec malum pro malo reddit; maledictum pro maledicto non profert, occultè proximo non detrahit, nec eius bonis operibus inuidet, & omnium, ita vt dicam, à se peccatorum aditum claudit, & charitatis, & omnium bonarum vir- G
tutum ianuam patefacit. Nam dum alij malum nec vult, nec operatur; bonum sine dubio, quantum vires suppetunt, proximo & vult, & operatur. Hæc autem sententia & eo modo, sicut superius de furto dictum est, intelligenda est. Nemo enim vult corrumpi habitaculum suum, nec debet ille corrumpere habitaculum Dei, semetipsum scilicet. Nemo enim vult, vt aliquis seruum eius tollat, & alteri, cuius non debet esse, tradat. Nemo vult, vt iumentum suum latro abigat, & prædoni eum ferat. Nemo vult, vt aliquis habitationem eius diripiat, templumque eius subuertat. Ergo quod sibi non vult fieri homo, non faciat Deo, id est, non tollat se malè viuendo Deo, & semetipsum tradat diabolo; sed in bonis operibus perseuerans cum Dauid dicat: *Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper* Psal.72.
tecum. Habitationem Dei in se non subruat, templum subuertat; quia scriptum est. *Templum Dei estis, & spiritus Domini* 1.Cor.3.
habitat in vobis. Et qui templum Domini in seipso violauerit, disperdet illum Deus. Ergo in semetipso malè viuen- 2.Cor.16.
do monachus, & seruum Domini Domino subtrahit, & eius iumentum abigit, & Spiritus Sancti donum subruit, templum subuertit; & hoc modo quod sibi non vult, alteri facit.

Abnegare semetipsum sibi, vt sequantur Christum.] Abnegare, H 10.
intelligitur renuere, negare, vel interdicere, Dominus e- Matt.16.
nim in Euangelio ait: *Si quis vult post me venire, abneget semet-* Matt.16.
ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et quid est abnegare semetipsum sibi, nisi deponere veterem hominem cum actibus suis. Et quid est sequi Christum, nisi induere nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctificatione; qui spiritaliter, non carnaliter viuat, Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, id est, vetus homo aduersus nouum, & nouus aduersus veterem. Interior homo noster exteriori, & exterior interiori repugnat. Caro enim semper inutilia, & caduca desiderat, spiritus vtilia quærit, & semper ad æterna suspirat. Caro frequenter & curis, sollicitudinibusque seculi torquetur, illecebris volu-

ptatum

A ptatum subripitur, carnis desiderijs inflammatur, viuere ociosè lætatur, letargię vitio grauatur, corporis sopore deprimitur, mentis desidia inficitur, voracitatis ingluuie seducitur, cibi & potus superfluitate distenditur. Et cum in his omnibus luxuriosè nutritur, ad fornicationis nefandū opus pertrahitur. Hæc & his similia spiritus, qui operibus sanctis Deo placere desiderat, implere corpori suo vetat. Et hoc est abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum, id est, semetipsum prohibet facere malum, & hortatur facere bonum. Christus enim passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Quid est sequi vestigia eius, nisi ambulare sicut ille ambulauit, id est, contemnere omnia prospera, quæ contempsit, non timere aduersa, quæ pertulit; libenter facere, quæ fecit, fieri, quę mandauit, sperare, quę promisit, & sequi quò ipse pręcessit, præstare beneficium etiam ingratis, non retribuere secundùm merita sua maleuolis, & orare pro inimicis, amare bonos, misereri peruersis, inuitare aduersos, & suscipere in charitate conuersos, & B æquanimiter pati subdolos, & superbos.

11. 1. Cor. 9. *Corpus castigare.*] Corpus dictum à corruptione, eò quod corruptum pereat. Solubile enim caducum, atq; mortale est. Quod nos castigare oportet, id est, ieiunijs emendare, affligere, atque corrigere, & si necesse fuerit, etiam verberibus cædere. Castigare enim dicimus cędere; sicut de Domino Pilatus ait: Castigatum eum dimittam. Matt. 27. Castigatur enim corpus ieiunijs, vigilijs, & multis afflictionibus; de quibus Paulus Apostolus ait: 1. Cor. 9. *Ego autem sic curro, non quasi in incertum, sed castigo corpus meum, & in seruitutē redigo*, &c. Quid est enim aliud corpus castigare, nisi vitijs, & peccato mori. Quid est peccato mori, nisi damnandis operibus omninò non viuere, nihil cōcupiscere carnaliter, nihil ambire? Hic sicut mortuus carne nulli iam detrahit, nulli aduersatur, aut displicet, nemini violentus existit, neminem calumniatur, aut opprimit, non inuidet bonis, aut insultat afflictis, non luxuriatur, non inebriatur, non odiorum facibus inardescit, non iniusta lucra sectatur, non potentibus, aut diuitibus, non inquieta curiositate, non sollicitudinis cura distenditur, non alienis salutationibus delectatur, nec superborum iniurijs fatigatur, non eum superbia inflat, non C ambitio vitiosa præcipitat, non vana gloria turpiter iactat, non contentio examinat, non facit impudentem audacia, iniquum iniustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, deliciosum gula, rebellem inobedientia, vanum iactantia, leuem facilitas, sæuum crudelitas, manducantem turpis edacitas, impatientē mobilitas, mobilem instabilitas, iracūdum animositas, verbosum vanitas, irrisorem malignitas. Qui remotus à secularib. illecebris, remotus ab inimicitijs, remotus ab insidijs alienis, remotus à rapinis, remotus à mendacijs, siue periurijs. Postremò remotus ab omni genere flagitiorum, atq; facinorum, & sicuti carne mortuus nec facere potest ista quæ dixi, nec pati, ita his, & talibus vitijs omninò non viuunt, qui vt Deo viuant, corpus suum castigant, & carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigunt.

12. 2. Pet. 2. *Delicias non amplecti.*] Non enim prohibet delicias non tangere, vel gustare, sed cum auiditate sumere, & cum amoris desiderio vetat amplecti. Spernitur enim ieiunium, quod in vespere delicijs compensatur, dicente Propheta: Esa. 58. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Voluntas e-D nim hoc in loco deliciæ intelliguntur. Tota die epulas in cogitatione ruminat, qui ad implendam gulam vespere sibi delicias præparat. Et tale ieiunium non laudatur, quod in vespere deliciosorum ciborum venter repletione distenditur. Neque enim reputanda est abstinentia, vbi fuerit ventris deliciosa saturitas subsecuta. Deliciæ enim carnales, comesturum reddunt auidum, satiatum autem pigrum, & somnolentum. Deliciæ verò spiritales satiatum reddunt auidum, & iocundum; illæ comestæ generant fastidium, hæ autem comedendi augent desiderium; illæ multum escæ aciem mentis obtundunt. Hæ spiritales cordi lumen infundunt: illæ somnolentiam. Hæ vigilias subministrant; illæ corpori, & animæ præbent torporem. Hæ autem mundis corde iugiter Domino ministrant amorem; illæ vero faciunt desiderare lectum. Hæ autem cælum, illæ somnum. Hæ verò regnum; illæ turpia, & E obscura quærunt cubila. Hæ sanctam cum sanctis, & lucidam in cęlo volunt habere gloriam; illæ delectant in lupanari cum scortis ludere. Hæ cum Angelis in cęlo regnare, illæ luxuriosos amplexus desiderant. Hæ ad amplexus Christi venire festinant, vt cum illo, quasi sponsa cum sponso, in æternum quiescant. Deliciæ verò nuncupantur eo, quod delicate nutriant comedentem, vel quod his homines delectentur. Faciunt enim hominem in Dei seruitio mollem, tenerum, & delicatum. Et eregione spiritales deliciæ faciunt hominem pro ęterna capescenda gloria, mundum, fortem, & rigidum. Et ideò istæ appetendæ sunt, illæ verò à monachis amplexandæ non sunt. Sed quid à monachis amandum, amplexandumque sit sequentia demonstrant.

Ieiunium amare.] Multi enim sunt, qui ieiunant, sed idem 13. ipsum ieiunium non amant. Quasi onus impositum sit ne- Dan. 9. cessitate compulsi portant ieiunium, sed non amant illud. Ioel. 2. More animalis onus portant, sed eiusdem oneris dulcedi- Tob. 12. nem non degustant. Vnde non amant ipsum, quod portāt. F Et sicut aliquis onere compressus antequā ad locum perueniat destinatum, vult, quo premitur, deponere onus; ita desidiosus ante horam constitutam ieiunium vult soluere monachus. Frequenter aspicit horologium, & sæpius solis considerans cursum oculos leuat ad cęlum, & pariter vocibus, pariterq; desiderijs iam horam proclamat esse refectionis. Sed nō ita bonus facere debet monachus, sed velut animæ medicamentum, sic debet amare ieiunium. Ieiunio enim anima ab omni periculo illecebrarum defenditur: ieiunio tentamenta dęmoniorum fugantur. Ieiunio vires vitiorum franguntur: ieiunio carnis delectario refrenatur: ieiunio incentiua libidinum extinguuntur. Per ieiunium liberius oratio penetrat cęlum, & in compunctionis dono intentius ieiunæ mentis acies figit obtutum. Per ieiuniorū namq; dona, & cęlestium mysteriorum occulta, & diuinorum secretorum homini reuelantur arcana. Per ieiunij donum de carnali, spiritalis efficitur homo, & sanctorum omnium, & angelorum coniungitur choro. Et ideò à bono ieiunium amandum est monacho. Sed quia ieiunium vniuersam esse diximus corporis castigationem, non est tan- G tummodo ieiunandum à concupiscentia ciborum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum. Si enim hominem totum hæc virtus, quæ abstinentia dicitur, sanctificat, non solum corpori, sed etiam animæ necessaria est: quia omnis homo ex corpore constat, & anima. Ea autem spiritalis, atq; perfecta est abstinentia, quæ non tam ab illecebris carnalium voluptatum, quàm à peccatis omnibus facit hominem alienum. Hæc virtus, cùm omnibus necessaria sit, maximè illis familiarior est, quorum est cor vnum, & anima vna diuinę charitatis igne conflata. Quibus ita fit vna vita, sicut est vna substantia. Quia vt fieret, & esset animorum sancta coniunctio, necessaria est facultatum iudicata communio. Cæterum quid prodest, quod facultates abijcimus, si voluptates proprias non relinquimus? Quam abstinentiam si Adam in paradiso voluisset, nec statum felicitatis amitteret, nec corruptionis, ac mortalitatis infelicitati subiaceret. Quis enim potest dicere, quanta bona illi incontinentia tulerit, quod intellectualis mentis dignitatē amisit, quod imagine sui creatoris perdidit? Illud improbat Hieronym. in Epistolis suis reprehendens Origenem, H qui idem asserebat. Non enim ibi inquietabat molesta sollicitudo, non fatigabat labor anxius, nō opprimebat somnus, non timor mortis angebat, habebat facilem victum, corpus sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus mali, habitator paradisi, expers peccati, capax Dei. Postremò quid eo felicius fuit, cui erat orbis subiectus, nullus infestus, liber animus, & visibilis Deus? Potuit ergo ita videre Deum priusquam peccasset Adam, sicut eum S. Patriarchæ viderunt. Sed postquam illi inobediens fuit, videndi eum licentiam amisit. Et ideò ieiunij amanda est abstinentia, vt hæc omnia, quæ perdidimus in Adam, in Christo non peritura, sed consequamur æterna.

Pauperes recreare.] Conuenienter enim nos post ieiunij 14. amorem de pauperū admonet recreatione: quia tunc op- Tob. 4. timè ieiunamus, quando ea, quæ ventri subtrahimus, pau-

A Ioel. 1. peribus erogamus. Hinc Propheta nos admonet dicens:
Sanctificate ieiunium. Ac si diceret. Quod tempore ieiunij, vt
affligatur, subtrahitur corpori, pro sanctificatione, & be-
nedictione animæ porrigite pauperi. Scriptum est enim:
Eccl. 7. *Pauperi porrige manum tuam, vt proficiat propitiatio, & benedictio*
Eccl. 4. *tua*. Et iterum: *Fili, eleemosynam pauperis ne fraudes, & oculos tuos
ne auertas à paupere. Animam esurientem ne despexeris, & cor inopis
ne afflixeris. Non auertas faciem tuam ab egeno, & ab inope oculos
tuos. Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum. Pro-
pter mandatum assume pauperem, & propter inopiam eius ne dimit-
tas illum vacuum, sed conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hic
orabit pro te ad Dominum*. Raphael quoq; Angelus, vt à nobis
Tob. 12. eleemosyna libenti animo fiat, hortatur nos dicens: *Bona
est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, quæ à morte liberat, & peccata
purgat*. Hoc enim habet tantum bonum possessio rerum, si
vitam reficiat miserorum. Non ergo nobis oberit diuitia-
rum congregatio iusta, si adfuerit distributio larga. Debe-
mus ex illis munus misericordiæ egenis porrigere, pauperũ
B etiã nuditatẽ operire, peregrinorũ inopiã supplere, pupil-
lorum miseriam detergere, esurientium famem repellere,
sitientium sitim fugare, & infirmãtium desideria supplere.
Cum magna ergo mentis alacritate pauperibus debemus
eleemosynã dare, quia ipsi Domino datur, quod hilariter
pauperibus erogatur. Ipse.n. Dominus, qui à dextris eius e-
runt, dicturus est in iudicio: *Venite benedicti patris mei, percipi-*
Matt. 25. *te regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Quia esuriui, &
dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere*, &c. Chri-
stum enim in æternum habemus retributorem, si pro illo
pauperibus porreximus panem. Ab illo ęternam consequi-
mur misericordiã, si pro illo plenam porreximus dexterã.
Demus ergo cibum & potum, vt cum Abrahã Isaac, & Ia-
cob ad conuiuium mereamur peruenire æternum, vt illic
recipiamus pro terrenis cęlestia, pro temporalibus sempi-
terna, pro modicis magna, pro caducis permanentia, pro
transeuntib. permansura. Est aliud eleemosynæ genus dua-
le, quo debent maximè monachi pauperes recreare. Quo-
C rum vnum infirmis, & tribulatis, aliud verò stultis, & ne-
scientibus est adhibendum. Qui enim infirmis per com-
passionem communicat, & tribulatis consolationis consi-
lium subministrat, sine dubio pauperes recreat. Similiter
& qui doctrinam stultis, & scientiæ verbum ministrat ig-
naris, eleemosynarij dignus est laudari præconijs.

15. *Nudum vestire.*] Sicut est nuditas corporis, est & nudi-
Esa. 58. tas animæ. Nuditas corporis est carere vestibus, nuditas
Matt. 25. verò animæ carere virtutibus. Ergo sicut corpus vestibus,
ita & animam debemus vestire virtutibus. Iustitia indutus
sum, ait Iob, & vestiuit me, sicut vestimentum. Et Prophe-
Esa. 61. ta dicit: *Induit me vestimento salutis, & indumento iucunditatis
circumdedit me*. His autem & similibus vestibus & se, & a-
lios debet vestire monachus. Adam verò cum peccasset in
paradiso, animę, non corporis perdidit vestimentum. Per-
didit enim innocentiam, immortalitatem, & gloriam.
Nam & ille, qui de Ierusalem descendebat in Iericho, ani-
mæ vestibus spoliatus est à latronibus. Vestiamus ergo
corporaliter pauperes nudos cum magna alacritate, quia
ipsum Dominum exinde tenebimus creditorem, & fide-
lem habebimus retributorem. Ipse enim dicturus est inter
Matt. 25. cætera nobis: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod
vobis paratum est ab origine mundi, quia nudus fui, & cooperuistis
D me*. Vestiamus nosmetipsos virtutibus sanctis interius, quia
nihil prodest vestibus vestire alium, & semetipsum virtuti-
bus relinquere nudum. Sic enim debemus alijs misereri, vt
non obliuiscamur nostri. Sic enim nos de opere misericor-
diæ sermo diuinus admonet dicens. Fili, miserere animæ
tuæ placens Deo. Ergo in quantum valemus misereamur
alijs, & solliciti nos semper misereamur nobismetipsis, vt
pro alijs mercedem æternam, & pro nostra custodia præ-
mia consequamur perpetua.

16. *Infirmum visitare,*] Visitare debemus infirmos, quia in
Matt. 25. ipsis Dominum visitamus. Ipse enim inter cætera nobis di-
cturus est misericordiæ opera. Infirmus fui, & visitastis me.
Visitemus & causa compunctionis infirmos, vt cum Pau-
1. Cor. 12. lo; *Quis infirmatur, & ego non infirmor*, dicere possimus. Vi-
sitemus & causa vicissitudinis, id est, vt cum fuerimus in-
firmi, visitemur à sanis. Visitemus & gratia dilectionis,
quia scriptum est: *Non te pigeat visitare infirmos, ex ipsis enim in* E Eccl. 7.
dilectione firmaberis. Sed & ille infirmos visitat, qui mona-
chis de sua substantia eleemosynas ministrat. De monachis
enim scriptum est. Formicæ populus infirmus, qui parat in
messe cibum sibi. Sed & ille veraciter infirmos visitat, qui
viduis, & pupillis eleemosynas erogat. Viduæ enim & pu-
pilli, qui sunt humiles, & pauperes spiritu propter Domi-
num, procul dubio quia potentes non sunt infirmi, sunt in
hoc mundo, & visitationis adiutorio indigent in hoc se-
culo. De tali enim visitatione Apostolus ait: *Religio mun-* Iac. 1.
*da, & immaculata apud Deum, & patrem hac est, visitare pupillos,
& viduas in tribulatione eorum*, &c. Est & alia infirmitas ani-
mæ, pro qua monachi debent inuicem se visitare sæpissi-
mè, illa scilicet, de qua Dauid dicebat: *Miserere mihi Domi-
ne, quoniam infirmus sum, sana me Domine*. Et vt aduerteres, Psal. 6.
de qua infirmitate diceret, addidit; *Et anima mea turbata
est valde*. Et alibi: *Ego dixi Domine miserere mei, sana animam* Psal. 6.
meam, quia peccaui tibi. Ergo vbicunque huius infirmita- Psal. 40.
tis næuo viderimus fratrem oppressum, tamdiu illi visita- F
tionis impendamus studium, donec ad salutis pristinum
reuocetur statum. Vt & infirmus corpore nostræ visita-
tionis solarium, & infirmus in anima donante CHRI-
STO remedium inueniat sempiternum. Infirmus dicitur
non solum ægrotus, sed etiam animo molestus, & contri-
status.

Mortuum sepelire.] Congruè autem postquam nobis præ- 17.
cepit infirmum visitare, præcepit & mortuum sepelire, Tob. 1. 2. & 12.
quia infirmo visitatio, sepultura verò debetur mortuo.
Scriptum est enim: *Fili in mortuo produc lacrymas, & quasi* Eccl. 38.
*dura passus incipe plorare, & secundum iudicium conde corpus il-
lius, & non despicias sepulturam eius*. Valde enim à quibus-
dam mirandum videtur, cur Beat. Benedictus præcepit
monachis mortuum sepelire. Nunquid aiunt, aut suum
insepultum relinquere, aut alterius per vicos, aut villas
ire poterunt monachi mortuos sepelire? Sed quia ista non
conueniunt monachis, sermonis huius conuenientiam
videamus. Mortuum enim dicitur peccatum, vt illud: Qui
lauatur à mortuo. Et iterum: Tangit mortuum, nihil Eccl. 34.
proficit eius lauatio, id est, qui pœnitendo lacrymis lauat G
peccatum, & iterum committit peccatum, nihil ei pœ-
nitentiæ gemitus, vel lacrymarum fusio generat fructus.
Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Nam & illa
puella, quam suscitauit Dominus in domo, peccatum si-
gnificat latens in animo. Et in illo, quem foras portam Do-
minus substituit vnico matris filio, peccatum animæ iam
egressum foras in publicum. E Lazarus, quem idem Do-
minus suscitauit quatriduanum, iam multi temporis pec- Ioan. 11.
catum demonstrat commissum. De his ergo omnium ge-
neribus mortuorum vsus sepeliẽdi debet esse omnium ho-
minum, & maximè monachorum. De hoc enim sepelien-
di genere B. Benedictus præcepit monachis mortuum se-
pelire, id est, si fuerit sicut puella in domo, adhuc tamen in
conscientia latens peccatum, ne in opere appareat ibi se-
pelire eum. Et si iam fuerit in opere manifestum, sicut de
illo vnico matris filio legitur, iam foras portam elato, ne
amplius crescens progrediatur, ibi finem accipiat, & cor-
dis sepulchro condatur. Et si diuturno iam tempore per
peccatum, & in omnibus in publicum manifestum, & à
cunctis fuerit fœtidum iudicatum, sicut de quatriduano
Lazaro legitur, ne vltra in homine pullulans, crescat tan- H
dem mortificatum pariter, & sepultum iaceat. Et hoc mo-
do omnis monachus, & ad Dominum omnis conuersus,
debet mortuum, id est, suum sepelire peccatum.

In tribulatione subuenire: dolentem consolari.] Hæc quoque 18.19.
virtus inter sanctos multum est necessaria monachos, vi- Eccl. 6.
delicet, vt alteri subueniat alter, & alter consoletur ab al-
tero. Sicut scriptum est: *Inuicem onera vestra portate, & sic* Gal. 6.
adimplebitis legem Christi, id est, charitatem. Sine dubio
enim & tribulato charitas subuenit, & dolentem charitas
consolatur. Sciendum tamen, quia aliquoties monacho
tribulatio suscitatur exterius ab homine, aliquoties verò
suscitatur à dæmone, aliquoties autem ipsius tantum pro-
prio suscitatur à corpore. Vnde & frequenter in tribula-
tione valde necessariam habet fratris subuentionem, &
non solum nobis inuicem subuenire, sed & alijs in qua-

A Rom. 12. cunq; necessitate positis subuentionis debemus auxilium ministrare. Secundum enim præceptum Apostoli *debemus gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.* Duobus enim modis omnis efficitur dolens, id est, aut per iacturam temporalium rerum, aut per damna spiritalium virtutum. De Eccl. 1. hoc enim Salomon ait: Et addit scientiam, addit dolorem. Iob 16. De illo autem Iob dixit: *Quid agam, etsi tacuero, non quiescet dolor meus,* &c. Vnus autem carnaliter dolet, alter verò spiritaliter. Vnus dolet, quia terrenum amisit solatium, alius, quia peccando copiam amisit virtutum. Vnus dolet, quia perdidit patrem, & matrem, alius dolet, quia superbiendo humilitatem, & luxuriando perdidit castitatem. Vnus dolet, quia solatium parentum pariter amisit, & subsidium rerum, alius, quia peccando regnum pariter æternum amisit, & præmium. Vnus dolet, quia terrenis pauper factus est rebus, alius quia pauper factus est virtutibus. Vnus dolet, quia despicitur à mundo, alius, quia separatur à Deo. Et ideò, ne in dolore pereant, fratrum consolationem accipiant ambo. Visitent ergo monachi vtrosque, quia æternam mercedem accipient ab vtrisque.

B 20. *A sæculi actibus se facere alienum.*] *Nemo,* ait Apostolus, 2. Tim. 2. *militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Luc. 12. Hinc Dominus ait: *Qui non dimiserit omnia, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quisquis ergo à seculi actibus vult effici alienus, necesse est, vt sacris obtemperando præceptis ipsi Domino efficiatur propinquus. Præceptum est enim Domini. *Diuerte à malo, & fac bonum.* Psal. 33. Proinde à seculi actibus alienus effectus ad conditorem suum illuminandus accedat monachus. Ipsum iugiter concupiscat, toto corde diligat, & pro illius amore omnes nocitas seculi actiones relinquat, & totam spem suam ex illius delectatione suspendeat. Quotidie in diuinarum literarum se exerceat campo, & ibi se, quasi in speculo, diligenter conspiciat totum; & omnia, quæ in se de secularibus actibus respuenda inuenerit, respuat; & quæ tenenda inuenerit, libenter & fortiter teneat; quod deforme inuenerit, componat; quod pulchrum, excolat: quod sanum, seruet: quod infirmum, corroboret. Domini sui præcepta infatigabiliter legat: inexplebiliter diligat: efficaciter C compleat: & quod sibi cauendum, quidue sectandum sit, ex eis instructus agnoscat. Futuris promissionibus credat; & à strepitu negotiorum secularium remotissimus viuat. In studijs spiritualibus, quibus diebus singulis melior, ac melior fiat, inuigilet. Amet ocium sanctum, in quo exerceat animæ suæ negotium. Mortuum sibi deputet mundum, ac se mundi illecebris exhibeat crucifixum; eò aciem mentis intendat, quo peruenire desiderat. Beatitudinem futuræ vitæ ante oculos animæ suæ proponat, & diligat; nec metuat aliquid temporale, nec cupiat, nec cupiditas intentionem mentis eius emolliat. Non gaudeat de temporalibus omninò, nec lugeat, sed semper ad illam beatam, & futuram vitam, vbi Dei substantiam reuelata facie videre possit, extendat.

21. *Nihil amori Christi præponere.*] Legimus in Beati Antho-
Matt. 10. nij vita, quod multos litigantes redegit in amicitiam omnibus dicens: Nihil debere ipsos præponere horum, quæ sunt in mundo, dilectioni Christi. Et Basilius ait: Vnus prospectus sit tibi fili. Si vni Domino seruire desideras, D omnimodo abscinde à te carnalem amorem, ne à te Dei excludat amorẽ. Verè enim nihil amori Christi præponere debemus, id est, anteponere, vel præferre. Amor. n. Christi charitas est. Nam amor cum prauus est, cupiditas, vel libido vocatur. Cùm vero rectus est, charitas vel dilectio dicitur. CHRISTI enim est omne, quod possumus. Illo viuificante viuimus, illoq; vegetante mouemur, & sumus, illo nos prius diligente diligimus, diligens enim nos creauit, & viuificauit, nutriuit, & custodiuit, & ad lauacrum regenerationis perduxit, renouauit, gubernauit, & ad intelligibilem ætatem euexit: hæc omnia nobis misericorditer, & per dilectionem operatus est Deus. Aperi ergo ô monache oculos cordis tui, & in tantum te à IESV Christo cognosce dilectum, vt pro te eius sanguinem non dubites fusum. Suspende cor tuum ad dilectionem eius, & non modicum, aut ex aliquo, sed ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente tua dilige Dominum Deum tuum, ita vt nullius rei amorem præponas amori Domini tui, ipse te E docente intellige. Ait enim: *Qui amat patrem, aut matrem plus, quam me, non est me dignus.* Matt. 6. Verè enim si Deum toto corde amamus, omnino amori eius nec parentum, nec filiorũ amorem præferre debemus. Beata est ergo virtus amoris Christi, quæ dilectio vocatur, & charitas. Omnes enim diligit Deus, & quasi vnius proximi in mentis arcano omniũ amorem recondit. Verè beata, quæ nutrit virtutes, & delet peccata, opprimit iram, recludit odium, expellit auaritiã, comprimit rixam, & fugat omnia pariter vitia. Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, inter opprobria secura est, inter iras placida, inter odia benigna, & in veritate semper permanet firma. A prauis impugnationibus non vincitur, à raptoribus non diripitur, à latronibus non furatur, ab incendio non crematur, inexpugnabilis manet, inexplicabilis durat, inconcussa perseuerat, incorrupta lętatur. Ligamentum est. n. omnium virtutum, gluten est animarum, concordia mentium, societas electorum, & sanctorum exultatio angelorum. Ne aduersitatibus frangatur, fortiter F mẽtem roborat; ne prosperitatib. eleuetur, cor cautè temperat. Teneat ergo istã necesse est tã clarissimam virtutem beatus monachus in mente, & cum illa sit semper, & cum illa maneat, cum illa surgat, & cum ipsa pergat, & hic, & in æternum cum illa semper lætus perseuerans viuat.

Iram non perficere. Iracundiæ tempus non reseruare.] Inter irã, 22.23.
Eph. 4. & iracundiam ita distinguitur: ira præsens est indignatio, quæ subitò ex aliqua commotione animi nascitur; iracundiæ vitium naturale est, & perpetuum. Ergo iratus pro tempore concitatur, iracundus autem frequenter, & leuiter irascitur, de quo scriptum est. Iracundus effodit peccata. Et Apostolus nos per iram peccare prohibet dicens: *Irascimini, & nolite peccare.* Eph. 4. Sol non occidat super iracundiam vestram; & nolite locum dare diabolo. Considera ergo beate monache, quia qui per iram in fratrem expetit vindictam, in corde suo diabolo ad habitandum ædificat locum, & Christo, qui verus est Sol, quantum in semetipso est, occasum præparat. Fuge ergo auxiliante Deo iram, & noli per iram fratri reddere vindictam. Attende diligenter quid nos Paulus admonens dicat. G Ait enim: *Deponentes & vos omnem iram, & indignationem, & malitiam.* Coloss. 3. Iacobus quoque dicit: *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Iac. 1. Salomon verò ait: *Zelus, & iracundia minuunt dies.* Eccl. 30. Et alibi: Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam. Ipse dum caro sit seruat iram, & propitiationem petit à Deo velocem, & citam. Qui ergo tardus sibi fratrem reconciliat, tardius Deum sibi placat. Frustra enim propitiari sibi Deum quærit, qui citò placare proximum negligit: Ipse quoque Dominus noster totius Ecclesiæ suæ decus, & ornamentum, doctor, & prædicator, creator, rector, & gubernator, ab ira nos fratres omnino remouens ait: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Matt. 5. Cauendum est ergo maximè monachis, qui ad supera feliciter volunt scandere regna, ad effectum suam perducere iram; sed magis mansuetos esse ad omnes oportet, atque mitissimos. Et si iracundiæ furor eorum pulsauerit animum, fraternus amor comprimat illum. Fraterna dulcedo temperet iracundiam. Fraterna charitas temperet animositatem. Fraterna dilectio mitiget indignationem. Grande enim vitium est H iracundia. Per iram sapientia perditur: per iram iustitia relinquitur: per iram societas fraterna dissoluitur: per iram pacis concordia rumpitur: per iram lex veritatis amittitur. Iracundiæ stimulis agitatum corpus totum tremit, lingua balbutit, vultus ignescit, cor palpitans tremulat, & oculi turbati caligant. Hæc ergo ne tibi monache contingat, quantum vales, refrena iram, & omnia cum tranquillitate, & patientia, vt & hic te modestè, & patienter gubernes, & in æternum animæ tuæ possessor lęteris.

Dolum in corde non tenere.] Dolus enim dictus ab eo, quod 24.
Prou. 12. & 26. Psal. 14. alter alium deludat. Aliud enim tenet in corde, aliud se simulat agere in opere. Est enim mentis calliditas, & occulta malitia blandis sermonibus adornata. Quod vitiũ quanto plus occultatur in corde, tanto amplius crescit in malignitate. Publicatum autem annihilatur, atq; sanatur. Quid est enim aliud dolũ in corde tenere, nisi quodãmodo dæmonẽ in mente recludere? Qui aliter à dolosa non expellitur

A mente, nisi fraterna dilectione. Scriptum est enim: *Templum Dei estis, & spiritus Domini habitat in vobis.* Ergo si volu-
1.Cor.3. mus spiritus sancti templum fieri, dolus in corde nostro non lateat, sed magis publicatus decrescat, & fraternitatis in nobis amore crescente, penitus euanescat. Cauendum est autem summopere monachis, ne in corde tenendo dolum perdant habitatorem spiritum sanctum. Cauēdum ne desinant esse spiritus sancti templum, & fiant habendo dolum, dæmonis habitaculum. Non enim poterit cor vnum Dominum retinere simul, & dolum. Non enim Dominus dolosa, sed innocentia possidet corda. Non dolo pollutam, sed innocentem, & puram diligit animam. Vnde necesse est, vt dimittamus in corde tenere dolum, & discamus, vt nosmetipsos diligere proximos, vt & in præsenti seculo mereamur habitatorem spiritum sanctum, & in futuro filiorum gloriam, & hæreditatem accipiamus æternam.

25. *Pacem falsam non dare.*] Id est, osculum vel veniam. Falsi-
Psal. 27. tas appellata à fando aliud, quàm quod verum est. Negare
1.Pet.3. enim, vel maligno animo celare quod verum est, falsitas
B est: sicut Iudas, qui signum pacis in dolum conuertit, & quia falsus confessor fuerat, & falsam pacem in Ecclesia figurabat. Quia de falsa pace diximus, quæ sunt veræ pacis commoda videamus. Et si pax vera est, serenitas mentis, & tranquillitas animi, quam nos Apostolus hortatur habere
Hebr. 12. dicens: *Pacem sequimini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Ipse quoque Dominus in Euangelio ait: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Et passioni iam proximus hoc nobis mandatum commendauit dicens: *Pacem*
Ioan.14. *meam do vobis, pacem meam cōmendo vobis.* Et addidit: *Non, sicut mundus dat, pacem do vobis,* id est, non dolosam, non falsam, sicut Iudas, & eius sequaces donant; quam & hic nobis B. Benedictus inuicem dare vetat, sed veram pacem ascendens in cęlum tenendam dedit, & in hæreditatem sempiternam habendam reliquit. Quam si sincero corde tenere, & sequi voluerimus, filij Dei, & hæredes erimus Christi. Ergo si filij Dei, & hæredes CHRISTI esse cupimus, in Christi pace versemur. Pacificos enim esse oportet filios Dei, & humiles, mente mites, corde simplices, sermone
C puros, animo innocentes, affectu concordes, fideliter sibimet vnanimiter cohærentes.

26. *Charitatem non derelinquere.*] Charitas est perfecta dile-
Rom. 12. ctio in Deum, & proximum, quam qui derelinquit, & De-
1.Cor.14. um, & proximum perdit. Hæc enim virtus dilectionis æternum complectitur amorem. Cui specialis secundùm Apostolum inter virtutes traditur principatus, & cultus manens in æternum. Quam non derelinquere, nec solum debemus ad tempus habere, sed perpetim eam, & feliciter debemus vsque in æternum retinere, & nullo tempore, nec ad momentum de nostra debemus mente deficere.
Eccl.9. Scriptum est enim: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Oleum in capite, est charitas in mente. A capite oleum deficit, cum charitas à mente descendit. Hinc nos Petrus Apostolus hortatur dicens:
1.Pet.4. *Ante omnia mutuam in vobis charitatem continuam habentes.*
Heb. 13. Hinc Paulus ait: *Charitas fraternitatis maneat in vobis.* Debet ergo manere, & permanere cum filijs Dei charitas, vt & in præsenti voluntatem Dei eos facere doceat, &
D cum illis feliciter in æternum permaneat. Charitas est enim recta voluntas iuncta Deo, & inseparabiliter vnita igne quodam Spiritus sancti: à quo, & ad quem refertur incensa inquinamentis omnibus extranea, corrumpi nescia, nulli vitio obnoxia, supra omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelsa, affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, salus morum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, præmium perfectorum, in peccatis mortuos suscitat, languētes sanat, perditos instaurat, spem desperatis inspirat, pacificas mentes inhabitat, fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, & operosa in omnibus omninò fidelibus, quā fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium seruit, ex qua quidquid est boni operis viuit, sub qua obedientia crescit, per quam patientia vincit, sine qua nullus Deo placuit, nec placebit, cum qua nec potuit aliquis peccare, nec poterit. Hæc est charitas vera, quam nos non de- E
relinquere, sed fortiter debemus tenere. Hæc enim nobis virtus super omnia necessaria est, quæ nos separat à diabolo, purificat à peccato, reconciliat Deo. Quapropter nihil nobis peccata remanere possunt, nec aliquid boni deerit, si nobis bonorum omnium charitas magistra adfuerit. Quoniam si secundum Apostolum *charitas patiens est, beni-* 1.Cor. 13.
gna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, omnibus, in quibus fuerit, hæc bona, quæ habet, impertit. Et quid illis esse potest in hac vita perfectius, qui tantis abundant charitate in se regnante virtutibus?

Non iurare, ne forte periuret.] Non est contra Dei præcep- 27.
tum iurare; quia ille dixit, Per nomen meum iurabitis; sed Matt.5.
dum velum iurandi facimus, periurij crimen incurrimus. Necesse est ergo vt nunquam iuret, qui periurare timet.
Scriptum est enim: *Iurationi non acquiescat os tuum.* Et, *Vir* F
multum iurans replebitur iniquitate. Et Iacobus Apostolus, Eccl.23.
ne iuremus fortiter nos admonet, dicens: *Ante omnia, fratres,* Iac. 5.
nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester est est, non non, vt non in iudicium incidatis. Et Dominus noster Iesus Christus, salus omnium, & Saluator, qui omnes vult saluos fieri, & à malo periurij liberare, admonet nos dicens: *Non iurabitis per cœ-* Matt. 5.
lum, quia sedes Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est: neque per caput vestrum iurabitis, quia non potestis vnum capillum album facere, vel nigrum: sed sit sermo vester est est, non non, & quod amplius est, à malo est. Qui autem non iurat, non peccat, & longè est à peccato. Si offenderit lapsus deorsum ruit, & excipitur à pœna periurij. Ergo falsa iuratio exitiosa est, vera iuratio periculosa. Nulla iuratio sana est, & secura. Dixit aliquis: Non est iuratio, quando dico, testis mihi Deus est, & testem inuoco Deum, vel his similia. Quid est autem iurare, nisi Deum inuocare, & ius Deo reddere? Quid est dicere, testis mihi Deus est, nisi iurare per Deum? G
Ipse enim Deus, per quem iurat, inuisibilis est. Iurauit per inuisibilem, feritur pœna inuisibili. Nam & Apostolus, quando ait: *ante omnia nolite iurare:* cautos nos fecit aduer- Iac.5.
sus linguam nostram, vt attendamus, & vigilemus, ne subrepat nobis consuetudo iurandi. Ante omnia, inquit, vt te aduersus consuetudinem iurandi intentissimum redderet, vt omnia tu inspiceres, & omnes motus linguæ tuæ diligētissimè custodires. Sequitur: *vt non in iudicio decidatis.* Ideò, inquit, vos à iurationis culpa compesco, nè frequenter vera iurando aliquando etiam in periurium decidatis, sed eo longius à periurandi vitio steris, quo nec veram deierare, nisi proxima necessitate velitis. Sed & ille sub iudicium reatus decidit, qui etsi nunquam periurat, crebrius tamen, quam opus est, deierat, quia nimirum ipsa superflua locutionis ociositate delinquit, offenditque iudicem, qui & inutile verbum, & iuramentum omne vetuit.

Veritatem ex corde, & ore proferre.] Multi aliud tenent in 28.
corde, aliud proferunt ex ore. Et cum sint illi vanitate de- Psal.14.
cepti, alios fallaciter decipere gestiunt. Et quia non est in ore eorum veritas, ideò cor eorum vanum est. Monachus H
autem, qui Christi vestigia puro corde sequi desiderat, qui dixit: *Ego sum via, veritas, & vita:* veritatem debet in corde te- Ioan.14.
nere, & eam simpliciter ex ore debet proferre: quia ille dicitur in tabernaculo Domini habitare, & in monte sancto eius requiescere, qui loquitur veritatem in corde suo, & nō agit dolum in lingua sua. Tunc dolus fit in lingua, quando & in corde celatur veritas, & ex ore sonat fallacia. Vanitas est enim & magna miseria aliud tenere in corde, & aliud fratri proferri sermone. Vanitati enim humana subiecta est creatura, & ideò non stat in veritate ficta, sed semper ad fallendum proximum prona. Monachi autem, quos Dominus de fallacia, & vanitate seculi huius dignatus est segregare, veritatem debent ex corde, & ore proferre. Semper enim in corde eorum veritas habitet, & in ore eorum necesse est vt veritas sonet. In cogitatu veritas, in sermone veritas, in facto veritas, & in omnibus, per omnia, illorum actionibus necesse est, vt resplendescens luceat, & semper in eis fixa permaneat. Est enim in Angelis veritas, in

Patri-

A Patriarchis, & Prophetis veritas, in Apostolis, & virgi-
nibus veritas, in martyribus, & confessoribus veritas,
& in omnibus habitantibus in cœlo veritas, & in omni-
bus sanctis commorantibus in mundo veritas. In his au-
tem, & cum his omnibus semper est Dominus noster Ie-
Ioan. 14. sus Christus, qui est via, veritas, & vita, & omnium sancto-
rum salus, & gloria.

29 *Malum pro malo non reddere.*] Secundum præceptũ sanctæ
1. Thess. 5. regulæ: obliuionẽ omninò debẽt monachi fugere, & quid
illos per ministros suos spiritus sanctus admoneat, diligen-
ter audire. Neq; .n. decet auditorẽ obliuiosum, sed factorẽ
operis esse monachũ. Audiamus ergo nõ solũ aure corpo-
ris, sed etiã mentis, & operib. exequamur, quid nos per Pe-
1. Pet. 3. trum Apostolorum principẽ admonet dicens: *Estote*, inquit,
misericordes, humiles, non reddentes malum pro malo. Vides ergo,
quia in reddendo malũ pro malo, & misericordiæ opus, &
Rom. 12. humilitatis amittis officiũ. Scriptũ est enim: *Noli vinci à ma-
lo, sed vince in bono malũ.* Vincitur à malo, qui malis prouoca-
tus reddit malum. In bono autem vincit malũ, qui acceptis
malis reddit bonum. Ille .n. dicitur vicisse alium, qui eũ ad
suam adduxerit partẽ. Si ergo te fecerit sibi reddere vicem;
B ille te vicit faciendo sibi similẽ. Paulus quoq; Apostol. ait:
Rom. 12. *Nolite esse prudẽtes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddẽtes.*
Si malum inferre peccare est, reddere malum pro malo iu-
stum non est, sed simile peccatũ est ac grauius. Nam ille, qui
prior malum intulit, forsitan non meditando, sed subitò
fecit. Qui autem reddit malum pro malo volũtariè, & me-
ditando reddit. Iterum scriptum est: *Non vos defendentes, cha-
Rom. 12. rißimi, sed date locum iræ.* Ille locum dat iræ, qui se non vlcis-
cendo defendit, qui conuicio conuicium non reddit, qui
manui manum non ingerit, qui iniuriæ iniuriam non facit,
alapam pro alapa non reddit, sed ad accipiendum alteram
maxillam præparat, & omnia, quæ illi aduersa acciderint
in patientia tolerat. Vnde & sequitur:

30. *Iniuriam non facere, sed & factam patiẽter sufferre.*] Iniuria est
1. Cor. 6. contumelia, cõuitium, vel quælibet iniustitia. Dicta autem
iniuria eo, quod contra iuris ordinem fiat. Multis .n. modis
iniuriam facere hominibus solent homines. Aliquoties au-
tem conuitijs lacessentes, aliquoties accusationibus sugil-
lantes, aliquoties manibus impingentes, & expoliãtes, ali-
quoties verò etiam percutientes. Quas monachus vel om-
C ninò omnis Catholicus Christianus non solũ alijs non fa-
cere, sed etiã ab alijs illatas patiẽter etiam cũ dolore debet
Eccl. 2. sufferre. Scriptũ est enim: *In dolore sustine, & in humilitate tua
patientiam habe, quia in igne probatur aurum,* & reliqua. Vt ergo
probetur in monacho patientiæ virtus, appareat in iniu-
riarum tolerantia fortissimus, quia vt dictum est, sicut in
fornace ignis probatur aurum, ita in tribulationis camino
Rom. 5. probatur monachus, Paulo teste, qui ait: *Scientes, quia tribu-
latio patientiã operatur, patientia autem probationem, probatio ve-
1. Pet. 2. rò spem,* &c. Petrus verò ait: *Vt probatio fidei vestræ multo pretio-
sior sit auro, quod per ignem probatur.* Dominus quoque in Eu-
Luc. 21. angelio ait: *In patientia vestra poßidebitis animas vestras.* Salo-
Prou. 19. mõ quoq; ait: *Doctrina viri per patiẽtiam noscitur.* Paulus quo-
1. Thess. 5. que ait: *Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote
Iacob. 1. ad omnes.* Iacobus namq; dicit: *Patientia autem opus perfectum
Sap. 3. habemus, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Et alibi: *Tã-
quam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausta accepit il-
los;* quia nimirũ quos in camino tribulationis probauerit,
hos in gaudio retributionis, quasi placabilẽ hostiã assumit.
D Sicut .n. aurum in fornace clausum examinatur, probatum
autẽ foras, cuius sit fulgoris, apparebit; ita bonorum mo-
nachorum constantia in seculo contemptibilis videtur, sed
vbi tempus retributionis aduenerit, quantæ fuerint, facilè
apparebit. Ergo vt animas nostras possidere valeamus, vir-
tutẽ patientiæ fortiter teneamus. Et vt perfecti, & integri
possimus in omnibus nostris actionib. esse, patiẽtes simus
ad oẽs in nullo deficientes. Magna est .n. virtus patientiæ,
quæ lædentem se non lædit, sed diligit, quæ iniurianti iniu-
rias remittit, non reddit, cui nocere potest non nocet, sed
parcit. Patientia est, quæ nos Deo commendat, & à malis
omnibus in mente tutos cõseruat. Ipsa est virtus, quæ iram
temperat linguam refrenat, mẽtem gubernat. Ipsa est, quæ
pacem custodit, disciplinam moderatè agit, libidinis im-
petum fortiter frangit. Ipsa est, quæ furoris violentiam cõ-

primit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam E
tyrannorum; refouet inopiam pauperum. Ipsa est, quæ fa-
cit humiles in prosperis, & fortes in aduersis. Ipsa tentatio-
nes expugnat, persecutiones tolerat, & vt tenere possimus
viam, Christus nos moderatè, & iustè gubernat. Hanc er-
go amare, hanc diligere, & cum gaudio, & totis viribus
amplecti debent, non solum monachi, sed & omnes Ca-
tholici Christiani.

Inimicos diligere.] Quia filij Dei sumus, patrem nostrum, in 31.
quantum possumus, imitari debemus. Ille .n. inimicos dile- *Matt. 5.*
xit, quando pro ipsis crucifigentibus se orauit dicẽs: *Pater
ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Et nobis diligere ini-
micos, & orare pro illis præcepit, vbi ait: *Diligite inimicos ve-* *Matt. 5.*
*stros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, &
calumniantibus vobis, vt sitis filij patris nostri, qui est in cælis.* Dili-
gamus ergo inimicos, quia Deus noster, cum adhuc inimi-
ci essemus, prior nos dilexit, & per sanguinem filij sui nos
reconciliauit. *Commendat autem Deus*, ait Apostolus, *suam* *Rom. 5.*
charitatem in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, id est, F
inimici, *Christus pro nobis mortuus est, nos reconcilians Deo.* Gran-
dis enim & spiritalis est virtus, diligere inimicos, quam
nullus hominum habere potuit, potest, vel poterit, nisi cui
illam bonorum omnium dederit Deus. Diligamus ergo i-
nimicos, sicut præcepit Deus, & humanitatem illis, in quã-
tum possimus, præbeamus. Scriptum est enim: *Si esurierit* *Prou. 25.*
inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi, & reliqua. Tunc e-
nim verissimè inimici dilectio custoditur, cum nec de rui-
na illius gaudemus, nec de profectu tabescimus. Magna est
inimicorum dilectio, & valde ardua, sed implentibus se æ-
terna præparat præmia. Inimicorum ergo dilectio nos Dei
filios, & angelorum efficit socios, nobis de inimicis facit
amicos, & de contrarijs charos, & de odiosis dilectissi-
mos fratres. Hæc nos fraternitati sociat, & in æternum
inseparabili charitate conglutinat, vt & hic vnanimiter in
fraterna dilectione viuamus, & in æternum pariter con-
regnemus. Inimicorum ergo dilectio, quantum in pera-
gendo grauior, tantum erit in retributione fœlicior, quan-
tum in adimplendo angustior, tantum erit in recipiendis
muneribus largior, quantum hic laboriosa, tantum in fu- G
turo erit sine dubio gloriosa. Ipsa enim nos inimicorum
dilectio separat à mundo, & coniungit feliciter Deo. Ipsa
nos ab actionibus secularium discriminat hominum, &
sanctorum pariter iungit, & angelorum consortio.

Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere.] Et in 32.
hoc nobis impossibile videatur implere, Paulus exemplo *Luc. 6.*
suo nos admonet dicens: *Maledicimur, & benedicimus, perse-* *Rom. 12.*
cutionem patimur, & sustinemus. Petrus quoque princeps A- *1. Cor. 4.*
postolorum hortando nos præcipit dicens: *Non reddentes* *1. Pet. 3.*
*malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed econtrario be-
nedicentes, quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate pos-
sideatis.* Qui enim in hæreditate vult possidere æternam
benedictionem, inimicum benedicere debet, non male-
dicere. Grande enim, & non paruum est malum maledi-
centem se maledicere. Leue enim illud à leuibus videtur
hominibus, sed inter grauia crimina illud Apostolus com-
putat. Ait enim: *Neque ebriosi, neque fornicarij, neque maledi-* *1. Cor. 6.*
ci regnum Dei poßidebunt. Graue enim, vt diximus, maledi-
ctio peccatum est, quod possessionem regni adimit, & in H
inferni tartarum hominem mergit, & vt vaporem fumi in
igne æterno perimit. Scriptum est enim: *Ante ignem vapor,* *Eccl. 22.*
& fumus, & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ. Male-
dictio enim vbi sedule sederit, de filijs Dei facit filios iræ,
& de hæredibus facit extraneos, & de iniustis facit iniu-
stos. Tollit cœlorum regnum, & mergit in tartarum.
Sanctorum tollit gloriam, & inferni premit in foueam.
Suam CHRISTO tollit nuptam, & diabolo tribuit ani-
mam. Sic enim scriptum est: *Dum maledicit impius diabo-* *Eccl. 21.*
lum, maledicit animam suam. Hic enim ostendit scriptura,
quia diabolus maledici anima est. Dominus autem nobis
non ad maledicendum, sed potiùs ad benedicendum os
concessit, & linguam. *Nos autem*, sicut Iacobus Apo- *Iacob. 3.*
stolus ait, *ex ipsa benedicimus Dominum, & patrem, & ex ipsa
maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt, &
ex ipso nostro vno ore procedit maledictio, & benedictio.* Sed
quid ait idem Apostolus audiamus: *Non oportet*, inquit, *Iacob. 3.*
hæc

A *hac ita fieri fratres.* Nunquid fons de eodem foramine manat
dulcem,& amarum aquam. Ac si diceret: Sicut dulcis,& a-
mara aqua non potest de vna simul fontis manare vena;sic
benedictio,& maledictio de vna simul nõ potest emanare
cordis rima. Sed quicunq; sic Deum benedicere orãdo,vel
prædicando consueuit, vt maledicere hominem nõ cessa-
uerit, sine dubio dulcedinẽ benedictionis eius amaritudo
maledictionis consumit. Sed quantum malum est maledi-
ctionis vitium,tanto magis est benedictionis bonum offi-
ciũ. Per illud.n.maledictionis conqueritur pœna,per istud
benedictionis gratia, & gloria. Per illud opprobrium in
inferno,per istud in celo pręmium accipitur sempiternum.
33. *Persecutiones pro iustitia sustinere.*] Dominus in Euangelio
Matt. 5. ait: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam
ipsorum est regnum cœlorũ.* Non dixit propter iniquitatẽ suam
patiuntur persecutionẽ,sed signanter addidit, propter iu-
stitiã. Multi.n.propter persecutionẽ sua peccata patiuntur,
sed nec iusti,nec beati dicuntur. Sed illi soli tantum iusti,&
B habentur qui persecutionem propter iustitiam patiuntur.
1. Pet. 3. Hinc Petrus Apostolus ait: *Sed & si quid patimini propter iusti-
tiam,beati eritis.* Non solum,inquit,nil nocet, qui vobis bo-
num faciẽtibus mala irrogat, sed etiam, vos cum hostis in-
sequitur propter bona quæ facitis, causam vobis maioris
beatitudinis subministrat, & patientiæ vestræ vires corro-
1. Pet. 3. borat. Itẽ Petrus ait: *Melius est.n.benefacientes si velit volũtas Dei,
pati,quã malefacientes.* Hæc sententia illorum stultitiam ele-
ganter arguit,qui cũ pro culpis arguuntur, vel etiã pro suis
factis,dignis pœnis coercentur à fratribus,vel senioribus,
patienter omninò tolerant. Sed si absq; culpa vel verborũ
contumelias,vel aduersa quæq; patiuntur à proximis,mox
ad iracundiã prorumpũt,& qui hactenus videbãtur inno-
xij per impatientiã,& murmuratiõe se noxios reddũt;ne-
sciẽtes,quia melius esset illis,vt pro iustitia,quã pro iniqui-
tate sua paterentur iniurias. Qui ergo iustus patitur, Chri-
stũ imitatur;qui verò pro suis factis flagellis corrigitur, la-
tronẽ,qui in cruce Christum cognouit,& post crucem pa-
radisum intrauit cũ Christo. Qui autem nec inter flagella
C desistit à culpis, sinistrum imitatur latronem,qui propter
peccata ascendit in crucem, & post crucem ruit in tartarũ.
Ergo multo melius est quamlibet in præsenti seculo inno-
centem, & pro iustitia pati persecutionem, & in futuro
cum filijs Dei laboris sui accipere retributionem, quàm
cum peccatoribus peccatorem flagellari, & post mortem
cum reprobis reprobum in infernum mergi.
34. *Non esse superbũ.*] Per Hieremiam Prophetã ad superbum
Iob 40. Dominus comminatur dicens: *Ecce ego ad te superbe,dicit Do-
Ierem. 50. minus exercituũ,quia veniet dies tuus tẽpus visitationis tuæ, & cadet
superbus,& corruet,& non erit,qui suscitet eũ, & succendã ignem in
vrbibus eius,& deuorabit omnia in circuitu eius.* Et alibi scriptum
Eccl. 10. est: *Perdet Deus memoriã superborũ,& non relinquet memoriã hu-
Eccl. 10. miliũ.* Nam & de ipsa superbia sic loquitur diuina scriptura.
*Odibilis,*inquit,*corã Deo,& hominibus superbia. Qui autẽ tenuerit
Eccl. 10. illã,adimplebitur maledictionibus.* Et, *Initiũ omnis peccati superbia.*
Non ait alicuius,sed omnis peccati;vt euidenter ostẽderet
ipsam esse peccatorũ omnium causam; quoniam non solũ
peccatũ est ipsa, sed etiam nullum peccatũ fieri potuit,po-
test, aut poterit sine ipsa. Superba voluntas facit Dei præ-
cepta cõtemni; humilis custodiri. Superbia ex Angelis dæ-
D mones fecit, humilitas hoẽs sanctis Angelis similes reddit.
Illa rebelles diabolo subdit,hęc humiles Christo coniũgit.
De superbia nãq; sequuntur hæreses,schismata,detractio-
nes,inuidia,verbositas,iactãtia, contentiones,animosita-
tes,ambitio,elatio,præsumptio,vanitas, inquietudo, mẽ-
daciũ,periuriũ,& cætera multa mala. Iam nunc videamus,
quibus indicijs possit superbia deprehendi. Omitto illos,
quos ipse habitus,& incessus superbos ostendunt,quorum
erecta ceruix,facies torua,truces oculi,& sermo terribilis,
nudã superbiam clamant. Illos tantũ dolens ostendo, atq;
eorũ exempla cauenda denuncio,quos iã conuersos,& ali-
quantulum proficientes superbia occultè captiuat,quos in
profundũ malorũ fraudulenta dãnatione præcipitat,& ne
inde vnquã exurgant iugiter calcat. Hi sunt, qui seniorum
suorũ non obseruant imperia, sed iudicant. De suis negli-
gentijs obiurgati aut rebellant insolenter,aut murmurant.
De loco superiore disputant,præferre etiã se melioribus im-
pudenter affectant, simplicitatẽ spiritalium patrũ exagge- E
rant,suas sententias procaciter iactant,nõ seruant seniori-
bus in obsequio reuerentiã, in sermone modestiam,nec in
moribus disciplinã. Habent in intentione pertinaciam, in
corde duritiã,in sermocinatione iactantiam,in humilitate
fallaces,odio pertinaces,subiectione impatiẽtes,omnibus
bonis odibiles,ad opus bonum pigri, ad obsequiũ duri,ad
loquendũ quod nesciunt prompti,temerarij in audiendo,
clamosi in loquẽdo,effrenati in cachinno. Hæc sunt super-
biæ grassantis indicia,quibus Deus offenditur, & recedit,
diabolus inuitatur vt veniat, his malis omnibus diabolus
pastus exultat:superbas mẽtes intrat, vt teneat,erigat,elidat,
fouet vt perdat:tenet,vt possideat, & omnia mala per illos
exerceat. Superbię autẽ gemina est differẽtia. Vna,quę spi-
ritales pro virtutib. superbiẽtes deijcit:altera carnalis,quæ
erga seniorum imperia inobedientes reddit. Alius namq;
ex rebus secularib. possidet,quos ex virtutibus extollit spi-
ritalibus. Dicta autẽ superbia,quia super vult, quod est. F
Non vinolentum.] Vinolentus dicitur,qui & satis bibit,& 35.
difficile inebriatur. Hinc Esaias ait: *Væ qui potentes estis ad bi-* 1. Tim. 9.
bendum vinum,& viri fortes ad miscendam ebrietatẽ. Hinc sapiẽs Tit. 1.
quidam dicit: *Multos exterminauit vinum, quod mistum potum,* Esa. 5.
irritationẽ,& iram,& ruinas multas facit. Amaritudo animæ, vinũ Eccl. 31.
multum potatũ. Vinum in iucunditate creatum est, non in ebrietate:
sanitas est corporis,& animę sobrius potus:ebrietatis verò
animositas, imprudentis offensio. Ebrietas autẽ perturba-
tionẽ gignit mẽtis; furorem cordis,& flammam suscitat li-
bidinis,& ita mentem alienat,vt, vbi sit, nesciat. Vnde &
malum non sentitur, quod per ebrietatem committitur.
Hinc B. Basilius ait: Multi per vinum à dæmonibus capti
sunt. Nec est aliud ebrietas, quàm manifestissimus dæmõ.
Hinc Propheta ait: *Fornicatio & ebrietas auferunt cor.* Qui- Ose. 4.
bus Ioel Propheta quasi in alienatione mentis dormienti- Ioel. 1.
bus clamat dicens: *Expergiscimini ebrij, & flete omnes qui bibitis
vinum in dulcedine,quoniam perijt ab ore vestro.*
Non multum edacem.] Quanto amplius edacitas carnalis 36.
cibi nimia implet ventrẽ, tanto à virtutibus spiritualibus Eccl. 31.
vacuã facit mentẽ. Quanto magis corpus edax pinguescit,
tanto anima à virtutibus ieiunans languescit. Edacitas aũt G
carnem facit obesam,& mentem vacuam, fortia corporis
membra, & lãguidam facit animam. Edacitas parit pigre-
dinem,pigredo immittit soporẽ,sopor negligentiã. Negli-
gentia verò generat maledictionẽ,sicut scriptum est: *Male-
dictus omnis,qui facit opus Domini negligenter.* Edacitas verò ni- Iere. 48.
mia generat crapulam: crapula autẽ parit somnolentiam.
Somnolentus nõ amat vigilias,nec tempore congruo Deo
cantat psalmodiã. Mẽtem ad cœlũ nec erigit,nec ad com-
punctionis gratiã ascendit,nec ad contẽplationis sublimia
eleuat animã. Tardus est ad orationẽ,fastidiosus in lectio-
ne,durus ad Domini verbũ intelligendũ. Piger seniorib. ad
obediendũ,& in omnibus bonis tepidus ad operandũ. Sed
quia non vult regula monachum multum edacẽ, nec vino-
lentũ,itaq; vult in omnibus temperatum. Generalis enim,
vt B. ait Effrem hic continentiæ modus est, vt secundum
capacitatem virium vel corporis, vel ætatis tãtum sibimet
cibi vel potus vnusquisq; concedat, quantum sustentatio
carnis,non quantũ desideriũ saturitatis exposcit. In vtraq;
enim parte sustinebit magnũ detrimentũ quisquis inęqua-
liter tenens nec ventrẽ ieiuniorũ ariditate constringit, nec H
escarum nimietate resoluit. Mens.n.voracitatis nimietate
pressa emittere ad Deum preces non poterit puras. Sancti
quandiu in hac vita habitant pro desiderio regni cœlorum
corpus aridum portant. Vnde & psalmista ait: *Sitiuit in te* Psal. 62.
anima mea quàm multipliciter, & caro mea. Tunc enim caro
Deum sitit,quando per abstinentiam arescit. Nam sperni-
tur,vt supra dictum est,ieiunium, quod in vesperum reple-
tione ciborũ reficitur. Neq; enim reputanda est abstinen-
tia,vbi fuerit ventris saturitas obsecuta. Non est ergo cor-
pori adhibenda immoderata abstinentia, ne dum amplius
grauatur inedia,quod bonum agere cœpit, non perficiat.
Sed discretè carnis est moderanda materies, ne aut inte-
grè extinguatur,aut immoderatè laxetur. Corporis enim
debilitas vires animæ frangit,& ingenium mentis marce-
scere facit. Nam quidquid cum temperamento fit,salutem
corporis & animæ nutrit.

[A] 37. *Non somnolentum.*] Post castigationem autem edacitatis, & vinolentiæ congruè sequitur castigatio somnolentiæ. Sicut enim non vult regula multum edacem, & vinolentum, sic non vult monachum somnolentum. Sicut enim miles multo onere prægrauatus præpeditur ad bellum, ita impeditur monachus ad vigilias multarum satietate escarum grauatus. Non enim possumus vigilare, cum dapibus fuerit venter noster onustus, sed oppressi somno vigiliarum fructus amittimus, & maximè detrimentum animæ nostræ acquirimus, & egestatem virtutum spiritualium, & paupertatem pariter sustinemus, sicut scriptum [Prou. 6.] est: *Vsquequo piger dormis? quando consurges à somno tuo? Pau-* [Prou. 24.] *lulum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir* [Prou. 20.] *armatus.* Item, *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat; aperi oculos tuos, & saturare panibus.* Cauere debemus, ne ipsa anima nostra dormiat. Somnus animæ est obliuisci Deum suum. Quæcunque anima oblita fuerit Deum suum, dor- [Eph. 5.] mit; ideò dicit Apostolus: *Surge qui dormis, & illuminabit te* [B] *Christus.* Monachus autem somnolentus in operibus suis [Prou. 18.] mollis est, tepidus, & dissolutus. De quo scriptum est: *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* E- [Prou. 12.] contrario de forti operario scriptum est: *Qui operatur terram suam, saturabitur panibus,* id est, qui in vita sua subijcit corpus suum, & in Dei seruitutem redigit, vt illi placeat operando, cui se subdidit obediendo, post solutionem corporis satiabitur, præmium sempiternum accipiendo. In bonis enim operibus monachus fortis esse debet, & doctus, robustus, & validus, non mollis & dissolutus. Hinc Isidorus ait: Qui non rigida intentione monachi professionem sectatur, quanto superni amoris propositum dissolutè appetūt, tanto procliuiùs ad mundi amorem denuò reducuntur. Nam professio non perfecta præsentis vitæ repetit desideria; in quibus etsi nondum se monachus alliget opere, iam tamen alligat cogitationis amore.

38. *Non pigrum.*] Id est, non tardum, vel lentum, non tepi- [Prou. 26.] dum, vel desidiosum. Dictus autem piger, quasi pedibus æger: est enim tardus ad incedendum. Quod nomen per [C] vsum transit & ad animam, vt pigra dicatur, cum fuerit [Prou. 21.] desidiosa. In Prouerbijs enim scriptum est: *Desidia occidit pigrum;* noluerunt enim quicquam manus eius operari. [Prou. 13.] Item ibi scriptum est: Vult & non vult piger; anima autem operantium impinguabitur. Rectè pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum CHRISTO, & non vult operari pro illo. Delectant præmia æterna, & refugit laboriosa opera. Vult habere ocium temporale, & æternam vult accipere mercedem. Anima autem operantium pro Domino, æterno impinguabitur munerib. sempiternis in regno. Qui enim hic pijs pro Domino insudant laboribus, cœlesti accepta refectione gaudebunt, & illam desiderabilem [Matt. 11.] vocem Domini audient dicentis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Item scriptum est: [Eccl. 22.] *In lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur super asper-* [Prou. 19.] *nationem illius.* Item ibi: *Pigredo immittit soporem.* Piger enim dicitur omnis desidiosus, qui rectè sentiendo quasi vigilat, quamuis nihil operando torpescat. Sed pigredo soporem immittit, dum rectè sentiens vigiliam non benè operando [Prou. 20.] amittit. Item scriptum est: *Propter frigus piger arare noluit.* Propter frigus quippe piger non arat, dum desidię torpore [D] præstractus, agere bona dissimulat. Et cum parua aduersa metuit operari, maxima prætermittit. De quo benè subditur. Mendicabit æstate, & non dabitur ei. Quia monachus qui nunc in bonis operibus non laborat, in futuro sæculo nihil accipiens quasi æstate mendicat. Hinc scriptum est: [Prou. 24.] *Per agrum hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerant vrticæ,* &c. Quid est per agrum pigri hominis transire, nisi cuiuslibet vitam negligentis monachi inspicere, & eius opera considerare. Quam vrticæ, vel spinæ replent, quia in corde negligentium monachorum terrena desideria, & compunctiones pullulant vitiorum.

39. *Non murmurosum.*] Aut enim murmurat monachus con- [1. Cor. 10.] tra Domini flagella, aut contra sibi à senioribus impositā [Phil. 2.] disciplinam, aut contra iniunctam sibi à maioribus obedientiam, aut solummodo proprij ventris ingluuie. Qui si auditor obliuiosus non esset, de his omnibus consolationē scripturarum audisset, & non murmurasset. Dicit. n. scrip- [E] [Heb. 12.] tura: *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.* Item dicit: *Fili* [Prou. 5.] *mi, disciplinam Domini ne abijcias, quia qui diligit disciplinam, dili-* [Prou. 12.] *git scientiam.* Item dicit: *Melior est obedientia, quàm victima.* De- [Eccl. 4.] bet ergo monachus has omnes scripturarum auctoritates attendere, & ita sine murmuratione viuere, vt non in murmurationis incurrat malum, & laboris sui perdat præmiū. Hinc nos cum magno terrore Apostolus prohibet mur- [1. Cor. 10] murare dicens: *Neq; murmuraueritis, sicut quidam murmurauerunt, & à serpentibus perierunt.* Ac si diceret: Et custodite vos à murmurationis malo; quia sicut illi, qui in eremo murmurauerunt contra Dominum, & morsibus serpentū dilaniati interierunt, ita & vos à morsibus dilacerati dæmoniorū peribitis, nisi vos à murmuratiōis malo custodieritis. Hinc [Sap. 1.] iterum scriptum est: *Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest.* Nihil. n. prodest monachis iniusta murmuratio, quia de inobedienti, & contentioso procedit animo. Se. n. murmurando condemnat, & illum, aduersus quem murmurat, non emendat. Murmurando. n. magistrum incusat, [F] & sibi pœnas multiplicat. Et si etiā peregerit murmurando opus iniunctum, non sibi laboris præmium, sed animę acquirit detrimentum. Sic. n. in hac eadem B. Benedicti scriptum est regula: Nam cum malo animo, inquit, si obediat disciplinæ, & non solū ore, sed etiam in corde si murmurauerit, etiamsi impleat iussionem, tamē iam acceptum nō erit Deo, qui cor eius respicit murmurātis, & pro tali facto nullam consequitur gratiam, imò pœnam murmurationum incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.

40. *Non detractorem.*] Id est, non defamatorem, reprehenso- [Prou. 4.] rem, vel vituperatorem. Detrahere enim dicitur, qui bonū mutat in malum. Nam qui dicit malum esse, quod malum est, non auctor detractionis, sed amicus dicendus est veritatis. In eo enim quod virtutes eligit, & vitia damnat, diuinæ per omnia voluntati obtemperat. Ipse enim Domi- [Psal. 100] nus ait per psalmistam Dauid: *Detrahentem proximo suo hunc persequebar.* Intantū ergo non oportet consentire detrahenti, vt etiam quantum in nobis est cōsentiamus Domino, & [G] vnà cum illo proximi persequamur detractorem prouidētes in vtroq; vtilitatem. Nostram videlicet & illius, qui detrahit, vt nec nos libenter audiamus, nec illū peccare laxemus. Maius. n. peccatū est, si fieri potest, detrahere, quàm fornicari. Qui. n. fornicatur, se tantùm occidit. Qui verò detrahit, & se, & consentientem sibi in mortis foueā mer- [Prou. 4.] git. Hinc in Prouerbijs scriptum est: *Remoue à te os prauū, & detrahentia labia sint procul à te.* Quod duobus modis intelligi potest, id est, & os nostrum ne loquatur aliquid prauum, & labia nostra ne detrahant proximo, omni seruemus custodia. Et alios, quoscunq; huic vitio viderimus deditos non consentiendo proximos, sed à nobis procul expellendo faciamus alienos, ne vtriq; in detractionis vitio pereamus, [Prou. 24.] quia scriptū est: *Fili, time Deum, & cum detractoribus ne commiscearis, quoniā repente consurgit prædictio eorum, & ruina vtriusque,* id est, & eius qui detrahit, & eius qui detrahenti consentit. [Eccl. 10.] Scriptum est: *Si mordeat serpens in silentio, nihilo minus habet,* [Iacob. 4.] *qui occultè detrahit.* Hinc Iacobus ait: *Nolite detrahere alterutrum fratres mei, quia qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem.*

41. [Psal. 61.] *Spem suam Deo committere.*] Spes enim dicitur bonorum [Psal. 77.] expectatio futurorum, quę exprimit humilitatis affectum, [H] & sedulæ seruitutis obsequium. Spes autem vocata, quod sit progredienti pes, quasi est pes. Vnde econtrariò dicta desperatio, deest. n. illi progrediendi facultas, quia, dum quisq; peccatū amat, futuram gloriam non expectat. Beatus est enim ille, qui spem suam Deo committit, & in æterna fœlicitate, & gloria ponit. Beatus est, cuius spes, vt in æternum viuat, in Domino posita iugiter perseuerat. [Psal. 72.] Hinc Psalmista ait: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.* Ille enim benè adhæret Deo, qui spem suam ponit in illo, quia nihil potest esse beatius, quam illi omnia committere, qui nouit suis cultoribus fu- [Rom. 12.] tura præstare. Hinc Apostolus ait: *Spe gaudentes.* Sed ille omninò de spe cœlesti debet gaudere, quia auxiliante Deo iam prauum cessat agere. Nam qui malum agere non desistunt, vana spe decepti indulgentiam à Deo, & vitam æternam requirunt. Quam rectè quærent, si ab actione

A praua cessarent. Omnis quippe iustus spem, & formidi-
nem debet habere, & nunc illum ad gaudium æternum
spes erigere, nunc debet ad formidinem gehennæ terror
addicere. Timeat ergo monachus Dominum, & sperans
in eo iugiter imploret auxilium, quia scriptum est: *Qui ti-*
Psal. 113. *ment Dominum sperauerunt in Domino, adiutor eorum, & prote-*
ctor eorum est. Cingi se cingulo quasi iustitiæ de misericor-
dia postulet, & de venia non desperet, quia scriptum est:
Psal. 31. *Sperantes autem in Domino misericordia circumdabit.* Fide recta,
Psal. 70. & sanctis operibus adhæreat Deo, & dicat: *Spes mea Domi-*
nus à iuuentute mea. Et, Memor esto verbi tui seruo tuo, in
quo mihi spem dedisti: quia melius est sperare in Domino,
quam sperare in homine.

41. *Bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet, non sibi.*] Quid-
Iacob. 1. quid enim boni monachus in se viderit, Deo applicet, di-
cit, id est, Deo tribuat, Deo exinde gratias agat, & non
suum illud dicat, sed Dei esse cognoscat. Omnia enim bo-
na, quæ ab hominibus habentur, à solo Deo ministran-
1. Cor. 12. tur. Deus enim spiritus est: *Et alij per spiritum datur sermo sa-*
pientiæ, alij sermo scientiæ, alij genera linguarum, alij interpretatio
B *sermonum*, & cætera his similia ab vno sanctis conceduntur
Domino, cui iugiter gratias agere debet omnis homo. Si
enim omnia bona à Domino accepimus, non nobis, sed
illi de omnibus gratias agere debemus. Quid enim habes
ô homo, ait Apostolus, quod non acceperis. Melius ergo,
qui gloriatur, in Domino, non in se glorietur, sicut scrip-
Eccl. 1. tum est: *Fili mi in timore Domini sit gloriatio tua.* Cùm autem
Eccl. 9. dixisset: *Scio & humiliari, & abundare, & satiari, & esurire, &*
Phil. 4. *penuriam pati.* Addidit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.*
Sibi enim nihil tribuit, quia omne se posse non in suis viri-
bus, sed in illo, qui eum confortabat, esse cognouit. Et in
alio loco cum diceret: *Plus omnibus laboraui*; vt non illud si-
1. Cor. 11. bi applicaret, sed Deo, addidit: *Non ego, sed gratia Dei mecum.*
Deo enim debemus, quod sumus, quod viuimus, quod in-
telligimus, quod homines sumus, quod bene, & iuste vixi-
mus, quod rectè, & Catholicè intelligimus, Deo per om-
nia debemus. Nostrum enim nihil est, nisi peccatum, &
malum quod operati sumus. Vnde & sequitur

43. *Malum verò semper à se factum sciat, & sibi reputet.*] Quid-
Oseæ 13. quid ergo in se malum inuenerit monachus factum, à se
C illud veraciter credat inuentum, aut à diabolo instiga-
tum, non à Deo creatum: quia Deus malum non fecit, nec
lætatur in perditione viuorum. Diabolus cum esset ange-
lus bonus, superbiendo factus est malus, & hominem, qui
naturaliter erat factus bonus, decipiendo fecit illum ma-
lum, atque superbum; & sic omne peccati malum per cul-
pam primi hominis introiuit in genus humanum. Quod
etiam per longum vsum quasi naturaliter tenet, & opera-
tur; & vt lex naturalis, sic peccatum in membris regnat
humanis, & repugnat legi mentis, & omnibus virtutibus
Rom. 7. sanctis. Vnde & Apostolus ait: *Video autem aliam legem in*
membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me du-
centem in lege peccati, quæ est in membris meis. Cognoscat ergo
monachus à se factum malum, & omne peccatum, & sibi
reputans dicat Deo: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.*
Psal. 50. Agnoscat & pœniteat, & lacrymans cum Propheta dicat:
Planè hæc iniquitas mea est, & portabo illam. Iterum in-
Psal. 50. gemiscens cum Dauid dicat: *Amplius laua me ab iniquitate*
mea, & à peccato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego
D *cognosco, & delictum meum coram me est semper.* De omni ergo
opere prauo nos accusare, nobisque debemus imputare,
& ex toto corde pœnitentiam agere. Bonum autem ali-
quod in nobis, sicut supra dictum est, non viribus nostris,
neque meritis, sed illi tribuamus, qui habitat in cœlis, &
de thesauro suo virtutes ministrat omnibus sanctis. In
Coloss. 2. Christo enim omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei
reconditi, & in illo donante secundum eius dispositiones
omnes sancti accipiunt portiones. Et ideò non solum de
substantia pecuniæ, quam pauperibus erogamus, sed etiam
de cunctis bonis operibus, quæ agimus, & ministratio-
nibus gratiæ, quam percepimus, Deum honorare, &
eius in omnibus, & non nostram laudem quærere debe-
mus.

44. *Diem iudicij timere.*] Timendus est valdè dies iudicij pec-
catoribus: quia quamuis mitis sit iustis, terribilis valdè est
peccatoribus, & iniquis, qui audituri sunt illo die: *Discedite* E
à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & an- Matt. 25.
gelis suis. De hac enim terribili die in Propheta Sophonia
scriptum est; *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta, & velox ni-*
mis. Vox diei Domini amara tribulabitur ibi fortis, dies iræ, dies illa Soph. 1.
tribulationis & angustiæ: dies calamitatis & miseriæ: dies tenebra-
rum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis: dies tubæ, & clangoris. Ibi
tribulabuntur homines, & ambulabunt, vt cæci, qui Do-
mino peccauerunt, & effundetur sanguis eorum, sicut hu-
mus, & corpus eorum, sicut stercora. Timenda est valde
dies illa à peccatoribus, quia in tempore, & in die illo in i-
gne zeli Domini deuorabitur omnis terra in consumma-
tione, cum festinatione consummationem faciet Domi-
nus cunctis habitatoribus terræ in die illa. Hinc & Apo-
stolus ait: *Terribilis namque est expectatio iudicij, & ignis æmula-* Heb. 10.
tio, quæ consumptura est aduersarios in iudicio. Cogitare modo,
fratres, debemus, quid facere poterimus, cum ad illud vl-
timum iudicandi iudicium venerimus. Quid faciemus,
cum cœperit iudex secreta cordis nostri rimari, & non so-
lùm actus nostros, & verba, sed etiam cogitationes osten- F
dere? Quid faciemus sub tanti iudicis Maiestate positi?
Sub cuius fugiemus auxilium, vel cuius quæremus adiuto-
rium, aut quid excusationis poterimus obtendere? Qua
nos defensionis arte pugnabimus? Quæ nos subuentura
est pœnitentia, quam agere in hac vita contempsimus?
Quæ nos defensura sunt opera bona, quę in hac carne non
fecimus? Ad quos sanctos fugiemus, quorum exempla si-
mul, & verba despeximus? Quid ergo responsuri sumus,
cum nobis Dominus cœperit in iudicio dicere: si potuistis,
quare non bonum egistis, & peccatorum desiderijs non
restitistis? Si verò non potuistis, quare meum contra pec-
cata auxilium non quæsistis? Vnde necesse est modò, vt, dū
viuimus & valemus, declinemus à malo, & faciamus bo-
num, & in omnibus iugiter eius quæramus adiutorium, vt
in bono, quo cœpimus, opere, illo adiuuante perseuere-
mus vsq; in finem; vt in die iudicij cum agnis à dextris po-
siti; Venite, audiamus, benedicti patris, percipite regnum, Matt. 25.
quod vobis paratum est ab origine mundi, Amen.

Gehennam expauescere.] Gehenna est locus ignis, & sul- 45.
phuris, quem appellari putant à valle idolo consecrata, Luc. 12.
quæ est iuxta murum Hierusalem. Ibi Hebræi filios suos G
immolauerunt dæmonibus. Fuit enim vallis filiorum
Hennon, & ab hoc appellabatur gehennon, in qua multa
iacuere cadauera mortuorum. Futuri ergo supplicij locus,
vbi peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo desi-
gnatur. Duplex enim damnatorum pœna est in gehenna;
quarum & mentes vrit tristitia, & corpus flamma. Hunc e-
nim tam terribilem locum non solum monachus, sed om-
nis debet expauescere Christianus. Illuc enim omnes cru-
ciandi proijciuntur damnati, de quibus Dominus ait: *Li-*
gatis manibus & pedibus proijcite illos in tenebras exteriores, ibi erit Matt. 22.
fletus & stridor dentium: vbi vermis eorum non morietur, & ignis Marc. 9.
eorum non extinguetur. Expauendus est valdè tam terribilis
locus iste, vbi est grandis, & multorum fletus, continuus
gemitus, cruciatus æternus, dolor acerrimus, & pœnalis
sensus. Ibi animæ impiorum torquentur, nec deficiunt,
corpora puniuntur, nec finiuntur. Ignis inextinguibilis
durat, vt semper animas reproborum exurat, & ad dolen-
dum magis, quam ad lucendum contineat, & viuentes
semper in suis flammis viuacibus occidat. Omnes enim,
qui in gehenna dicuntur occidi, non hoc cum illis agitur, H
vt consumpti doloribus aliquando deficiant, sed vt in illis
pœnaliter viuant. Hæc, & his similia iugiter ante oculos
mentis nostræ debemus adducere, & gehennam ignis æ-
terni terribiliter expauescere, & insuper diligentissimè, &
apertis oculis mentis intentissimè cogitare debemus, qua-
le malum sit ab illo gaudio diuinæ contemplationis exclu-
di, & in inferni tartarum, & gehennæ locum demergi,
beatissima omnium societate priuari sanctorum, & dæ-
monibus sociari, fieri cœlestis patriæ exteriores, & esse
inferni habitatores, mori vitæ beatæ, viuere morti sempi-
ternæ. Ibi enim non sentitur, quod illuminat, sentitur ta-
men quod cruciat, & omnia, quæ ibi sunt sita, non luce vel
gaudio referta, sed tenebris, doloribus & cruciatibus sunt
plena.

46. *Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare.*] O-
Phil. 1. mni spiritali concupiscentia desideranda est à sanctis Mo-
nachis vita æterna, ad quam cum venerint, multa, & in-
enarrabilia accipient bona. Ibi enim sunt omnia illa dili-
1. Cor. 2. gentibus Deum recondita, de quibus Paulus Apostolus
dicebat: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor homi-
nis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Desiderare e-
nim debent vitam æternam monachi, quia ibi à duris la-
boribus cessabunt, & æternam hæreditatem, & perpetu-
am requiem possidebunt. Ibi cæleste regnum, & glorio-
sum habebunt imperium. Ibi societatem Patriarcharum,
& sedulo obtinebunt consortium Prophetarum. Ibi socie-
tatem omnium sanctorum, & æqualitatem accipient an-
gelorum. Ibi mundo corde Deum videbunt, & de seruis
facti filij, cum Christo regnabunt. Amanda ergò & desi-
deranda est à sanctis monachis vita æterna, quia ibi inue-
nient illam dulcedinem repositam, de qua Dauid Prophe-
Psal. 30. ta dicebat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam
abscondisti timentibus te, & perfecisti eam sperantibus in te.* Ibi
paradisi possessionem amplam, & florentia accipi-
B ent regna. Ibi iucunditatis stola, & regali vestientur pur-
pura. Ibi fugiet dolor, & gemitus, & occurrent sanitas, &
gaudium sempiternum. Fugient mœror, & tristitia, & ve-
Matt. 11. nient pax, & æterna lætitia. Ibi audient à Domino: *Venite
Matt. 25. ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos:* Et,
*Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est
ab origine mundi;* & faciet eos in æterna discumbere gloria;
& transiens ministrabit illis ipse Dominus omnia bona,
Amen.

47. *Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.*] Sollicite, vt
Matt. 24. beatus ait Isidorus, debet, vnusquisque viuere, & semper
Eccl. 7. terminum vitæ suæ custodire, quia scriptum est: *In omnibus
operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*
Venturi ergo exitus ignorantia incerta est, & dum mori
quisque non æstimat tollitur. Vnde vnusquisque mortem
quotidie ante oculos suspectam debet habere, & ne in ini-
quitatibus suis subito rapiatur, simulque cum vita eius
culpa finiatur, sollicite debet timere. Nam diabolus eos,
quos viuentes impellit ad vitia, subito morientes pertrahit
ad tormenta. Quamuis enim quisque in hac vita sit iustus,
C tamen dū è corpore isto egreditur, pertimescit ne dignus
sit supplicio. Nullus est enim homo absque peccato, nec
quisquam potest de Dei securus esse iudicio, cùm etiam de
otiosis sermonibus reddenda sit ratio. Breuis est hominis
vita, & ideo ante oculos mortem debemus semper habere
suspectam. Vita enim præsens, quia quotidie deficit, bre-
ui finitur termino; & ideò timendum est mortis eius pe-
riculum. Non enim vita præsens diu permanet, sed sicut
tela filis perficitur, ita & vita hominis quotidie diebus sin-
gulis expletur. Propterea debemus sollicite mortem, ne
ab illa subito rapiamur, vigilantes timere. Scriptum est e-
Matt. 24. nim: *Beatus seruus ille, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigi-
Luc. 12. lantem,* id est, mortem timentem, & de salute animæ suæ
sollicite cogitantem. Beatus est ergo ille monachus, qui
semper est pauidus, & exitum mortis suæ timendo, semper
est vigilans, & paratus, vt cum media nocte clamor factus
fuerit: Ecce venit sponsus, exite obuiam ei, sine mora cum
ornatis lampadibus obuiam illi egrediatur, & cum illo ad
æternum lætus habitator ingrediatur thalamum, vbi spon-
D si circundatus amplexibus, viuat felix feliciter in æternum,
Amen.

Deut. 4. *Actus vitæ suæ omni hora custodire.*] Ille monachus actus vi-
tæ suæ omni hora bene custodit, qui se à peccato cogita-
tionis, locutionis, & actionis, quantum valet, conseruat
immunem. Quotidie enim actus suos vigilanter, & cu-
riose debet discutere monachus, & si peccati se obnoxium
in aliquo horum senserit, ante solis occasum, & si fieri po-
test, antequam comedat, dormiat, aut aliquid operis agat,
necesse est, vt velociter ad pœnitentiam recurrat, & dein-
ceps ab omni se prauitatis opere custodiat. Non enim so-
lummodo factis delinquimus, sed & cogitationibus, & lo-
cutionibus frequenter peccamus. Vicissim enim & à cogi-
tationibus malis opera mala procedunt, & ab operibus
prauis cogitationes malæ erumpunt. Quamuis enim ab o-
pere malo quis vacet, pro solius tamen prauæ cogitationis
malitia non erit innocens à nequitia. Hinc enim Domi-
nus clamat populus dicens per Esaiam: *Auferte malum cogi-* Esai. 1.
tationum vestrarum ab oculis meis. Sicut enim vipera à filijs
suis in vtero positis lacerata perimitur, ita nos, cogitatio-
nes noxiæ, intra nos enutritæ si fuerint, occidunt, & vipe-
reo veneno consumunt; & nisi fuerint adhuc paruuli ad
petram, id est, Christum elisæ, animam nostram crudeli
vulnere periment, & occidunt, si tamen eis illicite consen-
timus, & eas infæliciter implere conamur. Magna ergò
obseruantia est adhibenda circa cordis nostri custodiam,
quia ab illo & prauæ exeunt cogitationes, & à prauis cogi-
tationibus prauæ procedunt operationes. Et ideo actus
vitæ nostræ omni hora sollicite debemus custodire, ne aut
cogitatione, aut locutione aut operatione lapsi, vt insipi-
entes, & sine custodia ad peccatum trahamur, & à dæmo-
nibus irrisi, vt inermes laceremur.

In omni loco Deum se respicere pro certo scire.] Immensitas di- 49.
uinæ magnitudinis tanta est, vt omnia videat, omnia im- Prou. 5.
pleat, & sit super omnia, & subtus omnia, & infra omnia,
& extra omnia, & nullus sit locus contentus, vbi Deus non
sit. Vnde & Dauid dicebat: *Si ascendero in cælum tu illic es, &* F
si descendero ad infernum, ades. Et ideo omnis creatura Dei, si- Psal. 138.
ue in cœlo sit, siue in terra, siue subter terram, perspicua est
illi, & manifesta. Hinc enim Paulus dicit: *Viuus est sermo* Hebr. 4.
*Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vs-
que ad diuisionem animæ, & spiritus; compagum quoque & medul-
larum, & discretor cogitationum, & non est vlla creatura inuisibilis
in conspectu eius; omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Hinc
Salomon ait: *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, &* Prou. 15.
malos. Quia enim omni hora, & in omni loco nos cogno-
scimus à Deo respici, non debemus in conspectu eius, &
angelorum illius peccare; sed in omni loco, & omni hora,
& omni tempore cum iustitia, & veritate debemus viuere,
& timore, & tremore in conspectu eius stare. Et sicut bea-
tus Iob timuit eum, & nos debemus timere, & cum illo
veraciter dicere: Quasi tumentes fluctus semper super me
timui Dominum, & pondus eius ferre non potui.

Cogitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad Christum al- 50. 51.
lidere: Et seniori spirituali patefacere.] Sunt enim cogitationes Eccl. 8.
transeuntes, vanæ, atque volaticæ, quæ quanto velociter
transeunt, tanto minus cogitantem polluunt. De quibus G
Salomon ait: *Et otiosæ erunt molentes in minuto numero,* id est, Eccles. 12.
cogitationes, quæ in hominis vita, quasi molentes voluun-
tur in mente, & exeunte anima è corpore vacuæ remane-
bunt omnes & otiosæ. Has ergo, quia nemo potest omnes
memoriter retinere, nec ab aliquo vnquam compellitur
dicere. Sunt verò aliæ cogitationes noxiæ, & frequenter
delectant animum, & eum suasum volunt mergere in pec-
catum. Hinc Salomon ait: *Cogitatio stulti peccatum est.* Hinc Prou. 24.
iterum dicit: *Abominatio Dei cogitationes malæ, & purus sermo* Prou. 15.
pulcherrimus. Quas nos cogitationes beatus Benedictus
non in cordis sinu abscondere, sed ad Christum allidere,
& Patri spiritali adhortatur patefacere. Scriptum est enim:
Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, Prou. 28.
& reliquerit ea, misericordiam consequetur. Ille ergo monachus
misericordiam à Domino facillime consequitur, qui pura
mente, & humili corde cogitationes spiritali non celaue-
rit patri. Cogitationes malas cordi nostro aduenientes ad
Christum allidere est, contra illarum illecebras delecta-
tionum Christi auxilium implorare, & vt victor possit exi- H
stere, spem suam Christo committere, & in illo fideliter
credere, & firmiter sperare, & de triumphi victoria non si-
bi placere, sed Christo gratias agere. Quas cogitationes
ideo spiritali patri patefacere iubet, vt ab illo salutis consi-
lium, & à Domino velocissimum inueniat peccati reme-
dium, sicut scriptum est: *Dixi pronunciabo aduersum me inius-* Psal. 31.
stitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Mise-
ricors enim Deus eo citius peccata diluit, quo hæc exire ad
opera non permittit. Et cogitata nequitia tanto citius
soluitur, quanto ad effectum operis districtius non liga-
tur. Et quam super hæc sit facilis venia ostendit. Qui dum
se promittit adhuc petere, hoc quod se petere promittebat
obtinuit, quatenus quia vsq; ad opus nō venerat culpa, vsq;
ad cruciatū nō perueniret pœnitentia, sed cogitata afflictio
menté tergeret, quantū modo cogitata iniq;tas inquinaret.

A *Os suum à malo, vel prauo eloquio custodire.*] Hinc nos Salomon admonet dicens: 52. Prou. 4. *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.* Hinc Paulus ait: Ephes. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem oportunitatis, vt det gratiam audientibus.* De ore enim monachi non malus, vel prauus, sed ædificationis, & gratiæ debet procedere sermo. Domino enim trahente post ipsum bonus monachus currit, & ideo, vt & alij sequantur, exhortatorium, nō malignum crebro debet proferre sermonem. Scriptum est enim: Qui audit dicat, veni, id est, quisquis monachorum internum fidei, vel charitatis lumen accipere meruerit, ad hoc & alios inuitare non cesset. Ideo autem os nostrum à malo, vel prauo eloquio custodire debemus, ne nos prius suæ malitiæ veneno inficiat, & postmodum in alios mortiferum virus diffundat. Scriptum est enim: Eccli. 28. *Flagelli plaga liuorem facit.* Plaga autem linguæ comminuit ossa. Iacob. 3. *Plena est enim*, vt Iacobus Apostolus ait, *veneno mortifero lingua*; & ideo cautissime debemus custodire illam. Scriptū est enim: Prou. 13. *Qui custodit os suum, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet malum.* Malum sine dubio sentiet in futuro, qui dum viuit seminare non cessat scandalū. Prou. 16. B Hinc Salomon ait: *Vir insipiens fodit malum, & in labijs eius ignis ardescit.* Prou. 25. Hinc iterum dicit: *Iaculum & gladius & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum malum.* Solet enim contingere, vt dum quædam parua vitiorum mala nō euitamus, in magno linguæ prolabimur crimine. Et dum facta quædam non grauia sine metu committimus, ad peiora scelera peccandi consuetudine labimur. Et dum multa incaute loquimur, sine dubio aut in Deum, aut in fratrem peccamus. Vnde & apta nobis admonitio sequitur

53. *Multum loqui non amare.*] Magis enim silentium, quam multiloquium debet amare monachus. De silentio enim Esai. 32. Esaias ait: *Cultus iustitiæ silentium.* Mentis enim iustitia desolatur, Prou. 10. quando ab immoderata locutione non parcitur. Prou. 23. De multiloquio enim Salomon ait: *In multiloquio peccatum non deerit.* Hinc iterum scriptum est: *Sicut vrbs patens & absq; murorum ambitu, ita vir, qui non potest cohibere spiritum suum.* Monachus enim qui murum silentij non habet, inimici iaculis patet. Quē tanto inimicus sine labore superat, quanto C & ipse contra semetipsum per multiloquium pugnat. Hinc Iacob. 1. Iacobus dicit: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Hinc rursus ait: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum.* Admonēdi sunt, vt beatus ait Gregorius, multiloquio vacantes, & vigilantes aspiciant, à quo rectitudinis statu depereunt, dum per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more, & circumclausa ad superiora colligitur, & relaxata deperit, quia se per infinita inutiliter spargit. Quo enim superuacuis verbis à silentij sui censura dissipatur, quasi tot riuis extra seducitur. Vnde & rectè interius ad se non sufficit, quia per multiloquium sparsa à secreto se intimæ considerationis excludit.

54. *Verba vana, aut risui apta non loqui.*] Vana enim verba sunt illa, quæ & otiosa vocantur, scilicet quæ aut ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis carent. Grande enim vitium est, & omnibus modis cauendum à monachis vaniloquium, quod à vanitatis procedit fomite, & quasi suadendo, & leniter leuem decipit hominem. Est enim vanitas, leuitas animi loquacitatis superfluæ, & ociositatis semper in corde portans fomitem, & in ore vanum sem- D per profert sermonem. Est enim simulatio quædam virtutum appetitio dignitatum, caua, morbida, & turbulenta, dulcis miseris, amara perfectis, periculosa duris, imperiosa subiectis, leues captiuat, captiuatos oblectat, ambitiosos vexat, angustos inflat, elatos humiliat. Cui seruiunt tumidi, sub qua iacent elati, quam inueniunt perditi, ad quam currunt lapsuri. Hæc est vanitas, quæ non aliquas virtutes, vt putatur, exangulat, sed licentiam vitiorum cum fuerit recepta, corroborat. Nam mentes virtutibus plenas omnino non penetrat, vacuos virtutibus tentat, dilectores suos præcipitat, eos videlicet, qui se turpiter iactant, & se ab omnibus prædicari per nefas delectant. Qui salutationibus occurrentium gaudent, suis adulatoribus fauent, voluptatibus parent, hominibus turpibus placent, gestiunt docere, quod nesciūt, credidisse sublimia volunt, delectabilibus gaudent, appellationes virtutum vitijs suis E imponunt, seipsos fallunt, fauentes sibi decipiunt. In promissione veloces, in exhibitione mendaces, in verbo graues, in animo turpes, vbiq; fallaces, læti ad prospera, fragiles ad aduersa, inflati ad obsequia, anxij ad opprobria, immoderati ad gaudia. Hoc est vitium vanitatis, quod omnino nō debent habere monachi, sed diligentes & ex corde & ore proferentes veritatē Christum Dominum sequi debent & imitari, vt cum illo feliciter possint in æternum regnare. Hæc autem supradicta vanitas in vano corde in vano moratur & peccatore. Semper enim alios ridere semper aliorum cachinnos facit excutere. Cuius indicium & in vaniloquio, & in multo & excusso sæpè deprehenditur esse risu. Vnde & subditur;

Risum multum, aut excussum non amare.] Oportet enim monachos amplius flere, quam ridere; quia scriptum est. 55. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Prou. 24. In Euangelio autem Dominus ait: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. In valle enim lacrymarum sumus, & ideo non ridere, sed lugere debemus. Lacrimas enim pro peccatis nostris, lacrimas pro dissolutione corporis, lacrimas pro desiderio nostri redemptoris, & societate omnium angelorum, & omnium habere debemus sanctorū; lacrimas vt à pœnis F inferni, & à laqueis liberemur diaboli. *Qui* enim, ait Psalmista, *in lacrimis seminant, in gaudio metent*, Psal. 125. id est, qui orationes cū lacrimis & gemitu, dum in mortali corpore viuunt, fundunt ad Dominū, post obitum laboris sui præmium in gaudio metent æterno: in gaudio videlicet illo, de quo discipulis suis Dominus ait: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudiū vestrum nemo tollet à vobis.* Ioan. 16. Plus ergo monacho salutarem tristitiā, quam vanam conuenit habere lętitiam. Scriptum est enim: *Cor sapientium vbi tristitia, & cor stultorum vbi lætitia.* Eccles. 7. Hinc iterū scriptū est. *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Eccles. 7. Hinc nos Iacobus Apostolus terribiliter admonet dicens: *Miseri estote, lugete & plorate. Risus vester in luctū conuertetur, & gaudium in mœrorem.* Iacob. 4. Hinc Dominus ait: *Væ vobis qui ridetis, quoniā plorabitis, & flebitis.* Luc. 6. Nō multū debet ridere monachus, qui corde contrito Ioan. 16. & humiliato debet seruire Domino. Nō excussum risum, id est, qui alta voce excutitur, & excutientē se excutit, debet amare monachus, ne stultus notetur ab hominibus, quia G scriptū est: *Stultus in risu exaltat vocē suam.* Et, *sicut sonitus spinarū sub olla, sic risus in ore stulti.* Prou. 14. Eccles. 7. Naturaliter est enim ridere homini, & ideo nō potest homo illi penitus prohibere, sed vt suppresse, caute fiat, & honeste licet illi concedere, quod & natura cōpellente penitus non potest homo relinquere.

Lectiones sanctas libenter audire.] Lectionis enim sacræ co- 56. gnitio, cultoribus suis sensus acumen ministrat, intellectū Luc. 11. multiplicat, torporem excutit, otium amouet, vitam componit, mores corrigit, salubrem gemitum facit, & lacrymas compuncto corde producit, loquendi tribuit facundiam, & æterna laborantibus promittit præmia, spiritales diuitias auget, vaniloquium, vanitatesque compescit, & desiderium Christi, patriæque cœlestis accendit, quæ semper orationi socia, semperque orationi debet esse connexa. Orationibus enim mundamur, lectionibus autem instruimur. Et ideo, qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, & frequenter legere. Nam cū oramus ipsi, cum Deo loquimur, cum vero legimus Deus nobiscum loquitur. Omnis enim perfectus in lectione, oratione, & meditatione procedit. Quæ enim nescimus, lectione discimus; quæ autem didicerimus, meditationibus conserua- H mus, & vt conseruata à nobis impleantur, oratione adipiscimur. Geminū enim confert donū sanctarum lectio scripturarum, siue quia intellectū mentis erudit, seu quod à mundi vanitatibus abstractū hominem, ad amorē Dei perducit. Hinc Paulus Timotheū admonet dicens: *Dum venio attende lectioni doctrinæ, hæc meditare, & in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus.* 1. Tim. 4. Nemo enim sensum scripturæ sacræ pleniter cognoscere poterit, nisi assidue legendo, aut audiendo eius familiaritatem habuerit, sicut scriptum est: *Ama illam, & exaltabit te, glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.* Prou. 4.

Orationi frequenter incumbere.] Incumbere dicit, instare, 57. vel incubare. Et congrue nos post lectionis auditionem o- Matth. 6. rationi iussit frequenter incumbere. Non enim à lectione Luc. 11. dissen-

A dissentit oratio, nec ab oratione aliena est lectio. Aliquoties autem proferunt vnum, aliquoties vero diuersum. Sed quia oratio dicitur oris ratio, neutra illarum orationis nomine caret, vtroq; rationabiliter cautæ, vtroq; vero rationabiliter sunt dictatæ. Multum enim apud Dominū vtraq; sibi necessario commendatur, vt oratione operatio, & opere fulciatur oratio.
Thren. 3. Vnde & Hieremias ait: *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum.* Cor enim cum manibus leuat, qui orationem cum opere subleuat. De instantia enim
Rom. 12. orationis nos Paulus admonet dicens: *Orationi instantes, &*
Ephes. 6. *orantes omni tempore in spiritu.* Quia enim omni tempore offendimus, sicut scriptum est; In multis offendimus omnes; omni tempore pro offensis orare debemus. Hinc iterum
1. Thess. 5. Paulus ait: *Sine intermissione orate.* Hinc Petrus dicit: *Estote i-*
1. Petr. 4. *taque prudentes, & vigilate in orationibus.* Quoties enim cunq; vitio quolibet tangimur, ad orationem nos subdere debemus; quia frequens oratio vitiorum est impugnatio. Oratio autem non labiorum tantummodo debet esse, sed & cordium. Non enim multiplicia verba Deus attendit, sed
B orantis cor aspicit. Nunquā est sine gemitu orandum; nam peccatorū recordatio mœrorem gignit. Dū enim oramus ad memoriam reducimus culpam, & magis reos tunc nos esse cognoscimus. Ideoq; cum Deo assistimus, gemere & flere debemus, reminiscentes, quā grauia sunt scelera, quæ commisimus, quamq; dira inferni supplicia, quę timemus. Mens qualem se in oratione offert, talem se post orationē conseruet. Nam nihil proficit oratio, si denuo committitur, vnde iam in venia postulatur. Ille enim in precibus desideratum effectum sine dubio percipit, quod orando ablui postulat, delinquendo non iterat.

58. *Mala sua cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo con-*
Psal. 6. *fiteri.* Confessio duobus modis intelligitur; aut in laude, vt
Matt. 11. patri Dominus ait dicens: *Confiteor tibi pater cœli & terræ:* aut
Luc. 10. dum quis confitetur sua peccata ab eo indulgenda, cuius est indeficiens misericordia. Adhuc enim hoc sæculo positis confitentibus Dei misericordia subuenit; post mortem autem pœnitentia, dolor, & gemitus animas cruciant, sed à peccati supplicio non liberant. Nō enim celanda est culpa, quæ animæ post mortem æternam ingerit pœnam. Nā,
C sicut Cassianus ait, non poterit diabolus circumuenire, vel deijcere iuuenem monachum, nisi eum, quem viderit aut per superbiam, aut per verecundiam suas cogitationes celare. Nam euidenter diabolicam cogitationem patres eam dixerint, quam iunior seniori confunditur aperire. Melius est enim Domino cōfiteri peccata, & de misericordia eius fiducialiter sperare veniā, quam in modico temporis celare delictum, & æternum animę recipere detrimentū. Hinc
Prou. 28. Salomon ait: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Facilius enim sibi Deum placat, qui non humano est victus iudicio, sed vltro crimen cognoscit admissum, & factus sibimetipsi iudex & vltor punit lacrymis, quod prius omisit operibus, & non erubescit fletibus bene punire, quod non
Eccl. 4. erubuit male committere. Hinc iterum scriptum est: *Non confundaris Domino confiteri peccata tua.* Certus vnusquisq; nostrum confiteatur peccata sua Domino, quia si in pœnitentia perseuerauerit, & confessus fructus dignos pœnitentiæ fecerit, non solum peccatorum veniam, sed etiam ciuis su-
D pernæ ciuitatis effectus, præmia recipiet sempiterna.

Et de ipsis malis de cætero emendare.] Ille ergo pœnitentiam digne agit, qui sic præterita mala deplorat, vt futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lauet laterem crudum, quem quanto magis lauerit, tanto amplius lutum facit. Ille ergo pœnitentiam digne agit, qui, quæ commisit, iam non committit, sed cum satisfactione de his, quæ gessit, emendationem promittit. Festinare enim debet ad Dominum pœnitendo vnusquisq; dum potest, ne si, dū potest, noluerit, cū
Esai. 55. tarde voluerit, omnino nō possit. Hinc Propheta ait: *Quærite Dominū dum inueniri potest; inuocate eū, dū prope est.* Nō enim oportet pœnitentē de peccatis suis habere securitatē. Nam securitas negligentiam parit, negligentia autē ad vitia pristina hominem trahit. Sed pœnitens præuidere debet callidas contra se hostis insidias, vt nec ad transacta vitia reuerti, nec amplius quod malum est vlterius debeat agere.

Desideria carnis non perficere.] Desideria carnis dicit volu- E
ptates, vel cupiditates corporis. Non perficere dicit, ad ef- 59. Galat. 5.
fectum non perducere, id est, operibus non implere. Hinc
Paulus ait: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Galat. 5.
Desideria carnis perficere, est carnis concupiscentias, & motus corporis temporales ad effectum operis perducere.
Hinc Petrus ait: *Charissimi obsecro vos, tanquam aduenas & pe-* 1. Petr. 2.
regrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Dum enim concupiscentijs blandientibus caro onerui ter obiurgatur, vitiorum exercitus firmiter aduersus animā armatur. Desideria enim carnalia sunt effectus sordidæ delectationis, & illecebræ carnalium vitiorum. Quibus illectus monachus, vanis fabulis & verbis delectatur superuacuis, & spectaculis rerum terrestrium, & terrenis gaudijs delectatur, ingluuie ventris & desiderio gutturis exæstuat, ambitione honor conficitur, & humanis laudibus, vel illecebris vanæ gloriæ delinitur. Cor miserum in superbia eleuat, & in omnium vitiorum multitudinē malesanum præcipitat. At cōtra monachus, cui desideria carnis implere minime delectat, virtutibus sacris armatus, cōtra desideria, vel vitia carnis fortiter pugnat, & aduersus F
impetus vitiorum contrarijs virtutibus dimicat. Contra luxuriam enim adhibet cordis munditiam, libidinē abstinentia domat. Contra odium dilectionem præparat; contra iram opponit patientiam; contra timorē fiduciā: largitatem contra auaritiam; humilitatem contra superbiam. Et sic singulis vitijs singulas opponit virtutes, vt non eis superatus succumbat, sed illis superatis victor existat.

Voluntatem propriā odire.] Propriam dicit, id est, priuatam, vel singulariter suam, quam nullus alius approbat, nullus iustam esse proclamat, quia etsi bona illi videtur, qui eam conatur implere, ideo non est bona, quia propria, & quia nullius patris consilio approbata. Hinc enim scriptum est:
Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Hinc Eccl. 18.
Dominus ait: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui me* Ioan. 6.
misit. Sancti viri proprias voluntates renunciantes sic huic mundo moriuntur, vt soli Deo viuere delectentur. Et quāto se ab huius voluptatibus subtrahunt, tanto præsentiam Dei, & angelicę societatis frequentiā mentis acie contem-
plantur. Ad perfectum enim, negatis omnibus, quæ possi- G
det, non potest peruenire, nisi & proprias abnegauerit voluntates. Quid est enim abnegare semetipsum, nisi proprias voluntates relinquere?

Præceptis Abbatis in omnibus obedire:] Abbatis præcepta sem- 60.
per debent esse iusta, & sancta. Et ideo à discipulis semper Hebr. 13.
& in omnibus debet eis obediri. Nam si aliter, quam oportet, præcepit discipulis, respondendum est illi, quod respō-
derunt & Apostoli: *Oportet obedire magis Deo, quam hominibus.* Actor. 5.
Abbatis ergo præceptum nunquā à Domini debet discordare mandato, ne, dum præcepto Abbatis obeditur, à præceptis Domini discordetur. Obediatur ergo necesse est Abbati, vt idem sit & obedientia Christi. Ipse enim disci-
pulis ait: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit.* Luc. 10.
Hinc Paulus Apostolus ait: *Obedite præpositis vestris, & subiace-* Hebr. 13.
te eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hinc Salomon
ait: *Melior est obedientia, quam victima.* Hinc Paulus iterum di- Eccles. 4.
cit: *Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, &* 1. Thess. 5.
præsunt vobis in Domino, & monēt vos, vt habeatis illos abundantius
in charitate, & propter opus illorū pacē habere cū eis. Christi enim H
vices videtur Abbas agere in monasterio, & ideo exhibendū est illi obedientiæ bonū. Si enim, vt decet, opus agit perfectū, necesse est, vt à subditis imitetur. Attamen si pro fragilitate corporis, aut animi imbecillitate, quod verbis prædicat, operibus implere recusat, subditi quod sequitur audiant: Et præceptū Domini nostri Iesu Christi factis adimpleant, id est,

Etiamsi ipse aliter (quod absit,) agat, memores illius Dominici præ- 61.
cepti, quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Non velle Matth. 6.
dici sanctum, antequam sit, sed prius esse, quo verius dicatur:] Cum beatus diceret Benedictus, ne iactantiæ vitio se succumbat monachus, prudenter eum, & breuiter castigat, & admonet. Sunt enim aliqui monachi, qui non esse, sed dici cupiunt sancti. Nomen sanctitatis volunt habere, sed sanctitatis opus non cupiunt exercere. Ergo qui sanctitatis nomen habere desiderat, necesse est, vt prius sanctitatis opus age-

A re non desistat. Dominus autem filijs Israel non dixit: Di- E
Leuit. 11. cimini sancti, quia & ego sanctus dicor, sed, *Estote*, inquit,
19. & 20 *sancti, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Vnde necesse est, vt qui vult dici sanctus, sanctitatis prius festinet agere opus, & spiritales sagaciter quærere fructus, quibus refertus iuste possit dici, & esse sanctus. Nemo rite poterit dici sanctus, nisi qui spiritus sancti meruerit accipere fru-
Galat. 5. ctus. *Fructus autem spiritus est*, vt ait Apostolus, *charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, mansuetudo*, & cæterarum omnium congregatio virtutum, quibus omnibus, vt dictum est, monachus repletus, & dici rite poterit, & esse sanctus.

62. *Præcepta Dei factis quotidie adimplere.*] Hinc Iacobus ait:
Iacob. 1. *Estote autem factores verbi, & non auditores tantum.* Hinc Pau-
Rom. 2. lus ait: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* In Apocalipsi autem sua cum dixisset Ioan-
Apoc. 1. & 22. nes: *Beatus qui legit, & qui audiunt verba prophetiæ huius libri*; protinus adiunxit: *& seruat ea, quæ in illa scripta sunt.* Hinc in
Ioan. 14. Euangelio Dominus dicit: *Si diligitis me, mandata mea ser-*
Ioan. ibid. *uate.* Hinc iterum ait: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me*, id est, qui habet in memoria, & seruat in
B vita: qui habet in sermonibus, & seruat in moribus; qui habet audiendo, & seruat faciendo, aut qui habet faciendo, & seruat perseuerando. Hinc iterum Dominus ait: *Qui*
Matt. 7. *audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificat domum suam supra petram*, &c. Hinc iterum & ipse Dominus
Mat. ibid. dicit: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est,*
Ioan. 8. *ipse intrabit in regnum cælorum.* Et, *Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Hinc nos
Prou. 3. per Salomonem Dominus admonet dicens: *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea custodiat cor tuum. Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.* Hinc ite-
Prou. 7. rum idem Salomon ait: *Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi, serua mandata mea, & viues.*

63. *Castitatem amare.*] Castitas dicitur corporis, & cordis in-
1. Tim. 5. corruptio. Quidam autë dixerunt castitatem esse in mente, virginitatem in corpore, sed illa est vera, & veraciter castitas, quæ nec mentë sinit maculari, nec corpus pollui. Quæ non solum in virginibus, sed & in continentibus fulget, &
C pulchritudinis suç candore nitescit. Cuius pulchritudinem
Sapien. 4. admirans scriptura dicit: *O quam pulchra est casta generatio.*
Esa. 56. Nam virgines fœliciores fore in vita æterna Esaias testatur dicens: *Hæc dicit Dominus eunuchis: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Amanda est ergo pulchritudo castitatis, quæ amatores suos à mundi curis separat, & in Hierusalem cœlesti nomen sublimissimũ, & lucidissimũ locum præparat, quæ suis cultoribus continentiæ præmiũ, & nomen tribuit filiorũ. Donat nomen æternum, & choro sociat angelorum. Amanda est ergo pulchritudo castitatis, quæ virgines, & continentes angelis facit æquales. Castitas enim corporis humilitate, & puritate sanctificatur, atque perficitur cordis. Nã nihil prodest incorruptio carnis, vbi non est integritas mentis. Nihilq; valet mundum esse corpore eum, qui pollutus est mente. Sicut enim castus corde, & corpore angelis & hominibus suauë facit odorë, ita pollutus corde, & corpore vbiq; horridũ spargit fœtorë. Castus enim puritatis virtute nitescit, pollutus immundis sor-
D dibus fœtet. Castus, & purus sanctis coniungitur angelis, immundus immundis sociatur dæmonibus. Pollutũ polluti dæmones mergunt in tartarũ, castum vero S. angeli suscipiunt in cœlũ. Ille quia semper in tenebris comittere nõ erubuit malũ, iuste damnatus in tenebrosum demergitur barathrũ. Iste quia castitatis nitorë dilexit in luce, lucidus lucidæ æternitatis semper regnabit in lumine. Amemus ergo castitatis mundiciam, quæ nos præsenti castos cõseruet in vita, & in futuro æterna faciet recipere præmia.

64. *Nullum odire.*] Flebiliter autem deplorandi sunt, qui odio in fratre tabescunt, & contra alios perniciosum animæ dolum seruant. A regno enim Dei separant se, qui semetipsos à charitate fraterna dissociant. Hinc Ioannes Apostolus
1. Ioan. 2. ait: *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque*
Ioan. ibid. *adhuc.* Item ipse ait: *Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quo eat, quoniam tenebræ occæcauerunt oculos eius*, id est, propter odium fraternum nescius in inferni gehenna præcipitatur, & ignarus, & cæcus in tenebrosam inferni pœnam demergitur. Ipse iterum dicit: *Qui odit*
1. Ioan. 3. *fratrem suum, homicida est.* Non mouet manus ad occidendum hominem, & homicida iam tenetur à Deo. Nam vbi retributionis tempus aduenerit, cum Cain, qui ex maligno erat, damnabitur, qui hoc genere homicidij, id est, odij tenetur. Ipse iterum dicit: *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, &*
1. Ioan. 4. *fratrem suum odit, mendax est.* In hoc enim probatur esse mendax, quod diligat Deum, quem non videt, quoniam non diligit, sed odio habet fratrem, quem videt. Hoc enim mandatum accepimus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

65. *Zelum & inuidiam non habere.*] Liuor alieni boni suum
Iacob. 1. punit auctorem. Nam vnde bonus proficit, inde inuidus contabescit. Vnde & membrum est diaboli, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarũ. Nam zelare, & inuidere alterius bono nõ est paruum, sed grande, & magnum peccatum. Diabolus inter initia mundi statim zeli liuore perculsus perijt primus, & sic perdidit alios. Radix omniũ malorum est & fons vitiorũ zelari, & inuidere alterius bono. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Auaritiam F
zelus excitat. Per zelum timor Dei spernitur: iudicij dies non prouidetur. Inflatur superbia, exacerbatur humilitas, perfidia præuaricatur, patientia cõcutitur, furit discordia, ferocit ira. Hinc omne pacis vinculum rumpitur; hinc fraterna charitas violatur; hinc adulteratur veritas, scinditur vnitas; hinc vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, tremor in labijs, stridor in dentibus. Quid plura referam. De zeli liuore fons omnium vitiorum consurgit, sicut Ia-
Iacob. 3. cobus ait: *Vbi est zelus & contentio, ibi incõstantia, & omne opus prauum.* Vnde & hic apte sequitur;

66. *Contentionem non amare.*] Contentio dicitur controuer-
Phil. 2. Tit. 3. sia, pertinacia, vel disceptatio cõtentiosa. Non ergo debet amare monachus contentionem verborum, sed potius firmiter tenere debet amorem fraternum. Si enim mortui sumus peccato, non debemus viuere mundo, & fratri verbũ proferre contentiosum, quoniam omnium malorũ fomes, est contentio verborum, periculum animarum, & subuer-
2. Tim. 2. sio est auditorum. Hinc Paulus Timotheo ait: *Noli verbis contendere.* Ad nihil est vtile, nisi ad subuersionem audienti-
G um. Pensandum namq; est, quomodo cõtentio inutilis facientes concutit, quando & audientes subuertit. Nisi enim prius concussio praua in corde fuisset, contentio in publi-
2. Cor. 12 cum non venisset. Hinc Paulus iterũ ait: *Ne forte contentiones, æmulationes, animositates, & dissensiones sint inter vos.* Hinc & Ia-
Iacob. 3. cobus ait: *Quod si zelum amarum habetis, & contentionem in cordibus vestris, nolite gloriari.* Intër carnales enim monachos cõ-
Prou. 17. tentio semper consurgere solet, sicut scriptum est: *Semper*
1. Cor. 3. *iurgia quærit malus.* Hinc ipse Paulus ait: *Cum enim sint inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum carnem ambulatis?* Per contentiones enim inutiles suscitantur iræ, generantur inter fratres discordiæ, nutriuntur animositates, procedunt lites, efficiuntur dissensiones, emergunt æmulationes, suscitantur scandala, &, vt breuiter dicã, nascuntur inter fratres omnia mala. Vnde verũ est illud, quod Sa-
Prou. 20. lomon ait dicens: *Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* Contentionem enim Apostolus inter opera tenebrarũ
Rom. 13. annumerat dicens: *Abijciamus ergo opera tenebrarum.* De qui-
Rom. ibid. bus operibus subiecit dicens: *Nõ in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmu-* H
latione. Contentio in eis est, qui secundum carnem viuunt, & qui in tenebris ambulant. Qui autem in luce est, nihil per contentionem, aut elationem, neque per gloriam gerit inanem. Vnde & sequitur;

67. *Elationem & iactantiam fugere.*] Elatio dicitur iactantia
Psal. 130. mentis, & audacia cordis, confidentia virtutum, vel temeritas & timor cordium. Nisi enim præcesserit, vt beatus ait Isidorus, occulta elatio mentis, non sequitur aperta iactantia laudis. Vtilius est, inquit, ruentibus quocunq; vitio labi, & humiles post casum Deo fieri, quam per elationem superbiri. Nonnunquam gemino vitio Christianus à diabolo appetitur, & occulto per elationem, & publico per libidinem. Sed dum vitat quis libidinem, cadit in elationem. Item dum incaute declinat elationem, cadit in libidinem.

Sicque

A Sicque ex occulto elationis vitio itur in apertum libidinis,
& de aperto libidinis itur in occultum elationis. Sed Dei
seruus discrete vtrumque pensans sic cauet libidinem, vt
non incurrat in elationem; sic vitat elationem, vt non re-
soluat animum ad libidinem.

68. *Seniores venerari.*] Humilitas enim bonorum subdito-
Leuit. 19. rum, veneratio est fratrum seniorum. Neque enim since-
1. Tim. 5. re poterit venerari seniorem, nisi qui humilem, non tumi-
dam, & elatam habuerit mentem. Veneratio enim senio-
rum in verbis debet esse, & in factis. In verbis, vt ei pau-
ca, & rationabilia verba humiliter loquatur, & cum reue-
rentia. In factis autem, vt illo transeuute iunior surgat,
illo iterum iubente sedeat, illo loquente audiens taceat,
interroganti humiliter respondeat, iubenti obediat, tran-
seunti inclinato capite benedictionem humiliter petat,
& in omnibus, vbi rationabiliter res postulat, iunior mo-
nachus seniori obediat. Hinc Paulus Timotheo ait di-
1. Tim. 5. cens: *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* Et,
Coloss. 3. *Filij obedite parentibus vestris in Domino.* Nam & Dominus de-
scendit de Hierusalem cum parentibus suis in Nazareth,
B & erat subditus illis. Hinc per quendam sapientem dici-
Eccl. 7. tur: *In tota anima tua time Deum, & sacerdotes illius sanctifica.*
Eccl. ibid. Ipse iterum dicit: *In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, &
ministros eius non derelinquas.* Sed & hoc intuendum, ne ac-
cepta à iuniore senior reuerentia, in tumore se extollat, &
sic scandalum nutriat, sed magis, magisque se humilians, vt
filios amore paterno diligat, & ita eos ad humilitatis obe-
dientiam compellat. Vnde & sequitur;

69. *Iuniores diligere.*] Geminam enim dilectionem à seniori-
bus debent accipere iuniores. Vnã, quia fratres sunt. Scri-
ptum est enim: Hoc mandatum accepimus à Deo, vt qui
diligit Deum, diligat & fratrem suam. Alteram, quia obe-
dientes senioribus humiliter seruiunt. Hinc enim scriptum
est: Seruus sensatus sit tibi dilectus, quasi anima tua, quasi
fratrem sic eum tracta. Si hoc de seruo, quanto magis in-
telligendum est de filio & fratre dilecto.

70. *In Christi amore pro inimicis orare.*] Amor enim Christi fa-
cit nos diligere inimicum, facit etiam & orare pro illo,
quia si filij eius sumus, in quantum possumus, imitari eum
C debemus. Ipse enim pro persecutoribus suis orauit dicens:
Luc. 23. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Vt simus ergo fi-
lij eius imitatione, sicut iam gratia illius sumus adoptione,
secundum eius imperium diligamus inimicos etiam, & o-
remus pro illis. Ipse enim Imperator nobis imperans ait:
Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro
persequentibus, & calumniantibus vobis, vt sitis filij patris vestri, qui
in cœlis est; qui solem suum oriri facit super bonos, & pluit super iu-
stos, & iniustos.* Cum enim dixisset; Vt sitis filij patris ve-
stri, qui in cœlis est, addidit: qui solem suum facit oriri su-
per bonos & malos, &c. vt nos intelligentes faciamus ini-
micis nostris bene, & nostrã ad eos extendamus dilectio-
nem, & pro illorum salute fundamus orationem, vt qui fi-
lij Dei iam facti sumus per adoptionem, efficiamur & nati
1. Petr. 2. per imitationem. *Christus pro nobis passus est*, ait Apostolus
Petrus, *nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.*
Quod non solum de passione, sed & de inimici dilectione,
& pro eis facta debemus intelligere oratione.

71. Ephes. 4. *Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire.*] Sicut
pia mater Ecclesia ab omnibus male viuentibus, siue hæ-
D reticis premitur, sed tamen eos ad se venientes benigna
charitate amplectitur; ita & nos quoscunq; inimicos susti-
nemus reuertentes ad nos materna imitatione amplexari
statim debemus; quia qui fratrem tardius sibi reconciliat,
Matth. 5. Deum sibi tardius placat. Hinc enim Dominus ait: *Si offers
munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus ha-
bet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & va-
de prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*
Ephes. 4. Hinc Paulus Apostolus ait: *Irascimini, & nolite peccare. Sol nõ
occidat super iracundiam vestram.* Hinc ostendit, quia ante so-
lis occasum & culpatus petendo recipere veniã, & læsus lę-
denti dimittendo debet indulgere delicta. Cito enim est
ignoscendum cuiquam, dum veniam postulat, quia nihil
proficit esse immaculatum à culpa, qui non est paratus ad
veniam. Crescit enim & augetur culpa, quando tardius
relaxantur fraterna delicta.

Et de Dei misericordia nunquam desperare.] Etsi mille sint E
peccata, non est desperandum de venia. Deus enim & pius 72.
est ad ignoscendum, & omnipotens ad saluandum. Tan- Ezech. 18
tum est, vt vnusquisque peccator declinet à malo, & faciat
bonum. Confiteatur Domino sua peccata, & secundum
modum culpæ faciat pœnitentiam, quia omnis peccator,
qui ad Dominum ex toto corde conuersus fuerit, saluus e-
rit, ipso dicente, qui peccatoribus ait: *Conuertimini ad me*, &
salui eritis. Ipse iterum dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed vt* Esai. 45.
conuertatur, & viuat. Ergo cum pius Dominus non deside- Ezech. 18
ret mortem peccatoris, sed vitã, ipse sibi misericordię clau- & 33.
dit ianuam, qui ab eo peccatorum veniam recipere despe-
rat. Hinc iterum per Prophetam dicit: *Peccator in quacunque* Ezech. 33
die conuersus fuerit ex toto corde ad Dominum, desinit esse peccator.
Hinc Hieronymus ait: Nemo de Domini indulgentia du-
bitet, nemo desperet. Ad hoc enim missus aduenit, vt pec-
catores confitentes non perderet, sed saluaret. Nemo de
multitudine suorum desperet criminum, quia pius, & mi-
sericors Dominus paratus est ad ignoscendum. Si discipu-
lo suo Petro vsque septuagies septies iussit fratri dimittere
peccatum, multo magis ille fons pietatis, & indulgentiæ vs- F
que mille millies mille in se peccantibus & veniam peten-
tibus dimittit delictum. Ipse enim totius mundi lauit cri-
mina, quanto magis vnius hominis lauabit delicta. Tan-
tum est, vt vnusquisque conuertatur ab impietate sua, &
factis dignis pœnitentiæ fructibus viuat in æternum, ho-
norum omnium virtute refertus.

Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis.] Ecce hæc sunt di-
cit, id est, hæc supradicta diuina mandata, quæ sunt singula
iam per ordinem superius exposita. Hæc sunt itaq; instru-
menta artis spiritalis. Ars dicta est, eo quod artis præceptis,
regulisq; constricta bene & iuste ducat. Sicut enim est ars
corporalis, est & ars spiritalis. Sed sicut est corporali vita
spiritalis melior, ita est & ars eiusdem vitæ subtilior. Vnde
& illa paucis, hæc vero instrumentis indiget plurimis. Si-
cut enim instrumenta sunt fabrorum, scriptorum, vel alio-
rum artificum, quibus opus eorum perficitur, ita sunt &
instrumenta virtutum, quibus spiritalis vita componitur.
Nisi regendarum suarum, & aliorum animarum ars non
esset spiritalis, Gregorius non diceret: Ab imperitis ergo G
pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando
ars est artium regimen animarum. Hinc Paulus Aposto-
lus ait: *Scio & humiliari, & abundare, & satiari, & esurire, &* Phil. 4.
penuriam pati. Hæc enim omnia minus intuentibus non vi-
dentur ars esse spiritalis, sed simpliciter necessitas actionis.
Sed si ars non esset, Scio, Apostolus non dixisset, sed cum,
Scio, dixit, in huius operis actionis artem inesse demon-
strauit. Quem enim penuria sua non frangit, à gratiarum
actione non retrahit, in rerum temporalium desiderium
non accendit, scit humiliari. Qui enim acceptis rebus non
extollitur, & eas ad vsum vanæ gloriæ non intorquet, nec
solus possidet, sed cũ diligentibus misericorditer diuidit,
scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgita-
tionem ventris vtitur, sed ad reparationem virtutis, scit sa-
tiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione to-
lerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, vnde anima
peccati laqueũ incurrat, scit esurire. Quem ergo nec in a-
bundantia superbia eleuat, nec in necessitate cupiditas ir-
ritat, nouit abundare, nouit & penuriam pati. Qui ergo in
prosperitate non eleuatur, in aduersitate non frangitur,
suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus à H
bono opere non reuocatur, spiritali arte refertus non in-
firmatur in peius, sed proficit sanus semper in melius.

*Quæ cum fuerint à nobis die, noctuque incessabiliter adimpleta,
& in die iudicij reconsignata;*] Hæc enim sacratissima supra-
dicta Domini præcepta nobis præsenti consignantur in
vita, vt operemur in eis, & operantes custodiamus illa. Ite-
rum nobis in vita reconsignabuntur æterna, vt laboris no-
stri digna recipere mereamur præmia, illa videlicet, quæ
ipse Dominus operarijs suis promisit dicens: *Venite ad me* Matt. 11.
omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et, *Venite* Matt. 25.
*benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab o-
rigine mundi.* Et de quo Apostolus dicebat;

Illa merces nobis à Domino recompensabitur, quam ipse promisit, 1. Cor. 2.
quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,

A *quæ præparauit Deus his, qui diligunt eum. Officina vero, vbi hæc o-*
mnia diligenter operemur, claustra sunt monasterij, & stabilitas in
congregatione.] A faciendo enim officium, & ab officio offi-
cina deriuatur. Sunt enim operantium domicilia, & omni-
um monachorum ibidem habitantium claustra. In quibus
qui vult habitare, firmitatem in mente, & stabilitatem de-
bet habere in congregatione, ne vagari incipiat per diuer-
sa terrarum spatia, aut transmigrare de cella ad alteram, &
de proprijs ad non propria loca, & dicatur de illo, quod in
Prov. 27. Salomonis libro scriptum inuenitur: *Sicut auis*, inquit,
transmigrans de nido suo, sic vir relinquens locum suum. Quid e-
nim per auem signatur, quę relinquit nidum suum, nisi mo-
nachus qui relinquit locum suum, & propositum suum.
Melius enim relinquat mentis vagacitatem, & cordis fir-
miter, locique teneat stabilitatem, & ad perfectum ducat
Matt. 10. & 24. bonum, quod cœpit agere, quia scriptum est: *Non qui in-*
choauerit, sed qui perseuerauerit, saluus erit. Sequitur de obedi-
entia.

CAPVT V.

De obedientia.

B PRimus humilitatis gradus est obedientia sine mora.] Quæri-
tur à plurimis, cur beatus Benedictus in hac regula du-
os humilitatis gradus dixerit esse primos: vnum istũ, quem
in manibus tenemus, alterum vero, qui in duodecimi gra-
dibus ponitur primus. Sed sciendum est, quia ille est pri-
mus in corde, & iste primus in actione. Sicut enim ille est
primus in ordine, ita secundus in cogitatione, voluntate,
desiderio, & conuersione. Iste tamen qui hic ponitur pri-
mus, illic inuenitur in ordine esse secundus. Sic enim dicit
in isto. Hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & volun-
tatem propriam deserentes, illã Domini imitantur senten-
Ioan. 5. & 6. tiã, qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit*
me. In illo vero dicit: Secũdus humilitatis gradus est, si pro-
priam quis non amans voluntatem desideria sua non de-
lectetur implere, vocẽ illam Domini factis imitetur dicen-
Ioan. ibid. tis: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Ecce
quomodo probatur, quia iste ipse, qui hic ponitur primus,
illic positus inuenitur esse secundus. Sed ille est primus in
ordine, & cogitatione, iste primus in operis actione. Ille
primus in initio cõuersionis, iste primus in initio actionis.
C Ille primus in anima spiritualiter, iste primus in obedientia
corporaliter. Vnde & istius capituli titulus non de humili-
tate, sed de obedientia discipulorum est prænotatus. In illo
autem de cogitatione, voluntate, & desiderio tractatur, in
isto vero de discipulorũ obedientia disputatur. Obedien-
tia vero discipulorũ prius Deo in corde, postea exhibenda
est magistro in actione. Interius enim vnusquisque timore
tactus egreditur ad publicũ obedire, quasi discipulus ma-
gistro. Nisi enim Domini compellente timore, nunquam se
in regulari vita alter alteri se subderet, sed Domini compul-
sus timore pariter & amore, fit, vt alter subdat alteri, & re-
gatur alter ab altero. Postquã enim cor hominis timor Do-
mini penetrat, festinus sibi alium ducem quærit ad vitã, vt
quo per se ire non valet, altero ducente perueniat. Vnde &
hic B. Benedictus volentibus æternam peruenire ad vitam
ordinatissime initium operis, viæq; demonstrat dicẽs: Pri-
mus humilitatis gradus est obedientia sine mora. De obe-
dientia beatus disputaturus Benedictus, nõ ordinis, vt prę-
dictum est, gradũ, sed laboris rationabiliter hic posuit pri-
mum. Quem sine mora conuenit implere discipulum, qui
D sine mora cœlorum vult conscendere regnum. Sine tardi-
tatis enim mora monachus debet facere obedientiam, qui
sine tarditate laboris sui vult recipere præmia. Sine tardi-
tate enim habet victoriam, qui humiliter obediens contra
Prov. 21. hostem fortiter dimicat. Scriptum est enim: *Vir obediens lo-*
quitur victorias. Quid enim mirum, si peccator homo obe-
dientiæ in præsentis vitæ breuitate se subijcit, quando ipse
mediator Dei & hominum semetipsum exinaniuit formã
serui accipiens factus est obediens vsq; ad mortem. Et cha-
rum habens hominem, quem propterea morte redemit,
charum se omnibus sanctis suis exhibuit. Vnde & sequitur;

Hæc cõuenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant.]
Nihil omnino vt Christum Christianus debet habere cha-
rum, quia idipsum, & non alium suum creatorem, redem-
ptorem cognoscit, & Dominum. Nihil ergo vt Christum E
debemus habere charum, quia ille nihil sic charum, sicut
electorum habuit cõuentus. Sic enim dignatus est nos cha-
ros habere, vt pro nobis nõ recusaret suum sacrum sangui-
nem fundere. Sit ergo charus vt pater, nos illi vt filij. Dili-
gamus ergo Dominum Iesum Christum, quia ille prior di-
lexit nos, & tradidit semetipsum ꝓ nobis. Nihil enim amo-
ri illius debemus præponere, sed super omnia debemus eũ
amare atq; diligere: quia cum illo speramus in æternum re-
gnare. Ipse enim ait: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me,* Matth. 6.
non est me dignus. Quis enim tam stultus, & hebes potest effi-
cere, vt vitam & salutem suam non velit diligere? Christus
est enim vita & salus nostra, qui dixit: *Ego sum via, veritas, &* Ioan. 14.
vita. Christus est ergo, dum in hoc mortali corpore viui-
mus, spes nostra: Christus defensio nostra: Christus guber-
natio nostra: Christus fortitudo nostra: Christus solati-
um nostrum: Christus redemptio nostra: Christus pastor,
salus, & protectio nostra; Christus iustificatio, sanctifica-
tio, & illuminatio nostra, & in futuro sæculo erit gloria
nostra Christus: Exultatio nostra Christus: glorificatio
nostra Christus: pax nostra Christus: hæreditas nostra
Christus: æternitas nostra Christus: lex nostra Christus: F
claritas nostra Christus: sanitas nostra Christus: corona
nostra Christus: sapientia nostra Christus: regnum no-
strum Christus: præmium nostrum Christus: gaudium no-
strum Christus: munus nostrum Christus: decus nostrum
Christus: refectio nostra Christus: requies nostra Chri-
stus: omnia bona, omnia sancta, omnia amabilia, omnia
desiderabilia nostra Christus; & Deo nihil charius con-
uenit nobis habere quam Christum. In illo enim, & per il-
lum, viuimus, mouemur & sumus. Propterea nihil charius
illo aliud aliquid habere debemus. Sed qui volunt in æter-
num cum Christo regnare, debent sine mora imperanti
obedire, & hoc, quod sequitur, facere, id est:

Propter seruitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum
gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ mox vt aliquid imperatum à ma-
iore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in facien-
do.] Propter seruitium sanctum, quod professi sunt, dixit,
id est, pro illa professione, quam monachus coram omni-
bus promisit ante altare dicens: Promitto de stabilitate
mea, & conuersione morum meorum, & obedientia co-
ram Deo, & sanctis eius. Ista ergo regularis professio, si vs- G
que ad calcem vitæ in monasterio operibus impleatur, re-
cte seruitium sanctum vocatur; quia per istam sanctus ef-
fectus monachus, sancto Domino sociatur. Et siue pro isto
seruitio, id est, vt possint implere illud; quia melius est non
vouere, quam post votum promissa non reddere: seu pro-
pter metum gehennæ, id est, ne in gehennam descendant,
crucienturque æternum; vel gloriam vitæ æternæ, id est, vt
ad illam perueniant gloriam, vt, sicut sol, in conspectu pa-
tris fulgeant, clarescant, luceant. Mox vt aliquid impera-
tum à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati
nesciant in faciendo.

De quibus Dominus dixit: Ab auditu auris obediuit mihi.] Id Psal. 17.
est, in ipso auditu, quo vocem meam audiuit, statim, & sine 2. Reg. 22.
mora mihi obtemperauit & obediuit. Hoc enim testimo-
nium de Psalmo 17. sumptum est, vbi populus gentium
facilitatis credulitatis laudatur à Domino, qui oculis cor-
poreis Dominum nostrum Iesum Christum non viderunt,
sed de illo prædicantibus Apostolis velociter crediderunt.
Quorũ exemplar & monachi, obedientes modo sequun- H
tur, qui senioribus à Deo missis faciliter obediunt. Et vt
intelligant non tantum se homini, sed magis Deo obedire,
& obedientiam, quam maioribus exhibent, retributori o-
mnium bonorum Domino commendare, audiant Domi-
num dicentem quod sequitur;

Et iterum dicit Doctoribus: Qui vos audit, me audit.] Domi- Luc. 10.
num enim probantur audire, qui Doctoribus ad obedien-
dum cordis inclinant aurem, & obedientiæ suæ à Domino
recipient mercedem, qui senioribus non tardant humili-
ter obedire. Qui ergo talem merentur habere operis sui
retributorem, necesse est, vt semper obediant cum magna
cordis alacritate. De quibus & subditur;

Ergo illi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem
propriam deserentes, mox ex occupatis manibus, & quod agebant

imper-

A imperfectum relinquentes: vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur.] Hi nimirum, quæ sua sunt relinquunt, qui propter aliorum vtilitatem,suam imperfectam dimittunt, & plus proximis, quam sibi placere contendunt. Et non propriam voluntatem, sed magis proximorum implere conantur. Et mox ex occupatis manibus, id est, à cunctis operibus,quibus operabantur, disiunctis, & ab omnibus actionibus separatis, vel expeditis, quod agebant imperfectum derelinquunt. Propter obedientiæ enim perfectionem omnium aliorum actio relinquenda est operum; quia magis placet Deo obedientia, quam victima. Obedientia quippe victimis præponitur, quia per victimas aliena caro,per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur. Propterea appropinquat pes obedientiæ, vt festinanter currere, & quod ei iniungitur, velociter, & sine tarditate possit implere. Cuius non solum corpore,sed & corde est imperanti exhibenda velocitas, vt nec corpori tarditas, nec cordi tepida resistat voluntas. Sed iubentis vocem velox auditor digno compleat opere,vt, cum tempus B retributionis aduenerit, dignam à Domino mercedem possit accipere. Pro cuius mercedis desiderio efficaciter quod sequitur est implendum. Dicit enim;

Et veluti vno momento prædicta magistri iussio, & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur.] Momentum à breuitatis tempore est dictum, eo quod in breui compleatur obedientiæ opus iniunctum. Cum enim charitatis causa boni magistri iussio, & obedientis discipuli operatio vnanimiter coniungitur, sine dubio bonum fructum parturiunt, quia non est infructuosa spiritus sancti coniunctio, vbi non est animarum nociua disiunctio. Corda enim timore Domini copulata velociter parturiunt infirmantibus animabus salutis medelam.

Matth. 7. *Quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt, vnde Dominus dicit; Angusta via est,quæ ducit ad vitam.*]Hoc in loco B.Benedictus,(hi) pronomen in subauditione reliquit. Quod si addideris, clarius ea, quæ C dicuntur,aduertis, id est, si dixeris; hi quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit: ideo angustam viam arripiunt, vt non suo arbitrio viuentes, &c. quæ sequuntur. Miro modo & à Domino sic composita: vt per viam angustam, & arctam ascendant electi ad cœli latissimam patriam,& per viam amplam, atq; latissimam descendant reprobi ad Auerni angustissima claustra; per iter enim angustissimum veniunt sancti ad amplissimum regnum, & per iter amplum ad angustissimum iniqui perueniunt barathrum. Mutatur enim tempus malignus diuitibus, mutatur & sanctis pauperibus. Illis vt de spatiosa voluptatis via ad angustas inferni transeant pœnas; isti vt de præsenti sæculi angustia ad cœli latissimam atq; clarissimam transeant gloriam. Illi vt de molli, & dissoluta via ad angustum inueniantur tartarum; isti vt de angusto & violento corporis actu ad amplum cœli transeant regnum. Hinc Matt. 11. Dominus ait: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Non enim qui molliter, & dissolute viuunt, sed regnum Dei possidebit is,qui pro illo viriliter agit. Hinc beatus Hieronymus ait: Lata via est sæculi voluptas,quam apD petunt homines; angusta quæ per labores,& ieiunia panditur. Sed per latam multi ambulant, angustam autem pauci inueniunt.

Vt non suo arbitrio viuentes.] Periculosum est enim monacho suo proprio viuere arbitrio,ne forte dicat esse bonum, quod ab alijs non bonum, sed iudicatur & est malum. Et dum se putat per rectam videns currere viam, in damnoProu. 14. sam cæcus incidat foueam,sicut scriptum est: *Est via,quæ videtur hominibus recta, sed nouissima eius deducunt ad tartara.* Et propterea non: *Vel desiderijs suis* seruire, sed præceptis Domini debent monachi humiliter obtemperare,*Et voluptatibus obedientes* seruire proprijs, sed cum timore Domini humiliter eius subijci debent mandatis; vt cum Dauid dicere Psal. 118. possint: *Particeps ego sum omnium timentium te,& custodientium mandata tua.*

Sed ambulantes alieno iudicio,& imperio.]Hic iudicium pro discretione,vel arbitrio posuit. Aliter enim debet discerE nere opus, quod bonus & mortificatus pro Christo debeat agere monachus; vt operis sui mercedem consequatur à Domino,alterius obedire debet imperio. Suauius enim currit mandatorum Domini viam,cuius opus alter discernit,& iudicat.

In cœnobijs degentes Abbatem sibi præesse desiderant.] Cœnobia enim multorum, & in commune viuentium vocantur monasteria monachorum,quæ ex græco vocabulo nomen videntur habere compositum. Cœnon græce dicitur, quod nos commune vocamus. In cœnobijs ergo degentes,id est,in commune cum pluribus habitantes,ideo Abbatem sibi præesse desiderant, vt illo gubernante viam mandatorum Domini leuius currant, illoque regente lenius viuant, & præmia, quæ illis in futuro promissa sunt, suauius apprehendant,scientes,quia quanto se alterius potestati pro Christi amore subdi consentiunt, tanto in futuro sæculo cum ipso Domino fœliciter exultare gaudebunt. Et quia *sine dubio hi tales illam Domini sententiam,quæ dicit: Non* Ioan. 6. *veni facere voluntatem meam,sed eius, qui misit me* factis *imitantur*, cum illo sine dubio felices in æternum regnabunt.

F *Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, si quod iubetur, non trepide, non tarde, non tepide,aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur.*] Acceptabilis est obedientia Deo, si corde puro velociter fit, & sine murmure,& dulcis hominibus, si sine pigredine cum alacritate, vel iucunditate fit mentis. Vnde & subditur; Non trepide. Trepidare dicitur, timere, vel dubitare. Ille enim obedientiam facere trepidat, qui in Domini adiutorio firmiter non sperat. Qui vero de Christi auxilio confisus fuerit, obedientiam pro Christo facere non trepidabit, quia scriptum est: *Qui timent Dominum sperauerunt in Domino; adiutor eorum,& protector eorum est.* Psal. 113. Non tarde. Ille monachus facit obedientiam,qui non ex illa desiderat æterna recipere præmia. Quem enim ad obediendum Dei amor non excitat, corporis otio delectatus obedire senioribus tardat. Ignorans, quia qui parce seminat, parce metet, & qui seminat in benedictione, id est, in abundantia benedictionis, abundanter & in benedictione G metet vitam æternam. Non tepide. Tepide dicit,molliter, segniter, vel dissolute. Ille enim monachus obedientiam tepide facit,qui non timet,quod Dominus de tepidis dicit,ait enim: *Quia tepidus es, & nauseam facis, incipiam te euomere de ore meo.* Apoc. 3. Nec Paulo accommodat aurem dicenti: *Spiritu feruentes, Domino seruientes.* Rom. 12. Feruentes enim, & non tepidos decet esse in Christi seruitio monachos, vt igne charitatis accensi, quæ faciunt, non tepide faciant, sed velociter & expedite. Ille enim ignis diuinus, quem Dominus volens vt ardeat, misit in terram, ad obediendum monachorum bonorum velociter excitat corda, vt tanto illi obediendo citius placeant,quanto cum illo citius regnare desiderant. Aut cum murmurio facit. Qui enim cum murmurio facit obedientiam, nec ab imperante laudem,nec à Domino recipit mercedem, sed potius ab Abbate corporis disciplinam, & à Domino eam, quæ murmurantibus debetur,iustam recipit pœnam.Infœliciter enim perdit vtrumq;,& pœnaliter conquirit vtrumq;. Perdit laudis atq; mercedis gratiam, & conquirit corporis simul & animæ pœnam. Vel cum responso nolentis efficiaH tur. Ille enim monachus, qui cum nolentis responso incusat obedientiam, aut emendat cito voluntatem pariter, & responsum: aut festinus in murmurationis labitur peccatum.At vero si cito emendauerit responsum,pariter & voluntatem,obedientiæ suæ non perdet mercedem;quia misericors,& miserator Dominus,pœnitentib⁹ cito dimittit.

Quia obedientia,quæ maioribus præbetur, Domino exhibetur. Ipse enim dicit: Qui vos audit, me audit.] Cum magno enim cordis amore,corporisq; velocitate fieri debet obedientia, quam ipse Dominus sanctam in suam recipit personam, vt facientibus eam,cum retributionis tempus aduenerit, plenissima tribuat præmia. Ipse enim omnibus in laboris obedientia positis,cum tempus æternæ refectionis aduenerit,dicet: *Venite ad me omnes,qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matt. 11. Ergo cum magna cordis alacritate debet monachus obedientiam facere, qui talem sperat ex illa habere retributionem. Vnde & sequitur;

A 2. Cor. 9. *Et cum bono animo à discipulis præberi oportet: quia hilarem datorem diligit Deus.*] Hæc enim sententia non solum de illa, quæ specialiter pauperibus tribuitur eleemosyna, sed etiam generaliter de omni monachorum intelligitur obedientia. Quia quidquid obediendo monachus agit, totum Deo tribuit, cui se totum vouit. Ieiunium enim, vigilias, abstinentiam, super impositum cursum, & omnem omnino cordis, & corporis actum Deo tribuit totum, à quo laboris sui centuplum sperat recipere fructum. Ergo qui cum hilaritate, & multiplicatione vult à Domino obedientiæ suæ recipere fructum, cum hilaritate debet maioribus obedire: quia qui maioribus obedire contemnit, sine dubio Domini imperio contradicit, qui discipulis, & Luc. 10. omnibus doctoribus dicit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Non est ergo obedientia, quæ à maioribus iniungitur, spernenda, sed potius amanda, & diligenda, & in quantum vires suppetunt, cum hilaritate est operibus Eccl. 35. exequenda. Scriptum est enim: *In omni dato hylarem fac vultum tuum.* In omni ergo dato hylarem facit vultum, B qui non cum tristitia aut rancore, sed sereno vultu, animoque læto præbet auditoribus sermonem, pauperibus panem, maioribus autem cor humile, & obediens. Iste in omni dato hylarem facit vultum, & ideo omne suum datum à Domino credidit esse receptum, & aptum. Qui autem ieiunant, sed non cum hylaritate vigilant, sed non cum hylaritate abstinent, sed non cum hylaritate cætera multa bona faciunt, sed non cum bono animo, nec cum hylaritate, non accipiunt à Domino laboris sui mercedem, sed à maligno murmurationis condemnationem. Vnde & subditur;

Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solum ore, verum etiam in corde si murmurauerit, etsi impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, immò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.] Cum bono enim animo, & corde puro, & humili spiritu debet obedire discipulus magistro, vt obedientiæ suæ gratiam accipiat apud Deum. Nam quando cum malo obedit animo, & superbus, & murmurans, & inobediens tenetur à Deo. C Deus autem, cui omnia nuda sunt, & aperta, murmurantium, etiam tacentium corda condemnat. Propterea quidquid faciunt monachi, absque murmuratione faciant, ne, quod absit, murmurando ea sententia pereant, qua illi perierunt, qui in deserto contra Dominum murmurauerunt, & perierunt Manna manducando, & isti in monasterio scripturas recitando, & insuper murmurando. Illi Manna manducando mortui sunt: & isti scripturas legendo, & audiendo spiritali fama quotidie moriuntur. Illi murmurando terram repromissionis non introierunt, & isti murmurando paradisum perdent, & promissionis terram, id est, æternam cœli patriam non ingredientur. Quid enim prodest murmuratoribus exterius agere opus iniunctum, & interius à mercedis præmio remanere vacuos. Melius est ergo maioribus obedire cum gaudio, & præmium recipere sempiternum, quam tristi animo obedire, & laboris sui præmia perdere. Etsi factis compleat iussionem magistri, iussionem tamen non implet Apostoli, Phil. 2. qui dixit: *Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus.* D

CAPVT VI.

De Taciturnitate.

TAciturnitas virtus est humilitatis, & indicium grauitatis, nutrix virtutum, & custos est morum. Hinc Salomon Prou. 13. ait: *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam.* Ab angustijs videlicet æternæ pœnæ liberat animam suam, qui taciturnitatem amans, à malo & prauo, vel omnino stultiloquio custodit, & refrenat Psal. 38. linguam suam dicens: *Faciamus quod ait Propheta: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Ille bene vias, id est, actus vitæ suæ custodit, qui in lingua minime offendit. Modicum enim membrum est lingua, sed multas rixas, Iacob. 3. & multa sæpe committit scandala. De qua Iacobus Apostolus ait: *Linguam nullus hominum domare potest; inquietum malum, plena veneno mortifero,* & reliqua. Qui ergo in lingua non E vult delinquere, prius vias suas, id est, actus vitæ suæ debet sollicite prouidere, ne subito labatur in lingua, qui ante suas prouidere neglexit vias. Sequitur;

Posui ori meo custodiam.] Ille bene custodiam ori suo ponit, Psal. 38. cuius lingua nec in maliloquium, nec in vaniloquium, nec in multiloquium procaciter fluit, sed secundum Salomonem, Eccl. 3. tempus tacendi, & tempus expectat loquendi. Itē scriptum est: *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus, lasciuus autem* Eccle. 20. *& imprudens non seruat tempus.* Sed & ille custodiam ori suo ponit, qui se non iustum, sed, quod magis verum est, peccatorem fatetur. Ne ergo in maliloquium labatur lingua, ponat vnusquisq; nostrum ori suo custodiam, & diligenter attendat, quid de maleloquentibus Apostolus dicat. Ait enim inter cætera superius, vel subterius nominata mala: 1. Cor. 6. *Neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Sed in lege Dominus filijs Israel præcepit dicens: Exod. 22. *Maledicos non sinas viuere in terra.* Ne ergo in vaniloquium defluat lingua, audiamus quid Psalmista de vaniloquio dicat. Ait enim: *Vana locuti sunt vnusquisq; ad proximum suum: labia dolosa,* Psal. 11. *in corde, & corde locuti sunt. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa,* &c. F Ne in multiloquium inconsideratò lingua cadat, audiamus quid Salomon dicat: dicit enim. *In multiloquio non effugies peccatum, & qui multis vtitur verbis, lædit animam suam.* Prou. 10. Ponenda est ergo custodia ori nostro, ne effrenate loquentes aut per maliloquium, aut per vaniloquium, aut per multiloquium offendamus Dominum Deum nostrum. Per effrenationem enim linguæ, sicut beatus Augustinus ait, seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax extinguitur cordium, & cæterorum multorum redundat copia vitiorum.

Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.] Hanc sententiam Psal. 38. beatus Benedictus in taciturnitatis exposuit laude dicens: *Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari?*] Sic enim quidam ait: Pro ocioso verbo ratio ponitur. Pro sermone iniusto pœna exsoluitur. Obmutui dixit, id est, silentiū mihi, ne in loquacitate peccarem, voluntarium imposui. Scriptum est enim: *Qui odit* Eccle. 19. *loquacitatem, extinguit malitiam.* Hinc Esaias ait: Cultus iu- Esai. 32. stitiæ silentium, videlicet indicans, quia mentis iustitia desolatur, G quando ab immoderata locutione lingua nō compescitur. Taciturnitas, vt dictum est, virtus est humilitatis, quia quanto taciturnitatis freno constringitur lingua, tanto mens humiliata erigitur ad summa. Et quanto se sub silentio deprimit, tanto compunctionis aciem in cœlum figit. Et quantum se ad compunctionis gratiam humiliatus animus eleuat, tantum se iterum ad gratiam compunctionis humiliat. Vnde & sequitur: *Humiliatus sum, & silui à* Psal. 38. *bonis.* Nisi enim prius humiliatus esset à bonis, malisque, non siluisset. Humiliatus enim intelligitur, humi prostratus. Qui ergo taciturnitatis virtutem veraciter amat, necesse est, vt ad tempus etiam à bonis locutionibus taceat, vt virtutes cæteras ad tempus tacēdo nutriat, quas nutritas iterū tempore congruo sapienter proferat. Hinc per quendam sapientem dicitur: *Est tacens qui inuenitur sapiens; & est odibilis, qui procax est ad loquendum.* Eccl. 20. Ac si diceret. Ille se tacendo sapientē componens nutriuit, iste se procaciter loquendo odibilem fecit. Ille qui tacuit inuentus est sapiens: iste quia loquendo excessit modum inuentus est procax.

H *Ergo quamuis de bonis & sanctis ad ædificationem eloquijs, perfectis discipulis propter taciturnitatis grauitatem rara loquendi concedatur licentia.*] Bona & sancta, & ad animarum ædificationem apta Domini dicit eloquia, quia nisi anima illis composita, ad cœlorum minime poterit conscendere patriam, aut cum sanctis recipere præmia. De his enim eloquijs dicit Psalmista: *Eloquia Domini eloquia casta: argentum igne exa-* Psal. 11. *minatum,* &c. Hinc iterum ipse: *Iudicia Dei iustificata in semet-* Psal. 18. *ipsa; desiderabilia super aurum multum, & lapidem pretiosum, & dulciora super mel, & fauum.* Etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa. Hinc Paulus ait: *Scimus, quia lex bona, & sancta, & iusta est.* 1. Tim. 1. Hæc sunt eloquia Domini, quæ credentibus, & facientibus ea, æternam præparant vitam. Quæ propter taciturnitatis grauitatem tenendam raro conceditur discipulis prædicanda, ne forte, dum taciturnitatis suæ incautus egreditur clau-

A

claustra, in elationis præceps foueam cadat, aut silentij sui transeat terminum, & suæ patiatur animæ detrimentum, perdat taciturnitatis proficuam grauitatem, & in damnosam incidat animi leuitatem. Vnde & sequitur;

Prou. 10. *Quia scriptum est: In multiloquio non effugies peccatum.*] Hinc beatus Gregorius ait: Quia multiloquio quisque seruiens rectitudinem iustitiæ tenere nequaquam possit, testatur Psal. 138. Propheta, qui ait: *Vir linguosus non dirigetur super terram.* Hinc beatus Ambrosius dicit: Est homo qui silentium affectat quidem, sed cor eius multum se condemnat. Iste talis multum loquitur. Est alius, qui mane vsque ad vesperum loquitur, & cum discretione silentium magnum custodit. Melius est enim silentium tenere, quam aliquid malitiose Eccl. 4. dicere. Facilius enim tacendo culpa refugitur, quam loquendo. Hinc enim scriptum est: *Noli citatus esse in lingua, & priusquam audias, ne respondeas verbum, & in medio seniorum ne adijcias loqui; non loquaris, nisi interrogatus fueris.* Interrogatio enim os monachi aperiat. Maneat in verbo eius mensura, in sermone sit statera, semper verba eius sint moderata, B modum loquendi non transeat, & plus diligat semper au- Prou. 18. dire, quam loqui.

Et alibi, Mors & vita in manibus linguæ.] Lingua namque Psal. 21. manus non habet, sed per metaphoram pro operibus manus dicitur lingua habere, sicut & Psalmista dicit: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.* In Iacob. 3. manibus ergo linguæ mors & vita consistit; quia, vt Iacobus Apostolus ait: *Ex ipso ore procedit maledictio, & benedictio.* Ioan. 14. Quando enim veritatem loquimur, & Dominum, qui di- Sapien. 1. xit: *Ego sum via, veritas, & vita*; benedicimus in manibus 1. Ioan. 3. linguæ, vitam tenemus, quia scriptum est: *Os, quod mentitur,* Iacob. 3. *occidit animam*; &, *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Hinc iterum Iacobus ait: *Lingua ignis est: vniuersitas iniquitatis.* Ignis est lingua, quia virtutum syluam malè loquendo deuorat, & cuncta fere facinora per eam aut continuantur, aut patrantur, aut defenduntur. Continuantur, vt latrocinia, vel stupra: patrantur, vt periuria, & falsa testimonia: Iac. ibid. defenduntur, quando commissa delicta interroganti negantur. Ipse iterum dicit: *Ecce quantus ignis, quam magnam syluam incendit.* Sicut enim à modica scintilla ignis excrescens magnam sæpe syluam incendit; ita incontinentia C linguę, sius nutrita leuitatibus, magnam bonorum operum materiam, multos vitæ spiritalis fructus, vbi attaminauerit, perdidit; sed & innumera plerunque, optimæ quæ videbantur locutionis, folia consumit.

Nam loqui & docere, magistrum condecet; tacere & audire di- Esa. 58. *scipulo conuenit.*] Loqui & docere magistrum decet; quia illi per Prophetam dicitur: *Clama, ne cesses*, dicit Dominus, *quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eo-* Esa. 40. *rum, & domui Iacob peccata eorum.* Ipsi iterum per eundem Prophetam præcipitur: *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion; dic ciuitatibus Iuda*, & reliqua. Tacere Matt. 11. & audire discipulum conuenit. Discipulis enim dicitur: Marc. 4. *Qui habet aures audiendi audiat.* Hinc Iacobus Apostolus ait: Iacob. 1. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Recte primo admonet aurem quemquam citius accommodare docenti; sero autem os ad docendum aperire. Qui ergo sapientiam diligit, primo hanc à Deo postulet, de hinc magistrum veritatis humilis auditor inquirat, & inter agendum suam cautissime linguam, non solum ab o- D tiosis sermonibus coerceat, verum & ab ipsa, quam nuper didicit, veritate prædicanda contineat. Nam & tutius est vt audiat, quam prædicetur; quoniam cum auditur, humilitas custoditur; cum autem prædicatur, vix non subripit cuiuis hominum quantulacunque iactantia. Hinc Hieremias bene instituti adolescentis viam describens, modestiam taciturnitatis inter prima virtu- Thren. 3. tum studia computat; *Bonum est viro*, inquit, *cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit.*

Et ideo, si qua requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate & subiectione reuerentiæ requirantur, ne videatur plus loqui, quam conuenit.] Qui enim à Priore consilium salutis, & verba doctrinæ requirit, cum omni humilitate vel subiectione quærere debet, quia summa monachi virtus humilitas est, summum vitium eius superbia. Tunc autem se quisque monachum iudicet, quando se minimum æstimauerit, etiam cum maiora virtutum opera gesserit. Semper enim

E

conscientia serui Dei humilis debet esse & tristis, scilicet vt per humilitatem non superbiat, & per vtilem mœrorem cor ad lasciuiam non dissoluat.

Scurrilitates vero, vel verba otiosa, & risum mouentia, æterna clausura in omnibus locis damnamus; & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus.] Scurrilitates autem dicuntur ioca turpia, & improba, vel irrisionibus digna, quæ à monachis omnimoda debent esse aliena. Decet enim monachum doctrinæ proferre sermonem, non ioci scurrilitatem. Mentis debet habere grauitatem, non ioci, vel scurrilitatis leuitatem. Iustum, honestum, & rationabile debet habere verbum; non leue, vacuum, & grauitatis gratia alienum. Meditetur ergo necesse est monachus in Hymnis, Psalmis, & Canticis, non in verbis vacuis, vanis, vel otiosis. Plerumq; per quosdam gradus desidiosa mens in foueam lapsus impellitur; & dum otiosa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus, vt prius loqui aliena libeat, & postmodum detractionibus vitam, de quibus lo- F quitur, mordeat. Hoc nos cauere Dominus admonet dicens: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, rationem reddent de eo in die iudicij.* Matt. 12. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensemus, quæ pœna de multiloquio maneat. In quo etiam per noxia verba peccatur. Nam & otiosa verba ipsa solent esse risum mouentia. Propterea cauendum est omnibus nobis ioci & risus immoderata luxuria, per quam plerunque amarissima inter fratres nascuntur scandala. Vnde & Salomon ait: *Quasi per risum operatur stultus scelus.* Prou. 10. Nam & risum supra modum quis nesciat indisciplinationis, & leuitatis esse ianuam? per quam perniciosum cibum miseræ animæ diabolus subtiliter ministrat.

CAPVT VII.

De humilitate, & multiplici eius commendatione, 12. gradibus distincta.

CLamat nobis diuina scriptura, fratres, dicens: Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.] Luc. 14. Hoc plane sciendum, & firmissime à nobis tenendum; quia omnis qui se incaute de meritis, aut, quod peius est, sine meritis alleuauerit, iuste à Domino humiliabitur; & G qui prouide se de benefactis humiliauerit, iuste ab eo exaltabitur. Hinc Salomon ait: *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritum suscipiet gloria.* Prou. 29. Superbum enim sequitur humilitas: quia qui in præsenti superbus perseuerans viuit, post mortem humiliatus in infernum descendit. De superbis enim scriptum est: *Deducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Iob. 21. Hæc enim damnabilis & misera superborum sequitur humilitas, & humilem spiritum suscipiet gloria, id est, gloria regni cœlorum suscipiet omnes, qui humiliato viuunt spiritu. Hinc Dominus de humilibus ait: *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. Hinc iterum dicit: *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Marc. 10. Et paruulos ergo, & pauperes spiritu, humiles dicit, quibus post mortem misericorditer regnum cœlorum promittit.

Cum hæc ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ.] Omnis superbia tanto in imo iacet, quanto in alto se erigit. Tantoque profundius labitur, quanto ex- H celsius eleuatur. Qui enim per superbiam attollitur, per Dei iustitiam inclinatur. Superbia ergo, sicut origo est omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. Ipsa est enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Hæc enim, aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in nouissimo de virtutibus deijcit. Inde & omnium peccatorum est maxima; quia tam per virtutes, quam per vitia humanam mentem exterminat.

Quod se cauere Propheta indicat, dicens: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.] Psal. 130. Iste enim psalmus humilitatem prædicat, temperantiam docet, & patientiam monet, & benefacientibus omnem humilitatem ostendit; concinnat, atque componit. Si ergo humiliatum cor sacrificium Deo est, sacrificium obtulit, qui

A Psal.130. qui dixit: *Domine non est exaltatum cor meum.* Si ergo hoc aliquis Heremita cellæ suæ vacans diceret, magnæ patientiæ laude fulgeret; quanto magis, quia hoc purpuratus rex, & prophetarum dicebat eximius; Si igitur sancti viri etiam cum agunt fortia de semetipsis vilia sentiunt; quid in sua excusatione dicturi sunt, qui sine opere virtutis intumescunt. Sed quælibet sint opera, nulla sint, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non eleuat, sed grauat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, in vento puluerem portat. Et vnde aliquid ferre cernitur, inde deterius elati oculi cæcantur.

Psal.130. *Neque ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me.*] Hoc est dicere: nihil meritis meis reputaui, nihil scientiæ meæ contuli, sed si aliquid boni habui, totum gloriæ Dei dedi. Nolui quasi mirabilibus innotescere hominibus, & nec quæsiui aliquid super vires meas, vnde me apud imperitos iactarem. Aliter: In magnis enim ambulare, est magna de se B vnumquemque sentire. In mirabilibus se est mirabile de se Psal.130. aliquid existimare. Quod se hic negat facere Propheta, cum dicit: *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* Omnis autem humilitas non tam in sermone, quam in mente est, vt humiles nos esse conscientia nouerit, & nunquam nos vel scire aliquid, vel intelligere, vel esse existimemus, & nihil meritis nostris tribuamus, quia nihil de nostro, nisi peccatum habemus.

Sed quid? Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam.] In cunctis ergo, quæ agimus humiliter de nobis sentimus, si in radice boni operis humilitatem tenemus, nec quibus superiores, sed quibus adhuc inferiores sumus, aspicimus; vt dum meliorum nobis exempla proponimus, ad maiora semper ascendere ex humilitate valeamus. Exaltamus autem animam nostram, cum in hac corporis ha- Iacob.4. bitatione humilia meditamur, dicente scriptura: *Deus su-* 1. Petr.5. *perbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et illud, *Humiliamini in conspectu Dei, & exaltabit vos.* Tanto ergo fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior Deo, quanto per eum vilior sibi, quia humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Hoc autem esse optimum specimen & C electorum solet, quod de se semper minora, quam sunt, sentiunt, & infra, quam sunt, de se humilia proferunt.

Psal.130. *Sicut ablactatus est super matre sua, ita retribues in animam meam.*] Qui non eleuat cor suum, neque in altum attollit oculos suos, neque ambulat in magnis, neque in mira- Psal. 8. bilibus super se, lactanti similis reperitur, dicente scriptura: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.* Hæc enim virtus ideo maxime inter virtutes eximias honorata consurgit, quoniam eam dignatio maiestatis assumpsit. Denique consideremus, quantum honorata sit humilitas, quæ superbiæ contraria in duodecimo gradu noscitur collocata. Illa enim per septem principalia vitia demergit in tartarum, hæc per duodecim humilitatis gradus deducit ad cœlum.

Vnde, fratres, si summa humilitatis volumus culmen attingere.] Summæ humilitatis culmen, vt quidam volunt, quatuor modis completur. Primo, si mortificatas monachus in semetipso omnes habeat voluntates. Secundo, si non solum suorum actuum, verumetiam cogitationum nil suo celauerit Abbati. Tertio, si nil discretioni suæ, sed iu- D dicio eius vniuersa committat, ac monita eius sciens, ac libenter auscultet. Quarto, si in omnibus obseruet obedientiæ, mansuetudinis, patientiæque constantiam. Beatus ergo Benedictus non solum in quatuor, sed in duodecim gradibus summam, atque perfectam esse voluit, & definiuit humilitatem. Nam & in hoc summa, atque perfecta potest videri humilitas, si quis humiliter, & Math.5. patienter impleat, quod Dominus ait: *Ego autem dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & aliam,* &c. Qui enim ista patienter, & humiliter sustinet, insuper illud audit, quod Do- Matth.5. minus iussit, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est:* Summam mihi videtur habere humilitatem, summumque humilitatis tenere cacumen.

Et ad exaltationem illam cœlestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter peruenire.] Exaltationem cœlestem illam dicit, de qua Dominus ait: E *Fulgebunt sancti sicut Sol in conspectu patris mei.* Et de qua Matt.13. Daniel dicit: *Et qui ad iustitiam erudiunt plurimos, fulgebunt* Dan.12. *quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Hinc & Psalmista ait: *Ni-* Psal.138. *mis exaltati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum.* Exaltatio cœlestis & summa est, vt sint sancti monachi similes angelis; vt sint filij & hæredes Dei, cohæredes autem Christi: & vt audiant à Domino: *Venite benedi-* Matt.25. *cti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi:* & vt faciat eos in eodem regno discumbere; & transiens dignetur eis omnia bona ministrare.

Actibus nostris ascendentibus.] Tunc actus nostri ad supera bene ascendunt, quando de die in diem bene viuendo ad meliora proficiunt; quando varijs, & multis fulti virtutibus ad contemplationem nostri creatoris humiliter surgunt. Et quasi per gradus ad visionem illius per animæ virtutes conscendunt, ita vt de nobis dicatur: *Ibunt de vir-* Psal.83. *tute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Syon.* F

Scala illa erigenda est, quæ in somno Iacob apparuit, per quam Gen.28. *ei descendentes angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille, & ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere.*] Quamuis alij Doctores aliter hanc voluissent intelligere scalam, & angelos descendentes, & ascendentes per eam: beatus tamen Benedictus nostram in hoc loco voluit intelligere vitam, quæ virtutibus plena ad cœlum est quotidie erigenda. Angelos vero ascendentes & descendentes animas intellexit in regulari vita degentes. De quibus aliæ se humiliando ascendunt ad cœlum, aliæ vero superbientes de ipsis virtutum gradibus profundum cadunt in tartarum, & impletur in eis: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat exal-* Luc.14. *tabitur.*

Scala vero ipsa erecta, nostra est vita in seculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cœlum.] Tunc scala, id est, vita nostra ad cœlum bene à Domino erigitur, quando corda nostra cum manibus, id est, cum bonis operibus à nobis sursum leuantur; quando secundum Apostoli commoni- G tionem, quæ sursum sunt sapimus, non quæ super terram; quando ad cœlum suspirantes cœlestia meditamur, & quærimus; quando ea, quæ retro sunt, obliuiscimur, & ad ea, quæ in ante sunt, nos extendimus; quando tota mentis intentione ad palmam sequimur supernæ vocationis; quando de cœlestibus meditantes cum Paulo dicere possumus: *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* Phil.3.

Latera enim huius scalæ, dicimus nostrum esse corpus & animam.] Proinde autem & sapienter nostrum corpus & animam huius scalæ duo dicit esse latera; quia ex vtroque omnis homo compositus constat, & pro amore Christi, & vita æterna ex vtraque substantia, quæ præualet, agit bona; & vt in resurrectionis gloria in vtraque substantia laboris sui recipiat præmia, in vtraque substantia sollicite satagit Domini custodire mandata. Tunc enim totam nostram ad cœlum erigimus scalam, quando auxiliante Deo nostra etiam in hostiam offerimus illi & corpora, obsecrante nos Apostolo ac dicente: *Obsecro vos, fratres, per* Rom.12. *misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Scala à scandendo, id est, ascendendo nomen accepit, quæ non aliter perfecta, nisi lateribus & gradibus H constat.

In qua latera diuersos gradus humilitatis vel disciplinæ euocatio diuina ascendendos inseruit.] Gradus isti humilitatis & disciplinæ dicuntur; quia istæ ambæ virtutes pulcherrimæ sibi inuicem sociantur: quia quem humilitas mansuetum, disciplinæ eruditio componit & facit doctum, & quem humilitas tranquillum & mitem, disciplinæ erudi- Sapien.7. tio facit prouidum & sapientem. Quia scriptum est: *Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia commoratur:* necesse est, vt humilitati disciplina iungatur; quia eruditio disciplinæ custos est humilitatis, & humilitas temperatio est eruditionis. Euocatio dicitur, quando ad summum bellum, non solum milites, sed etiam cæteri vocantur. Vnde & euocare, educere seu prouocare intelligitur. Quod verbum apte satis hoc in loco est positum,

quia

A quia vt ad bellandum contra diabolum duodecim gradibus humilitatis armati fortiter consurgamus, quotidie à Domino euocamur, educimur, ac prouocamur: vt illo duce de victoria triumphantes ad cœlorũ regna per duodecim humilitatis gradus ascendentes perueniamus gaudentes.

1. Gradus humilitatis.

Primus itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens.] Merito inter duodecim iste gradus & in dignitate, & in ordine ponitur primus. Ideo primus in ordine, quia primus est in cogitatione, in corde, & voluntate. Ideo primus est in dignitate, quia à Domino incipit timere. De timore enim scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini: & timor Domini disciplina sapientiæ. Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis: & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem dierum.* Hæc omnia bona, & alia multa illis timor Domini ministrabit, qui illum sibi iugiter ante oculos posuerint, & cum beato Iob dixerint: *Quasi tumentes fluctus super me semper timui Dominum, & pondus eius ferre non potui.*

Eccli. 1.

Iob 31.

B *Obliuionem omnino fugiat.*] Quia in vno cordis habitaculo non potest memoria pariter & obliuio retineri, necesse est, vt à cordibus nostris obliuionem pellamus nociuam, & retineamus memoriam proficuam. Cum enim à claustro cordis obliuio fugatur damnosa, tunc in nobis fructifera crescit, & redundat memoria, quæ nobis ante oculos mentis, & Domini præcepta eius reducit, & quomodo illi placeamus, & eius præcepta custodire possimus, diligenter inquirit, & quæ facienda, & quæ non facienda sunt, vigilanter intendit. Hinc iudæorum populum Dominus admonet dicens: *Custodi igitur temetipsum, & animam tuam sollicite, & ne obliuiscaris verbum Domini, & ne excedant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.* Hinc Psalmista ait: *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Memoria timoris Domini facit hominem cautum, modestum, iustum, rectum & honestum, pium, benignum, misericordem, prudentem, humilem, mitem, sobriũ, & in omnibus actionibus temperatum & prouidum. Econtrario mentis obliuio facit hominem stultum, incautum, insensatũ, fatuum, improuidum, iniustum, iniuriosum, iracundum, inuidũ, impurum, immitem, incontinentem, irrisorem, detractorem, inflatũ, superbum, elatum, vanum, & in omnibus omnino actionibus deprauatum hominẽ; facit & miserum. Non enim ad memoriam Dominum suum, & præcepta eius reducit; & ideo velut cæcus, & errans peccat & perit. Qualiter autem hæc obliuio fugiatur damnosa, audi sequentia

Deut. 4.

Psal. 102.

C

Et semper sit memor omnium, quæ præcepit Deus.] Tunc enim memoria præceptorum Dei animæ præbet salutem, quando ea, quæ Domini præceptis sagaciter memorantur, in mente efficaciter complentur in opere. Domini enim memorata, & non impleta præcepta, damnationẽ magis animæ, quam salutem demonstrant. Memorata vero, & operibus consummata à facientibus procul repellunt peccata, & perseuerantibus saluté continuã, & præmia promittunt æterna. Tribuunt facientibus gloriam, non facientibus autem gehennam minantur æternam. Vnde & sequitur.

Et qualiter contemnentes Deum, in gehennam pro peccatis incidunt.] Contemnentes enim sunt, qui audiũt præcepta quidem Domini, sed obedire contemnunt. Deum enim monachi contemnunt, quando Abbati suo obedire renuunt, & dura ceruice resistunt. De omnibus enim à se missis prędicatoribus Dominus ait: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Hos autem cõtemnentes, & Abbatis præcepta iusta despicientes, recte gehenna de peccatis incendit, quoniam euadere potuissent, si Domini, & Abbatis sui præceptis obtemperassent. Quasi enim ignis ligna, sic gehenna inobedientium recipit peccata. Et sicut ignis succenditur ex lignis, sic gehenna à contemptorum Dei succenditur peccatis: vt vnumquemq; secundũ quantitatem suorum cruciet delictorũ. Vnusquisq; enim quantum gehennæ ministrauerit peccata, tantũ sibi gehennæ ignis incendit flammam. Quantũ vnusquisq; peccatorum secum portauerit ligna, tantum miser cruciabitur in gehenna. Et quantum ibi peccatorum suorum composuerit aceruum, tam grandẽ & durum ibi inueniet cruciatũ. Et hoc modo vnumquemq; de proprijs peccatis gehennę incendit ignis. Hinc B. Isidorus ait: Sicut vnusquisq; sanctus in futuro iudicio ꝓ quantitate virtutũ glorificabitur; ita & vnusquisq; impius pro quantitate facinorũ cõdemnabitur. Nec deerit in supplicio futurus damnationis ordo, sed iuxta qualitatẽ criminum, discretio erit pœnarum. Hinc B. Gregorius ait: Omnipotentis Dei iustitia futurorũ præscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet; sed ardorem suum etiã sine lignis nunquam finiret, sed esset miseris mors sine morte; finis sine fine; defectus sine defectu; quia & mors viuit, & finis semper incipit; & deficere defectus nescit; & mors premit, & non extinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat, flamma comburit, sed nequaquam tenebras decutit.

D

Luc. 10.

E

Et vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper euoluat.] Id est, hoc in corde suo semper euoluat, quod de cõtemnentibus Deum dicitur: *Ibunt impij in supplicium æternum.* De timentibus Deũ: *Iusti vero in vitam æternam;* vbi est gloria sempiterna, exultatio magna, corona virtutibus florida, claritas veri Solis illuminatione fulgida, habitatio omnium sanctorum solida, æterna & semper permanens bonitas tota. Ad quam qui bonorũ operũ virtutibus fulti peruenerint, beatis angelis similes erunt, & simul cum Deo suo felices gaudebũt, & in ꝑpetuo sine fine regnabũt.

Matt. 25.

F

Et custodiens se omni hora à peccatis & vitijs, id est, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ.] Quod dicit à peccatis custodire se omni hora, subauditur ab omnibus prauis operibus, quæ fiunt cogitatione, locutione, & opere. Vnde hic apte posuit cogitationum, linguæ, manuum, pedum, &c. Istis fomitibus quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatũ. Cogitatio namq; praua delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio cõsuetudinẽ, consuetudo necessitatem: his ergo vinculis homo implicatus catena vitiorum tenetur astrictus, ita vt ab ea euelli non valeat, nisi diuina gratia manũ iacentis apprehendat. Sic ergo omni corpore oportet nos aptare, vt creatori nostro totis membrorũ viribus obsequium valeamus præbere. Tũc enim oculus Deo præstat obsequium, cum turpia declinat aspicere. Tunc lingua merebitur præmiũ, quando benedictionibus occupatur. Tũc auditus placebit Deo, si detractionibus non misceatur. Et pedes laudare Deũ poterunt, si cursum suum ab omni malitia reuocare festinent. Et manus benedicunt, si rapinis renũciauerint, & ad misericordiã præparauerint. Quod vero dicit, custodire se à vitijs, subauditur, à septem principalibus, id est, à gula, fornicatione, auaritia, ira, tristitia, acedia, vana gloria, & ab octaua eorum genitrice superbia, & ab omnibus prorsus illorũ nociuis ramusculis, qui quasi venenatæ soboles à venenatis nascuntur parentibus, quorũ hic catalogum enumerare nimis est longũ. Nã in cordibus reproborũ inuicem sibi catalogus succedit vitiorum, vt dũ vnum abierit succedat aliud, iuxta Prophetæ testimoniũ, qui ait: *Residuũ erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo,* &c. Hinc iterũ per Prophetam dicitur: *Omnes cognationes terræ ab aquilone venient, & ponent vnusquisq; solium suum in introitum portarum Hierusalẽ.* Regna aquilonis vitia sunt, quæ in ipsis portis, id est, in ipsis sensibus animæ regnant. Neq; enim aliunde peccamus, nisi videndo, audiendo, attractando, gustando, atq; tangendo. Vnde & alias dicitur: *Intrauit mors per fenestras vestras.* Quod vero dicit, vel voluntatis propriæ, subauditur, custodiat se à peccatis, & vitijs propriæ voluntatis.

G

Ioel 1.

Ierem. 1.

H

Ierem. 9.

Sed & desideria carnis amputare festinet.] Subauditur, non delectetur implere. Quid enim in hac vita laboriosius, quam carnalibus desiderijs æstuare? Aut quid hic securius, quã desideria carnis nõ implere, & seculi huius nihil appetere. Qui enim hũc mundũ diligunt, & desideria carnis implere contendunt, à turbulentis seculi sollicitudinibus cõturbantur. Qui autẽ ita huic mundo moriuntur, vt soli Deo viuere delectentur, futuræ pacis requiem, quam illuc expectant, hic quodammodo habere iam inchoant. Ergo tã ꝑseueranter intendere oportet animũ nostrum orando, atq; pulsando, quousq; importunitas desideriorũ carnaliũ suggestiones, q̃ nostris obstrepũt sensibus fortissima intentione superemus, ac tãdiu insistere, quousq; ꝑsistẽdo vincam⁹.

Æstimet se homo de cœlis semper à Deo respici omni hora, & facta sua in omni loco ab aspectu Diuinitatis videri, & ab angelis, de

omni

[A] *omni hora renunciari.*] Quanto enim vnusquisque sollicitius se à Deo æstimat respici, tanto debet cautius viuere, & vitam suam honestissimè custodire: ne illos diuinitatis offendat oculos, quos vult habere propitios. Respicit ille abdita, & secreta atque occulta considerat, nec Dei oculos [Ierem. 23.] aliquis potest euadere dicentis: *Ego Deus appropinquans, & non Deus de longinquo. Si absconsus fuerit homo in absconditis, ergo non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo?* Hinc [Psal. 33.] Psalmista ait: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Quod autem dicit; & ab angelis omni hora renun[Tob. 12.]ciari, ab illo loco intelligitur, vbi angelus Tobiæ dixit: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationes tuas Domino.* Sed & Dominus cum in Euangelio di[Matt. 18.]xisset: *Quicunque humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum, & qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit:* post paululum addidit: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis: quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris.* Magna dignitas animarum, vt vnaquæque anima habeat ab ortu natiuitatis in custo[B]diam suam angelum delegatum, vt & illam custodiat, ne peccet, & quæ bona fecerit, Deo nunciare non cesset.

Demonstrat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus nostris ita [Psal. 7.] *Deum semper præsentem ostendit, dicens: Scrutans corda & renes Deus.*] Hæc propria virtus, vt Cassiodorus ait, solius Dei est, & corda nostra discutere, & animi nostri vigorem potentia suæ lucis penetrare. Nam licet nobis multo celsiores sint potestates cœlorum, nulli tamen creaturarum datum est, cogitationum nostrarum plenissime secreta cognoscere. Agnoscit tantum perfecte in nobis solus ipse, qui iudi[Apoc. 2.]cat. Ipse autem dicit: *Scient omnes Ecclesiæ, quoniam ego sum* [Sap. 1.] *scrutans renes & cor.* Hinc iterum scriptum est: *Quoniam renum illius testis est Deus, & cordis eius scrutator est verus.* Corda ergo nostra scrutatur Dominus, quando cogitationes cordium nostrorum subtiliter inuestigat, vt quæ hominibus sunt occulta, illi fiant in palam. Scriptum est enim: *Homo videt in facie; Deus autem in corde.* Scrutatur autem renes, quando animi nostri constantissimum intendit vigorem, siue corporeas liquide penetrat delectationes.

[Psal. 93.] *Et iterum; Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam va*[Ierem. 16.]*næ sunt.*] Hinc Hieremias ait: *Oculi mei super vias hominum.* [C] *Non sunt abscondita à facie mea, & non fuit occulta iniquitas eo*[Prou. 5.]*rum.* Hinc Salomon ait: *Respicit Dominus vias hominis, & o*[Psal. 118.]*mnes gressus eius considerat.* Hinc Dauid dicit: *Seruaui mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Non solum factis, sed etiam cogitationibus delinquimus, si eis illicite occurrentibus delectemur. Nam si prius prauæ cogitationi resistimus, in lapsum operis non incurrimus.

[Psal. 138.] *Et item dicit: Intellexisti cogitationes meas à longe.*] Hinc per [Prou. 16.] Salomonem dicitur: *Omnes viæ hominum panduntur oculis; infernus & perditio coram Domino* quanto magis corda filiorum hominum. A longe enim quod dicit, non locum significat, sed tempus; quia non solum facta nostra præuidet Deus, verumetiam antequam existimamus ipsi nos, cogitationes nostras cognoscit. Non est timendum, si bona, malaque in cogitationem veniant, sed magis gloriandum est, si mens mala à bonis intellectu rationis discernat, & quod inter bonum & malum sensu prudentiori discer[D]nit, aut mala cognita caueat, aut intellecta bona faciat.

[Psal. 75.] *Et, quia cogitatio hominis confitebitur tibi.*] Cogitatio verò hominis tunc Deo confitetur, quando peccata præterita humili satisfactione ab illo damnantur: quia dum vnusquisque diuina illuminatione præuenitur, statim molestijs turpium cogitationum pulsatur, sed eas Domino confiteri humiliter non veretur.

[Psal. 17.] *Nam vt solicitus sit circa cogitationes suas peruersas, dicat semper vtilis frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate mea.*] Subtiliter beatorum monachorum vita describitur, qui quando ad aliquam se gratiam Domini peruenisse cognoscunt, cauent ne iterum iniquitatis antiquæ calamitatibus innodentur. Nam cogitationes illicitas immittere, dæmonum est, cogitationibus verò oblectari peruersis, nociuum est. Iniquitatem hoc in loco posuit pro cogitatione. Omne enim quod æquum non est, iniquum est. Ergo qui se à prauis obseruat cogitationibus, leuius se obseruat à prauis operibus. Et ideò [E] dixit: *Et ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate mea.* [Psal. 17.] Ac si diceret: Tunc immaculatam potero ducere vitam, si me non maculauerit cogitatio praua. Neque enim potest sine macula viuere, cuius iniqua cogitatio polluit mentem. Sed ille tantum bene immaculatus viuit, qui se ab iniquitate prauæ cogitationis custodit. Et ne aliquis dicat, cogitare tantum, non facere, non est grande peccatum, audiat, quid de malorum cogitationibus sit scriptum. Dicit enim scriptura: *Cogitatio stulti peccatum est.* [Prou. 24.] Et vt intelligeres quale peccatum, dicit eadem scriptura in alio loco: *Peruersæ cogitationes separant à Deo.* [Sapien. 1.] Non enim paruum, sed grande peccatum est separari à Deo, & iungi diabolo. A quo se bene obseruat, qui cogitationes iniquas, dum adhuc sunt paruulæ, tenet & allidit ad petram.

Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur, cum dicit scriptura nobis: Et à voluntatibus tuis auertere.] [Eccl. 8.] In multis iam dictum est, quia propriam voluntatem nulli vnquam facere permittendum est, nisi iudicio, & probatione vel multorum, vel eorum, qui præsunt. Nam illam dicimus perfectam continentiam, qua se à proprijs suis voluntatibus [F] continet. Quantum autem habeat periculi, qui voluntatem propriam facere vult, & non Domini, certum est ex Apostolo dicente: *Facientes voluntates carnis & cogitationum* [Eph. 2.] *eramus aliquando & nos natura filij iræ, sicut & cæteri.*

Et iterum: Rogemus Deum in oratione, vt fiat illius voluntas in [Matt. 6.] *nobis.*] Dominus infirmitatem hominis, quem portabat ostendens ait: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* [Luc. 22.] Et exemplum discipulis suis tribuens, vt non voluntatem suam, sed Dei faciant, addidit: *Veruntamen, non quod ego volo, sed quod tu*, Et alio loco dicit: *Descendi de cælo, non vt faciam vo*[Ioan. 6.]*luntatem meam, sed eius, qui misit me.* Quod si filius obediuit facere voluntatem patris, quanto magis seruus debet obedire, & non suam, sed Domini facere voluntatem.

Docemur ergo merito non facere nostram voluntatem; cum caueamus illud, quod dicit sancta scriptura: Sunt viæ, quæ videntur [Prou. 16.] *hominibus rectæ, quarum finis vsque ad profundum inferni demergit.*] Hæc est illa lata, & spatiosa via, quæ per se gradientes ducit ad perditionem, per quam multi voluntates suas sequendo, pereunt, & descendunt in infernum. Hinc quidam sapiens dicit: *Via peccantium complanata lapidibus, & in* [Eccl. 21.] *fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* De quibus & in libro Iob [G] legitur: *Exultant in lusibus, tenent tympanum, & cytharam, &* [Iob 21.] *gaudent ad sonitum organi; deducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Nam & de illis intelligi potest, qui nunc electi esse videntur; sed quia non sunt, à Domino reprobantur, dicente Propheta: *Vocauit Dominus iudicium ad* [Amos 7.] *ignem, & deuorauit partem domus.* Pars quippe domus deuorabitur, quia illos etiam infernus absorbebit, qui nunc se in præceptis cœlestibus stare gloriantur. Potest & de illis non inconuenienter intelligi, quos vitia sub simulatione virtutum decipiunt. Quædam vitia speciem virtutum habere videntur, sed virtutes non sunt. Nam interdum sub prætextu iustitiæ crudelitas agitur, & inde se nonnulli iustos esse confidunt, vnde maximè apud Dominum reprobantur. Carnales autem plerumque per insensibilitatem mentis non agnoscunt vitium esse culpabile, quod dignum videtur damnatione. Hinc per Salomonem dicitur: *Vias quæ à* [Prou. 4.] *dextris sunt nouit Dominus, peruersæ vero sunt, quæ à sinistris sunt.* [H] Intelligitur & de hæreticis, quorum dogma illius videtur rectum, sed à catholicis viris discernitur, & iudicatur esse prauum; quia sequaces suos dicit ad tartarum. Hinc Sa[Prou. 4.]lomon ait: *Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.* [Prou. 13.] Hinc iterum dicit: *In itinere contemptorum vorago.*

Et cum item caueamus illud, quod de negligentibus dictum est: [Psal. 52.] *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis.*] Corrupti sunt sequendo libertatem arbitrij sui, & abominabiles facti sunt sequendo voluntates proprij cordis sui. De his enim Apostolus ait: *Homines corrupti mente, reprobi si*[1. Tim. 4.]*ne affectu, præuaricatores, immites, cauteriatam habentes conscientiam*, &c.

In desiderijs vero carnis ita nobis Deum credamus super esse præsentem, cum dicit Propheta Domino: Ante te est omne desiderium [Psal. 37.] *meum.*] Non enim ante homines, inquit, qui cor videre non possunt, sed ante te est omne desiderium me-

um: cui

A um: cui non latent, quæ sunt in cogitatione vel desiderio cordis mei.

Cauendum ergo ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est.] Mors dicta vel à morsu, vel quia amara est. Ideo à morsu dicta est mors, quod delectauit Eua de ligno paradisi comedere vetito,& suasa à diabolo accepit pomum,& momordit illud, & statim mortem glutiuit amarum cum morsu. Delectauit & momordit, & statim mortis periculum incurrit. Intrauit delectatio pomi in animam; intrauit pariter & mors cum illa. Et ideo secus introitum delectationis mortem positam B. esse Benedictus dicit. Nam eodem blandimento delectationis decipiuntur nunc per diabolum, quo protoplasti in paradiso sunt decepti. Diabolus enim quando decipere aliquē cupit, prius naturam vniuscuiusque incendit,& inde se applicat, vnde aptum hominem ad peccatum inspexerit. Diabolus enim serpens est lubricus, cui si in capite suggestionis non resistitur, totus in interna cordis, dum non sentitur, il-
B labitur. Si autem ei fortiter in capite à sanctis viris resistatur, tota eius suggestio cito annihilatur. Vnde & psalmista
Psal. 14. ait: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Et, *Beatus*
Psal. 136. *qui tenet, & allidit paruulos suos ad petram.*
Eccl. 18. *Vnde scriptura præcipit dicens: Post concupiscentias tuas non eas.*]
Iacob. 1. Hinc Iacobus Apostolus ait: *Vnusquisq; verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Abstractus videlicet à recto itinere,& illectus in malum. Hinc iterum ipse: *De hinc*
Ibid. *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.* Tentatus est Dauid visu vxoris alienæ,& in concupiscentia sua abstractus & illectus est. Atque vbi conceptum scelus perfecit, in reatum mortis etiam proprio ore iudicatus incidit; quem tamen pœnitendo euasit. Tentatus est Iudas per philargyriam, & quia erat auarus, ab ipsa concupiscentia sua abstractus & illectus ad interitum consentiendo est deductus. Tentatus est Ioseph verbis dominæ; sed quia nec concupiscentiam libidinis, nec delectationem habuit carnis, à tentatione victor euasit.
Psal. 32. *Ergo si oculi Domini speculantur bonos, & malos, & Dominus de*
Psal. 13. *cælo semper respicit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum; & si ab angelis nobis deputatis quotidie Domi-*
C *no factori nostro opera nostra nunciantur:*]Oculi Domini respectio est diuina, qua semper respicit super bonos, vt eos ab insidijs inimici defendat, à peccatis custodiat, & in bonis iugiter operibus persistere faciat. Respexerunt oculi Domini Petrum,& ille statim reuersus à negationis vitio cognouit Dominum, & amarè flendo emendauit delictum. Speculantur ergo oculi Domini bonos & malos; vt bonis bona,& malis retribuant mala. Vt illis pro bonis operibus præmia, istis pro prauis actionibus pœnam tribuat sempiternam. Istos vt exaudiat & saluet, illos vt perdat & dam-
Psal. 33. net, sicut scriptum est: *Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum.* Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Respicit & super filios hominum, vt videat, si est aliquis inter eos intelligens aut requirens Deum. Ille enim apud Deum intelligens habetur, qui in opere,& oratione non alium, sed ipsum auditorem solum requirit & exorat. Qui non in alio curam, spem, vel fiduciam, nisi in ipso solo Domino ponit Iesu Iesu Christo. Curam, vt, Iacta in Domino curā tuā. Spem,
D vt, Spes mea Dominus à iuuentute mea. Fiduciam, vt, Bonum est confidere in Domino. Angelos nobis deputatos
Matth. 18 dicit; de quibus Dominus ait: *Angeli eorum semper vident faciē patris mei, qui in cælis est.* Et pro quibus Paulus Apostolus mulieres prohibet in Ecclesiam non velatis intrare capitibus. Et de quibus idem alio loco dicit, quod Angeli missi sunt in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.
Psal. 52. *Cauendum est ergo omni hora, fratres, sicut dicit in psalmo Propheta, ne nos declinantes in malū, & inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore (quia pius est, & expectat nos conuerti in melius) dicat nobis in futuro: Hæc fecisti, & tacui.*] Ille enim declinat in malum, qui prius stetit in bono,& qui prius in statu rectitudinis stetit, si declinauerit in malū, factus est inutilis seruus & prauus. De tali enim anima dicit
Ierem. 2. Propheta: *Quā vilis facta es nimis iterās vias tuas.* Illa misera efficitur anima, quæ de statu rectitudinis crebro descendens E committit culpam. Vnde & misera & inutilis est facta; sed nec talibus interdicenda est venia. Sed hoc necesse est vt custodiat, vt sic præteritam plangat culpam, ne iterum plangendum cōmittat, & eum Dominus frequenter peccantem aspiciens, & reuerti diu ad pœnitentiam expectās, illi nolenti dicat: *Hæc fecisti & tacui.* Superius enim peccatori Psal. 49. Dominus dixerat: *Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum*; & cætera, quæ ibi descripta peccatorum Psal. 49. multa retinentur mala. Et tunc ista subijciens dixit peccatori in vindictam. Ac si diceret: Hæc supradicta frequenter commisisti peccata, & non tibi reddidi dignam operis tui praui vindictam, sed potius tacui, & expectaui te conuerti ad pœnitentiam. Non tibi pro malis reddere volui mala, sed tacui,& expectaui, vt pœnitentiam agenti redderem præmia. Tacere enim Domini est, peccatori malū pro malo non reddere, sed diu ad pœnitentiam expectare. Peccatori enim Dominus non taceret, sed responderet, si vindictam de eius prauis actionibus statim expectaret. Sed quem diu expectat, vt pœniteat: si pœnitentiam non egerit, subito ferit vt pereat.

Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere; sed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.] Sicut non potest homo Deo simul, & mammonæ seruire; sic non potest voluntatem propriam, & Dei pariter implere voluntatem. Vno enim vas poculo plenum impleri poculo non poterit altero. Nisi enim exhaurierit nociuum, non poterit hauriendo implere proficuo. Nec vnius pectoris vrna carnis simul & maiestatis sustinere poterit desideria, sed vnde recedunt vnæ, succedūt aliæ, id est, à qua mente recedunt vitia succedens virtutum copia possidet. Ergo à nostri pectoris arca exhaurienda sunt carnalia desideria, vt & impleri possit virtutum spiritalium copia,& à Deo venientia tenere possit spiritalia desideria. Hinc enim scriptum est: *Lignum vitæ desideriū veniens, & desiderium suum iustis dabitur.* De impiorum autem desiderio ita scriptum est: *Desiderium impiorum munimentum est pessimorum.* Et alibi scriptum est: *In allocutione desiderij ascendit illis de mari ortygometra, & vexationes peccatoribus superuenerunt.* Ergo relinquendæ sunt nostræ voluntates,& desideria, vt factis illam Domini vocē imitari possimus, qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Quod autem sequitur;

II. Gradus. Ioan. 6. F Prou. 13. Prou. 12. Sap. 19. Ioan. 6. G

Item dicit scriptura: Voluptas habet pœnam, & necessitas parit coronam.]Fateor, me, nisi fallor, nunquam hoc in diuinis legisse scripturis;& ideo non huius sententię sonum, sed magis eiusdem intellectū quærere volo. Dicit enim: Voluptas habet pœnā,& necessitas parit coronam. Ac si diceret: Lata & spatiosa via est, quæ ducit ad mortis pœnam; arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitā; vbi necessitatem pro Domino patientes coronas recipiant sempiternas. Hinc iterū Dominus dicit: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Quid est aliud semetipsum abnegare nisi latam,& spatiosam viam deserere, & voluntates proprias odire? Quid est tollat crucem suam, & sequatur me, nisi arctam,& angustam viam arripiat, vbi pro me multas necessitates sustineat? & sic ad gaudia perpetua me sequens veniat, vbi æternam coronā me donante recipiat?

Matt. 16. Luc. 9. H

Tertius gradus humilitatis est, vt quis pro Dei amore, omni obedientia se subdat maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: Factus est obediens vsque ad mortem.] Si enim Deum, vt decet, diligamus, non solū in omni obedientia subdi maiori, sed, si necesse fuerit, parati esse debemus etiam pro illo mori; sicut & ille pro nobis mortuus est, sicut Apostolus ait, dicens: *Commendat Deus suam charitatem in nobis, quoniam cū adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et nō solum pro illo mori, sed etiam pro fratribus animas ponere debemus esse parati, sicut ait idem Apostolus: *In hoc cognoscimus charitatem eius*, inquit, *quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Diligamus ergo Deū vt filij patrem, & simus pro illius amore maioribus subditi vsque ad mortem: quia & ille, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualē Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum

III. Gradus. Philip. 2. Rom. 5. 1. Ioan. 3.

A minum factus, & habitu inuentus vt homo humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem. *Videte ergo*, 1.Ioan.3. idem ait Apostolus, *qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & simus*. Ita enim perfecti erimus charitate, si nullius alterius, nisi sicut ille salutis nostræ gratia prior nos dilexit; ita & nos nullius alterius rei, nisi tantum sui amoris dilectione, & maioribus subdi, & pro illo mori simus parati.

IV. Gradus. *Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris, & cõtrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacita conscientia patientiam amplectatur.*] Frequenter solet contingere, vt quantum se monachus humilitari, & obedientiæ subdiderit, tantum inuenit, quod durius portat. Vnde necesse est, vt vnusquisque, cum ad Dei accedit seruitium, ad omnia toleranda suum fortiter preparet animum, sicut scriptũ Eccle.2. est: *Fili, accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, & sustine*; & siue irrogatas iniurias ab alio, siue tentationes venientes ex animo tacita conscientia sustineat, & auxiliante B Deo cum patientia omnia vicat. Scriptum est enim: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Hinc Iacobus Iacob 1. ait: *Scientes quod probatio fidei patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet.* Ideo, inquit, aduersis tentamini, vt virtutem patientiæ discatis, & per hãc ostendere possitis ac probare, quia firmam fidem sustinere retributionis in corde gestatis. Hinc & Paulus similiter ait, dicens, quod Rom.5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem.* Patientia enim probationem operatur; quia cuius patientia vinci non potest, ille perfectus esse probatur. Illa enim ratio facit fideles per patientiã exerceri, vt per hanc fides eorũ, quæ sit perfecta, probetur, dum & rebus prosperis vtilia iustus exempla præstet hominibus, necesse est iterum tãgi aduersitatibus, quatenus eius patientia bonũ cæteris det exemplar, & patientiæ suæ post mortem recipiat præmia: quia qui Deum pro irrogata laudat iniuria, & commissa sine dubio perdet facinora, & promissa quandoque à Deo recipiet præmia.

Matth. 10. & 24. *Et sustinens non lassescat, vel discedat, dicente Scriptura: Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.*] Nam inchoantibus præmium promittitur, sed perseuerantibus datur. Tunc C enim placet Deo nostra cõuersatio, quando bonum, quod incipimus, perseueranti fine complemus. Ille monachus lassescit, vel discedit, qui regulare opus, quod cępit, ad perfectũ non ducit; qui in ipso opere, quod agere feruenti animo cœpit, paulatim languescens tepescit, & aut ab opere tantũ, aut simul ab opere & monasterio tepefactus recedit, non ponens ante oculos, quod scriptura maximè monachos Eccle.11. hortatur dicens: *Confide in Domino, & mane in loco tuo.* Vnde & sequitur;

Psal.26. *Item confortetur cor tuum, & sustine Dominum.*] Ac si diceret: Viriliter age, ne cadas in desperationem, & non tibi negatum putes, quod diu promissum nõ accipis. Sustine Dominũ, & sine defectione spera in eum, vt tempore oportuno metas, quod hic sagaciter quotidie operaris. Exhortatio ista bonorũ est monachorũ, necnõ & omniũ Christianorũ, ne se carnis imbecillitate à recto subducant proposito, sed in bonis operibus perdurantes ad perseuerantiam tendant, & in his, quæ illis regulariter iniunguntur, constanter perseuerant; sic enim sustinentium pectora roborantur, si D spem suã in Domini virtute ponentes ad boni operis perseuerantiam tendant, & promissa Domini sustinentes à Domino mercedem recipere non desperent.

Et ostendens fidelem pro Domino vniuersa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona etiã sufferentium, Propter te morte tota Psal.43. *die afficimur, æstimati sumus vt oues occisionis.*] Morte vero affici, est per longas passiones præsentis vitæ exitiũ reperire. Boni monachi fortitudo nec diuersis pulsata molestijs vinci, nec vllis voluptatũ illecebris debet succumbi, nec aduersis deijci, nec debet prosperis eleuari, sed contra omnia vitia roborata persistere debet, & inconcussa. Et sicut ouis ad occisionẽ ducta nec vociferatur, nec repugnat, ita monachus patientiam habens, nec vociferans, murmurans, nec repugnans iniuriæ debet resistere, sed magis tribulationibus multis affectus debet cum psalmista Domino dicere: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.

E *Et securi de spe retributionis diuinæ subsequantur gaudentes, & di-* Rom.8. *centes: Sed in his omnibus superamus propter eũ, qui dilexit nos.*] Sancti enim cũ Deo & propter Deũ omnes præsentis seculi superant tribulationes, fortiter agentes propter æternam retributionẽ. Superant enim aduersa omnia, & Dominũ habentes à mille superãtur aduersis. Si enim Deus pro nobis, qui cõtra nos? Hinc Petrus Apostolus ait: *Et quis nobis noceat,* 1.Petr.3. *si boni æmulatores fuerimus.* De his dicit, quæ nobis ab aduersarijs per verba cõtumeliosa, per damna rerũ corporalium, per tormẽta corporis accidunt. Hęc enim omnia, cũ fidelibus irrogãtur, eis nocere nõ possunt, sed magis palmã patientiæ æquanimiter tolerãtibus adferunt. Si quis autem huiusmodi aduersis victus deficit, nõ huic ille, qui malũ intulit, sed ipse sibi, qui hæc impatienter recusauit, nocuit.

Et itẽ alio loco scriptura, Probasti nos, inquit, *Deus: igne nos exa-* Psal.65. *minasti, sicut igne examinatur argentũ.*] Monachorũ enim probatio in tentationũ & diuersarũ tribulationum fit camino. *Oportet nos*, inquit Apostolus, *per multas tribulationes intrare in* 2.Cor.2. *regnũ Dei.* Igne nos examinasti, dicit, sicut examinatur argẽtum. Examinantur ergo igne tribulationis electi, vt ab omnibus sordibus mundati venire mereantur ad diadema regis æterni. Argentũ enim nisi examinetur per ignẽ, sordidũ ex sua manet origine: ita & hominũ corda, nisi igne spiritus F S. fuerint mundata, naturaliter sordida manẽt, & immũda. Propterea ne in fornace humilitatis & tribulationis in plũbi mollescãt natura, necesse est fortiter sustinentiæ, patientiæque teneant arma. Scriptũ est enim: *Sustine tentationis Do-* Eccle.2. *mini, cõiunge te Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua. Omne quod tibi applicitũ fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiã habe, quoniã in igne probatur aurũ, & argentum*; homines verò receptibiles in camino humiliationis.

Induxisti nos in laqueum: posuisti tribulationes in dorso nostro.] Psal.65. Induxisti nos in laqueo propter exaggerationẽ dicit tribulationis, vt intelligas omne genus tribulationis in hoc seculo super electos venire; quia omne genus gloriæ à Domino in futuro expectant recipere. Quia qui vitæ futuræ pręmia accipere expectat, mala omnia pręsentis vitæ ęquanimiter tolerat: quoniã ex illius dulcedine huius vitæ amaritudinẽ temperat. Quod autẽ dicit: posuisti tribulationes in dorso nostro: cõuenit cũ sentẽtia Psalmi, qui dicit: *Incur-* Psal.37. *uatus & humiliatus sum nimis; rugiebã à gemitu cordis mei.* Tribulationes enim in dorso & humilẽ significãt animũ, & curuũ corpus. Indicãt corpus ieiunijs castigatũ, & cor contri- G tũ & humiliatũ. Qui enim disciplinę salutaris tribulationes in dorso minimè portãt, erecto incedũt corporis collo, ferum multũ, & tumidũ gestant animũ. Quod autẽ sequitur,

Et vt ostendat sub Priore debere nos esse, subsequitur dicens: Impo- Psal.65. *suisti homines supra capita nostra.*] Secundũ B. Benedicti expositionẽ Abbates significat, sub quibus monachos regularis institutio decreuit viuere, & illorũ dictis obtẽperare; sub quibus & capita mittere, & iussa illos iusta decet implere.

Sed & præceptũ Domini in aduersis, & in iniurijs per patientiam Matth.5. *adimplentes, percussi in maxillam præbent & aliam: Auferenti tuni-* Luc.6. *cam dimittunt & pallium: angariati milliario, vadunt & duo: cum* 2.Cor.11. *Paulo Apostolo falsos fratres sustinent, & persecutionem, & maledi-* 1.Cor.4. *centes se, benedicunt.*] Hanc alij iustitiæ doctores interpretati sunt sententiã. B. verò Benedictus tantũ vt hoc in loco humilitatis, & patientiæ nobis daret exemplar, posuit illam, quã qui in aduersis, & in iniurijs veraciter implere conatus H fuerit, ad æternitatis culmen ascendere cito poterit. Nam nullus hanc implere perfectè poterit, nisi qui prius grandis patientiæ fundamentũ in corde radicauerit, & summę humilitatis prius culmen attigerit. Qui enim in iniurijs irrogatis nõ reddit malũ pro malo, ille maxillã percutienti vnã præbet & aliam. Ille qui maledictũ non reddit pro maledicto, auferenti tunicã dimittit & palliũ. Ille qui non vincitur à malo, sed vincit in bono malum, angarianti milliario voluntariè pergit duo. Iste sine dubio talis patienter cum Paulo falsos fratres sustinet & maledicentes benedicendo veracitater humilitatis implet præceptum.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi V. Gradus. *suo aduenientes, vel mala à se absconsè commissa, per humilem confessionem Abbati non celauerit suo.*] Hinc Salomon ait: *Qui abscõ-* Prou.28. *dit scelera sua, non dirigetur: qui autẽ confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Amaritudo enim pœnitentię facit

animum

A animum & sua facta subtilius discutere, & dona Dei, quæ contempsit, flendo cõmemorare. Magna iam iustitiæ pars est semetipsum nosse interius hominem, quod prauus est, vt ex eo diuinæ virtuti humilis subdatur, ex quo sua cognoscens peccata alteri confiteatur ea. Hinc iterum Salomon
Prou. 16. ait: *Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* Vnde & hic subditur;

Psal. 36. *Hortans nos de hac re scriptura, dicens: Reuela Domino viã tuã:*] Id est, reuela per confessionem Abbati, quẽ tibi Dominus pro se Vicarium dedit actiones tuas, in quibus peccati conscientia latet.

Ibid. *Et spera in Dominũ,*] qui tibi veniã de cõmissis misericorditer donet. Hinc Cassiod. dicit: Velum quoddã est peccatorũ, vnde via, id est, vitã nostra tenebrosa amictus circũdatione vestita est; hãc reuelamus, quãdo delicta nostra tenebrosa promptissimè cõfitemur. Reuelauit enim Paulus
Galat. 5. viam suã, quando dixit: *Caro concupiscit aduersus spiritũ, spiritus autem aduersus carnẽ.* Sperauit autẽ in Domino, dũ clamaret:
Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Gratia Dei per Iesum Christũ Dominũ nostrũ. Hinc Augustin. ait:
B Quod autem habes in corde, patefac in sermone per confessionẽ. Spera in eũ, & ipse faciet, hoc est, ipse tibi dimittet peccata tua, & deducet in charitatẽ opera tua. Sequitur;

Psal. 105. *Et item dicit: Confitemini Domino, quoniã bonus, quoniã in seculum misericordia eius.*] Hinc Cassiod. ait: Confessionẽ istã ad medicinã pœnitudinis applicandã designat. Sed hoc quoq; ad præconia Domini pertinere nõ est dubiũ, quãdo maior gloria est pietatis cõfitenti parcere, quam viuendi sine cõfessione præstare. Et ne aliquis de culparũ suarũ numerositatibus terreretur, addidit: quoniã bonus. Quis enim dubitet ad eum recurrere, quẽ sibi audit velle celerrimè subuenire? Addidit, quoniam in seculũ misericordia eius. Audito bono Domino, ne se humana negligentia à studiosa & sedula supplicatione suspenderet, remedij causam dicit, vt ad confessionem celerem Domini debeat merito festinare. In seculum, vitæ huius significat cursum, vbi miseri sunt, quicunque delinquunt; vbi fas est corda nostra cõuerti, & misericordiam postulari. Ibi enim damnatio est confiteri pec-
C catum, vbi iam constat esse iudicium.

Psal. 31. *Et item Propheta: Delictũ meũ cognitũ tibi feci, & iniustitias meas non operui.*] Hoc est, cognitũ facere, in confessionẽ delicti producere; operire autem, velle aliquid silentio tegere, aut corpus dissimulatione celare. Hoc faciunt stulti, qui putãt Deũ ignorare posse, quod agũt. Cõtra, qui illũ nouerũt res omnes habere manifestas, ad humilẽ confessionẽ, & pœnitentiæ vota descendũt, ne iudicẽ patiantur infestum, quem propitium habere poterant aduocatum. Sequitur;

Psal. 31. *Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitias meas Domino; & tu remisisti impietatẽ cordis mei.*] Hinc magna pietas diuinitatis ostenditur, vt ad solã pronuntiationẽ deuotionis subito laxauerit peccata, quando sic iudicat piũ votũ, quemadmodũ operationis effectũ. Dixit enim in corde suo Domino nõ tacere quæ gesserat; & tanquã iã cuncta prodiderat, ita illi remissa sunt, quæ voluit cõfiteri. Cõfessio ergo mea adhuc in corde erat, & ad nos nondũ venerat. Dexterã enim pronunciabo aduersum me, verumtamen Deus auditor cordis mei dimisit impietatem peccati mei.

D
VI. Gradus. *Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate, vel extremitate cõtentus sit monachus.*] Magna apud Deum refulget gratia, qui huic mundo cõtemptibilis fuerit, & vilis. Nã reuera necesse est, vt quẽ odit mundus diligat Deus. Sancti qui vilitatẽ diligunt, & rebus, honoribusq; renunciãt, ideo se ab omni terrena possessione mortificant, vt in hæreditate cum Deo feliciter viuant. Ideo vilitatem, extremitatemque amant, vt validiores ad vitã illam, quæ illis præparat æterna, de huius vitæ mortificatione consurgant. Sequitur;

Et ad omnia, quæ sibi iniunguntur, velut operarium malũ, & indignum se iudicet.] Ideo monachus operariũ iudicat se malũ, quia quomodo opus eius recipiatur, nescit à Domino. Operamur enim nos exterius, sed quomodo opus à Domino recipiatur, nescimus interius. Ideo se indignum iudicat, quia sicut non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: ita non sunt digna, quamuis sint bona opera nostra, ad conquirendam gloriam, vel præmia sempiterna.

E
Psal. 72. *Dicens cum Propheta: Ad nihilum redactus sum, & nesciui.*] Hæc vox humilitatis est, non timoris, sapientis potius, quã nescientis sunt verba; humiliantis, non exaltantis se est sentẽtia. Apud enim seculum istud se iustus cognoscit stultũ, vt inue-
1. Cor. 1. niatur sapiens apud Dominũ. Hinc Paulus ait: *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit, vt confundat fortia.* Nesciui, dixit, id est, nescientẽ me esse cognoui. Stultum & paruulum deputaui, & velut insipientem despexi. Qui enim modo se apud se humiliter nescientem cognouit, quandoque sapiens apud Deum, & exaltatus gaudebit.

Psal. 72. *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.*] Nõ tale iumentum, quod insipientiam cordis haberem, sed qui toto corpore, & corde Deum baiularem. Iumentum enim Domini non recusat ferre, quodcunque illi fuerit pondus impositum, sed patienter tolerans portat, donec ad locum destinatum perueniat. Ita & monachus omnia, quæcunq; illi ab Abbate, vel ab alio aliquo priore regulariter fuerit impositum, patienter tolerare, & sine murmuratione debet sufferre, donec ad vitæ suæ perueniat calcem, vbi depo-
F sito laboris onere, expectet à Domino dignam operis sui accipere retributionem.

VII. Gradus. *Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem, & viliorem non solum sua lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu.*] Qui enim in regno vult esse superior, necesse est vt in hoc mundo fiat inferior. Et qui vult esse honoratior, fiat vilior, & despectior, secundum Domini sententiã qui ait:
Marc. 10. *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Et quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister,* &c. Tunc ergo se quisque monachum iudicet, quando se minimũ, inferiorẽ, & viliorem cæteris existimauerit. Ad hoc monachus viuit in monasterio, vt humiliatum habens animũ, cæteris præbeat humilitatis exemplum. Vnde & Petrus Apostolus ait:
1. Pet. 5. *Omnes inuicem humilitatem insinuate.* Ille bene cæteris humilitatem insinuat, qui eam veraciter in corde portat. Qui nõ se magnum & altum, sed vt vilem, & despectum componit, & aptat magno pium. Qui se pauperem spiritu, & vt puerũ paruulum in medio existimat, & exhibet fratrem. Hinc B. Gregorius ait: Sciendum magnoperè est, quia tantũ vna-
G quæque anima pretiosior ante oculos Dei est, quanto præ amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos.

Psal. 21. *Humilians se, & dicens cum Propheta: Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.*] Ego autem sum vermis, & non homo, propter exaggerationem dicit humilitatis. Vermis enim humilior cunctis animantibus esse videtur, & vilior. Nutritus enim vermis ex ligno quanto fragilior, tanto esse probatur & purior. Cui comparatur monachus, qui quanto in hoc seculo fuerit despectior, infirmior, & vilior; tanto apud Deum sanctior inuenitur, &
Prou. 39. mundior. De quibus Salomon ait: *Formica populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi.* Quod autem dicit, opprobriũ hominum, & abiectio plebis, contra superbos & rusticos respicit populares, qui semper despiciunt humiles, & abijciunt pauperes. Opponunt illis quę possunt opprobria, obijciunt contraria verba, & semper in abscondito detrahere non cessant. Hinc Salomon ait: Viri sanguinum oderunt simplicem, iniusti autem quærunt animam eius. Hæc ratio discernit inter filios Dei, & filios diaboli: quia filij diaboli amant, & diligunt mundum, filij autem Dei amant & di-
H ligunt Deum. Sed filij diaboli, filium Dei à mundi amore separatum, & cœlestibus tantum desiderijs intentum amare non possunt. Abominatio est enim, vt supra dicit, peccatoris religio.

Psal. 87. *Exaltatus sum & humiliatus, & confusus.*] Hoc specialiter conuenire probatur electis. Exaltatum se esse dicit quis illorum, quando prius res humanas cogitabat corde tumido. Humiliatus sum, inquit, quando ad confessionem, medicabile donum, diuina gratia miserante peruenit. Confusus, quando illa, quæ male gesserit, pœnitentiæ professione damnauit. O beata confusio quæ æternum tollis opprobrium! Nam quidquid in reatũ venerit pœnitentum, perpetuis seculis redditur absolutum.

Psal. 118. *Et item; Bonum mihi, quod humiliasti me, vt discam mandata tua.*] Exponit enim de illa dulcedine gustare, quæ omnes suauitates probatur excedere, & dicit: Bonum mihi, quod

A humiliasti me,id est,vt mandatorum tuorum discerem co-
piam,quam antea recipere tumidus, vel superbus non po-
teram. Humilitas enim ista,Ierusalem tangit gloriosa fasti-
gia. Nam sicut superbia mergit ad tartarũ, ita ista tollit ad
cœlum. Ista quippe humiliatio quale præmium habeat,cõ-
sequenter exponit,cum dicit: Vt discam mãdata tua. Tunc
enim perfectè discuntur mãdata, quãdo Domini fideliter
implentur præcepta. Quando quę recto intelliguntur cor-
de,efficaci implentur & opere.

VIII. Gradus. *Octauus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod
communis monasterij regula, vel Maiorum cohortantur exemplar.*]
Ac si diceret; Non aliquã inueniat monachus arbitrio suo
institutionem nouellam,sed potius omnia,quæ ab alijs vi-
derit agi agat,& quæ cæteros viderit facere,pleniter faciat,
& quæ scripta tenentur in regula,firmiter custodiat, & ex-
peditè cuncta operibus compleat,& sic demum ordinatim
ad exemplar maiorum perueniat patrum,& exemplum ac-
cipiat humilitatis à Christo, deuotionis à Petro, charitatis
à Ioanne,obedientiæ ab Abrahã, patientiæ ab Isaac, tole-
rantiæ à Iacob, & Iob, castimoniæ à Ioseph, mansuetudi-
B nis à Moyse,constantię à Iosue,benignitatis,à Samuel,mi-
sericordiæ à Dauid,abstinentiæ à Daniele. Sic & cætera fa-
cta piorum quo labore,quo moderamine,quauè intentio-
ne,vel compunctione gerantur,sanctus imitando conside-
ret monachus, vt eius auxiliante Christo vsque ad eorum
exemplar protelerur opus.

IX. Gradus. *Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat
monachus, & taciturnitatem habens vsque ad interrogationem non*
Prou. 10. *loquatur, monstrante scriptura: Quia in multiloquio non effugietur
peccatum.*] Ideo linguam suam prohibere debet monachus
ad loquendum, ne in multiloquij cadat peccatum. Taci-
turnitas enim virtutes plurimas nutrit, loquacitas verò etiã
Prou. 23. nutritas dispergit. Hinc Salomon ait: *Sicut vrbs patens, &
absque murorum ambitu; ita vir, qui non potest in loquendo cohibere
spiritum suum.*] Ciuitas enim patens,& absque clausura non
seruat interius quod tenet illæsum, nisi tempore congruo
aut seris claudatur aut muro;ita & monachus nisi linguam
prohibeat ad loquendum, virtutes quas tenet interius per
C loquacitatis perdit vitium;nisi ori suo custodiam posuerit,
& ostium. Sequitur;

Psal. 139. *Et quia vir linguosus non dirigetur super terram.*] Quamuis
linguosi possunt dici & illi, qui linguæ vbertate facundi
sunt, tamen illis hoc specialiter nomen constat impo-
situm, qui inconsiderata locutione verbosi sunt. Sic enim
contrarios sapientibus, & diuerso sermone tractantes
Iacob. 1. monet Iacobus Apostolus dicens: *Sit autem omnis homo ve-
lox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Tales enim
super terram minimè diriguntur, quia flexibilitate sua fre-
quenter excedũt. Difficile est enim indeliberatum rectum
esse sermonem.

X. Gradus. *Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in
risu; quia scriptum est: Stultus in risu exaltat vocem suam.*] Leui-
Eccl. 21. tas animi facit monachum facilem ac promptum esse sem-
per in risu. Non enim timorem Domini gestat in corde,
ideo in cachinno vult,& alta sempere ridere voce. Non e-
Iacob. 4. nim attendit, quid nos Iacobus Apostolus admonet di-
cens: *Miseri estote, lugete, plorate. Risus vester conuertetur in luctum,*
Prou. 24. *gaudium in mærorem.* Hinc Salomon ait: *Risus dolore misce-*
Eccle. 2. *bitur; & extrema gaudij luctus occupat.* Hinc iterum ipse:
D *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?*
Magis ergo conuenit monacho luctus, quam risus, quia
Matth. 5. per luctum venitur ad gaudium, sicut scriptum est: *Beati
qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Per risum verò venitur
Luc. 6. ad fletum, sicut scriptum est: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia fle-
bitis & plorabitis.* Ridere enim homini, vt iam superius di-
ctum est, penit⁹ nõ vetatur, quia illi soli hoc inter oẽs crea-
turas cõcessum naturaliter esse cognoscitur. Sed vt leuita-
tis caueat vitiũ: facilitas & alta vox fieri prohibetur in risu.

XI. Gradus. *Vndecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur monachus, le-
niter & sine risu, humiliter cum grauitate, vel pauca verba & ratio-
nabilia loquatur.*] Leniter, id est, temperatè, vel placidè de-
Eccle. 21. cet monachum loqui, quia scriptum est: *Verba prudentium
statera ponderabuntur.* Lenitas enim de fonte dulcedinis pa-
Eccle. 6. riter procedit & pacis. Hinc Salomon ait: *Verbum dulce mul-
tiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua gratiosa in bono ho-
mine abundabit.* Hinc iterum ipse: *Fauus mellis verba composita.* E Prou. 6.
Verba enim bene composita & proferentem honestant,& Ibid.
gratiam audientibus subministrant. Addidit dicens: *Et sine
risu*: Verba enim risu plena aut stultum aut leuem,aut certè
vanum monachum esse denunciant. Humiliter enim & cũ
grauitate debet monachus loqui, quia scriptum est: *Noli* Eccl. 4.
citatus esse in lingua. Et, *Qui odit loquacitatem, extinguit malitiã.* Eccl. 19.
Et pauca verba & rationabilia loquatur. Ideo pauca, quia
scriptum est: In multiloquio non effugies peccatum, & qui
multis vtitur verbis lædet animam suam. Ideo rationabi-
lia,quia scriptum est: *Qui moderatur labia sua, prudentissimus* Prou. 10.
est. Ideo pauca; quia scriptum est: *Stultus verba multiplicat.* Eccl. 10.
Et vbi sunt verba plurima, ibi frequenter egestas. Ideo rationa-
bilia,quia scriptum est: *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus,* Eccl. 20.
*lasciuus autem & imprudens non seruabunt tempus. Et est odibilis
qui procax est ad loquendum;* Et, *Qui inconsideratus est ad loquen-* Prou. 13.
dum, sentiet mala.

Et non sit clamosus in voce.] Christi enim imitator mona-
chus,tacitus debet esse,non clamosus. De Domino enim
scriptum est: *Non clamabit, nec audietur foris vox eius.* Plus Esai. 42.
enim silentium, quam clamor conuenit monacho. Hone-
statem ergo vox submissa, & leuitatem ostendit vox cla- F
mosa. Sæpè enim vox clamosa hominem odibilem facit,
submissa autem amabilem reddit. Vnde scriptum est: *Sa-* Eccl. 20.
piens in verbis seipsum amabilem facit. Ideo amabilẽ, quia pru-
denter rationabilia & amabilia loquitur verba. Hinc Basi-
lius ait: Vocis mensurã definiuit audiendi modus. Si enim
maior fuerit vox,quam requirit,cum possit audire ille, cui
loquitur, etiam, si legimus, loquamur, iam non erit vox,
sed clamor. Quod est notabile, nisi fortè grauior sit audi-
tus eius, cui loquitur, & necessitas cogat ad clamandum.
Hinc Fructuosus ait: Clamosum in locutione monachum,
aut ridiculosum esse non decet. Qui autem eiusmodi est,
& sæpè castigatus non fuerit emendatus,flagellis curandus
est,& acriter emendandus. Sequitur;

Sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis.] Innotescit, Eccl. 20.
dicit, id est, qualis apud semetipsum sit interius, cæteris se
innotescit exterius. Sapientia,quam secretò tenebat in cor-
de, alijs ostendit proferendo sermone. Et qui sibimet tan-
tum notus latebat occultè, semetipsum loquendo produ-
cit in publicum. Vbi enim ista traditio dicit: Sapiens in ver- G
bis innotescit paucis; alia dicit. Sapiens in verbis producit Eccl. 20.
seipsum, id est, qualis interius extat tacendo, talem se pro-
ducit exterius loquendo.

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde monachus, XII. Gradus.
sed etiam corpore humilitatem videntibus se semper indicet.] Hu-
militatem veraciter interius retinere & eam debet exterius
videntibus se monachus demonstrare, vt & interius inter-
no placeat iudici,& exterius cunctis exemplis præbeat hu-
militatis. Sic in vtroque humilitatis virtute compositus
humilis corde, humilis inueniatur & corpore. Interius
humilis animo, & exterius corpore inueniatur humilis ha-
bitu, vt eius videntes exemplum laudent & glorificent
Deum, qui illi fundamentum humilitatis, constantiam
concessit & operis.

Id est, in opere in oratorio.] Videlicet dum orat, cantat psal-
mos, hymnos, cantica, vel aliud opus Dei in ipso exercet
sanctuario, semper capite debet esse humiliato.

In monasterio, in horto, in via, in agro; vel vbicunque sedens, am- H
*bulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspe-
ctibus; reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tre-
mendo iudicio Dei præsentari existimet, dicens sibi in corde semper
illud quod publicanus ille euangelicus fixis in terram oculis, dixit:
Domine, non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cœlum.*] Luc. 18.
Quantum veniæ fiduciam digne pœnitentibus præbet,
quod publicanus qui reatum suæ nequitię perfectè cogno-
uit fleuit, confessus est. Etsi iniustus ad templum venit, iu-
stificatus à templo redijt. Vnus enim superbiendo recessit
humiliatus, alter lamentando appropinquare meruit ex-
altatus: quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se
humiliat, exaltabitur. Quapropter & de verbis elati Pha-
risæi, quibus humiliari meruit, possumus ex diuerso for-
mam humilitatis, qua sublimemur, assumere; vt sicut ille
consideratis & peiorum vitijs, & suis virtutibus est elatus
ad iniuriam; ita nos non nostra solum pigritia, sed &

meliorum

A meliorum virtutibus inspectis, humiliemur ad gloriam, quatenus vnusquisque nostrum hoc apud se, ac submissus obsecret. Deus omnipotens miserere supplici tuo, quia nō sum sicut innumeri serui tui contemptu seculi sublimes, iustitiæ merito gloriosi, castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum, qui post flagitia publica pœnitendo tibi meruerunt esse deuoti. Qui etiam si quid boni tua gratia largiente fecero, quo fine hoc faciam, quaue à te districtione pensetur, ignoro. Et item cum Propheta: *Incuruatus sum & humiliatus sum vsquequaque.* Qui recordatur altitudinē quietis æternæ, ipse videt quantum sit humiliatus in hac carnis corruptione. Plangamus ergo & gemamus in confessione, agnoscamus vbi sumus, recordemur altitudinem æternæ quietis, & patienter expectemus, quod ille promisit, qui nobis in semetipso exemplum patientiæ & humilitatis ostendit. Incuruatum se dixit à statu elationis, & humiliatum ab inflatione tumoris.

Psal. 118. *Et iterum cum Propheta: Incuruatus & humiliatus sum vsquequaque.*] Id est, qui dudum eleuatus eram in seculo, incur-
B uatus & humiliatus sum modo sub Deo. Qui seculari dudum exaltatus erā in gloria, incuruatus & humiliatus sum nunc in pœnitentiæ penuria. Qui dudum exaltatus eram in habitu seculari, incuruatus & humiliatus sum modo sub manu omnipotentis Dei. Siue incuruatus corpore, humiliatus animo. Quod autem dicit, vsquequaque, intelligitur ex omni parte, & ex omni consideratione. Quia humilitas quæ magistra est omnium, materque virtutū, & corde necesse est firmiter teneatur, & cunctis corpore demonstretur.

Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, monachus mox ad charitatem Dei perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem.]
Matth. 5. Dominus dicit in Euangelio: *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.* Hæc est enim perfecta charitas, de qua Ioannes Apostolus dicit:
1. Ioan. 4. *Timor non est in charitate*; in tali videlicet charitate, quæ ad imitationem diuinæ benignitatis etiam inimicis beneface-
Ibid. re, & hos diligere nouit. *Sed perfecta*, inquit, *charitas foras mit-*
Eccl. 1. *tit timorem*; illum videlicet, de quo scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini.* Quo timet quisque incipiens opera iu-
C stitiæ, ne veniat districtus iudex, & se minus castigatum damnet. Sed & præsentium aduersitatum timorem perfecta charitas eijcit ex animo, quam habere quærebat, qui
Psal. 63. Domino supplicans aiebat: *A timore inimici eripe animā meā.*
Rom. 8. Quam & ille habebat, qui dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia, an persecutio?* &c. Stimulat namque timor, sed noli timere. Intrat charitas, quæ foras expellat timorem, & sanat quod vulneratum erat à timoris dolore.

Per quam vniuersa, quæ prius non sine formidine obseruabat, absque vllo labore velut naturaliter ex cōsuetudine incipiet custodire.] Prius enim homo cum animi timore, & metu formidinis ad habitū venit cōuersionis, sed postquam tempore diuturno in Christi perstiterit seruitio, & eius in bona consuetudine perdurauerit actio, succedente charitate, metu caret atque formidine. Et quæ antea faciebat cum timore formidinis, incipit custodire cū amore dulcedinis, & velut naturaliter incipit suauiter custodire, quæ prius duriter & formidando cœperat agere. Vnde & sequitur,

D *Non iam timore gehennæ, sed amore Christi, & consuetudine ipsa bona & delectatione virtutum, quæ Dominus iam in operario suo mundo à vitijs & à peccatis, Spiritu sancto dignabitur demonstrare.*] Multi, vt supra dictum est, timore pœnarū incipiunt agere bonum, sed amore Christi perficiunt illud. Inchoant à timore, sed euntes de virtute in virtutem, ad perfectā Christi transeunt charitatem. Et quæ prius agere ignorantia nocente timebant, consuetudine & scientia iam docente agere non formidant. Copiam virtutum habere desiderauit, & ideo opus bonum agere satagunt, & à vitijs celeriter mundare festinant. Accepto Spiritus sancti dono, in his, quæ iusta & sancta & recta, delectantur, & quæ delectant, sagaciter implere contendunt, vt eius sacratum mereantur effici templum, cui se ab initio conuersionis monachi
1. Cor. 16 esse vouerunt; vt impleatur in eis illud apostolicum: *Templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis.* Quo Spiritu sancto docente quæ facienda sunt faciunt, illo adiuuante ad perfectum deducunt, illo trahente desiderando stadiū
E actionis bonæ percurrunt, & currendo de virtute in virtutem proficiunt, & ad brauium sempiternum peruenire contendunt, vbi omni bono, & gaudio repleantur æterno, Amen. Et ne istos duodecim humilitatis gradus confusè positos à B. Benedicto existiment imperiti, eorum discretionem breuiter patefactam monstrabo. Primus itaque humilitatis gradus incipit à timore. Secundus, vt non suam monachus, sed Domini impleat voluntatem. Tertius de obedientiæ dicit perfectione. Quartus de patientiæ longanimitate. Quintus, vt vnusquisque Abbati suo occultas patefaciat cogitationes. Sextus, vt vilitatem & extremitatem diligat monachus. Septimus, vt inferiorem se, & viliorem cæteris proclamet voce, credat corde, ostendat & opere. Octauus, vt nihil agat monachus, nisi quod communis regula, & maiorum cohortantur exempla. Nonus, si linguam ad loquendum prohibeat monachus. Decimus, si non sit facilis in risu. Vndecimus, si leniter loquatur, & sine risu. Duodecimus, vt in omni loco humilitatem omnibus corde & opere demonstret se videntibus. His enim omnibus humilitatis ascensis gradibus ad visionem Omnipotentis
F feliciter veniet monachus, vbi cū suo Domino felici fruatur gaudio, quod in sempiternū non auferetur ab eo. Ibunt enim de virtute in virtutem, id est, de vno virtutis gradu ascendunt in altum; & sic Deum deorū videbunt in Syon, & Ierusalem cœlesti cum exaltatione, & gaudio.

CAPVT VIII.

De officijs diuinis in noctibus.

H*Iemis tempore, id est, à Kalendis Nouembris vsque ad Pascha, iuxta considerationem rationis, octaua hora noctis surgendum est; vt modicè amplius de media nocte pausetur, & iam digesti surgant.*] Istud modicè amplius de media nocte potest intelligi hora septima noctis tota, & octaua dimidia. Tunc pulsato signo omnes pariter surgant, & sic illa, quæ restat, dimidia octaua, inter signorum explicetur interualla, vt ab hora noctis nona inchoetur psalmi laus ipsa nocturna. Nā & in alio loco sic dicit: Post sextam surgentes à Missa pau-
G setur, & agatur nona mediante octaua hora. Vbi ostendit septima diei tota, & octaua hora dormire dimidia. Talis & hic mihi sensus videtur esse positus, vt post sex noctis horas pausetur adhuc septima tota, & octaua dimidia, & interuallo signorum facto, quasi hora dimidia incipientes, à nona hora noctis alacres animo, & corpore non pigro, diuinæ laudis officium reddant Domino nostro Iesu Christo. Quod autem dicit: Et iam digesti surgant: ab imperitis absurdum esse positum videtur, & ridiculosum, sed à rectè intelligentibus vtiliter esse prolatum, & congruè probatur esse dictum. Digestum enim dicit, coctum, consumptum, vel etiam deductum, aut certè exhalatum. Vnde hic intelligitur, digesti surgant, id est, iam cibo stomachi olla cocto, & in ventriculum deducto, somnoque exsurgant exhalato. Nam & in alio loco de hac eadem re quidam monachorum magister sic ait: Ideo post pullos nocturnas cū matutinis diximus iungi, vt digesti à somno fratres vigilanti & digesto sensu opus Dei sobriè compleant, & quod dicunt agnoscant. Et ideo interuallum ponitur, vt prolixa
H nocte somni grauitas finiatur, ne cum ante pullorum cantū in breuibus noctibus coacti fuerint fratres surgere, adhuc crudi ab inchoato somnio, cum in ipso impetu venarū sanguis, & humor per venas bullescit, & harmonia grauedinis suscitati somni discoquunt membra escam, quam sumpserint, in ipso adhuc incocti occisi incendio, nō suscitati, sed potius occisi, cum inchoati fuerint fratres surgere, graui adhuc capite, & indigesti ruptu, effugient Spiritus S. charismata. Sequitur;

Quod verò restat post Vigilias, à fratribus qui psalterij, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur.] Non hic dormire, sicut quidam volunt, B. Benedictus, sed vigilare iubet, non in lectulo sanos quiescere, sed meditationi iubet inseruire. Scriptum est enim: *In lectulo meo quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui, & non inueni illum.* Non enim in lectulo Cant. 3.
carnalium voluptatum dilectus Christus inuenitur, sed in

A laboribus sanctis, excubijs sacris, & orationibus inuenitur crebris, non in somni torpore, sed in vigiliarum oratione, & orationis inuenitur compunctione. Hinc Cassianus ait: Nonnulli ignorátes expletis matutinis hymnis rursum reuertuntur ad somnum, quod omnimodis non oportet, ne purificationem nostram confessione supplici, & ante lucanum acquisitam, vel emergens quædam redundantia humorum naturalium polluat, vel illusio corrumpat inimici, vel certè intercedens etiam puri, ac simplicis somni refectio interrumpat spiritus nostri feruorem, ac tepefactos somni torpore per totum diei spatium inertes deinceps, ignauosque traducat. Hinc iterum ipse: Nec vlterius quisquam post purificationem nocturnarum vigiliarum in requiem somni iterum resoluatur, donec superueniente die nocturnæ meditationi operatio diuina succedat; ne fortè puritatem nostram psalmis, orationibus acquisitam, inuidus diabolus quadam somni illusione contaminet. Hinc Aurelius in regula sua ait: Post matutinas orationes ad somnum reuerti non liceat; sed vt regula ait:

B *A Pascha autem vsque ad supradictas Kalendas Nouembris, sic temperetur hora Vigiliarum agenda, vt paruissimo interuallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito, mox matutini, qui incipienti luce agendi sunt, subsequantur.*

CAPVT IX.

Quot psalmi dicendi sint in nocturnis horis.

Psal. 69. Psal. 50. H*Iemis tempore, præmisso in primis versu, Deus in adiutorium meum intende, Domine, ad adiuuandum me festina. In secundo ter dicendum est: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.*] Sicut enim pro reuerentia sanctæ Trinitatis ter dicitur, Sanctus: ita & in hac supplicatione trina apertione labiorum, ab ipsa sancta precatur Trinitate, vt post labiorum apertionem, digne possit os seruorum Domini nunciare Domino laudem. Os autem dicitur corporis membrum, & cordis arcanum. Vnde & efficaciter laus diuina cantatur.

Cui subiungendus est tertius Psalmus, & Gloria.] Psalmus pro C operatione ponitur: Gloria, laus est diuina, quam Angeli in Luc. 2. cœlo, homines cantant in terra, sicut ille diuinus inchoatur hymnus: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Post hunc Psalmus nonagesimus quartus cum Antiphona, aut certè decantandus.] Antiphona ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet alternatim psallentibus ordine commutato. Quod genus psallendi Græci inuenisse traduntur. Apud Latinos autem imprimitus beatissimus Ambrosius Antiphonas instituit.

Inde sequatur Ambrosianus.] Id est, hymnus. Ambrosianū dicit, vel diuinum vel cœleste, id est diuinitus vel cœlitus inspiratum. Alij Ambrosianum ab Ambrosio hymnorum magistro dici volunt.

Deinde sex Psalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, dicto versu, benedicat Abbas.] Id est, post versum à cantante dictum dicat Abbas. Precibus omnium sanctorum suorum saluet, & benedicat nos Dominus; vel aliam aliquam huiusmodi be-D nedictionem.

Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim à fratribus in codice.] Vicissim dicit, id est, per vices, alternatim, vel mutuo, id est, tunc iste, tunc ille, nunc hinc, nunc inde.

Super analogium tres lectiones.] Analogium dictum ab eo, quod sermo inde diuinus aut legatur, aut prędicetur: logos enim apud Græcos sermo dicitur.

Inter quas, & tria Responsoria canentur. Duo responsoria sine Gloria dicantur. Post tertiam verò lectionem, qui cantat, dicat Gloria. Quam dum incipit Cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant, ob honorem & reuerentiam sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigilijs tam veteris Testamenti, quam noui diuinæ authoritatis.] Id est, Libri Moysi, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numerus, Deuteronomium, Iudicum, Ruth, Regū, Paralipomenon, Iob, Psalmorum, Salomon, Sapientiæ liber, Ecclesiasticus, Tobias, Hester, Iudith, Esdras, Prophetarum, id est Esaias, Ieremias, Ezechiel, & Daniel, Oseæ, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, E Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, & Machabæorum. Euangeliorum quatuor libri, id est, Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes. Epistolæ Pauli quatuordecim, id est, ad Romanos vna: ad Corinthios duæ; ad Galatas vna; ad Ephesios vna; ad Philippenses vna: ad Thessalonicenses duæ: ad Colossenses vna: ad Timotheum duæ: ad Titum vna: ad Philemonem vna: ad Hebræos vna. Iacobi vna: Petri duæ: Ioannis tres: Iudæ vna: Actus Apostolorum: Apocalysis.

Sed & expositiones earum, quæ à nominatissimis doctoribus orthodoxis, & Catholicis Patribus factæ sunt.] Orthodoxi dicuntur viri Catholici, in fide recti, in vita probabiles. Ortho enim apud Græcos rectè dicitur, doxa autem gloria vocatur. Ergo orthodoxi viri, rectæ gloriæ dici possunt. Catholici verò vniuersales seu generales interpretantur. Non enim per hæresim, aut schisma ab vniuersali segregantur Ecclesia.

F *Post has verò tres lectiones cum Responsoribus suis, sequantur reliqui sex psalmi cum Alleluia canendi. Post hos lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda; & Versus & supplicatio Litaniæ, id est, Kyrie eleison; & sic finiantur Vigiliæ nocturnæ.*] Kyrie enim apud Græcos Domine dicitur; eleison, miserere interpretatur. Similiter & Christe eleison, Christe miserere interpretatur.

CAPVT X.

Qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus.

A*Pascha autem vsque ad Kalendas Nouembris, omnis, vt supra dictum est, psalmodiæ quantitas teneatur; excepto, quod lectiones in codice, propter breuitatem noctium, minimè legantur: sed pro ipsis tribus lectionibus, vna de veteri Testamento memoriter dicatur; quam breue Responsorium subsequatur, & reliqua omnia, vt dictum est, impleantur, id est, vt nunquam minus à duodecim psalmorum quantitate, ad Vigilias nocturnas dicatur; exceptis tertio & nonagesimo quarto psalmo.* G

CAPVT XI.

Qualiter Dominicis diebus Vigiliæ agantur.

D*Ominico die temperius surgatur ad Vigilias. In quibus Vigilijs teneatur mensura, id est, modulatis (vt supra disposuimus) sex psalmis, & versu.*] Temperius dixit, id est, citius, prius, antea. Temperius enim à tempore, aduerbio primitiuo fit comparatiuus; sicut à tarde tardius, & à cito fit citius. Modulatis, dixit, sex psalmis, id est, cantatis, in voce compositis vel formatis. Modulatio enim dicitur dulcedo, vel suauitas cantus, quæ fit in modulata canora voce.

Residentibus cunctis dispositè, & per ordinem in subsellijs, legantur in codice, vt supra diximus, quatuor lectiones cum Responsorijs suis. Vbi tantum in quarto Responsorio dicatur à cantante, Gloria.] Subsellia cæterorum hominum sunt, doctorum autem sedilia cathedræ vocantur. Nam sedes singulariter, & propriè regni est; subsellia autem à sedendo, quasi subsessia nuncupantur. H

Quam dum incipit, mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas lectiones sequantur ex ordine alij sex psalmi cum Antiphonis, sicut anteriores, & versu. Post quos iterum legantur aliæ quatuor lectiones cum Responsorijs suis ordine quo supra.] Sicut enim die Dominico duodecim vult pleniter psallere psalmos; ita vult duodecim legere lectiones, & totidem Responsoria decantare.

Post quas iterum dicantur tria cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas.] Ea enim instituere cantica debet Abbas, quæ temporibus, festiuitatibus congruant, & diebus.

Quæ cantica cum Alleluia psallantur.] Cantica tunc Moyses primum inuexit, quādo percussa Ægypto decem plagis, & Pharaone submerso cum populis, per insueta maris itinera ad desertum gratulabundus egressus est dicens: *Cantemus Do-*

A Exod. 15. *mus Domino, gloriosè enim honorificatus est*: deinde Delbora nó ignobilis fœmina in libro Iudicum hoc ministerio functa reperitur; postea multos non solum viros, sed etiam fœminas spiritu diuino completas Dei cecinisse mysteria.

Dicto etiam versu, & benedicente Abbate, legantur alia quatuor lectiones de nouo testamento, ordine quo supra. Post quartum autem Responsorium incipiat Abbas hymnum, Te Deum laudamus. Quo perdicto legat Abbas lectionem de Euangelio, cum honore & tremore stantibus omnibus. Qua perlecta, respondeant omnes, Amen. Et subsequatur mox Abbas hymnum, Te decet laus. Et data benedictione, incipiant Matutinos.] Dicit enim incipiat Abbas Hymnum, lectionemque Euangelij legat; tamen non hæc omnes debent, valentque facere Abbates. Sunt enim qui aut impediente culpa non debent, aut impossibilitate cogente non valent. Igitur sunt Abbates, qui nec sacerdotis, nec Leuitæ funguntur ministerio, & ideo nec sacrosanctum legere possunt Euangelium. Cantoris non gestant officium, & ideo non possunt Ambrosianũ altiboando incipere Hymnum. Gregem tamen cum superno iuuamine possunt gubernare sibi commissum; & propterea eligantur ad Abbatis ministerium peragendum. Attamen si ipsum opus bene facere debet, aut præualet, Abbas faciat. Sin autem non valet, valentem facere permittat, secundum quod idem Beatus Benedictus alio loco præcepit dicens: Cantare autem, & regere non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere, vt ædificentur audientes. Quod autem dicit perfecta Euangelij lectione, respondeant omnes, Amen; incongrue dictum à plerisque videtur, & factum. Dicit enim non in omnibus Euangelij finibus conuenit respondere, Amẽ; & ideo superfluum videtur esse descriptum atque prolatũ. Quibus respondendum est. Amẽ enim apud Latinos duas habet significationes. Vnam orantis, vel optantis, quando ponitur pro fiat, vt est, & dicit omnis populus, amen amẽ, pro fiat, fiat. Affirmantis, vt, amen dico vobis, &c. Sine vna ex his duabus significationibus finem Euangelij nunquam inuenies. Et ideo non incongrue, sed satis aptè, rationabiliter in omnibus Euangeliorum finibus à nobis respondẽdum est Amen: vt nos dicendo amen, aut prædicta fideliter credere, aut quæ promittuntur proficua obtinere nos velle, optando & orando monstremus.

Qui ordo Vigiliarum, omni tempore, tam æstatis, quam hyemis, æqualiter in die Dominico teneatur; nisi forte (quod absit.) tardius surgant, & aliquid de lectionibus breuiandum est aut responsorijs. Quod tamen omnino caueatur, ne proueniat. Quod si contigerit, digne inde satisfaciat Deo in oratorio, per cuius euenerit neglectum.] Digne satisfacere, est secundum modum culpæ regularem vindictam sustinere. Nam qui pro leui culpa grauiter, aut pro graui leuiter iudicatur, digne satisfacere non videtur. Ideo autem per cuius culpam euenerit in oratorio eum satisfacere iubet; vt, quia in omnibus fratribus negligenter agens delinquit, ab omnibus satisfaciens videatur, & pro eius delicto veniam ab omnibus cunctipotentis implorare misericordiam.

CAPVT XII.

Qualiter matutinorum solennitas agatur.

SOlennitas dicitur religiositatis festiuitas, conuentus lætitiæ, quæ fieri cum conuentu iucunditatis solet. Solennitas enim ab eo, quod solet, nomen accepit.

In Matutinis Dominico die, in primis dicatur sexagesimus sextus Psalmus sine Antiphona in directum. Post quem dicatur quinquagesimus cum Alleluia. Post quem dicatur centesimus septimus decimus, & sexagesimus secundus. Inde benedictiones, & laudes; lectio vna de Apocalypsi ex corde, & Responsorium, & Ambrosianum, versus, canticum de Euangelio, Litania, & completum est.

(*,*)

CAPVT XIII.

Qualiter priuatis diebus matutini agantur.

PRiuatis enim diebus dicit, id est, officijs publicis, extraneis vel segregatis. Priuari enim ponitur pro malo, vt Iacob Racheli ait: *Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui.* Dicitur & priuatus amicus, id est, ab alijs segregatus, & familiarius cæteris in amicitia iunctus. Gen. 30.

Diebus autem priuatis Matutinorum solennitas ita agatur, vt sexagesimus sextus Psalmus dicatur sine Antiphona, subtrahendo modicè, sicut in Dominica: vt omnes occurrant ad Quinquagesimum, qui cum Antiphona dicatur. Post quem; alij duo Psalmi dicuntur secundum consuetudinem, id est, secunda feria, quintus, & tricesimus quintus. Tertia feria, quadragesimus secundus, & quinquagesimus sextus. Quarta feria, sexagesimus tertius, & sexagesimus quartus. Quinta feria, octogesimus septimus, & octogesimus nonus. Sexta feria, septuagesimus quintus, & nonagesimus primus. Sabbato autem, centesimus quadragesimus secundus, & canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias. Nam cæteris diebus canticum vnumquodque die suo ex Prophetis sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequantur laudes: deinde lectio vna Apostoli memoriter recitanda: Responsorium, Ambrosianum, versus, canticum de Euangelio: Litania, & completum est. Plane agenda Matutina, vel Vespertina non transeat aliquando, nisi in vltimo ordine, Oratio Dominica, omnibus audientibus, dicatur à Priore, propter scandalorum spinas, quæ oriri solent in monasterio: vt conuenti per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, Matth. 6. *purgent se ab huiusmodi vitio. Cæteris vero agendis, vltima pars eius orationis dicatur: vt ab omnibus respondeatur, sed libera nos à malo.*] Plane aliquoties pro vere & certe, aduerbio affirmantis ponitur, vt Propheta ait: *Ego dixi plane: hæc iniquitas magna est, & portabo illam.* Hic autem pro tamen, vel nam coniunctionibus ponitur. Scandalorum autem spinæ hoc in loco intelliguntur iræ, rixæ, dissensiones, detractiones, æmulationes, vel aliquæ commotionis contentiones, quæ inter fratres solent oriri. A quibus inter se pacem habentes, charitatemque continuam conseruantes, mane & in vespere monachi se debent purgare. Mane, ne aliquis ex his vitijs vsque ad occasum solis permaneat, quia scriptum est: Sol non occidat super iracundiam vestram. Vespere, ne vsque ad ortum solis pernoctans vitium maneat, & mane reum de peccatis monachum, fœdumque in conspectu Domini reddat. Vt conuenti, id est, per ipsius Dominicæ orationis promissionem, quæ dicit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: dimittat vnusquisque fratri suo ex corde. Et sic purgatus, id est, à vitijs emendatus aut mane ad opus accedat obedientiæ peragendum, aut vespere ad nocturnas excubias celebrandum. Cæteris vero agendis, id est, cæteris horis celebrandis, tantum vltima pars eius orationis, id est, Et ne nos inducas in tentationem: alta voce dicatur, vt ab omnibus audita, Sed libera nos à malo, respondeatur. Ezec. 14. Matth. 6

CAPVT XIV.

Qualiter in natalitijs Sanctorum agantur Vigiliæ.

IN natalitijs Sanctorum dicit, in festiuitatibus, & solennitatibus eorum, in quibus de hoc sæculo felices migrauerunt ad cœlum. Nobis enim mortui, sed Deo & Angelis, & sanctis eius viuunt in æternum. Nobis autem absentes, illis autem sunt perspicui, & præsentes. Nobis mortui, illis vero sunt nati. Nec nouum debet cuiquam videri, si natus dicitur, qui ex hac vita migrauerit. Quomodo enim consuete nasci dicitur, cum quis de vtero matris procedens hanc in lucem egreditur: Ita etiam rectissimè potest natus appellari, qui solutus à vinculis carnis ad lucem sublimatur æternam. Vnde mos obtinuit Ecclesiasticus, vt dies beatorum Martyrum, siue Confessorum CHRISTI, qui de sæculo transierunt, natales voce tenus eorum solennia, non funebria, sed natalitia dicantur.

In Sanctorum vero festiuitatibus, vel omnibus solennitatibus, sicut diximus, Dominico die agendum, ita agatur: excepto, quod Psalmi, aut Antiphona, vel lectiones ad ipsum diem pertinentes, dicantur. Modus autem supradictus teneatur.

CAPVT XV.

Quibus temporibus dicatur Alleluia.

A *Sancto Pascha vsque ad Pentecosten sine intermissione dicatur Alleluia, tam in Psalmis, quam in responsorijs.*] Sine intermissione dicit, vt vbi dici debet, & tam in Psalmis quam in responsorijs non passim prætermittatur, sed sedule firmiterque dicatur.

A Pentecoste autem vsque ad caput Quadragesimæ omnibus noctibus cum sex posterioribus psalmis tantum ad nocturnos dicatur.] Quãuis B. Benedictus à Pentecosten vsque ad caput Quadragesimæ, cum sex posterioribus psalmis iubeat ad nocturnos dicere Alleluia; placuit tamen Synodo in Frãcorum regno congregatæ, vt sicut Romani Principes Ecclesiæ in Septuagesima dimittunt Alleluia, ita dimittant & monachi, qui in eodem sunt regno constituti.

Omni vero Dominica extra Quadragesimam; cantica matutinis, prima, tertia, sexta, nonaq; cum alleluia dicantur: Vespera vero, cum Antiphona: Responsoria vero nunquam dicantur cum alleluia, nisi à Pascha vsque ad Pentecosten.

CAPVT XVI.

Qualiter diuina opera per diem agantur.

V*T ait Propheta, septies in die laudem dixi tibi.*] Septies quod ait in die, significat semper. Solet quippe iste numerus vniuersitatis indicium esse; quia per septem dies vniuersus voluitur mundus, & eorum numero dierum vniuersa Dominus creauit tempora. Qui numerus propter septiformis spiritus gratiam, quæ misericorditer timentibus Deum distribuitur, maximè sacratus esse perhibetur. Vnde & sequitur;

Qui septenarius sacratus numerus, à nobis sic implebitur, si matutina Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorijque tempore, nostræ seruitutis officia persoluiamus; quia de his horis diurnis dixit Propheta: Ps. 118. *Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis Vigilijs idem ipse Propheta ait:* Psal. ibid. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus referamus laudes creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ, id est, matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorio; & nocte surgamus ad confitendum ei.*] Et de ijsdem horis Cassianus ait: Horarum autem ipsarum, in quibus Deo per totum diei spatium obsequia reddimus, oratio hæc est. Prima pro inchoatione diei. Tertia, quia Spiritus S. in eadem hora super Apostolos descendisse primitus comprobatur. Sexta, pro eo, quod immaculata hostia Dominus noster Iesus Christus eadem hora suspensus in cruce, obnoxios de æternis peccatorum vinculis liberauit. Nona, pro eo, quod eadem hora Dominus noster descendens ad inferos sanctorum animas, quæ clausæ tenebris tenebantur, exinde liberauit, & secum ad cœlos Completorio transuexit. Duodecima vero propter terminationem diei sicut prima inchoatione cantatur. Prima verò & completorio duodecima, pro inchoatione & terminatione diei postea à Patribus sunt adiunctæ. Tertiam autem & Sextam & Nonam etiam ab Apostolis legimus fuisse celebratas. Nam tertia hora super Apostolos in orationum officio constitutos Spiritus S. descendit. Sexta autem hora legimus Petrum, dum in nauicula oraret, subito in excessu mentis vas illud, quod quatuor initijs quasi linteum, de cœlo submissum vidisse. De Nona autem legimus. Petrus vero & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Vespertinas autem vel matutinas orationes nõ solum ab Apostolis, sed etiam in veteri Testamento legimus eas in templo Domini semper fuisse oblatas. Vnde & Dauid dicit de Vespertinis:
Ps. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in cõspectu tuo; eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* De Matutinis autẽ dicit:
Psal. 62. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo: & in matutinis meditabor in te: quia fuisti adiutor meus.*

CAPVT XVII.

Quanti Psalmi per easdem horas canendi sint.

I*Am de Nocturnis vel Matutinis digessimus ordinem psalmodiæ: nunc de sequentibus Horis videamus. Prima hora dicantur Psalmi tres, singulatim, & non sub vna Gloria. Hymnus eiusdem Horæ, post versum, Deus in adiutorium meum intende, antequam Psalmi incipiantur. Post expletionem vero trium Psalmorum, recitetur lectio vna, versus, & Kyrie eleison: & Missæ sint. Tertia vero, Sexta & Nona eodem ordine celebratur oratio, id est, versus: Hymni earundem Horarum, terni psalmi, lectio, versus, Kyrie eleison, & Missæ sint. Si maior congregatio fuerit, cum Antiphonis; si vero minor, in directũ psallantur. Vespertina autem synaxis, quatuor Psalmis cum Antiphonis terminetur: post quos psalmos Apostoli lectio recitanda est, inde Responsorium, Ambrosianum, versus, canticum de Euãgelio, litania, & oratio Dominica, & fiant Missæ. Completorium autem trium psalmorũ dictione terminetur. Qui psalmi directaneè sine Antiphona dicendi sunt. Post quos hymnus eiusdem Horæ, lectio vna, versus, Kyrie eleison, benedictio, & post Missæ fiant.*] Quod alijs in locis dicit, & cõpletum est, hac in clausula & Missæ sunt dicit, & Missę fiant repetit. Orationes enim officij, quæ à nobis completæ, Deo sunt Missæ; quia in illius honore sunt celebratæ. Aliter orationes, id est, Collectæ, quæ in fine cursus à sacerdote dicuntur Missæ, id est, Deo transmissæ vocantur. A sacerdote enim mittuntur, sed à Deo accipiuntur. Hinc & Litania solennitate aliqua in Ecclesia celebrata, eleuata voce, & per sacerdotis ministerium iam Deo est missa.

CAPVT XVIII.

Quo ordine Psalmi dicendi sint.

I*N primis semper diurnis horis dicatur versus: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina: & Gloria.*] Hinc Cassiodor. ait: Tunc enim adiutoriũ poscimus, quando periculo subiacemus, vt aliquo remedio subleuati, calamitates diuersarum possimus vincere passionum. Intende dicit, propitius respice; quia omnia Dominus etiam cũ non rogatur, agnoscit. Festina ergo dicit Domino; qui festinabat de huius sæculi clade liberari. Generaliter hunc locum facundissimus Cassianus in decima collatione plurima de eius vtilitate disserens, tanto honore concelebrat, vt quidquid monachi assumpserint, sine huius versiculi trina iteratione non inchoant, quem repetita sæpius laude congeminans nimis vtilem probat esse eius memoriam.

Inde Hymnus vniuscuiusq; Horæ. Deinde prima hora Dominica, dicenda quatuor capitula psalmi centesimi octaui decimi, dicantur. Reliquis vero horis, id est, Tertia, Sexta, & Nona, terna capitula suprascripti psalmi centesimi octauidecimi dicantur. Ad primam autẽ secunda feria, dicantur tres psalmi, id est, primus, secundus, & sextus. Et ita per singulos dies ad Primam vsq; ad Dominicam, dicantur per ordinem terni psalmi, vsq; ad nonumdecimum psalmum. Ita sane vt nonus psalmus, & septimus decimus diuidatur in binas Glorias. Et sic fiat, vt ad Vigilias Dominica semper à vicesimo incipiatur. Ad Tertiam vero, Sextam & Nonam secunda feria nouem capitula, quæ residua sunt de centesimo decimo octauo psalmo, ipsa terna per easdem horas dicantur. Expenso igitur psalmo centesimo octauo decimo duobus diebus, id est, Dominica, & secunda feria, tertia feria iam ad Tertiam, Sextam vel Nonam psallantur terni psalmi à centesimo nono decimo vsque ad centesimum vicesimum septimum, id est, psalmi nouem. Quique psalmi semper vsque ad Dominicam per easdem Horas itidem repetantur. Hymnorum nihilominus, lectionum vel versuum dispositione vniformi cunctis diebus seruata. Et ita scilicet, vt semper Dominica à centesimo octauo decimo incipiatur. Vespera autem quotidie quatuor psalmorum modulatione canatur. Qui psalmi incipiantur à centesimo nono vsque ad centesimum quadragesimum septimum: exceptis his, qui in diuersis Horis ex eis sequestrantur, id est, à centesimo septimo decimo vsque ad centesimum vicesimum septimũ; & centesimo tricesimo tertio, & centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in Vespera dicendi sunt. Et quia minus veniũt tres psalmi; ideo diuidẽdi sunt, qui in numero suprascripto fortiores inueniũtur, id est, cẽtesimus tricesimus octauus, & cẽtesimus quadragesimus tertius, & cẽtesimus quadragesimus quartus. Cẽtesimus vero

sextus

A *sextus decimus, quia paruus est, cum centesimo quintodecimo coniungatur. Digesto ergo ordine Psalmorum Vespertinorum, reliqua, id est, lectiones, responsoria, hymni, versus, vel cantica, sicut supra taxauimus, impleantur. Ad Completorium vero ijdem Psalmi repetantur quotidie, id est, quartus, nonagesimus, & centesimus trigesimus tertius. Disposito ordine psalmodia diurna, reliqui omnes Psalmi, qui supersunt, aequaliter diuidantur in septem noctium vigilijs; partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt psalmi; & duodecim per vnamquamq; constituantur noctem. Hoc pracipue commonentes, vt si cui forte hac distributio Psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter iudicauerit.*] Hanc autem Psalmorum distributionem non totum officium B. Benedictus in iudicantis posuit arbitriū, hoc præcipuè monens, vt qui vult hanc Psalmorum distributionem secundum suam tenere dispositionem, teneat. Qui autem aliter melius iudicauerit, illam tenens istam sine culpa dimittat. Nos autem hortamur eum, qui secundū hanc promisit se viuere regulam, in quantum valet, firmiter teneat, & conseruet eam, & confidens de Dei misericordia credat, quia custodientibus eam patebunt cœlica regna. Sequitur:

B *Dum omnimodis id attendatur, vt hebdomada Psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallatur. Et Dominico die semper à capite repetatur ad vigilias; quia nimis iners deuotionis sua seruitium ostendunt monachi, qui minus Psalterio cum canticis consuetudinarijs per septimana circulum psallunt; cum legamus sanctos Patres nostros vno die hoc strenue impleuisse, quod nos tepidi vtinam septimana integra persoluamus.*

CAPVT XIX.

De disciplina psallendi.

VBique credimus diuinam esse præsentiam.] Nam *omnia nuda*
Hebr. 4. *& aperta sunt*, vt ait Apost. *oculis Dei, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.* Et ideo sic assistere ante oculos eius debemus, sicut ante oculos creatoris & iudicis. Nullus enim videns principem, vel iudicem suum, & loquens cum eo audet vagari oculis, & aliorsum aspicere, quantomagis qui accedit ad Dominum nusquam debet mouere oculum cordis, sed intentus esse in eum, qui scrutatur renes & corda. Quando enim pro peccatis nostris humiliter supplicamus, ad Dominum nos loqui cognoscimus.

C *Et oculos Domini in omni loco speculari bonos & malos; maximè tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus diuinum assistimus.*] Et ideo timere debemus, ne forte si aliquid, quod petimus, cogitamus, diuinæ Maiestati, ante quam stare videmur, Iniuriam faciamus.

Psal. 2. *Ideo semper memores simus, quod ait Propheta: Seruite Domino*
Psal. 49. *in timore. Et iterum: Psallite sapienter.*] Ea ergo semper lingua proferat, quæ conditori placeant, iuxta illud psalmographi præconium: Seruite, inquit, Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Tunc ergo creatori timendo seruitur, si opus bonum deuotis laudibus iungitur, sicut alibi per Psalmistam dicitur: Psallite sapienter. Sapienter etenim quisq; psallit, qui voce laudanti noxijs operibus non contradicit; & qualiter oporteat diuinæ potentiæ famulari sollicita cura, omniq; studio prosequitur. Sic ergo mens nostra intenta ad psallendum incedat, qualiter nullo præpedita sæcularis desiderij obstaculo, nullo temporis fuscata vitio, sed
D semper intenta in cœlestibus humilitate ac puritate, promptissimaque deuotione ornata, ad æterna præmia peruenire contendat. Sic corpus compunctionem flagret, qualiter in se creatoris misericordiam excitet.

Ps. 137. *Et, in conspectu Angelorum psallam tibi.*] Tanta debet esse reuerentiæ grauitas, vel disciplina psallendi, vt amabilius à Domino, quam à nobis dicitur audiatur, sicut ait Scriptu-
Psal. 64. ra: *Exitus matutini & vespera delectabis.* Et item: *Psallite Domino*
Psal. 46. *sapienter.* Ergo sapienter & cum timore iubet psalli: oportet psallentem immobili corpore, inclinato capite stare, & laudes Domino moderate canere; quippe qui ministerium suū ante diuinitatem implet, docēte hoc Propheta, cum dicit:
Ps. 137. *In conspectu angelorum psallam tibi.* Nā considerare debet, qui psallit, semper, ne alio sensus eius demigret; ne cū in aliam cogitationē sensus nostri migrauerint, de nobis dicat Deus,
Esa. 29. *Populus iste labijs me honorat, cor autem eius longe est à me.*

E *Ergo consideremus, qualiter oporteat nos in conspectu diuinitatis & angelorum eius esse: & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostra.*] Ad tantum ergo & tale officium cor pariter cum lingua conueniat; cum timore Domino quotidianum debitum reddi debet. Et notet sibi in corde, qui psallit, ad singula omnia testimonia, quæ dicit; quia singuli versus si notentur proficiunt animæ ad salutem, & in eis totū inuenitur, quod quæritur; quia omnia ad ædificationem loquitur Psalmus dicente Propheta: *Psallam & intelligam.* Ps. 100.

CAPVT XX.

De reuerentia orationis.

SI cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate, & reuerentia: quanto magis Domino Deo vniuersorum, cum omni humilitate, & puritatis deuotione supplicandum est.] Si hominibus carnalibus nisi cum humilitate non sit precatio cum beneficia eos aliqua temporalia
F postulamus; quantomagis conuenit, vt pro peccatis nostris vel facinoribus omni, qua possumus, Christum prece rogemus. Nulla ergo debet esse in oratione duplicitas. Nō vnus in ore, alter in corde inueniatur. Puritas cordis omnia vitia excludit, omnes virtutes obtinet. Lætetur cor quærētium Dominum, quia ibi est habitaculum Spiritus S. vbi fuerit puritas cordis. Vnde & sequitur;

Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo breuis debet esse, & pura oratio.] Ideo breuis debet fieri oratio, ne per occasionē prolixæ orationis obdormiant; aut forte diu iacentes diabolus eis ante oculos diuersa ingerat, vel in corde aliud subministret. Ergo oportet orare cum timore suppliciter, vt qui orat præsentis Christi videatur pedes tenere. Et cum tanto debemus orare timore, vt cognoscamus, quia cum Deo loquimur. Nec se in multiloquio quisquam, sed potius in puritate cordis, & lachrymarū vbertate exaudiri credat. Non enim longæ orationis prolixitas, sed promptæ mentis intentio pietatem clementis iudicis excitat. Orandum ergo semper est, vt largiatur delinquentibus veniam, qui languenti mundo per crucis passionem infundit medicinam: salus mundi æterna, Christus Iesus Dominus noster.

G *Nisi fortè ex affectu inspirationis diuina gratia protendatur. In conuentu tamen omnino breuietur oratio.*] Ideoque ergo nostri patres vtiliter ipsam orationem celeri fine concludi iusserunt, ne forte immorantibus nobis in ea quædam tussis, vel phlegmatis, aliarumque rerum interrumpat strepitus, & dum adhuc feruet oratio, velut ex faucibus diaboli velociter recipiatur. Qui, cum nobis semper sit infestus, tunc quam maxime assistit infestus, cum nos intra se offerre preces Domino viderit, festinans mentem nostram ab inten-
H tione orationis, aut cogitationibus, aut excitatis humoribus reuocare. Propterea ergo breues quidem orationes, sed frequentes fieri Patres nostri iusserunt. Breues ideo, vt insidias diaboli insistentes tunc præcipue, cum oramus, in ipsa breuitate vitare possimus. Frequentes autem ideo, vt per ipsam frequentiam Dominum precantes iugiter ei cohærere possimus. Propter hanc frequentiam orationis, & illud vtile est, vt longiores Psalmos non vsque ad finē continuata pronuntiatione, sed aliquali numero versus diuisos duabus vel tribus incisionibus cum orationis intentione finiamus; quia non multitudine versuum, sed mentis intelligentia delectari debemus, illud virtute sectantes: 1. Cor. 14.
Psallam spiritu, psallam & mente.

Et facto signo à Priore, omnes pariter surgant.] Iste mos fuit apud antiquos, monachorum cuneos, vt audito vniuscuiusque horæ signo, celeriter omnes ad orationem conuenirent, orationi simul incumberent, simul orarent, & ab oratione facto signo à Priore omnes pariter surgerent. Modo vero iam apud nos aliter atque aliter habetur. Quanto enim nos serotini à primitiuis, tanto longius vitæ merito ab antiquis distamus Patribus. Illi enim erant spiritu feruentes Domino seruientes; nos autem tepidi, & non similia facientes, sumus tamen in misericordia Domini sperantes.

CAPVT

A

CAPVT XXI.

De Decanis monasterij.

SI *maior fuerit congregatio, eligantur de ipsis Fratres boni testimonij & sanctæ conuersationis, & constituantur Decani: qui sollicitudinem gerant super Decanias suas in omnibus, secundum mãdata Dei, & præcepta Abbatis sui.*] Præcepta enim Abbatis concordare cum Domini debent mandatis; & ideo illis pariter Decani, pariter & alij obtemperare debent subditi. Nam subditi Decanis, & Decani debent obedire Præpositis, & omnis simul congregatio Abbatis debent, obtẽperare præceptis. Decani enim prius dicti ab eo, quod decem militib. præferrentur; modo autem & qui decem, & qui pluribus præferuntur, Decani vocantur. Decani autem sollicitudo, & eruditio hæc erit erga quæcunque quem sibi ab Abbate traditum susceperit, vt doceat eum primitus suas vincere

B volũtates, in quibus eum diligenter exercens illa ei semper de industria imperet, quæ senserit animo eius esse contraria. Quia multis hoc experimentis doctum est, nunquam posse monachum suas concupiscentias refrænare, nisi prius per obedientiam mortificare suas didicerit voluntates, nec poterit iram, aut tristitiam, aut spiritum fornicationis extinguere, nec cum fratribus humilitatem firmam, perpetuamque retinere, nec in congregatione diutius permanere, qui prius voluntates suas didicerit superare.

Qui Decani tales eligantur in quibus securus Abbas partiatur onera sua. Et non eligantur per ordinẽ, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam.] Decani, qui super Decanias sunt cõstituti, tantã sollicitudinem gerãt super eos, quos delegatos habent fratres, vt nullas proprias faciant voluntates. Nõ loquantur nisi interrogati, suo arbitrio nihil faciant nisi mãdati, alibi non pergãt, nisi ordinati. Seniores timeãt vt Dominos, ament vt parentes, faciãt quidquid ab eis imperatũ

C acceperint. Credãt sibi salutare, quidquid illi præceperint, si hoc sine murmuratione cũ hilaritate & taciturnitate fe-

Deut. 4. 6 cerint, dicente Moyse: *Audi Israel, & tace.* Vnus alterius one-

& 9. ra portet; & nemo alium iudicet, nemo aliũ detrahat. Quia

Prou. 24. scriptum est: *Omnis detractor eradicabitur.* Vnus ab alio quod non habet accipiat: vnus ab alio discat humilitatem: vnus ab alio charitatem; vnus ab alio patientiam; vnus ab alio silentium; vnus ab alio mansuetudinem. Comedãt sine querela quidquid eis appositum fuerit, vestiant quod acceperint. Non celent fratres Decanis suis quidquid per singulos dies cogitauerint. Decani verò sint eis, quasi Rectores, & custodes, tanquam pro ipsis rationem Domino reddituri. Negligentias cunctorũ ipsi præuideant, & emendandi potestatẽ habeant, & quod ipsi non valuerint emendare, Præposito nõ morentur accusare. Qui & ipsi Præpositi sic hoc districtè & rationabiliter agant, vt Abbates suos nullo modo præsumant inquietare, excepto de his, quæ vtrique non valuerint accelerare, & in hoc vnus alteri tantam humilitatem habeat, vt nunquam nullus vllum offendat, sed vnus

D in altero tanquam impenso persistat, id est, iuniores in Decanis, Decani in Præpositis, Præpositi in Abbatibus, vnus alium portans, tanquam in muro lapides quadrati, Apostolo attestante sicut supra: Vnus alterius onera portantes, sic adimplebitis legem Christi.

Quiq; Decani si ex eis aliqua forte inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis; correptus semel, & iterum, & tertio, si emendare noluerit, deijciatur, & alter in loco eius, qui dignus est, subrogetur. Et de Præposito eadem constituimus.] Non enim superbi, sed humiles esse debent, qui alios corrigere, castigare, & in omnibus custodire debent. Proinde primum ipsi Abbates cum suis Præpositis atq; Decanis semetipsos discutiant, & instar sui iuniores arguant, & omne militiæ fermentum à corde radicitus euellant, & sic alios diuersis curis, & vitijs implicatos castigare, corrigere, & emendare contendant, id est, si audierint fratrem non interrogatum loqui, moneant eum dicẽtes: Quid agis frater quod regula prohibet? habeto taciturnitatem vsq; ad interrogationem. Dic cum Propheta:

Ps. 140. *Pone Domine custodiam ori meo, & hostium circumstantiæ labijs meis, non declines cor meum in verba malitiæ.* Sedeat super os tuũ sapientia, cum claue iustitiæ & timoris Dei, & ipsa bonis e-

E loquijs aperiat, & malis eloquijs claudat labia tua. Si mentientem audierint fratrem, admoneãt eum dicentes. Quid

mentiris frater? cum scias scriptum: *Os quod mentitur occidit* Sap. 1.

animam: Et, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Si audierint Psal. 5.

fratrem multum iurantem, moneant eum dicentes. Retine frater linguam tuam! vt quid iuras? cum scriptum sit: *Nõ iu-*

rabis per cœlum, quia sedes Dei est, neq; per terram quia scabellũ pe- Matth. 5.

dum eius est, neq; per caput vestrum iurabitis, &c. *sed sit sermo vester* Matth. 6.

est, est, non, non. Si viderint irascentem, admoneant eum dicentes. Quid agis frater? In mansuetudine, & charitate o-

pera tua perfice, quia scriptum est: *Desine ab ira, & derelinque* Psal. 36.

furorem: Et, *Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit iudicio.* Simili- Matth. 7.

ter & in alijs his similibus impedimentis varijs, & diuersis vitijs occupatos fratres admonere quotidie, & castigare Præpositi debent; quia dum hæc quotidie solliciti in commissis sibi fratribus faciunt, & ipsi proficiũt, & alios admonẽdo proficere faciũnt. Multos enim & de multis & varijs habent Præpositi monachos compescere curis. Solent nõnulli pro suis vxoribus atque filijs, aut etiam quibusq; propinquis curã habere more pietatis. Pleriq; vero, qui nõ sunt in talibus implicati, pro alimento sunt solliciti. Alij verò tristitiæ morbo interius consumuntur, & tãquam vestimẽ-

F tum à tinea intrinsecus mentis suæ auiditate deuorantur, & cum ipso rancoris languore dilabuntur in desperationem. Alij namq; spiritu fornicationis inflammantur, & sæpè tali stimulo carnis incitati, interiore oculo cæcati, captiui ducuntur vinculo perditionis ligati. Alij acediæ spiritu inflati otio & somno vacare cupiunt, & curiosis fabulis sollicitãtur, & quod peius est, à proprio monasterio se auferre disponunt. Alij vanæ gloriæ elationis telo in diuersis partibus confodiuntur, & alij alia defendẽtes, & suas causas magnificãtes, dum nolunt Christi pauperibus similes esse, vnusquisq; in vanis istis cogitationibus elabuntur, & quasi nil à Deo acceperint, de proprijs viribus extolluntur, & cũ laudatores non inueniunt, ipsi sibi in suis laudibus prosiliunt. Alius genealogia, & de sua gẽte fatetur esse Princeps; alius de parentibus, alius de germanis, alius de cognatis, alius de fratribus, & cõsanguineis, & idoneis, alius de diuinis, alius de spiritu iuuẽtutis, alius de bello fortitudinis, alius de perlustratione terrarum, alius de artificio, alius de sapientia, a-

G lius de assertionis eloquẽtia, alius taciturnitate, alius de humilitate, alius de charitate, alius de largitate munerũ, alius de castitate, alius de virginitate, alius de paupertate, alius de abstinentia, alius de orationum frequẽtia, alius de vigilãtia, alius de obedientia, alius de abrenuntiatione rerum, alius de legendo, alius de scribendo, alius de vocis modulatione. Hæc omnia, quæ supra perstrinximus, vnusquisque dum aliquoties talia non iussi immoderata loquuntur, toties in elationem vanæ gloriæ delabuntur, & ipso morbo, dũ quod dicunt, vindicare contendunt, in superbiã præcipitantur. Contra ipsum ergo vitium debet vnusquisq; pugnare, contra quod se cognoscit certamen habere, & de ipso se correptus emendare, vt emendatus possit saluari, vt & sibi salutem æternam, & doctori suo mercedem præparet sempiternam.

H

CAPVT XXII.

Quomodo dormiant monachi.

SIngul*i per singulos lectos dormiant.*] Hinc Isidorus ait: Lux autem nocte dormientium locum illustret, vt depulsis tenebris testimonium pateat singularis quietis. Monachi stratus in nulla turpi cogitatione versetur, sed in sola contemplatione Dei accubans & requiem corporis & quietẽ habeat cordis. Cogitationesq; prauas à se repellat, bonisq; obiectis turpes à se reijciat. Nã animi motus imaginib. suis agitat, & qualis vigilanti cogitatio fuerit, talis & imago per soporẽ occurrit. Fructuosus dicit: Duo in vno lecto nõ iaceãt, nec dormire extra cubile proprium cuiq; licentia pateat. Interuallũ singulorum lectulorum singulis cubitis intercedat, ne dũ adinuicẽ proximãt corpora, nutriãt libidinis incẽtiua. In tenebris nemo loquatur alteri, nec accedat vllo modo iunior quilibet ad lectũ alterius post cõpletoria. Ferriolus ait: Vt duo quãlibet proximi vel amici propter secretã orationẽ quę melius ad Deũ nullo teste dirigatur, vno

lectulo

A lectulo non teneantur, vt maiorē licentiam orandi crescat sibi mens compuncta concessam, dum neminem Vigiliæ suæ aut testem pertimescit, aut iudicem.

Lectisternia pro modo conuersationis, secundum dispensationem Abbatis sui singuli accipiant.] Lectisternia dicuntur, vbi homines iacere, sedereque consueuerunt. Augustinus autem dicit: Populus diu, multūq; fatigatus noua lectisternia, quod nunquam ante fecerat exhibenda arbitratus est. Lecti autem sternebantur in honorem deorum. Vnde hoc sacrum, vel potius sacrilegum nomen accepit.

Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant: si autem multitudo non sinit, deni, aut viceni cum Senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent.] Nam & Isidorus ait: Fratres omnes, si possibile est, in vno conclaui commorari decet. Quod si difficile fuerit, certè vel decem, quibus vnus est præponendus Decanus, quasi Rector & custos.

Candela iugiter in eadem cella ardeat vsque mane.] Quæ candela ante Completoria quotidie accendatur, vt videant B diuersi, quomodo vnusquisque lectulum suum componit, seque collocans lectulo ponat, in quo frequenter decantās dicat: *Lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.* Psalm. 6. Quo factis impleto, subiungat, & dicat: *Memor fui in nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam.* Psal. 118. Hoc ergo vt deuotus quisque vacatione concessa vtilius possit implere, fratris sui, vt supra diximus, erit solus ipse possessor, habens secum meliore commutatione pro dormiente fratre Dominum vigilantem.

Vestiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus, & cultellos ad latus non habeant dum dormiunt, ne forte per somnum vulnerentur dormientes.] Hinc quidam magister ait: Cum dormiunt monachi, vestiti dormiant, & cincti, id est, aut cingulis, aut restibus, aut corrigia gracili, fratrem in nocte vti ideo prohibemus, ne dum se regyrat per somnum oppressus, exiens etiam per thecam mucro cultelli carni eius figatur, vel ideo C vestitos accinctos dormire diximus fratres, vt cum hora operis Dei aduenerit, & oratorij index sonauerit noctu mox parati consurgant. Vel propterea vestiti & cincti debent fratres dormire, quia non licet fratri nuda membra sua contingere, nam exinde immunditates libidinum in animo ingeruntur. Cum membrorum nuditas tactu contingitur, fœminarum illico cor desiderio titillatur; & inde per somnum membra sordida coinquinantur.

Et vt parati sint monachi semper, & facto signo absque mora surgentes festinent inuicem se præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate, & modestia.] Grauitas, fortitudo vel firmitas intelligitur animæ. Modestia autem, mansuetudo, honestas, vel temperantia dicitur. Cum quibus virtutibus parati semper debent esse monachi, & facto signo ad cursum cum festinatione surgentes signum crucis frontibus inferant suis, simulque cum silentio dicant: *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.* Psal. 69.

Adolescentiores Fratres iuxta se non habeant lectos, sed permixti cum Senioribus. Surgentes vero ad opus Dei, inuicem se moderate cohortentur propter somnolentorum excusationes.] Adolescen- D tes fratres iuxta se non debent habere lectos, sed lectis eorum lectos habent Præpositi propter aliquam, vt diximus, vitiorum culpam in eis emendandam, vt reuerentius præsente Maiore dormiant, & à Maioribus custoditi & honeste admoniti surgant, & alacres officium Domini compleant.

De excommunicatione culparum.

CAPVT XXIII.

SI quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in alio contrarius existens sanctæ Regulæ, & præceptis Seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini nostri præceptum admoneatur semel, & secundo secrete à Senioribus suis. Matt. 18.] Quod autem dicit, vel in aliquo contrarius existens sanctæ Regulæ, non de grauioribus, sed de leuioribus dixisse intelligendum est culpis. De grauioribus enim criminibus sub publicam pœnitentiam regulariter subijciendus est monachus: nam semel & secundo à Senioribus admonendus.

Si non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus. Si vero E *neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subiaceat. Si autē improbus est, vindictæ corporali subdatur.*] Quid de hoc capitulo diuersi patres senserunt, hoc in loco ratum duximus ponere. Ait quidam Patrum: Si quis vero frater instigante diabolo contumax, vel superbus, seu inobediēs vel murmurans apparuerit, vel etiam in quocunque casu lapsus Seniorum præcepta, vel sanctæ Regulæ normam violare tentauerit, hic secundum præceptum Domini secreto à Senioribus semel verbis corripiatur. Si emendare noluerit, tunc simul ab omni congregatione obiurgetur. Et si sic emendare noluerit, tunc prout culpæ magnitudo poposcerit, secundum regulam iudicetur, id est, aut excommunicationi subiaceat, si eius ad eam intellectus viguit, aut si obstinatæ, & duræ mentis tenacitas, culpæ & improbitas perseueret, tunc corporali disciplinæ subiacebit. Hinc beatus Fructuosus ait: Mendacem, furem, percussorem quoque, & periurum Dei seruum esse non decet; corripi primum à Senioribus verbis oportet, vt recedat à vitio. F Post hæc si nec sic emendauerit, tertiò coram Fratribus conuenietur, vt desistat tantis peterrare. Si nec sic emendauerit, flagelletur acerrimè, & trium mensium spatio excommunicationis vindictam suscipiens sub pœnitentiæ districtione solus recludatur in cella, de vesperi in vespere ex hordeacei panis sex vncijs, & aquæ mensura paruula sustentandus. Hinc & beatus Basilius ait: Si de omni sermone otioso reddituri sunt homines rationem in die iudicij, nihil oportet tanquam paruum sperni. Qui enim spernit minima paulatim defluit. Sed & quomodo quis audebit dicere aut paruum delictum, cum Apostolus dicat: *Quia per præuaricationem legis Deus exhonoratur.* Rom. 2. Sed & aculeus mortis peccatum esse dicitur; & non dixit tale, vel tale peccatum, sed omne peccatum. G Magis immisericors est, qui intermittit & negligit, quam ille, qui arguit, sicut hic, qui in morsu serpentis permittit delitescere venenum, quam ille, qui educit, & attrahit. Sed & charitatem destruit ille, qui secundum Scripturas parcens baculo odit filium. Qui autem diligit diligenter corripit eum. Hinc beatus Augustinus in Regula sua dicit: Si post admonitionem iterum, vel alio quoque die idipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat, quicunque potuerit hæc inuenire. Prius tamen & alteri vel tertio demonstrandum, vt duorum, vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coerceri. Nec vos indicetis esse maleuolos, quādo hæc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacēdo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultare, cum timet secari, nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes hoc manifestare, ne perniciosius putrescat in corde. H Sed antequam alijs demonstretur, per quos conuincendus est, si negauerit prius, Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne forte secretius correptus possit non innotescere cæteris. Si autem negauerit, tunc nescienti adhibendi sunt alij, vt iam coram omnibus possit, non ab vno teste argui, sed à duobus, vel tribus conuinci. Conuictus ergo secundum Præpositi, vel etiam presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet arbitriū, debet emendatoriam sustinere vindictam. Quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abcesserit, de vestra societate proijciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. Nam & de hoc capitulo Paulus & Stephanus Abbates ita scripserunt: Si quis alterum in quacunque parte viderit illicitum quicquam vel sermone vel opere facientem, & Priori distulerit publicare, agnoscat se esse nutritorē peccati, & per omnia æqualem peccanti; quia & animæ suæ, & illi est, quem tegit, durissimus inimicus. Ex hoc apud Deum, qui male odit, & apud cunctam fraternitatem execrabilis, & infidelis habebitur, quod per abundantiam malitiæ noluit prodere, vt corrigere potuisset errantem; & odio disciplinæ dilexit malitiam, & astitit omni viæ non bonæ.

Qualis debeat esse modus excommunicationis.

CAPVT XXIV.

S*Ecundum modum culpæ, excommunicationis, vel disciplinæ debet extendi mensura: qui culparum modus in Abbatis pendeat iudicio.*] Interrogatus beatus Basilius, qualibus correptionibus vti oportet inter fratres ad emendationem eorum, qui delinquunt, respondit. Hoc sit in iudicio positum eorum, qui præsunt, vel quanto tempore, vel quali modo corripi debeant: quia & ætas, & eruditio multam habere facit differentiam pœnæ. Item ex regula cuiusdam excommunicationis mensura qualis esse debeat, iustum scientibus liberare iudicium culpæ modus ostendat. Leuioribus enim culpis leuior adhibenda est correptio. Grauioribus verò feruentior est exhibenda damnatio. Proinde Abbati pensandum est, vt si aliquis frater in leuioribus culpis inuenitur obnoxius, vsque ad indictam sibi horam mensa priuetur. De grauioribus verò seu dierum, vel hebdomadarum, vel mensium diffinitio in longius protracta correptione finiatur.

Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur, tantum à mensæ participatione priuetur.] Leuioris culpæ reus est, vt ait Isidorus, qui otiosus esse dilexerit, qui ad officium, vel ad collationem, vel ad mensam tardius venerit, qui in choro riserit, fabulisue vacauerit, qui relicto officio, vel opere extra necessitatis causam foras discesserit, qui torporem & somnum amauerit, qui sæpius iurauerit, qui multiloquus fuerit, qui ministerium cuiuslibet operis iniunctum sibi sine benedictione susceperit, aut peracto opere benedictionem minime postulauerit, qui iniunctum opus negligenter vel tardius expleuerit: qui casu vas aliquod fregerit, qui damnum rei paruæ intulerit, qui codice negligenter vsus fuerit, qui alicubi ad momentum secesserit, qui occulte ab aliquo literas, vel quodlibet munus acceperit, vel epistolam suscipiens occultauerit, aut sine Abbatis consensu rescripserit, vel quemlibet parentum, seu sæcularium sine iussu Senioris aut viderit, aut cum eo locutus fuerit, qui Seniori inobediens fuerit, qui contumaciter Seniori responderit, qui erga Seniorem linguam non represserit, qui lasciuus in lingua fuerit, qui inhoneste incesserit, qui ioeauerit, qui satis riserit, qui cum excommunicato locutus fuerit, orauerit, comederit, qui illusionem nocturnam patri non patefecerit. Hæc & his similia disciplina excommunicationis emendanda sunt. Nam & alibi inter leuiores culpas has inuenimus numeratas, id est, si decantans quis Psalmum, vel modicum quid titubauerit, si vel leuiter murmurauerit, si dimissa synaxi non concitus ad cellam recurrere festinauerit, si lectionem, opera, vel obedientiæ proferens officia statuta segnius fuerit executus. Si cum aliquo vel ad modicum substiterit, si alterius manum tenuerit, si ioculare aliquid, vel risui aptum in conuentu fratrum proferre præsumpserit, vel qui cum iunioribus verba otiosa narrare voluerit, aut habere amicitias ætatis infirmæ, increpationi, vt dignus est, subiacebit. Si quis quælibet inuenerit, inuenta non celet, & cognoscenda non occultet. Quod si reperta vnius diei spatio conuincitur retentasse furtum, contagiose maculatum se esse cognoscat. Si quis eum, qui districtionem monasterij non ferens, fugam meditari agnouerit, si non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet. Et tamdiu est à conuentu fratrum sequestrandus, quandiu ille valeat reuocari. Si quis hæc non omni virtute studuerit Domino placitura seruare, & semel ac secundo correptus non emendauerit, reprehensa iuxta ætatis formam conuenit indicari. Hucusque & in huiusmodi, ac similibus admissis procedit animaduersio spiritalis. Residua verò quæ apud nos indifferenter admissa à nobis quoque reprehensibilibus sustinentur, id est, aperta conuitia, manifesti contemptus, cõtradictiones tumidæ, libera & effrænata processio, familiaritas apud fœminas, iræ, rixæ, simultates, & iurgia, operis peculiaris præsumptio, philargiriæ contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum, quæ à cæteris fratribus non habentur, extraordinaria ac fructifera cibi refectio. Hæc & similia non illa increpatione qua diximus spiritali, sed vel plagis emendantur, vel expulsione purgantur.

Priuati autem à mensæ consortio ista erit ratio, vt in oratorio Psalmum, aut Antiphonam non imponat, neque lectionem recitet vsque ad satisfactionem.] Hinc quidam monachorum magister ait: Frater qui leuem culpam habuerit, & post primam & secundam, & tertiam monitionem de vnoquoq; vitio non emendauerit, à mensa excommunicetur, non ab Oratorio. Quæ excommunicatio tamdiu in offensa permaneat, quãdiu in reo maioris humilitatis satisfactio humiliato ad genua capite se de cætero promiserit emendari. Ille vero frater qui excommunicatus à mensa, non ab Oratorio fuerit, tamdiu Antiphonã, aut lectionem nõ imponat, quamdiu de culpa illa emendatione promissa satisfecerit, aut Abbatis præsentis, aut Præpositi sui ad genua incuruatus. Excommunicati verò fratres si ita superbi extiterint, aut in superbia cordis perseuerantes in tertia die hora nona satisfacere Abbati noluerint, custoditi vsque ad necem cædantur virgis. Et si placuerit Abbati, de monasterio expellantur, quia talis vita necessarios non habet corporales, vel societates fratrum, quos in anima superba possidet mors. Nam meritò tales debent plagis mactati expelli, qui esse cum Christo humilitatis Domino non merentur, sed sint à perpetuis promissis Dei, cum auctore suo diabolo separati, qui de cœlorum regnis propter superbiam suam proiectus est.

Refectionem autem cibi post Fratrum refectionem accipiat, mensura vel hora, qua prauiderit Abbas ei competere: Vt si, verbi gratia, Fratres reficiunt sexta hora, ille frater, nona: si Fratres nona, ille vespertina, vsque dum satisfactione congrua veniam consequatur.] Congrua dicitur satisfactio, quando secundum modum culpæ agitur pœnitudo. Est enim prouidendum, ne grauis pro leuibus, nec leuis pro culpis grauioribus pœnitentiæ vltio inferatur. Mensura namque, & pondere æquo, iustitiaque, pia miseratione continua Pater vel Præpositus debet excellere, vt sic vulnus curet ægroti, quatenus salutem, & non debilitatem inferat membri; quia sicut subditorum vitam Præpositus, ita & Præpositorum negligentias per semetipsum Deus iudicabit.

De grauioribus culpis.

CAPVT XXV.

I*S Frater, qui grauioris culpa noxa tenetur.*] Noxa dicitur culpa, vel criminalia delicta. Noxa enim nocibilia, vel noxia dicuntur grauia peccata.

Suspendatur à mensa simul & ab Oratorio.] Hinc beatus Isidorus ait: Grauioris autem culpæ obnoxius est, si temulentus quisque sit, si discors, si turpiloquus, si fœminarum familiaris, si seminans discordias, si iracundus, si altæ & erectæ ceruicis, si mente tumidus, vel iactante incessu immoderatus, si detractor, susurro, vel inuidus, si præsumptor rei peculiaris, si pecuniæ contagio implicatus, si aliquid præter regularem dispensationem superfluum possidens: si fraudator rei acceptæ, aut commissæ sibi, aut minus commissæ. Inter hæc si de rebus seeum ablatis extulerit, vel de his per inobedientiam murmurauerit. Si rei maioris damnum intulerit, si furatus fuerit, si periurauerit, si falsum dixerit, si contentiones vel rixas amauerit, si manifestum conuitium fratri intulerit, si personam innocentis falso crimine maculauerit, si contumaci animo seniorem despexerit, si rancorem aduersus fratrem tenuerit, si peccanti in se, & postea supplicanti veniam non coucesserit, si cum paruulis iocauerit, riserit, vel eos osculatus fuerit, si cum altero in vno lecto iacuerit, si extra communem mensam priuatim vel furtim quippiam sumpserit, si alicubi extra consensum Præpositi vel Abbatis discedens medio die vel amplius commoretur, si, vt otiosus sit, falsam infirmitatem prætenderit. Hæc & his similia iuxta arbitrium Prioris diuturna excommunicatione purganda sunt, vt qui grauiter peccare noscuntur, acriori seueritate coerceantur. Nam & hæc vitia gratia Paulus Apostolus in Epistola ad Galatas enumerat dicens:

A Gal.5. cens: *Manifesta autem sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, secta, inuidia, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut quæ prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Et eos qui talibus sunt vitijs applicati, idem Apostolus in epistola ad Romanos blasphemat dicens: *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ illorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali vsu fœminei exarserunt in desiderijs suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fide, sine misericordia. Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed & qui consentiunt facientibus.* Hæc secundum Apostolum dicta sufficiant. Videamus quomodo de his noxijs, grauibusue cæteri patres, & ipse iudicet beatus Benedictus. Ait enim idem in subsequentibus:

Rom.1.

B

Nullus ei Fratrum in vllo iungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum, persistens in pœnitentiæ luctu.] Hinc & alij patres dixerunt. Si quis vero monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest, id censuimus ordinando, vt iunior virgis cæsus, tanti criminis reus nunquam officium clericatus excipiat. Si vero iam clericus in id facinus fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate priuetur. Cui sufficere potest pro actus sui leuitate impleta præuia satisfactione communio. Hinc B. Ferreolus ait: Furti conscium: si adhuc vocare monachū possumus, quasi adulterum secundum flagellis subdi, & magna conteri afflictione iubemus, dantes illi vnam cum fornicante sententiam, quia & ipse luxuriatus est, cum furaretur. Similes enim eos non incongrue dicimus, quos in sacra lectione pariter positos inuenimus. Dicit ergo Dominus per
Ose.4. Prophetam: *Non est scientia Dei super terram.* Et paulo post:
Ose. ibid. *Furtum & adulterium inundauerunt.* Et iterum in Psalmo: *Si*
Psal. 49. *videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Legimus etiam in Euangelio Dominum dixisse: *Fornicationes, furta:* &c, nec mora addit, *hæc sunt quæ coinqui-*
Matth.15 *nant hominem.* Ex his profecto intelligere possunt horum scelerum serui, quia sicut æqualiter his dominantur vitia,
C æqualiter debetur & pœna. Hinc Beatus Fructuosus Episcopus ait: Monachus paruulorum consector, vel quicunque qualibet occasione turpi reprehensus fuerit inhiare, cum probata patenter per accusatores verissimos, siue testes causa publice verberetur, coronam capitis quam gestabat amittat, discalciatusque turpiter opprobrium pateat, omniumque sputa in eum illata probraque æque suscipiat, vinculisque arctatus ferreis, carceribus sex mensibus angustia maceretur; & triduana per hebdomadas singulas refectione panis exigui hordeacei vespertino tempore subleuetur. Post deinde expletis mensibus his, alijs sex mensibus succedentibus sub senioris spiritalis custodia segregata in corticula degens, opera manuum in oratione conti-
D nua sit contentus, vigilijs & fletibus & humilitate subiectus, & pœnitentiæ lamentis veniam percipiat, & sub custodia semper, & sollicitudine duorum spiritalium fratrum in monasterio ambulet, nulla priuata locutione vel consilio deinceps iuuenibus coniungendus.

1.Cor.5. *Sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis, traditum huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.*] De hac sententia Hieronymus ait: Tradere huiusmodi Sathanæ in interitum carnis, vt arripiendi illum corporaliter habeat potestatem. Quod dum viderit se, nec carnis hic, nec in futuro spiritus requiem habiturum de facto pœniteat, & saluetur. Siue sic quisque pro meritis suis de Ecclesia pellitur, Sathanæ traditur potestati, vt, dum caro eius per pœnitentiam afflicta quendam interitum patitur, spiritus conseruetur. Habet enim consuetu-

E dinem scriptura, vt hominem in parte totum intelligat. Sic ita, qua & hic scripturæ mos est, vt in carne carnalis actus interire, spiritu vero spiritalis conuersatio salua fieri demonstretur. Item hic ostendit eiectum extra Ecclesiam, rapido ore dæmonum lacerandum, si permanserit nolens vitam carnis mortificare, vt possit vitam sanctam recuperare, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu; quoniam in spiritu Sathanas accipere non potest potestatem, vt Domini iudicio reseruetur. Sequitur:

Cibi autem refectionem solus percipiat, mensura vel hora qua prauiderit ei Abbas competere.] Proinde eum considerare debet Abbas, cui qualis conueniat disciplina, vel pœnitentia. Considerare enim debet ætatem puerilem, vel senectutem infirmam, vel delicatum corpus, forte vel imbecille, & secundum vniuscuiusque qualitatē sic debet pœnitentiæ modum inferre, & disciplinæ pondus imponere, vt medicinæ eum disciplina sanet, non opprimat; vitaliter eleuet, non mortaliter grauet.

F *Nec à quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.*] De hac sententia sic alij patres dixerunt: Nullus eloquio consoletur, tacito omnium pertranseatur aspectu. Petenti benedictionem nullus respondeat. Quidquid ei porrigitur, à nullo signetur. Quidquid vero extra opus assignatum peculiariter, vel vltro affecerit, dispergatur, vel dissipetur. Sic vbique solus, & ei sola culpa solatium.

CAPVT XXVI.

De his, qui sine iussione Abbatis iunguntur excommunicatis.

G

S*I quis Frater præsumpserit sine iussione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.*] Hinc B. Isidorus ait: Ad excommunicatum nulli liceat ingredi citra imperium Senioris. Cum excommunicato neq; orare, neque loqui cuique licebit. Cum excommunicato nulli penitus vesci licet, nec ipsi quidem, qui alimentum victui præbet. Hinc Cassianus ait: Si quis autem pro qualibet culpa sua fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo orandi habeat licentiam, antequam submissa in terra pœnitentia coram omnibus Fratribus supplicanti ei venia ab Abbate tribuatur. Nam qui se orationi, vel confabulationi eius, antequam à Priore recipiatur, inconsiderata pietate sociare præsumpserit, similis damnationi eius efficitur, tradens semetipsum voluntarie Sathanæ; cui ille secundum Apostoli sententiam pro sui reatus emendatione fuerat deputatus. Et in hoc grauius peccat, qui se ipsi coniungit, quia solatium ei tribuens cor eius amplius facit indurare, & non permittit eum pro hoc, quod ab oratione fuerat segregatus, de satisfactione sua & venia cogitare, sed maiorem superbiæ fomitem, & contumaciam delinquentis nutrit in peius. Hinc quidam Magister monachorum ait: Si quis verò Frater aut palam, aut absconse cum eo fuerit allocutus, aut iunctus, communem statim cum eo excommunicationis contrahat pœnam, & ab omnibus reus sit, atque in alio laboris ipse opere sequestretur à Præposito suo, & sit ipse tam ab illo reo, quam ab omnibus separatus, & solus, & mox ab omnium & ipse alienus eloquio. Nam non ad veniam Maioris & ipse pertineat, nisi pœnitentiæ similis satisfactio ab eis æqualiter fuerit operata, illius propter quod extitit inobediens in vitio vel peccato, istius, quod mercedem consolationis tribuit malorum artifici. 1.Cor.5.

H

CAPVT XXVII.

Qualiter debeat esse sollicitus Abbas circa excommunicatos.

O*Mni sollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres, quia non est opus sanis Medicus, sed male habentibus.*] Matth.9. Omnem sollicitudinem dicit omnem curam, omnem sagacitatem, omnem industriam circa delinquentes, id est, circa peccantes fratres. Hic delinquentes fratres male habenti-

A habentibus assimilat; Abbatem vero Medico comparat. Sine dubio enim anima quando peccat, male habet, quia à bonitate pariter recedit, & sanitate. Sicut enim est infirmitas corporis, est & sine dubio infirmitas animæ. Et sicut indiget medico infirmus corpore, indiget infirmus & anima. A qua infirmitate volens liberari Psalmista, Domino vero medico dicebat: *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi.* Cuius vicem bonus in monasterio tenens Abbas curam de infirmis habere debet animabus, vt sanentur à peccatis & vitijs, & pristina recepta sanitate iterum seruiant creatori.

Psal. 40.

Et ideo vti debet omni modo, vt sapiens medicus immittere quasi occultos consolatores Senipetas.] Senipetas, græcum est nomen, non latinum. Quo secundum ipsius B. Benedicti interpretationem,

Id est, Seniores sapientes Fratres.] intelliguntur.

Qui quasi secrete consolentur Fratrem fluctuantem.] Fluctuantem dicit, id est, hæsitantem, tribulantem, vel in diuersis cogitationibus variantem.

B *Et prouocent eum ad humilitatis satisfactionem.*] Humilitatis satisfactio est, quando cognoscit se homo per superbiam peccasse, & humiliato corde & corpore pro peccatis suis, fructus dignos pœnitentiæ facit. Quem ad humilitatis satisfactionem seniores fratres prouocare debent dicentes: Humilia te per pœnitentiam sub potenti manu Dei, vt te exaltet in tempore visitationis; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Et consoletur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur.] Abundantiorem tristitiam dicit, id est, maiorem, & profundiorem, quam antea habuit, quando peccauit. Absorbeatur dixit, id est, deuoretur, & deglutiatur. Solet enim infirmus animo frater de correctione immoderata amplius, quam de perpetrata contristari culpa. Vnde necesse est, vt

C cum peccati vulnus in subditis corrigēdo restringitur, magnam inde sollicitudinem etiam districtio ipsa moderētur, quatenus sic iura disciplinæ contra delinquentes exerceat, vt pietatis viscera non amittat. De hac sententia Hieronymus dicit: Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est, ne forte per desperationem indulgentiæ absorbeatur gurgite vitiorum, & à diabolo persuasus, ad infidelitatis & blasphemiæ maiora præcipitia deducatur. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem, qua perfectam se agnoscit veniam consecutum.

Sed, sicut ait Apostolus, confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus.] Hinc Gregorius Nazianzenus ait: Eum, qui in Corintho peccauit, peccatum quale nec inter gentes, ad pœnitentiam Paulus suscepit. Et non solum suscepit, verū etiam charitatem in eo confirmauit. Quandoquidē emendationem vidit, & causam facti exposuit dicens: *Ne forte ampliori tristitia absorbeatur, qui huiusmodi est,* correptionis scilicet nimietate prægrauatus.

2. Cor. 2.

2. Cor. 2.

Magnopere enim debet sollicitudinem gerere Abbas circa delinquentes Fratres.] Magnopere dicit, magno studio, magna

D cura, vel magno certamine; quia non molliter, aut segniter, sed fortiter, & vigilanter animarum debet Abbas curā sibi gerere commissarum. Vnde & sequitur;

Et omni sagacitate & industria curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat.] Sagacitas, vigilantia, sollicitudo, vel proficua intelligitur curiositas; industria autem, solertia, vel prouidentia est, qua fretus quisque prouidere debet & non corpore, sed mentis, & intelligentiæ gressibus curare, ne aliquam de ouibus suis per suam negligentiam, tarditatem, vel segnitiem perdat. Monachi enim boni propter innocentiam vitæ, Christi oues vocantur. De quibus ipse Dominus & pastor eorum dicebat: *Oues meæ vocem meam audiunt; & cognosco meas; & cognoscunt me meæ: & pastor bonus animam suam ponit pro omnibus suis.*

Ioh. 10.

Nouerit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem.] Proprie tyrannus dicitur, qui in Republica, non iure principatur. Ergo omnis superbus, iuxta modum proprium, tyrannidem exercet. Superbiam ergo impij rectè tyrannidem vocant. Tyrannidis græcum nomen est. Intelligitur enim vsurpatio regni iniusta, honor indebitus, potestas iniusta, actio superba, ordinatio iniqua, de animo tumido, & corde procedens superbo. E

Quod ministerium non suscepit Abbas super sanas animas exercere, id est, super firmos, & bene viuentes monachos agere, sed super infirmas animas, quæ ad tolerandas passiones, & tentationes sæculi fortiter adhuc non sunt consolidatæ, curam medendi suscepit, atque sanandi. Suscepit enim peccatores curare, infirmos animo roborare, titubantes in Dei seruitio solidare, non sanos aut rectè viuentes subuertere, deuiantes conturbare.

Et metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: Quod crassum videbatis, assumebatis; & quod debile erat proijciebatis.] Quod autem dicit, quod crassum erat assumebatis, intelligitur, deuorabatis, interficiebatis, vel consumebatis. De hac sententia Beatus Augustinus ait: Sanæ atque crassæ oues perpaucæ sunt, id est, solidæ in cibo veritatis, vtentes pascuis bene de munere Dei. Sed mali illi pastores non parcunt talibus. Parum est, quod illas languentes & infirmas, & errantes & perditas non curant, F

Ezec. 34.

etiam istos fortes & pingues necant, quantum in ipsis est, & illi viuunt de misericordia Dei. Viuunt tamen, quantum ad pastores malos attinet, & occidunt. Quando, inquit, occidunt? Male viuendo, malum exemplum præbendo. Attendit enim ouis etiam fortis plerumque Præpositum suum male viuentem, si declinet oculos à regulis Domini, & intendat in hominem, incipit dicere in corde suo. Si præpositus meus sic viuit, ego quis sum, qui non faciam, quod ille facit? Occidit ouem fortem, iam de cæteris quid facit, quid illud quod non ipse fortificauerat? Sed forte aut robustum inueniat male viuendo interficit. Dico charitati vestræ, iterum dico & si viuunt oues, & si forte sunt oues in verbo Domini, & tenent illud, quod audierunt à Domino suo: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite*; tamen qui in conspectu populi male viuit, G

Matt. 23.

quantum in illo est, eum, à quo inenditur, occidit. Sic omnis, qui male viuit in conspectu eorum, quibus præpositus est, quantum in ipso est occidit. Et fortis qui imitatur, moritur; qui non imitatur, viuit. Tamen quantum ad illum pertinet, ambos occidit.

Et pastoris boni pium imitetur exemplum.] Pastor bonus Christus est, qui dixit: *Ego sum pastor bonus.* Et de se iterum ait: *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Cuius pium imitari debet Abbas exemplum, & diligere debet gregem ouium suarum, id est, monachorum suorum; sicut & ille dilexit genus humanum, in tantum, vt pro illo morti traderet semetipsum, & surgens à mortuis eleuauit illum in cœlum, & choro sociauit angelico, & sic ouium suarum redintegrauit numerum. Nam Abbas errantem debet corrigere monachum, & correctum, pariterque dilectum cuneo cæterorum suorum debet sociare monachorum; & tunc bene imitatur illum.

Ioh. 10.

Ioh. ibid.

Qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abijt vnam ouem, quæ errauerat, quærere. Cuius infirmitati intantum compassus est, vt eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.] Centum oues vniuersitas est angelorum & hominum. Vna autem errauit, id est, humanum genus peccauit. Nonaginta nouem reliquit in montibus, id est, nouem ordines angelorum in cœlis, & venit quærere vnam in valle lachrymarum, qua inuenta fit gaudium super ea magis, quam super nonaginta nouem, qui non errauerant.

Luc. 15. H

CAPVT XXVIII.

De ijs, qui sæpius correcti non emendantur.

S*I quis Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio, id est, vt verberum vindicta in eum procedat.*] Correptus dicit, castigatus vel obiurgatus. Inter corripere enim castigare, vel obiurgare hoc interest. Corripimus enim verberibus, obiurgamus autem verbis: castigamus vero & verbis, & verberibus.

Quod si nec ita se correxerit, aut forte (quod absit) in superbiam

elatus

A *elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens Medicus. Si exhibuit fomenta, si vnguenta adhortationum, si vnguenta adhortationum, si medicamina scripturarum diuinarum, si ad vltimum, vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum.*] Castigationes cum pietate, & mansuetudine recte fomenta vocantur. Adhortationes vero cum dulcedinis lenitate, vnguenta dicuntur. Diuinarum verò scripturarum testimonia, vel sacra legis præcepta non incongrue vocantur medicamina. Sanant enim animarum custodientium,
Psal. 40. & obseruantium ea, peccatorum vulnera. Vnde Psalmista Domini custodiens præcepta dicebat: *Ego dixi, Domine miserere mei; sana animam meam, quia peccaui tibi.* Excommunicationis autem seuera districtio, quæ peccatori iniungitur pro peccato, conuenienter vstio vocatur. Sicut enim vstulat, atque cremat corpus, ita districtio excommunicationis animam affligit, pariter concremat atque corpus. Sed vstio ista à peccati rubigine humilem purgat animam: superbiam vero, in plumbi conuertit naturam. De virgæ vero
Prou. 23. flagello Salomon ait: *Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte*: Et, *Si diligis filium tuum assidua illi flagella.*
Eccl. 30.

B *Et iam viderit nihil suam praualere industriam, adhibeat etiam (quod maius est) suam, & omnium Fratrum pro eo orationem; vt Dominus qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum Fra-*
Luc. 5. *trem.*] Hinc & Apostolus ait: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Helias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, &c. Si hoc vnus Helias tantum impetrauit, quanto magis valebit frequens plurimorum oratio iustorum. Iubentur itaque orare, & psallere Domino, quoties aliquibus pulsamur aduersis, non solum pro sanitate corporum, sed etiam pro sanitate debemus orare animarum. Si enim magnæ mercedis est à morte eripere carnem quandoque morituram, quanti est meriti à morte animam liberare in cœlesti patria sine fine victuram?

Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas
1. Cor. 5. *ferro abscisionis, vt ait Apostolus: Auferte malum ex vobis.*] Hinc in cuiusdam patris scriptum est regula: Frater si sæpius correptus emendare noluerit, excommunicatione pro modo culpæ corrigatur. Si nec sic aliquid proficiat increpantis correctio, tunc verberum vindictæ subiacebit.
C Quod si sic emendare noluerit, sed magis in tumorem superbiæ elatus, opera vel actus, de quibus corrigitur, defenderit, tunc Abbatis scientiæ regimine corrigatur,
Prou. 15. quia scriptum est: *Qui abijcit disciplinam, infœlix.* Moderante ergo scientia sanitem medendi cura adhibeatur. Si verò tale vulnus per fomenta castigationum & pietatis ac lenitatis vnguenta sospitati non redditur, tunc excommunicationis sententiam, vel disciplinæ corporalis pœnam incurrat. Et si nec excommunicationis metu, nec flagelli pœna frangitur, augeatur adhuc pietatis fomes, ita vt ab omni congregatione pro eo communis Dominus orationum officio deprecetur, vt qui laqueo diaboli irretitus tenetur, Domini misericordia ac pietate curetur. Quod si nec sic corripi voluerit, intra septa monasterij sub pœnitentiæ tenore ab omnibus præter custodes segregatus tamdiu castigetur diuersis correptionibus, vs-
D que dum eius humilitas omnibus vera credulitate pateſiat, quia & inuita sæpe salus præstatur. Nam ideo separandus est à congregatione, vt suo vitio non maculet innocentes. Tenera verò ætas, quæ excommunicandi vim nescit, non excommunicatione, sed flagello corrigenda est. Hinc Isidorus ait: Qui graui vitio sæpe excommunicatus negligit emendare, tamdiu damnationi subiaceat, quousque vitia inolita deponat; vt quem semel illata animaduersio non coercuit, frequens seueritas censeat emendandum. Quamuis frequentium, grauissimorumque vitiorum voragine sit quisque immersus, non est tamen à monasterio proijciendus, sed iuxta qualitatem delicti coercendus est; ne forte, qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari, dum proijcitur, ore diaboli deuoretur. Beatus autem Macharius aliter in sua regula ait: Qui sæpius, inquit, corripitur, & non se emendauerit, extraneus habeatur,

sicut dixit Dominus: Sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Beatus Basilius ita: Qui pro peccato non pœnitet, E
abscindatur tanquam putrefactum membrum à corpore, scriptum est enim; Quia expedit, vt pereat vnum membrorum tuorum, & non omne corpus tuum mittatur in gehennam; quia ei parcere, quem Dominus condemnauit, velle tuum non est. In orientali enim regula sic inuenimus: Si fuerit aliquis tam durus, & tam alienus à timore Domini, vt tot castigationibus, & tot remissionibus non emendetur, proijciatur de monasterio, & velut extraneus habeatur, ne vitio illius alij periclitentur. Vnde & sequitur:

Et iterum, infidelis si discedit, discedat.] Id est, si vult abire, *2. Cor. 7.*
abeat. Et non hoc Abbas grandipendat, aut culpatum se iudicet, si suus infidelis discedit monachus: quia si ille proprio vitio monasterij deserit claustra, in Abbatem non redundat eius peccati macula. Qui enim prius discedit mente, necesse est postmodum discedat & corpore, ne ab illo F
fiat in grege, quod sequitur:

Ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet.] Morbum ideo veteres appellauerunt, vt ipsa appellatione vim mortis, quæ ex eo nascitur, demonstrarent. Nam inter sanitatem, & morbum media est curatio, quæ nisi morbo congruat, non producit ad sanitatem. Quod autem dicit, contaminet, intelligitur, polluat, vel inquinet. Contagium enim dicitur contaminatio criminum, miseria, animi morbus, calamitas, vel coinquinatio mentis. Contagium enim à contingendo dictum. Quidquid enim tetigerit, polluit.

CAPVT XXIX.

Si debeant Fratres exeuntes de monasterio iterum recipi.

F*Rater qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de Monasterio, si* G
reuerti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitij, pro quo egressus est; & sic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quod si denuo exierit, vsque tertio recipiatur. Iam vero postea sciat omnem sibi reuersionis aditum denegari.] Hinc quidam Magister monachorum dicit: Frater si exierit frequenter de monasterio, vsque in tertium reuersus resuscipiatur. Amplius non iam. Vt quid in monasterio iam opus sit, quem Deus non possidet? Ideoque post tertiam correptionem iuste monasterio sit, vt Ethnicus, & Publicanus. Hinc Ferriolus ait: Fugitiuum vero monachum, deserentem disciplinam, & perdentem se, velut contemptorem placuit reuocare. Hinc Sanctus Fructuosus Episcopus ait: Cum aliquis per vitium elapsus fuerit à monasterio, in aliud non recipiatur cœnobium, neque in humanitatis charitatem, neque in pacis osculum, sed continuo vinctis post tergum manibus Abbati reducatur proprio. Item ipse: Si certè ipsi apostatæ ab omnibus fuerint H
expulsi, & huc illucque vagantes diuersis locis instabiles atque vacillantes suo monasterio se reuerti petierint necessitate compulsi in Conuentu Maiorum deducantur, & vt vasa figuli in fornace probentur. Et cum probati fuerint, suo monasterio reformentur; & non prima, sed vltima cathedra recipiantur. Item ex regula cuiusdam: Si vllo tempore, quod absit, à Christiana religione frater à septis monasterij discesserit, & foras fugiens postea recordatus pristinæ religionis & æterni iudicij perculsus timore reuersus fuerit, prius omnium morum emendationem polliceatur: postea si probabilis eius pœnitentia agnoscatur, tunc demum intra septa monasterij recipiatur. Et si bis, aut tertio hoc fecerit, simili pietate foueatur, sic tamen, vt extremo loco inter pœnitentes receptus tamdiu examinetur, vsque dum probabilis eius vita inueniatur.

(*.*)

A

CAPVT XXX.

De pueris minori ætate qualiter corripiantur.

Omnis ætas vel intellectus proprias debet habere mensuras.] Id est, iudicij disciplina non vniformiter est omnibus exhibenda, sed secundum vniuscuiusque ætatem vel intellectum cum magno est moderamine inferenda. Aliter enim paruuli, aliter adolescentes & iuuenes, aliter senes, aliter vero decrepita positi debent iudicari ætate.

Ideoque quoties pueri, vel adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt, quanta pœna sit excommunicationis: Hi tales dum delinquunt, aut ieiunijs nimijs affligantur, aut arctis verberibus coerceantur, vt sanentur.] De talibus enim Salomon ait: Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit
B
eam. Hinc Isidorus ait: In minori ætate constituti non sunt coercendi sentẽtia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiæ congruis emendandi sunt plagis, vt quos ætatis infirmitas à culpa non reuocat, flagelli disciplina compescat. Illi vero fratres post quindecim annos ætatis vapulent, qui satis grauem, aut furti fugacis aut criminalem culpam commiserunt.

CAPVT XXXI.

De Cellario Monasterij qualis sit.

Cellarius monasterij eligatur de congregatione sapiens.] Cellarius, qui seruis Dei substantiam ministrat, eorum cibaria dispensat, prudentia plenus, & sapientia debet esse
C
præditus, vt prudenter sapienterque & dispensanda dispenset, & quæ sunt conseruanda conseruet: quia qui secundum Deum Sapiens est, Beatus est: & *neminem diligit*
Sap. 7. *Dominus*, dicit Scriptura, *nisi eum, qui cum sapientia moratur.* Hinc Isidorus ait: Nihil prodest omnem scire prudentiam cum ignorantia Dei; nihil obest scientibus Dominum, ignorantia mundi. Perfecte autem scit, qui Deum prius, & ista non pro se, sed pro Deo scit.

Maturus moribus.] Maturi enim mores dicuntur suaues, modesti, & multarum rerum experientia, & diuturno
Sap. 4. tempore temperati. Scriptum est enim: *Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Ergo canicies honoranda, senectusque veneranda, & ætas matura non tantum in corpore, sed & in sensibus hominis inuenitur, vbi omnia bona, quæ à Deo accipiuntur, & discrete componuntur, & rationabiliter discernuntur, & firmiter conseruantur.

Sobrius.] Sobrius intelligitur cautus, vel consideratus in cibo & potu, frugalis, & parcus, verbo & opere tempe-
Rom. 12. ratus. Hinc Paulus ait: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, id est, temperate. Temperate
D
enim debet sapere Cellarius, temperate viuere, temperate loqui, & ea quæ ministranda sunt fratribus, temperate ministrare. Sobrius mente, discretus in opere, suauis
Eccl. 20. in verbo, & dulcis eloquio. Scriptum est enim: *Sapiens in*
Prou. 16. *verbis seipsum amabilem facit*, Et, *Qui sapiens est corde, appellabitur*
Prou. 30. *prudens*, Et, *Qui dulcis eloquio, maiora percipiet.*

Non multum edax.] Multum enim edax dicitur gluco, vorator, quod monachum, & maxime cellerarium non decet. Non enim gluconis, sed abstinentis monachi oratio penetrat cœlum. Abstinens enim homo spiritalis efficitur, angelis sociatur, & creatori suo facilius appropinquat, sicut scriptum est: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Bonum est ergo cauere ventris ingluuiem, ne in æternum viuens animam destruendo subdatur ventri, & à destruendis dominetur escis. De ventre autem & esca scribit Apostolus: *Esca ventri, & venter*
1. Cor. 6. *escis: Deus autem hunc & has destruet.* Nemo ergo potest dominari vitijs cæteris, nisi prius ingluuiem restrinxerit ventris. Hinc quidam monachorum Magister dicit: Cellarius vero ipse frater ordinetur, qui probatus fuerit ab Abbate fidelis, & abstinens esse, quem nunquam vincit aliquando aliqua desideriorum gula, vel qui non multum

E
amat manducare, aut bibere; ne detur magis locus diabolo, sicut dicit Scriptura: *Nolite dare occasionem quærentibus* Gal. 5.
eam; & videatur gastrimargiæ gulæ voracibus, vel gluconibus fratribus prouideri magis, quam refrænari. 1. Tit. 5.

Non elatus.] Elatus dicitur in superbia eleuatus, audax & iactans, vel arrogans. De talibus enim Salomon ait: *Abominatio Domini est, omnis arrogans, & qui se iactat,* Prou. 16.
& dilatat, iurgia concitat. De superbia namque nascitur arrogantia. Nisi enim præcesserit occulta elatio mentis, non sequitur aperta iactantia laudis. Talem enim diuina increpat Scriptura dicens: *Ne extollaris in cogitatione, velut taurus,*
ne fortè elidatur virtus tua, & relinquaris velut lignum aridum in Eccl. 6.
eremo.

Non turbulentus.] Turbulentus vocatur à turbo furoris commotus, siue ab ira mentis, oculo cordis cæcatus, sicut scriptum est: *Turbatus est præ ira oculus meus.* De Psalm. 6.
tali & Salomon ait: *Qui conturbat domum suam, pascit* Prou. 10.
ventos. Domum enim suam conturbat, qui præ leuitate mentis ad iracundiam mentem suam cito commouet. Impatiens enim Cellerarij animũ; videns sibi multos quærere multa, præ leuitate turbatur animo, & petentibus sibi non dulce reddit responsum, sed magis sermonem profert iniuriosum; quod illi facere magnopere vetatur, cum F
subditur:

Non iniuriosus.] Iniuriosus dicitur, qui fratribus infert iniurias, vel irrogat contumelias. De talibus enim scriptum est: *Vir iracundus prouocat rixas*, Et, *Os impiorum* Prou. 15.
redundat malis, Et, *Semper iurgia quærit malus, Angelus autem* Prou. ib.
crudelis mittetur contra eum, Et illud: *Inter superbos semper* Prou. 17.
iurgia sunt. Superbi dicuntur monachi mali, qui neglectis consilijs Seniorum suorum prout illis libitum fuerit, suis legibus viuunt, & inter se frequenter litigant, & crebro iurgia concitant. Contra quos Angelus crudelis mittitur, quia illis locum dantibus contra eos animarum bellator infestus diabolus concitatur. Prou. 13.

Non tardus.] Tardus enim dicitur piger, lentus, vel tepidus. Non enim decet Cellerarium esse tardum vel pigrum, ne forte dicatur de illo: *Abscondit manum piger* Prou. 26.
sub ascella, nec ad os suum applicat eam. Eum autem non decet esse tardum, qui multis debet impendere seruitium. Sed necesse est, vt sit velox ad audiendum, velox ad seruiendum; tardus autem ad excusandum, & tardus ad iram. G

Non prodigus.] Prodigus enim dicitur nimis largus, profusus siue naufragus, consumptor vel rerum dilapidator monasterij, vel stirpator substantiæ fratrum.

Sed timens Deum, qui omni congregationi sit sicut pater.] Timere enim & amare debet Cellarius Deum, & pro illius amore vel timore diligere fratres, & obedire illis, iunioribus vt pater, senioribus vt filius. Pietatem tamen habens paternam congrue & apte omnibus seruiat. Scriptum namq; est: *In tota anima tua time Deum, & sacerdotes illius san-* Eccl. 7.
ctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, & ministros eius non derelinquas.

Curam gerat de omnibus: sine iussione Abbatis nihil faciat.] Multi enim dicunt sine iussione Abbatis nihil illi licet facere; quomodo potest de omnibus curam gerere? Sed ille hoc exponit, cum subdit dicens:

Quæ iubentur custodiat.] Ac si diceret: Quod superius dixi, de omnibus curam gerere, de his custodire iussus erat: de cæteris vero rebus sine iussione Abbatis nihil H
faciat.

Fratres non contristet.] Quare fratres non contristet, sequentia audi!

Si quis autem frater ab eo forte aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget.] Male, inquit, petere est, quando irrationabiliter, quæ petenda non sunt, petuntur, aut ea, quæ petenda sunt, non congruo tempore petuntur. Tali enim modo petita, culpabiliter petita accipiuntur, vel habentur. Quia dare taliter Cellerarius prohibetur, maxime cum de eo sequentia dicunt.

Animam suam custodiat.] Id est, nec offendat in his, quæ

A danda non sunt dando, aut quæ respondenda non sunt respondendo.

1.Tim.3. *Memor semper illius Apostolici: quia qui bene ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit.* Gradum itaque illum, quem fidelis sibi & prudens dispensator acquirit, quem constituit Dominus super familiā suam, vt det illis in tempore tritici

Mat. 24. mensuram. Cum illo vterque audiet: *Beatus ille seruus, quem, cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem,* id est, bene ministrantem. Vere dico vobis, quia super omnia, quæ possidet, constituet eum, id est, supra omnia cœlestis regni gaudia. Ecce qui bene ministrauerit, quam bonum sibi gaudium acquirit, id est, vt sit inter dispensatores & ministros Domini honoratus in cœlo. Quia qui in seruitio Dei plus laborat in præsenti, plus mercedis accipiet in futuro.

Infirmorum, infantium, hospitum, pauperumq́, cum omni solicitudine curam gerat.] Infirmitate positis fratribus diligenti

Matt. 25. cura, & promptissimo affectu ministret. Scriptum est enim: *Infirmus fui, & visitastis me.* Infantibus considerans in eis ætatis fragilitatem, & corporis teneritudinem, quæ necessaria sunt paterno ministret affectu. Hospitibus neces-

Matt. 25. saria porrigat, quia scriptum est: *Hospes fui, & suscepistis me.*

Luc. 6. Et quia præceptum est: *Omni petenti te tribue.* A pauperibus

Prou. 21. non subtrahat eleemosynam, quia scriptum est: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non*

B *exaudietur.* Sed magis quæ necessaria sunt eis cum hilari-

2.Cor. 9. tate porrigat, quia scriptum est: *Hilarem datorem diligit Deus.*

Sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die iudicij rationem

2. Cor. 5. *redditurus est.*] *Oportet nos*, ait Apostolus, *stare ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit, siue bonum siue malum.* Et sic vnusquisque nostrum dignam laboris sui mercedem recipiet.

Omnia vasa monasterij, cunctāmque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat.] Hinc antiqui monachorum Patres dixerunt: Debet enim talis Cellerarius eligi, qui possit in omnibus Euangelico ordine fratribus suis victum gubernare, qui timeat inde sententiam, qui ab initio fur fuit. Studere debet qui huic officio deputatur vt audiat, quia qui bene ministrauerit, gradum bonum acquirit, & animæ suæ lucrum facit. Nosse etiam debent fratres, quia quicquid in monasterio tractatur siue in vasis, siue in ferramentis, vel cætera omnia esse sanctificata. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractauerit, partem se habere nouerit

C cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis, & qualem meruit vindictam. Custodienda sunt illa præcepta, & per singulos dies in aures fratrum recitanda sunt, vt non condemnentur in peccatis suis.

Nihil ducat negligendum; neque auaritiæ studeat, neque prodigus sit, aut extirpator substantiæ monasterij, sed omnia mensurate faciat, & secundum iussionem Abbatis.] Hinc secundum regulam orientalem Patrum dicitur: Ad condiendos cibos det Cellerarius necessaria secundum quotidianæ expensæ cōsuetudinem, neque profuse, neque auare, ne vitio ipsius vel monasterij substantia grauetur, vel fratres patiantur iniuriam. Sed & necessitatem infirmorum fratrum ad laborem considerans, nihil ægrotantium desiderijs neget ex his, quæ habuerit, quantum illis necesse fuerit. Aduenientibus diuersis fratribus escas parabit. Hæc erit cura custodis Cellerarij recurrens semper ad seniorum consilium, & requirēs

D de omnibus, vel præcipue de his, quæ proprio suo intellectu non potuerit adimplere.

Humilitatem ante omnia habeat: & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, vt scriptum est: sermo

Eccl. 18. *bonus super datum optimum.*] Sine dubio autem, qui veram humilitatem habuerit in corde, sermonem bonum proferet in ore; & siue sit, siue desit, quod tribuat, sermonem dulcem omnibus porrigat atque bonum. In Ecclesiaste autem scriptum est: *Nonne ardorem refrigerabit ros, sicut & verbū*

Eccl. 18. *melius, quam datum.* Nonne ecce verbum super datum bonum.

Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub curā sua. A quibus eum prohibuerit, non præsumat.] Hic ostendit, quia si alia iuri suo subiugauerit, quam ea, quæ ab Abbate suo iniuncta suscepit, aut de his, quæ illi prohibita sunt, præsumpserit, non ei mercedis obedientia, sed inobedientiæ deputabitur culpa. Si enim non venit in monasterium suam facere voluntatem, quæ illi non fuerint iniuncta, temere non debet contingere. E

Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo vel mora offerat, vt non scandalizentur.] Annonam dicit alimoniam ciborum, & victum omnem monachorum. Hora enim nona veteres comedere solebant, & ideo à tempore ipso horæ nonæ, quo illi cibos sumebant, omnis victus hominis, non incōgrue nomen accepit annona. Ab actu enim & tempore multa deriuantur nomina. Quod autem dicit, sine aliquo typo quæ offerenda sunt offerat, intelligitur in corde turbato, neque vultu corporis mutato, sed hylari animo, & vultu sereno, vel placido, quæ tribuenda sunt tribuat, & quæ offerenda sunt offerat. Typus enim est græcus sermo, quem nos figuram dicimus, seu formam. In typo enim res declaratur ex rebus, & exterius interiora monstrantur. F Nam & typus herba dicitur, quæ se ab aqua inflat. Vnde etiam ambitiosorum, & sibi placentium tumor, typus vocatur.

Memor diuini eloquij, quid mereatur qui scandalizauerit vnum de pusillis.] Scriptum est in Euangelio: *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*] Quid enim per molam asinariam, nisi circuitus curæ Matt. 18. præsentis sæculi? Et quid per mare, nisi idem præsens sæculum designatur? Leuius enim fuerat monacho, qui alios in monasterio positus scandalizat, vt mola asinaria collo suo ligata in mare sæculi huius proiectus, id est, vt curæ sæculi implicatus sæcularia negotia, & circuitum terrenæ curæ perageret, quam in portu monasterij & se, & alios scandalizando perimeret. Hinc Beatus Gregorius ait: Per molam asinariam sæcularis circuitus ac labor exprimitur, & per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus vel verbo cæteros destruit, vel exemplo; melius profecto erat, vt hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, G quam sacra officia in culpa cæteris imitabilem demonstrarent, quia nimirum si solus caderet, vtcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.

Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur, à quibus adiutus, & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum.] Ideo maxime illi solatium est accommodandum, ne cum murmurio sibi commissum agat officium. Nam si solus bene laboriosum sibi iniunctum non potuerit peragere ministerium, alijs sine dubio periculosum generabit murmurio.

Horis competentibus dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt.] Horas competentes dicit horas conuenientes vel congruentes, quando vtrumque licet; vtrumque, id est, & petenti petere, & dare donanti. Nam quando lectioni, vel orationi debent vacare, silentiumque tenere, nisi casu necessitatis, nec petere vni, nec donari licebit alteri, ne H ab ordine regulari indiscrete petendo donandoque turbentur vtrique. Vnde sequitur:

Vt nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.] Domus enim Domini, bonorum monachorum sanctissima corda, & eorum sunt purissima habitacula, in quibus mundissimum Domino suo præbent habitaculum. Ipse enim Dominus ait. *Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Dominus, & illi erunt mihi populus.* Et Apostolus ait: *Templum Dei estis, & spiritus Domini habitat in vobis.* In quo templo, id est, in 2. Cor. 6. qua domo Domini, non licebit alteri alterum perturbare 1. Cor. 3. vel contristare, quia pacificos conuenit semper esse filios 2. Cor. 16 pacis.

CAPVT XXXII.

De Ferramentis vel rebus Monasterij.

SVbstantia Monasterij in ferramentis vel vestibus seu quibuslibet rebus prouideat Abbas Fratres, de quorum vita, & moribus securus sit; & eis singula vt vtile iudicauerit consignet custodienda, atque recolligenda. Ex quibus Abbas breue teneat, vt dum sibi in ipsa assignata Fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit.

A *Si quis autem sordide aut negligenter res Monasterij tractauerit, corripiatur; si non emendauerit disciplinæ regulari subiaceat.*] Interrogatus Beatus Basilius, quomodo debent hi, qui operantur, curam gerere ferramentorũ vtensilium eorum, de quibus operãtur, respondit: Primum quidem sicut vasis Dei, vel his, quæ iam Deo consecrata sunt, vti debent. Deinde tanquam qui non possint sine ipsis deuotionis & studij sui emolumenta consequi. Item interrogatus, quod si per negligentiam pereat aliquid ex his, aut per contemptum dissipetur, respondit: Is quidem qui contemnit, velut sacrilegus iudicandus est. Et qui perdiderit per negligentiam & ipse simile crimen incurrit, pro eo, quod omnia, quæ ad vsus seruorum Dei deputata sunt, Deo sine dubio consecrata sunt. Hinc Isidorus ait: Strumentorum custodia ferramentorum ad vnum, quem pater monachorum elegerit, pertinebit, qui ea operantibus distribuat, recepta custodiat. Et licet hæc cuncta specialiter singulis maneant distributa, omnia tamen à patre monasterij ordinata ad curam Præpositi pertinebunt. Hinc quidem monachorum magister dicit: Ferramenta monasterij in vno contineantur cubiculo, & vni fratri, cuius diligentiam Abbas cognouerit, B eorum conseruandam curam committat, qui quotidie fratribus ad faciendum opera consignet ad numerum, & à suscipientibus similiter munda ipse recipiat, & reponat, breuem de omnibus tenente Abbate.

CAPVT XXXIII.

Si quid debeant Monachi proprium habere.

P*Racipue hoc vitium amputetur de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis.*] Non enim oportet monachum de his, quæ pro necessitate præsentis temporis ab Abbate suscepit, aut dare, aut commodare cuiquam, nisi ab Abbate fuerit ordinatum. Quid enim de rebus mundi alteri fratri conferat, qui suas in omnibus voluntates propter Christum in Abbatis tradidit potestatem? Hinc B. Fructuosus ait: Peculiare opus institutum est, vt nullus exerceat monachus quasi sibi propriè vindicãdum, aut cuilibet, cum voluerit, sua præsumptione distribuendum, nec quodlibet opus sine præceptione, & cum licen-
C tia Senioris suscipiendum, inchoandum, siue faciendum est; sed in omni re quidquid Abbas vel Præpositus præceperit, hoc agendum.

Neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino; quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate.] Quid enim proprium habere potest sanctus monachus, qui nec corpus suum, nec voluntatem suam in suam reseruauit potestatem, sed totum se abnegauit sibi, vt sequatur Christum? Quid de mundo potest habere proprium, cui mundus crucifixus est, & ille mundo? Qui semel mortuus est mundo nec desiderando, nec possidendo res mundi, debet iterum viuere mundo. Semel enim relicto implicare
D se non debet mundo.

Omnia vero necessaria à Patre monasterij sperare.] Monachus enim cui Dominus partem dedit, qui de omnibus illis sollicitus curam gerat necessarijs, quid sollicitus est de rebus
Matth. 6. terrenis? Domino maxime dicente: *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid induatis.* Primum enim nobis quærendum est regnum cœlorum, & postea hęc omnia non à nobismetipsis, sed à Domino per Patrem speranda sunt Monasterij. Non ergo necesse est monacho aliquid habere peculiare, cui omnia monasterij ministrantur à Patre.

Nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit.] Quod Abbas non dederit, dicit, id est, manibus, aut permiserit, subauditur, aut dari aut haberi. Hic ostendit, quod nec ab exterioribus propinquis, nec ab interioribus aliquid accipere, vel cum alio aliquo familiariter commutare; sed quod ei ab Abbate, Abbatisque iussione distribuitur, hoc libens teneat, placideque delectetur.

Act. 7. *Omniaque omnibus sint communia, vt scriptum est, nec quisquam suum esse aliquid dicat, aut præsumat.*] Hinc Ferriolus ait: Hoc tantum iudicet proprium, quicquid cum fratribus possederit indiuisum. Nam & lectio actuum Apostolorum tempore surgentis Ecclesiæ taliter fideles Christi vixisse commemorat. Nullus, inquit, ex bonis suis dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia. Item alibi: Nam si de peculiari Ananias, & Saphira fidem ab Apostolis non meruerunt percipere, qui, omnia sua cum ante pedes Apostolorum assignarent, de peculiaribus fraudulenter subtractis, iudicio subitæ mortis damnati sunt: quia fraus Deo fieri non potest, cum nihil est occultum, quod ab eo non reuelabitur. E

Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel, & iterum; si non emendauerit, correptioni subiaceat.] Hinc Cassianus ait: Et nec verbo quidem audeat dicere aliquid suum, quod magnum sit crimen ex ore monachi processisse, tunicam meam, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, & cætera his similia. Nam si huiusmodi verbum per subreptionem vel ignorantiam de ore eius effuderit, dignam pro F hoc pœnitentiam satisfaciens veniam petat in terra prostratus. Item alius monachorum magister ait: Si quid ergo peculiare, aut aliquid cum inuentum in aliquo fuerit, grandi cum Abbas, & diuturna excommunicatione condemnet, vt exemplum illius vindictæ nullus audeat hoc imitari.

CAPVT XXXIV.

Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.

S*Icut scriptum est: Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat;* G Act. 4.
vbi non dicimus, vt personarum (quod absit) acceptio sit, sed, infirmitatum consideratio. Vbi qui minus indiget agat Deo gratias, & non contristetur. Qui vero plus indiget humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia; & ita omnia membra erunt in pace.] Hinc Beatus Augustinus ait: Victus & tegumen non æqualiter omnibus distribuuntur, quia non æqualiter valetis omnes; sed potius vnicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitur in Actibus Apostolorum: *Quia erant eis omnia communia, & distribuebatur vnicuique, prout cuique opus erat.* Item alibi scriptum est: *Nihilque habere vos proprium reputetis, sed sint vobis* Act. 2. & 4.
cuncta communia. Quæ vobis ab Abbatis imperio dispensantur, non æqualiter omnibus, sed sicut ratio dispensationis, aut caussa infirmitatis exegerit, vnicuique tamen secundum quod opus fuerit tribuatur; nec feliciores iudicent quibus infirmitate præstatur, quod sanis pro obseruantiæ rigore subtrahitur. Et si eis, quos parentes delitiosius aluerunt, victus aut vestimenta largius tribuuntur, non ob hoc debet commoueri Fraternitas, quod fortioribus corpore pro constitutione regulæ denegatur, quod illis charitatis consideratione tribuitur.

Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque causa H
in aliquo qualicunque verbo vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.] Hinc Ferriolus dicit: Vt nullum in congregatione murmur seu detractio, quod familiarissimum habent monachi contra Abbatem, aut quemlibet alium de fratribus, audiatur; ne ira Dei, quæ sæpe propter hanc culpam miserabilem populum condemnabat, in perditione similiter murmurantium turbæ, excitetur, & terram repromissionis, quam nos recte accipimus locum futuræ beatitudinis, perdat murmuratio propria, quæ debetur sponsione diuina. Sic enim damnandos huius vitij sectatores Psalmus annuntiat: *Detrahentem aduersus proximum suum occulte, hunc persequebar.* Et iterum arguens Apostolus dicit: Ps. 100. Rom. 1.
Susurrones, detractores Deo odibiles. Et iterum: *Hi sunt murmuratores, querelosi, secundum desideria sua ambulantes, & os illorum loquitur superbiam.* Iuda v. 16

(***)

CAPVT

A

CAPVT XXXV.

De septimanarijs Coquinæ.

F*Ratres sic sibi inuicem seruiant, vt nullus excusetur à coquinæ officio, nisi aut ægritudine, aut in causa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit; quia exinde maior merces, & charitas acquiritur.*] Ægrotos à Coquinæ officio ipsa excusat corporis ægritudo. Charitatis enim & fraternitatis dilectione tolerandi sunt, non ad opera compellendi ægroti. Quod autem dicit; grauis vtilitatis; magnæ vel grandis intelligitur vtilitatis. Graue enim sæpè pro grandi, magno vel perfecto

Psal.34. intelligitur positum, sicut psalmista ait: *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te.* Quod autem dicit: quia exinde maior merces, & charitas acquiritur: intelligitur, quod apud Deum maior merces acquiritur, & charitas apud Deum & homines augetur. Qui enim in

B omnibus æquo animo cibaria præparat, ab omnibus charitatis gratiam, & pro omnibus mercedem accipiet sempi-

Eccl.8. ternam. Scriptum est enim: *Quia qui plus laborat, plus mercedis accipiet.*

Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci.] Imbecilles autem, fragiles, delicatos vel debiles dicit. Imbecillis, quasi sine baculi consolatione intelligitur esse. Quod autem dicit; secundum modum congregationis: secundum numeri modum, & quantitatem intelligitur monachorum. Secundum multitudinem enim congregationis & ministrorum, numerus aut minor aut amplior deputetur. Quod autem dicit: aut positionem loci: intelligitur ædificatio, vel cõstructio monasterij. Constructio enim monasterij si congruo ponitur loco, vbi secundum huius regulæ capitulum omnia in claustro contineat necessaria, minus coquus aliorum indiget adiutorio. Si verò in arcto loco & angusto vel arido ponitur situ, vbi nec aquam sine labore, nec hortum habere possit sine penuria plus coquis administrari debent solatia.

C *Si maior congregatio fuerit, Cellerarius excusetur à Coquina; vel si qui, vt diximus, maioribus vtilitatibus occupantur. Cæteri verò sibi sub charitate inuicem seruiant.*] Charitatis enim officio omnes omnibus seruiant, & ab inuicem seruitium recipientes seruitium reddant supportantes inuicem, & laboris sui vnusquisque à Domino dignam expectantes mercedem.

Egressurus de septimana, sabbato munditias faciat. Linteamina cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt, lauet. Pedes verò tam ipse, qui egreditur, quam ille qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerij sui munda & sana Cellerario reconsignent. Qui Cellerarius item intranti consignet, vt sciat quid dat, aut quid recipit.] Hinc Cassianus ait: Acto autem Dominico ingredientes secunda feria alijs iterum succedentibus hi, qui egrediuntur vtensilia, in quibus ministrauerint, ac vasa consignent. Quæ tanta sollicitudine, curaque custodiant, ne aliquid ex eis minuatur, aut pereat; aut credant se etiam pro minimis quibusque vasculis tanquam pro sanctis & magnis rebus ra-

D tionem non solum homini, sed etiam Domino reddituros, si fortè aliquid ex his negligenter fuerit factum aut perditum. Ita enim Septimanarius obsequium suum fideliter peragat, nec vnum quidem granum leguminis negligenter perire de suis manibus patiatur. Quia omnia, quæ in monasterio fuerint semel ingressa, tanquam sacrosancta, & quasi iam Domino consecrata cum summa reuerentia patres nostri tractare iusserunt. Ipsi Hebdomodarij omne seruitium, & omnem diligentiam, & munditias monasterij exerceant, aquam manibus ipsi ministrent, pedes lauent, mappas & sabanas, & facitergia ipsi lauent.

Septimanarij autem, ante vnam horam refectionis, accipiant super statutum annonam, singulos biberes, & panem, vt hora refectionis sine murmuratione, & graui labore seruiant fratribus suis.] Quod autem dicit: ante vnam refectionis horam, subintelligitur in illa vna hora, antequam fratres reficiant, in ipsa accipiant superstatutam annonam, id est, super suam mensuram, tam cibariam, quæ illis communiter & regulariter statuta est, accipiant singulos biberes super mensuram suam, & modicum panis super libram suam, ne grauati seruitio grauentur & ieiunio. In diebus tamen solennibus, vsque ad Missas sustineant. Quod autem dicit: vsque ad Missas sustineant: intelligitur vsque ad Missam principalem, quæ omnibus solenniter canitur. Nam sunt plerique monachorum ministeriales, qui mane audiunt Missam, & comedunt, & pergunt, quo volunt, & dicunt se Missam audisse, & ita comedisse. Quod vitium prouidens, prohibensque B. Benedictus dixit;

In diebus autem solennibus vsque ad Missas sustineant. Intrantes & exeuntes hebdomadarij, in oratorio mox Matutinis finitis Dominica, omnium genibus prouoluantur, postulantes pro se orari.] Hanc ab eis benedictionem, & retributionis mercedem pro labore totius septimanæ fideliter expetentes, vt complentes eos Christi mandatum generalis ab omnibus fratribus emissa prosequatur oratio, quæ & eorum consummata obsequia, velut pium sacrificium, Deo commendent; & quicquid per ignorantiam, aut per humanam fragilitatem peccauerint, simpliciter intercedant.

Egrediens autem septimana dicat hunc versum. Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me. Quo dicto tertiò, recipiat benedictionem egrediens. Subsequatur ingrediens, & dicat. Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus, Et accepta benedictione, ingrediatur.] Hanc egrediens à sacerdote accipiat benedictionem: Deus qui dixisti, venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, hos famulos tuos laborum suorum præmio refice sempiterno: Per Dominum &c. Et hanc ingrediens accipiat benedictionem: Adiuua quæso Domine hos famulos tuos in obsequio laborantes fraterno, & sine murmuratione illis perseuerantiam, & proprij laboris mercedem concede perpetuam. Per Dominum &c. Egrediens autem hebdomadarius ritè Domino dicit: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me; quia ipse Dominus adiuuat hominem in labore, & ipse laboranti præmiũ promittit cõsolationis. Ingrediens autem rectè Domino dicit: Deus in adiutoriũ meum intende: quia in laboris ingreditur officium, vbi Domini necessarium habet adiutorium, illius videlicet, qui pro se laborare volentibus dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Quod autem dicit, accepta benedictione ingrediatur, siue ab omnibus fratribus oratione præmissa, siue à sacerdote intelligitur petitione collecta.

CAPVT XXXVI.

De infirmis Fratribus.

I*Nfirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est; vt sicut reuera Christo, ita eis seruiatur; quia ipse dixit, Infirmus fui, & visitastis me. Et quod fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis.*] Hinc interrogatus B. Basilius, quali effectu debemus infirmis fratribus ministrare, respondit: Sicut ipsi Domino offerentes obsequia, qui dixit: *Quia cum fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Hinc alius monachorum Pater ait: Horum cura, qui infirmitatibus detinentur, qualis esse debet, pietas auctoris declarat, cum dicit: *Quæcunque vultis vt vobis faciant homines, & vos facite illis similiter.* Licet hoc in omnibus sit agendum, præcipuè tamen in infirmantium cura hæc præceptio est exhibenda; quia Dominus dixit: *Infirmus fui, & venistis ad me.* Ita ergo cura infirmis quærenda est, ac si præsente Christo ministrari putetur. Reuera etenim, quicunque pro Christo infirmis curam impendit, Christo in infirmis ministrat.

Sed & ipsi infirmi considerent, in honorem Dei sibi seruiri, & non superfluitate sua contristent fratres suos seruientes sibi.] Hinc beatus Basilius ait: Expedit ad conseruandum affectum obsequij nostri, vt hi infirmi, qui obsequia à nobis suscipiunt, tales sint, quibus meritò deferri obsequium debeat, & non tales, qui carni indulgeant

A & ventri, sed potius in amore Dei, & Christi eius probabiles inueniantur, & per patientiam suam, ac vitæ meritum, fratrum mereantur obsequia, vt habeantur ad gloriam Christi, & opprobrium diaboli, sicut fuit sanctus Iob.

Qui tamen patienter portandi sunt; quia de talibus copiosior merces acquiritur.] Hinc beatus Isidorus ait: Qui enim sani sunt, infirmos tolerare debent. Qui autem infirmi sunt, sanos & laborantes anteponendos sibi non dubitent. Qui sani sunt corpore, sani esse debent & mente. Et ideo conuenit sanis infirmos portare magis, quam ab infirmis portari. Necesse est enim, vt patienter portemus infirmos, vt iterum infirmi patienter portemur à sanis. Tempore enim infirmitatis eorum copiosam mercedē seruiendo conquiramus ab illis, vt & illi tempore infirmitatis nostræ copiosam mercedem seruiendo conquirant de nobis. Hinc Apostolus ait: *Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

> Galat. 6.

Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata, & seruitor timens Deum, & diligens ac sollicitus.] Sit ergo Abbatis cura, vt separatim cellam habeant cum omnibus B opportunitatibus, vt nullum exteriorem laborem sentiant, qui in infirma carne pœnam portant. Infirmantibus quoque, vel aliqua necessitate laborantibus satis fidelibus & strenua debet persona præponi, quæ & ægrotis cum pietate seruiat, & monasterialem disciplinam regulariter custodiat, & quæ conuenit infirmis, rationabiliter expendat, qui & pulmenta strenuè præparet, & deuoto eius ministerio obsecundet, & de his, quæ illis residua sunt, neque fraudem faciat, neque occultè comestione se illicita polluat. Tanta enim misericordia foueantur infirmi, vt nec propinquorum affectus, nec vrbium delicias requirāt, sed quod necesse habuerint, cellerarius & præpositus prouideant. Ipsi verò infirmi tanta sollicitudine admoneantur, vt de ore eorū nec quantulumcunque, vel leuis sermo murmurantis procedat; sed in sua infirmitate cum mentis hilaritate, & vera cordis compunctione semper Deo gratias agant, quos absque concessione maioris nullus audeat visitare, nec propinquos, aut germanos sine imperio præ- C positi ministrādi habebunt potestatē. Id etiā pro custodiēda fama specialiter studuimus, vt nullus monachus in infirmitate positus, relicto monasterio, parentum suorum studio commendetur; quia magis eum secularium spectaculorum visu, auditu pollui censemus, quam ab ægritudine posse purgari.

Balneorum vsus infirmis quoties expedit offeratur. Sanis autem, & maximè iuuenibus, tardius concedatur. Hinc S. Isidorus ait: Lauacra nulli monacho adeunda studio lauandi corporis, nisi tantum pro necessitate languoris. Nec differendum est propter medelam, si expedit, nec murmurandum est, quia non fit pro appetitu voluptatis, sed pro remedio tantum salutis. Pro cura medendi balneorum vsus summo adhibeatur studio. Sanis verò, præcipuè iuuenculis tardius cōcedatur. Hinc B. Augustinus ait: Lauacrum infirmis, si necessitas cogit, minimè denegetur: sed etiamsi nolit iubente præposito, fiat pro salute. Si autem ipse velit, & fortè non D expedit, suæ cupiditati non obediatur.

Sed & carnium esus infirmis, omninoq; debilibus pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant.] Hinc iterum ipse Augustinus ait: Sanè quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne grauentur, ita post ita ægritudine sic tractandi sunt, vt citius recreentur. Sed cum vires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent. Nec ibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas ligauerat infirmos. Illos æstiment ditiores, qui in sufferenda parcitate fuerint fortiores. Melius est enim minus egere, quam plus habere. Diligenti enim curiositate debet Abbas agnoscere, vel probare, ne quis se fingat propter refectionis edacitatem infirmum. Nam qui se dixerit esse ægrotum, & ad opus Dei non surrexerit, & continuò iacuerit, ad culpam non vocetur, sed in refectione solummodo succos, vel oua, aut calidam aquam accipiat, vt, si se fingit, vel E fame compellatur leuari. Qui autem ad laborem proclamat se non posse, item ad manducandum iudicetur non posse, quia vtrumque non posse iustitiæ conuenit. Si verò ad laborandum non possumus, dicimus, & ad manducandum non possumus dicamus. O iniustitiæ nephas! caput torquetur doloribus propter laborem, & venter non torquetur propter cibi distensionem?

Curam autem maximam habeat Abbas, ne à Cellerarijs, aut seruitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quicquid à discipulis delinquitur.] Hinc quidam monachorum magister ait: Abbas talem curam de infirmis habeat, qualem se recipere à Domino sperat, vt nec à Cellerario aliquam negligentiam infirmi sentiant. Ad Abbatem enim respicit, vt emendetur, quicquid à discipulis delinquitur. Quod si ab illo non emendatur, à culpæ negligentia Abbas non liberatur.

CAPVT XXXVII.

De Senibus, vel Infantibus.

F *Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, Senum videlicet & infantum, tamen & Regulæ authoritas eis prospiciat.*] Hic, licet, pro quamuis ponitur. Ac si dicat: Quamuis ipsa naturaliter humana natura pietatis viscera plena, hominem ad misericordiam pertrahat, aut Senibus misereatur, & infantibus; tamen & regulæ authoritas eis prospiciat. Quomodo autem prospiciat, sequentia audi;

Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis; sed sit in eis pia consideratio, & præueniant horas Canonicas.] Hinc B. Isidorus ait: Hi autem qui vetustate corporis consumpti, aut teneræ ætatis fragilitate detenti sunt, quotidianis exercendi ieiunijs, ne aut senescens ætas, antequam moriatur deficiat, aut crescens prius, quam proficiat, cadat, & ante intereat, quam bonum facere discat. Hinc quidam & alius monachorum magister ait: Infantuli Quarta, Sexta, & Sabbato, in diebus tamen minoribus, hoc est, in hyemis tempore, ieiunent. Alijs verò diebus ad sextam reficiant ho- G ram. In æstatis verò diebus Quarta, Sexta, & Sabbato infantuli sexta hora reficiāt; alijs verò diebus tertia recreentur; quia in maioribus diebus minor est ætas in viribus, sicut & sustinendi sensu discreta. Sed infantes ad hanc relaxationem tales permittimus, qui intra duodecim annos degunt ætate, amplioti verò qui fuerit ad formam teneatur maiorum. Nam iusto iudicio infantuli, & senio prouecti, & infirmi æquali debent refectionum iudicio relaxari. Præueniant horas Canonicas. Canonicas horas dicit, regulares. Canon enim regula interpretatur. Canonicæ horæ, quas præuenire, id est, anticipare rogat in cibo & potu senes & paruulos, sextæ & nonæ sunt horæ. Præueniant, dicit, horas Canonicas, id est, si fratres sexta comedunt, illi tertia hora reficiant. Si fratres nona, illi sexta cibum accipiant. Eos verò senes, quos quietos, simplices, humiles, obedientes, & in oratione frequenter assistentes, & Christum in ore semper habentes, & sua peccata plorantes, & non suo, sed maiorum arbitrio pendentes, & propinquitatis affectum perfectè deserentes, & dilectionem Dei & proximi tota mente tenen- H tes, & die noctuque in lege Domini meditantes cognoscimus, pia miseratione sicut infantulos foueri, & sicut patres honorare mandamus.

CAPVT XXXVIII.

De hebdomadario lectore.

Mensis Fratrum edentium lectio deesse non debet.] Ideo lectio comedentibus minus esse non debet, vt lectioni sacræ intendentes secundum Apostolum cum silentio panem suum comedant Fratres. Oportet enim, vt sicut corporali cibo reficitur corpus, ita spiritali reficiatur animus. Sedentes ergo ad mensam taceant. Et lectio quotidie, & omni tempore, dum cibus sumitur, legatur, vt

A vterque homo & exterior cibo, & interior verbi Dei reficiatur, quia scriptum est: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.*

Deut. 8. Matth. 4.

Nec fortuito casu qui arripuerit codicem, legere ibi.] Subauditur debet, vel audeat. Fortuito casu dicit, subitò vel improuiso. Diligenter enim debet lectio prouideri, quæ ædificatione tantis debet hominibus legi, ne improuisa lectio audientibus non vitale pabulum præstet, sed nociuum magis murmurium generet. Sic enim debet esse sacra lectio lecta, vt sicut cibus edentium corpora, ita & illa audientium repleat corda.

Sed lecturus tota hebdomada Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post Missas & Communionem, petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab eo Deus spiritum elationis.] Rationabiliter enim primo omnium dierum debet lector ingredi ad legendum, & sic hebdomada tota lectionis opus perficere cœptum. Quod opus non est incipiendum ab illo, nisi præmissa oratione, tam sua, quam fratrum. In omnibus enim, quæ monachi debent agere, oratio fratrum assiduè debet præcedere. Oratio enim bonorum monachorum citò penetrat cœlum. Signum est ergo, vt lector

B petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab ipso Deus spiritum elationis, quia de superbia nascitur elationis arrogantia, & nisi præcesserit occulta elatio mentis, non sequitur aperta iactantia laudis.

Et dicatur hic versus in Oratorio tertiò ab omnibus, ipso tamen incipiente: Domine labia mea aperies; & os meum annunciabit laudem tuam. Et sic accepta benedictione ingrediatur ad legendum.] Ab illo enim quærenda est labiorum apertio, à quo primum facta est linguarum omnium distributio. Ab ipso enim, qui disertas fecit esse linguas infantium, & labiorum apertio, & cordis quærenda est illustratio, vt os lectoris illi annunciet laudis officium, à quo se misericorditer esse cognoscit apertum. Quod autem dicit: & sic accepta benedictione ingrediatur ad legendum: subintelligitur à fratribus oratione accepta à sacerdote benedictionis collecta, hoc modo si placet lectori à sacerdote ante altare detur Missa peracta, dicaturque: Auerte quæsumus Domine ab hoc famulo tuo spiritum elationis, vt humiliter legens sensum & intellectum capiat lectionis, Per

C Christum &c.

Summumque fiat silentium ad mensam, vt nullius mussitatio, vel vox, nisi solius legentis ibi audiatur.] Inter silentium tantum, & summum silentium distantia est, vt nulla vox, nullaque mussitatio sonet. Silentium tantum est, vbi loquuntur, sed leniter, & cum silentio. Vnde in Euange-

Ioan. 11. lio Martha vocauit Mariam silentio, dicens: *Magister adest, & vocat te.* De hoc silentio dicit regula. Omni tempore silentio studeant monachi. De illo ad mensam, & in nocte summum silentium fiat.

Quæ verò necessaria sunt comedentibus, & bibentibus, sic sibi inuicem ministrent Fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscunque signi potius petatur, quam voce.] Hinc beatus Fructuosus ait: Si quid deest in mensa, is qui præest signo dato, vel nutibus silentis petat, & indicet ministranti, quid inferri, vel quid auferri sit à mensa necesse. Item alibi: Si aliquid necessariū fuerit in mensa, nemo audeat loqui, sed ministrantibus si-

D gnum sonitu det.

Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quicquam requirere, nè detur occasio.] Subintelligitur, ne detur occasio vel maligno diabolo ad tentandum, vel fratribus ad superflua loquendum, sicut B. Cassianus ait: Reficientibus, inquit, fratribus sanctæ lectiones legantur propter superfluas, & otiosas fabulas, & maximè contentiones, quę frequenter solent ad mensam edentium generari.

Nisi fortè Prior voluerit pro ædificatione aliquid breuiter dicere.] Hinc quidam monachorum magister ait: Ad mensam nullus penitus præter Abbatem, vel cui ipse præceperit, pro communi necessitate loqui præsumat. Sed omnes intento animo gratias reddentes Creatori in cordibus suis, cibi ac potus solitæ mensuræ largitione fruantur. Et quantum alius reficiat nullus inuicem vagantibus oculis curiosius notet, sed vnusquisque ante se aspiciat.

E *Frater autem lector hebdomadarius accipiat mixtum priusquam incipiat legere, propter communionem sanctam, & ne fortè graue sit ei ieiunium sustinere. Postea autem cum Coquinæ hebdomadarijs, & seruitoribus reficiat.*] Quod dicit: accipiat mixtum: panem, intelligitur simul & vinum. In multis enim prouincijs panis tantum, & vinum, quod super altare offertur, mixtum vocatur. Propter communionem sanctam dicit, ne aliquid inde sumptum excreans proijciat in sputo.

Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui ædificant audientes.] Hinc iterum monachorū magister ait: Legat namque dispositè lector non vrgendo, vt apertius occupati ea auditores agnoscant, quæ eos factis oporteat adimplere. Et si qua sunt ambigua, aut obscura, apertius lecta facilius intelligantur.

CAPVT XXXIX.

De mensura ciborum.

F SVfficere credimus ad refectionem quotidianam tam sextæ, quam nonæ omnibus mensibus cocta duo pulmentaria propter diuersorum infirmitates; vt fortè, qui ex vno non poterit, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta Fratribus sufficiant, & si fuerint inde poma, aut nascentia leguminum, addatur & tertium.*] Hinc Isidorus ait: In vtrisque temporibus refectio mensæ tribus erit pulmentis, olerum scilicet, & leguminum, & si quid tertium fuit pomorum. Hinc & quidam monachorum magister ait: Sufficere namque credimus ad refectionem quotidianam, tam sextæ, quam nonæ, omnibus mensibus cocta duo pulmentaria, & tertium quodcunque fuerit crudum de pomis. Festiuis verò diebus, pro reuerentia sacræ solennitatis pluribus cibis, id est, ternis vel quaternis ferculis sunt corpora reficienda; sic tamen, vt si plura sunt cibaria minori sint minora, vt corpora necessario cibo reficiantur, non nimia saturitate damnentur. Quando in mensa cibus administratur, nullus prius cibum comedat, quam signum ad benedicendum insonet. Et cum signum audierint, vna voce benedictionem rogent. Quorum vocem Abbas subsequitur, dicens: Dominus dignetur benedicere. Illud præcipuè decernimus, vt nullus

G alteri dare ex mensura sua, vel accipere ab altero præsumat, præter Abbatem, vel Præpositum, cui ab Abbate commissum est.

Panis libra vna propensa sufficiat in die, siue vna sit refectio, siue prandij, & cœnæ. Quod si cœnaturi sunt, de eadem libra tertia pars à Cellario reseruetur reddenda cœnaturis.] Hinc item idem supradictus magister ait: Medius panis pensans libram, singulis fratribus in die sufficiat, secundum formam diuinæ dispensationis. Cum medium panis cœlestis coruus Paulo seruo Dei quotidiè vescendum parauerat. Quando ergo ad sextam horam tempore æstiuo, vel alijs temporibus reficiunt, tertia ipsius quadra dominici panis, à Cellerario per omnium annonas in cellario subtracto, serò ante illum crudum pulmentarium inferendum mensis ponantur. Quod autem dicit: panis libra vna propensa: ante pensata vel librata intelligitur. Nam & supradictum pulmentum à pulte nomen eius est deriuatum. Siue enim sola pul-

H tis, siue aliud quid eiusdem permixtionis ordine componitur, & sumitur, pulmentum propriè dicitur. Leguminum autem nascentia, eorundem leguminum intelliguntur gramina, quæ cum aceto, vel alijs fructibus composita ad comedendum sunt apta.

Quod si labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere.] Hinc Basilius ait: Hi, qui præsunt obseruabunt regulam illam, quæ dicit: Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat. Debet ergo vnumquemque præuenire, vt secundum laborem etiam solatia refectionis inueniat. Quantum enim spectat ad vitia, penitus abstinendum est; quantum autem ad cibos, prout vsus deposcit vel ætas, vel labor, vel robur corporis, vel incommoditas eius; ita etiam modus & qualitas temperabitur cibi.

Remota

A *Remota pre omnibus crapula; vt nunquam subrepat monacho indigeries; quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula sicut ait Dominus noster: Videte ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.*] Crapula dicitur immoderata voracitas. Crapula enim dicta, quasi cruda epula, cuius cruditate cor grauatur, & stomachus indigestus efficitur. Vnde & sequitur: Et vt nunquam subripiat monacho indigeries, id est, indeductio ventris. De crapula enim Dominus ait: *Videte ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate*, & cæt. Repleri enim ventrem, & grauari ex cibis valdè inutile est monacho, & ad omne opus bonum contrarium, quia qui nimium cibis vtitur, quanto magis ventrem pascit, tanto amplius sensum mentis obtundit.

Luc. 21. Luc. 21.

Pueris verò minori ætate non eadem seruetur quantitas, sed minor, quam maioribus, seruata in omnibus parcitate.] Hinc magister ait: Maioribus verò duodecim annis minus à libra panis in die sufficiat. Quantitas enim dicitur modicitas, vel granditas. Dicta autem à mensura, quæ est, quantum sit. Per eam enim vel plus, vel minus ostenditur. Parcitas enim temperantia est, quæ à parcendo nomen accepit.

B *Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abstineatur comestio, præter omninò debiles, & ægrotos.*] Hinc Aurelius dicit: Carnes in cibo nunquam sumantur. Pulli vero vel altilia cuncta in congregatione ministrentur. Infirmis verò tantum prouideatur, & accipere liceat. Hinc Fructuosus dicit: Carnem cuiquam nec sumendi, nec gustandi est concessa licentia, non quod creaturam Dei iudicemus indignam, sed quod carnis abstinentia vtilis & apta monachis æstimetur: seruatur tamen moderamen pietatis erga ægrotorum necessitudines, vel longè proficiscentium; qualiter vt & volatilium esibus infirmi sustententur, & longinquo itinere destinati, si aut à Principe, vel Episcopo sperantur pro benedictione & obedientia degustare non metuant, seruantes apud se de reliquo continentiam consuetam. Quod si quis monachus violauerit, & contra sanctionem regulæ, vsumque veterum vesci carnibus præsumpserit, sex mensium spatio retrusioni & pœnitentiæ subiacebit. Quod autem C dicit: debiles, ægrotos: non duas vt plerique putant, sed vnam tantum significat esse personam. Ergo debilis ægrotus dicitur, qui longa vel dura ægritudine pressus est, ad debilitatem perductus, cui reparationis causa victus est carneus adhibendus.

CAPVT XL.

De mensura potus.

1. Cor. 7. *VNusquisque proprium habet donum ex Deo; alius sic, alius verò sic.*] Quod autem dicit: alius sic, alius verò sic: intelligitur, quod alius ex Deo habet abstinentiæ donum amplius, alius verò minus. Et ideo cum magna cautela eorum cibus est temperandus, vel potus; ne, dum ille, qui minus indiget, temperatur, ille, qui plus indiget, inopiæ penuriam patiatur. Propterea sequitur;

D *Et ideo cum aliqua scrupulositate à nobis mensura victus aliorum constituitur.*] Scrupulositas dicitur mœstitia, & anxietas, sollicitudo, vel molestia animi.

Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam Vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant.] Hic infirmorum imbecillitatem non pro corporis ægritudine, sed pro animi dicit impossibilitate. Non enim abstinentiam exterius corpus valet implere, nisi ei interius animus abstinentiæ consenserit. Sunt enim multi, qui abstinere poterant propter concessam salutem, sed non valent propter animi imbecillitatem. Hemina enim vini appendit libram vnam, quæ geminata sextarium facit.

Quod si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis, amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consistat, considerans in omnibus, ne subrepat satietas, aut ebrietas.] Hinc Ferriolus ait: De ebrietate verò superfluo puto monachum E commoneri, cum vel, si parum vini accipiat, à præposita corporis contritione declinat. Et ideo monachum si ebrium, quod dici nefas est, videri aliquando contigerit, zelans illi plenus ira præcipio, vt triginta diebus à vini portione suspendatur, quatenus omnia infusione, concessa digestione, hoc spatio vacuentur.

Licet legamus, Vinum omninò monachorum non esse.] Vbi hoc scriptum B. Benedictus legerit, audi. Ait enim quidam antiquus patrum: Caro, & vinum, siue potus, in quo sit ebrietas, refutanda sunt à monachis, nec suscipienda, quibus pro Christo crucifixus est mundus, & ipsi mundo, & ferias monacho non esse super terram, nisi modicum in aduentu fratrum tanquam Christi lætior fuerit cibus gratia charitatis.

Sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, vt non vsque ad satietatem bibamus, sed parcius: quia vinum apostatare facit etiam Sapientes.] Apostatare dicitur à via iustitiæ recedere, à fide transgredi, retroire, vel à bono præuaricari. Verum quomodo vinum sapientes faciat apostatare, diligenter attende. Noë enim sapiens, sanctus, & antiquissimus vir, quem tantæ moles aquarum non vicerant, à modico vino deiectus est, & ab ebrietate dormiens nudatus. Patriarcham verò Loth vinum apostatare fecit, quando contra naturam in filiabus suis impudenter commiscuit. Si ergo sanctis & magnificis viris vini ebrietas non pepercit, quanto magis exiguum, atque infirmum monachum superabit?

Eccl. 19. F

Vbi autem loci necessitas exposcit, vt nec suprascripta mensura inueniri possit, sed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent.] Quia enim Apostolus infirmo Timotheo scribit dicens: *Modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*, quantum monachis secundum vires monasterij per singulos dies iussu vel dispensatione Abbatis vini offertorium accipiant, & amplius penitus non requirant.

1. Tim. 5.

G *Hoc ante omnia admonentes, vt absque murmurationibus sint.*] Decet enim monachos sine murmuratione esse, ne pereant murmurando, sicut & illi perierunt, qui in deserto murmurauerunt, & perdito filiorum nomine, aliud secundum Apostolum accipiant nomen, id est, murmuratores, querelosi, Deo odibiles.

CAPVT XLI.

Quibus horis oporteat reficere Fratres.

A Sancto Pascha vsque ad Pentecosten, ad sextam reficiant Fratres, & ad seram cœnent.] Hinc beatus Isidorus ait: Hæ sunt feriæ monachorum, in quibus ieiunia conquiescunt. In primis venerabilis dies Dominicus nomini CHRISTI dicatus, qui sicut propter mysterium resurrectionis eius solennis est, ita & apud omnes seruos eius, celebritate conuiuij votiuo gaudio retinebit. Item à prima die Paschæ vsque ad Pentecosten, ita scilicet continuis diebus ieiunium à sanctis Patribus dissolutum est, propter resurrectionem videlicet CHRISTI, & aduentum Spiritus sancti, vt hi H dies non in figura laboris, quod Quadragesimæ tempus significat, sed in quiete lætitiæ, laxatis ieiunijs celebrentur. Hinc Cassianus ait: à vespere Sabbati, quæ lucescit in die Dominico vsque ad vesperam ipsius Dominicæ, & totis Quinquagesimæ diebus nec genua curuari, nec ieiuniorum regulam custodiri Patrum constituta sanxerunt. Quod dixerit: sera cœnent: pro tardè, posuit sera: sicut vespera dicitur pro vespere. Cœna vocatur à communione vescentium. Cœnon quippe commune dicunt Græci. Vnde & cœnaculum à communitate vescentium, & cœnobium à communitate vocatur viuentium.

A Pentecoste autem tota æstate (si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æstatis non perturbat) quarta & sexta feria

A
ieiunent vsque ad Nonam. Hinc iterum Isidorus ait: Secundum ieiunium interdianum post Pentecosten alia die inchoatum vsque ad æquinoctium autumnale protenditur, trinis scilicet diebus per singulas hebdomadas propter æstiuum solis ardorem. Hinc Fructuosus ait: A Pascha vsque ad Pentecosten reficiendum est ad sextam. A Pentecoste vsque 18. Kalend. Octobris interdiana ieiunia retinenda sunt.

Reliquis diebus ad sextam prandeant. Quæ prandij sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit, continuanda erit: & in Abbatis sit prouidentia.] Prandium autem ab apparatu refectionis est dictum. Prandij enim sexta dicit esse continuanda, id est, iugiter & quotidiè peragenda. Propter fatigationem enim operis, & feruorem caloris iugiter soluenda sunt ieiunia tempore æstatis. Continuare enim dicit, quotidie agere, congeminare, vel sine intermissione facere.

Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter & animæ saluentur, & quod faciunt fratres absque vlla murmuratione faciant.]
B
Omnis sagacitas, curaque pastoris ad hoc debet quotidiè rendere, vt ouium suarum animæ saluentur, & virtutibus sacris, pascuisque saginentur æternis. Et quod faciunt oues, absque iusta murmuratione faciant. Iusta enim murmuratio illa dicitur, quam non voluntariè, aut sine causa, sed inuiti, & coacti monachi faciunt; alterius enim malo cōmota surgit alterius murmuratio iusta. Iusta enim murmuratio monachorum ab iniusta oppressione solet consurgere magistrorum, sicut B. Gregorius dicit: Terra etenim contra possessorem clamat, quando contra pastorem suum iniustè Ecclesia murmurat.

Ab Idibus autem Septembris vsque ad caput Quadragesimæ, ad Nonam semper reficiant fratres.] Quæstio oritur, quomodo hic ab Idibus Septembris ieiunandum quotidiè dicat, cum in capitulo quadragesimo octauo dicturus sit, Ad Pascha vsque ad Kalend. Octobris post sextam surgentes à mensa pausent. Quæ ita soluitur: Si habuerint opera in agris, vel vindemiam in vineis, vbi per se occupentur, vsque ad Kalend. Octobris ad sextam reficiant. Sin autem
C
non habuerint ab Idibus Septembris, generale ieiunium inchoetur.

In Quadragesima verò vsque ad Pascha ad vesperam reficiant.] Hinc iterum Isidorus ait: Primum ieiunium Quadragesimæ quotidianum, in qua maior abstinentiæ obseruantia manebit in monachis, quando non solum à prandijs, sed etiam à vino & ab oleo abstinetur. Quod vesperi monachi reficiant, ipsius Domini vtuntur exemplo, qui non prandisse, sed cœnasse legitur, cum dicit scriptura: *Vespere autem facto recubuit Iesus cum duodecim Apostolis, & cœnantibus illis dixit.* Nam ideo ad nonam horam vniuersis diebus constituta sunt solui ieiunia, vt sit aliquid prolixius quod quadraginta diebus addatur, id est, vsque ad vesperam.

Matt. 26.

Ipsa tamen Vespera sic agatur, vt lumine lucernæ nō indigeant reficientes; sed luce adhuc diei omnia consummentur. Sed & omni tempore, siue cœna, siue refectionis hora sic temperetur, vt cum luce fiant omnia.] Ideo luce diei consummanda, perficienda & peragenda sunt omnia, vt nec lumine indigeatur lucernæ, & horis competentibus omnia proinde peragantur & temperatè, & vt citius & alacrius in noctibus consurgentes impleatur ab illis, quod Propheta hortatur dicens: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino.* Quod autem dicit, siue cœnæ: subauditur, sic intelligitur, tamen cœna, quæ post prandium fit, quando duabus vicibus reficiunt fratres. Refectionis autem hora hic intelligitur, quando ieiunio peracto vna tantum vice in vespere reficiuntur.
D

Psal. 133.

(***)

E

CAPVT XLII.

Vt post Completorium nemo loquatur.

O*Mni tempore, silentio debent studere Monachi, maximè tamen nocturnis horis.*] Hinc & alibi legitur: Regulā silentij omni tempore seruandam, sanctarum scripturarum series declarat, dum per Prophetam dicit: *Cultus iustitiæ silentium.* Esai. 32.
Et illud: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* Psal. 140
Ergo factis Cōpletorijs mox inter fratres ingrediatur silentium, & sic se suis collocent lectis, vt nemo alteri loquatur. Ideo enim post completorium tacere debemus, vt meritò in nocturnis primò dicamus: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Hoc est, petamus Deum in nocturnis aperire labia nostra, quæ sua custodia in Completorijs clauserat.

Et ideo omni tempore, siue ieiunij, siue prandij; si tempus fuerit prandij, mox vt surrexerint à cœna, sedeant omnes in vnum, & legat vnus collationes, vel Vitas Patrum, aut certè aliquid, quod ædificet audientes. Non autem Heptateuchum, aut Regum, quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc Scripturam audire; alijs verò horis legantur.] Quod autem dicit: aut certè aliquid, quod ædificet audientes: de homilijs intelligitur dixisse Patrum, in quibus ędificationes pleniter scriptæ sunt audientiū. Vel certè de expositionibus librorum Catholicorum, quæ ab orthodoxis factæ sunt viris, in quibus sancta sufficienter sanctis doctrina redundat monachis. Cum verò dicit: non autem heptateuchum, aut Regum: diligenter attendendū est, quod sequitur. Quia infirmis, inquit, intellectibus non erit vtile illa hora hanc scripturam audire. Sinceris autem, sanis & acutis intellectibus nullo tempore vetatur heptaticum, aut Regum, vel quamcunque historiam diuinarū legere scripturarum, quia possunt in eis figuras, & sensus dignoscere, exemplū salutis ab illis legendo recipere. Illis verò, qui nequeunt ab illis spiritalē capere intelligentiā, Heptaticū, aut Regum in illa hora iustè prohibet legendū. Debet enim tunc vnusquisque diuino ædificatus sermone, & ad Completorij officium, & ad suum ædificatus pergere locum. Cæterum alijs horis, aut coram omnibus tempore suo in Ecclesia, aut vnusquisque perlegendi doctrina debet eos legere in schola.

F

G

Si autem ieiunij dies fuerint, dicta Vespera paruo interuallo mox accedant ad Lectionem Collationum, vt diximus, & lectis quatuor, aut quinque folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum concurrentibus, per hanc moram lectionis, Si quis forte in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat.] Collatio dicitur Confessio, collocutio, vel confabulatio, vbi de scripturis diuinis alijs conferentibus interrogationes conferunt alij cōgruas responsiones, & si quæ diu latuerant occulta cōferentibus patefiunt perspicua. Quod autē dicit: si quis fortè in assignato: subauditur obedientiæ officio sibi cōmisso, fuerit occupatus, subintelligitur omnibus in vnum concurrentibus occurrat. Commissum enim dicitur creditum, vel commendatum. Vnde & sequitur;

Omnes ergo in vnum positi, compleant.] Non hic excipit Abbatem, non Præpositum, non Decanos, qui aliquoties alijs cantantibus in Ecclesia, potibus aut fabulis aut consilijs vacant, in hac hora, sed omnes omnino in hac Collationis hora occurrere, omnes in vnum Completorium iubet cantare.

H

Et exeuntes à Completorio nulla sit licentia denuò cuiquam loqui aliquid. Quod si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ subiaceat: Excepto si necessitas Hospitum superuenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid iusserit. Quod tamen & ipsum cum summa grauitate, & moderatione honestissimè fiat.] Hinc & alibi scriptum legimus: Ab hora verò completionis, cum oratio ad somnum capiendum datur, nullus omnino loqui præsumat, nisi grandis necessitas monasterij poposcerit. Cui ab Abbate fuerit ordinatum loqui studeat, vel etiam à Præposito, qui curam aliorum portat.

CAPVT XLIII.

De his, qui ad opus Dei, vel ad mensam tardè occurrunt.

AD horam diuini officij mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus qualibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur; cum grauitate tamen, vt non scurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur.] Hinc quidam monachorum magister ait: Quandocunque vel diurnis, vel nocturnis horis ad opus diuinū signum resonuerit, mox cum summa festinatione surgendum est, ac si præco Regis insonet, omni opere, quod in manibus habebatur, postposito, vt nihil operi Dei proponatur, sed mens ad sonitū præconis intenta, & operi Dei innixa, cū omni grauitate, & mansuetudine ad intonandum gloriam Maiestatis eius, & pietatis eius gratias referendas festina currat. Hinc Cassianus ait: Ad has ergo orationes cum fuit signi sonitus auditus, tanta celeritate debet monachus exilire, vt nō dicam alios artifices, sed is qui opus Scripturæ exercet, in eodem puncto, quo aures eius sonus pulsans aduenerit, cœptam litteram non audeat consummare. Hinc & alius magister ait: Cum index in oratorio percussus fuerit, mox omnes audientes antequam currant, faciant sibi crucem in fronte, respondentes Deo gratias, & tunc laborantes opus proijciāt, artifices ferramenta dimittant, scriptores literam non integrent. Omnis fratrum manus deserat quod agebat, festinet statim, mox cum grauitate pes ad oratorium, sensus ad Deum, vt mox ad primam orationem occurrant, & tanquam apes ad mel intrantium in oratorium fratrum examen ebulliat; vt qui tacitus erat sancti oratorij locus, statim presbyterorum clamoribus impleatur.

Quod si quis ad Nocturnas Vigilias post Gloriam psalmi nonagesimi quarti (quem propter hoc omnino protrahendo, & morosè volumus dici) occurrerit: non stet in ordine suo in Choro, sed vltimus omnium stet, aut in loco quem talibus negligentibus seorsum constituerit Abbas, vt videatur ab ipso, vel ab omnibus; vsque dum completo opere Dei publica satisfactione pœniteat. Ideo autem eos in vltimo, aut seorsum indicauimus stare, vt visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua emendentur.] Hinc Cassianus ait: In nocturnis autem orationibus vsque ad secundum psalmum datur tardandi dilatio. Attamen antequam finito eodem psalmo Fratres in orationes procumbant cōgregationi se ingerere, atque immiscere festinet. Quod si amplius, vel modicum retardauerit, finitis Vigilijs vera humilitate submissus, veniam negligentiæ, sicut superius diximus, expetere non omittat, id est, in loco vltimo, qui talibus negligentibus fuerit deputatus iubeatur astare, & ibi cum verecundiæ metu expectare, & post impletum cursum prolixa venia ante cœtum fratrum egredientium satisfacere.

Nam si foris oratorium remaneant, erit fortè talis, qui se aut recollocet, & dormiat, aut certè sedeat foris, vel fabulis vacet, & detur occasio maligno; sed ingrediatur intrò, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur.] Hinc & alibi scriptum legimus; Nam foris omnino non segregentur, ne à somno detenti dormiant, aut in aliquo maligno hosti adeundi detur occasio. Intus enim positus nec totum perdit, quod ceperat, & verecundia ac metu frangitur, dum ab omnibus videtur. Et quando cæteri expleto officio foras egrediuntur, ille in Ecclesia pro ipsa tarditate positus, duodecim psalmos supra cursus seriem cantet. Si verò ex toto cursum suum perdiderit, præcipuè nocturnis horis, in quibus nullum aliud opus impendit, super positione damnetur.

Diurnis autem horis, qui ad opus Dei post versum, & Gloriam primi psalmi, qui post versum dicitur, occurrerit, lege, qua supra diximus, in vltimo stet, nec præsumat sociari Choro psallentium vsque ad satisfactionem, nisi fortè Abbas licentiam dederit permissione sua: ita tamen, vt satisfaciat reus ex hoc.] Hinc sanctus Fructuosus ait: Ad orationes diurnas, qui ad primum psalmum non occurrerit, introire in Oratorium cum cæteris non audeat, sed pœnitentiæ delegabitur. Hinc Cassianus dicit: Si quis autem, antequam finitur psalmus inceptus non occurrit, vlterius in Oratorium inter psallentes fratres introire non audeat, sed stans foris ad ianuam sustineat, donec finitis psalmis congregatio relaxetur, & tunc submissa in terra pœnitentia negligentiæ suæ vel tarditatis coram omnibus ab Abbate impetret veniam. Quod si contempserit satisfacere, nullo modo inter fratres societatem orandi habebit. Quod autem dicit: ita tamen vt satisfaciat reus ex hoc: intelligitur, sic eum per licentiam Abbatis in choro recipi, vt post peractum cursum satisfaciat adhuc reus pro negligentia à se commissa, donec ab Abbate recipiat veniam, & cum remissio plena subsequatur atque pacifica.

Ad mensam autem qui ante versum non occurrit, vt simul omnes dicant versum & orent, & sub vno simul omnes accedant ad mensam, qui per negligentiam suam, aut vitium non occurrerit, vsque ad secundam vicem pro hoc corripiatur, si denuò non emendauerit, non permittatur ad mensæ communis participationem, sed sequestratus à consortio omnium, reficiat solus, sublata ei portione sua vini, vsque ad satisfactionem & emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur.] Hinc quidam monachorum magister ait: Ad mensæ verò antiphonam, vel versum priorem qui non adfuerint, semotè & non signatum, & sine data, & accepta benedictione manducent, & bibant, & sine alicuius eloquio. Et merito sine hominis eloquio debet reficere, qui ante refectionem cum Deo non est locutus. Qui verò posteriori mensæ versui non affuerit, talem pœnam suscipiat, qualem ille, qui ante refectionem non est locutus cum Deo. Hæ verò correptiones vel excommunicationes his duntaxat constitutæ sunt, qui sunt voluntate & negligentia tardi, & nullis necessitatibus occupati. Nam pro vtilitate monasterij occupati dignè absentes à præsentibus in oratorio memorentur. Hinc Isidorus dicit: Qui ad mensam tardius venerit, aut pœnitentiam agat, aut ieiunijs ad suum opus vel cubile recurrat. Hinc Basilius ait: Si cum possit non fategerit, fateatur culpam negligentiæ suæ, & maneat sine cibo vsque ad illam horam, qua conuenitur ad cibum in posterum diem.

Nec quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea quicquam cibi vel potus percipere.] Hinc Fructuosus ait: Quilibet ex monachis ieiunium soluere non præsumat, nec prius, quam in commune reficiant cum cæteris, vel postquam refecerint, quicquam quod ad potandum, vel edendum pertinet gustare, vel contingere audeat, vel occultè quodlibet peculiariter recondere vel habere præsumat. Hinc Cassianus dicit: Omnimodis autem ex hoc caueri debet, ne ante illam, vel post illam horam, qua omnes fratres in commune reficiūtur, extra mensam quomodocunque quodcūnque vel modicum aliquis manducare præsumat, vt etiam poma, quæ tempore suo sub arboribus iacent, non tantum degustare, sed etiam tangere absque his, quæ in commune comeduntur, sacrilegium sit.

Sed & si cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit, hora qua desiderauerit, hoc quod prius recusauit, aut aliud omnino non percipiat, vsque ad emendationem congruam.] Hyperbatum est hoc, quod aliter ordinatum intelligitur ita: Si cui aliquid à Priore offertur, & renuerit accipere, hora qua desiderauit, subauditur, accipere, aut hoc percipiat, quod prius recusauit, aut aliud omnino nihil. Hinc beatus Basilius. Hoc enim quod hic de esca dictum est, etiam de omni re, quæ ad vsus corporis pertinet eadem forma seruari potest. Ergo iste talis, qui oblata recipere renuit, dignus est, vt etiamsi quærat non accipiat, vsquequo probet is, qui præest, & cum viderit vitium animi curatum, tunc etiam quod corporis vsibus necessarium fuerit præbebit.

* * * * * * *

A

CAPVT XLIV.

De ijs, qui excommunicantur, quomodo satisfaciant.

QVi pro grauiori culpa ab Oratorio & à mensa excommunicatur, hora qua opus Dei in Oratorio celebratur, ante fores Oratorij prostratus iaceat, nihil dicens, nisi tantùm posito in terram capite & prostratus, pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus se proijciat. Et hoc tandiu faciat vsque dum Abbas iudicauerit satisfactum esse.] Quæ grauiores sint culpæ, iam superius dictum est. Hinc verò de congrua culpatorum satisfactione dicendum est. Quorum, vt Isidorus ait, sola panis & aquæ in vespertinum erit adhibenda refectio, amictus eorum, aut tegimen rasum, aut fortè cilicium, lectulus eorum, aut nuda humus, aut fortè storia, id est, matta super humum. Hinc quidam monachorum magister ait: Qui verò frater grauem culpam admiserit, ipse ab vtroque excommunicetur, id est, ab oratorio, & à mensa, & non ipse ad indulgentiam Maioris perueniat, nisi ante limen oratorij prostratus lacrymabili voce interuallo cessantium in psalmis horarum Deo, & omnibus emendatione satisfecerit repromissa.

B

Qui dum iussus ab Abbate venerit, voluat se ipsius Abbatis pedibus, deinde omnium fratrum vestigijs, vt orent pro eo. Et tunc si iusserit Abbas, recipiatur in choro, vel in ordine, quo Abbas decreuerit, ita sanè vt psalmum aut lectionem, vel aliud quid non præsumat in oratorio imponere, nisi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis dum completur opus Dei, proijciat se in terram in loco in quo stat, & sic satisfaciat, vsq; dum ei iubeat Abbas, vt quiescat iam ab hac satisfactione.] Hinc Isidorus ait: Satisfactio delinquentium hæc est; peracto pœnitentiæ tempore vocatus veniat, humo prostratus iaceat, iussus ab Abbate de terra consurgat, surgens ab omnibus pro negligentia veniam poscat, adepturus indulgentiam post huius emendatoriæ satisfactionis mensuram.

Qui vero pro leuibus culpis excõmunicantur tantum à mensa, in oratorio satisfaciant, vsq; ad iussionem Abbatis hoc semper faciat, vsque dum benedicat, & dicat, sufficit.] Quod dicit: benedicat: intelligitur, dimittat tibi Dominus. Quod dicit: sufficit: subauditur pro hac culpa satisfactio acta.

C

CAPVT XLV.

De ijs, qui falluntur in Oratorio.

SI quis dum pronunciat psalmum, responsorium, aut antiphonam, vel lectionem, fallitur: nisi cum satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ subiaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes verò pro tali culpa vapulent.] Quod dicit: maiori vindictæ subiaceat: subauditur, quasi ibi coram omnibus humiliatus fuisset. Quod verò dicit: infantes pro tali culpa vapulent: subintelligitur, nisi ibi coram omnibus humiliati fuerint. Hæc de illis, qui raro falluntur, & sæpè correpti non emendantur, etiamsi ibi humiliati fuerint, vt vapulent, vt emendentur, & sæpè iam non fallantur.

D

CAPVT XLVI.

De ijs, qui in alijs quibuslibet rebus delinquunt.

SI quis dum in labore quouis, in Coquina, in Cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua, dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit vbi & vbi, & non veniens continuò ante Abbatem, vel congregationem, ipse vltro satisfecerit, & prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi.] Hinc Cassianus ait: Si quis aliquid fregerit, aut perdiderit, non aliter negligentiam suam delebit, nisi coram omnibus fratribus tamdiu supplicauerit Deo in terra prostratus, donec oratione soluatur Abbatis. Supra enim nominatæ negligentię secundum modulum proprium sunt pensandæ, & iuxta ætatem delinquentium, id est, vel teneram, vel senilem, vel virilem sunt corrigendi. Si Abbati, vel Præposito puram dederit cõfessionem & compertum fuerit non suæ voluntatis fuisse, quod casu accidit, sufficiat ei emendare cum veniæ satisfactione quod deliquit. Si verò non sua confessione, sed alterius proditione cognitum fuerit, prout culpæ magnitudo poposcerit, pœnitentiæ subiacebit.

E

Si anima vero peccati causa latens fuerit, tantum Abbati, aut spiritualibus Senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera non detegere, aut publicare.] Hortamur autem, quod si ex maiorib. culpis, quod ad animæ maiorem pertineat damnationem, aliquam commiserit frater, secretius per puram confessionem suo manifestet Abbati, ne, dum tempore hoc animi culpam detegere verecundat, cum reatu culpæ faciem diaboli interius recondat.

CAPVT XLVII.

De significanda hora operis Dei.

F

NVncianda hora operis Dei, die nocteque sit cura Abbatis, vt ipse nunciet, aut tali sollicito fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur.] Hinc quidam Pater ait: Horas verò ad cursum procurare iuxta dispẽsationem Abbatis debet, cui ordinatum fuerit, id est, qui mente sollicita, & impigra fuerit, ad hoc opus idoneus inuentus, vt opus Dei non tardetur; qui non, qua hora illi libitum fuerit fratres ad vigilias suscitare præsumat, sed sic totam congregationem ad officium orationis inuitet, ne in vtroque inueniatur incautus, id est, ne vel oppressus somno statutam noctis transeat horam, vel eandem festinus anticipet. Si vero qualibet occasione à iusto ordine deuiatum fuerit, vt non secundum ordinem suum Horæ custodiantur, superpositione damnentur.

Psalmos autem vel Antiphonas post Abbatem ordine suo quibus iussum fuerit imponant. Cantare autem aut legere non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate & grauitate, & tremore faciat, & cui iusserit Abbas.] Quod dicit: post Abbatem ordine suo imponant: non de illo, quo ingressi sunt ordine dicit, sed de illis, quibus ab Abbate iussum est, & qui hoc opus benè agere possint, de quibus etiam superius dixit. Fratres non per ordinem legant aut cantent, sed qui ædificent audientes. Quod & illi sicut ordinatim, ita & cautè & cum humilitate agere debent. Vnde & sequitur. Cantare & legere non præsumat, nisi qui potest, &c.

G

CAPVT XLVIII.

De opere manuum quotidiano.

OTiositas inimica est animæ.] Ociosus enim corpore monachus, mente à sordidis cogitationibus nunquam poterit esse otiosus. Per otium enim libidines, & noxiarum cogitationum desideria concrescunt dicẽte Salomone: In desiderijs est omnis otiosus, & multa mala excogitat otiositas. Hortamur ergo fratres, vt otium non ametis, sed per sincerum vnanimitatis cõsensum vnusquisque, vt præualet, sic laboret, abiecto à se, qui hue vsque talis fuit, hoc vitio promptus ad omne opus occurrat, quia scriptum est: *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem ab altissimo creatam.* H Eccl.7.
Si enim Apostoli corporale opus faciebãt, vnde vitam corporis sustinerent, quanto magis monachi, quibus oportet non solum vitæ suæ necessaria proprijs manibus exhibere, sed etiam indigẽtiam aliorum laboribus suis reficere. Qui viribus corporis & integritate salutis consistunt, si in opere otiosi sunt, dupliciter peccare noscuntur, quia non solùm non laborant, sed etiam alios vitiant, & ad imitationem suam inuitant. Propterea enim quisq; ad Deum conuertitur, vt ei deseruiens laboris habeat curam, non vt otio deditus inertia, pigritiaque pascatur. Qui sic volunt vacare lectioni, vt non operentur, ipsi contumaces existunt, quia non faciunt quod ibi legunt. Ibi enim scriptum est: *Operantes suum panem manducent.* Hinc per Prophetam de anima otiosa dicitur: *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius.* Hostes enim Sabbata videntes irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt. Prou.28. Thren.1.

A

Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione diuina. Ideoque hac dispositione credimus vtraque tempora ordinari, id est, vt à Pascha vsque ad Calendas Octobris, manè exeuntes, à prima vsque ad horam penè quartam laborent quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta vsque ad horam quasi sextam, lectioni vacent.]Agent dicit, festinent, vel satis agant. Hoc enim intelligitur agent. Hinc Isidorus ait: Proprijs autem temporibus oportet operari monachum, & à proprijs orationi lectionique incumbere. Horas enim debet habere monachus congruas, & ad singula officia deputatas. Partes autem temporum suis quibusque operibus taliter deputantur. Æstate enim à mane vsque in horam tertiam laborare oportet, à tertia verò vsq; ad sextam lectioni vacare, dehinc vsque ad nonam requiescere. Post nonam autem vsque ad tempus vespertinum iterum operari.

Post sextam autem surgentes à mensa pausent in lectis suis cum omni silentio, aut fortè qui voluerit legere, sibi sic legat, vt alium non

B

inquietet. Et agatur nona temperius, mediante octaua hora, & iterum quod faciendum est operentur vsque ad vesperum. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc verè monachi sunt, si labore manuum suarum viuunt: sicut & Patres nostri, & Apostoli.]

Psal.127. Scriptum est enim: *Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & benè tibi erit.* Ergo monachum, vt beatus Ferriolus ait, absque certis solemnitatibus vel manifesta ægritudine, diem sine operatione transeuntem, à conuiuio decernimus excludendum, iubente Apostolo: *Qui non labo-*

2.Thess.3. *rant, non manducent.*

Omnia tamen mensuratè fiant propter pusillanimes.]Pusillanimus dicitur pusillum animum habens, paruulum vel modicum, aut certè desperatum. Hinc beatus Pachomius ait: Ne plus operis fratres compellantur facere, sed moderatus labor omnes ad laborandum prouocet. Sitque inter eos pax, atque concordia, & libenter maioribus subijciantur, sedentes & ambulantes ac stantes in ordine suo, & inuicem de humilitate certantes.

C

A Calendis autem Octobris vsque ad caput Quadragesimæ, vsque ad horam secundam plenam, lectioni vacent: hora secunda agatur tertia: & vsque ad nonam, omnes in opus suum laborent, quod eis iniungitur. Facto autem primo signo hora nona disiungant se ab opere suo singuli, & sint parati dum secundum signum pulsauerit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis, aut psalmis.] Operis Dei recordatio teneatur, id est, vt dum exterius per temporalem oportunitatem manus operibus occupantur, interius mens cum linguę meditatione psalmorum & scripturarum recordatione dulcescat. Nam si violator huius regulæ fabulatione delectetur, silentij pœna castigetur.

In Quadragesima verò diebus à mane vsque ad tertiam plenam, vacent lectionibus suis, & vsque ad decimam horam plenam operentur quod eis iniungitur.]Monachi autem operantes meditari, & psallere debent, vt carmen verbi Dei delectatione consoletur ipsum laborem. Maximè autem Quadragesimæ tempore laborandum est corpore fixa in Deo animi intentione. Sicque manus implicanda est in opere quotidiano, vt mens non auertatur à Deo.

D

In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui codices in capite Quadragesimæ dandi sunt.] De Bibliotheca dicit, id est, de cellula, vbi libri reconduntur. Nam quod grecè Bibliotheca, latinè repositio librorum dicitur.

Ante omnia sanè deputentur vnus aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis, quibus vacant fratres lectioni, & videant, ne fortè inueniatur frater accidiosus, qui vacat otio, aut fabulis, & non est intentus lectioni, & non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis si (. quod absit.) repertus fuerit, corripiatur semel & secundo, si non emendauerit, correptioni regulari subiaceat taliter, vt cæteri metum habeant.] Accidiosus dicitur tędiosus, anxius, vanæ mentis, vel animo leuis, qui tædio mentis commotus, vel leuitate animi subleuatus, nec se sinit legere, nec alios lectioni sinit vacare. Qui & sibi vagando inutilis, & alijs legentibus inuenitur esse contrarius. Otium enim & fabulas diligit; & ideo & se & alios à sacra

E

lectione distollit, id est, segregat, vel disturbat. Qui taliter corripiendus est, vt cæteri eius videntes acerrimam correptionem, talem vt vlterius non audeant committere disturbationem, ne ad talem audeat frater fratris horis incompetentibus iungere confabulationem. Vnde & subauditur:

Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus.] Illæ enim horæ sunt incompetentes fabulis vanis, quæ sunt cōpetentes lectionibus sacris. Quod autem dicit; neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus: non proficuam vel sanctam inter sanctos prohibet coniunctionem, sed nociuam, nociuisq; fabulis plenam; coniunctionem inter otiosos, accidiososque vetat.

Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his, qui varijs officijs deputati sunt.] Hinc Patres antiqui dixerunt: Die autem Dominica nil aliud agant, nisi Deo vacent, ne pro aliqua occasione se velint, aut alios excusare. Tamen contestor fratres, nulla operatio in die illa sancta comperiatur, nisi

F

tantum hymnis, & psalmis, & canticis spiritalibus dies illa transeatur.

Si quis vero ita negligens & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus, quod faciat, vt non vacet.] Desidiosus dicitur, id est, desidia, vel negligentia plenus. Desidiosus enim à desidendo, id est, valdè sedendo, otiumque diligendo vocatur. De tali enim Salomon ait: Abscondit piger manum sub ascella, nec ad os suum applicat eam. De duabus enim hic loquitur personis. Vna quæ cum possit legere aut meditari, per desidiam cordis neutrum vult agere, sed magis otio vel vanis vult fabulis vacare. Alia enim persona est, quæ quamuis velit, per ignorantiam nec legere valet, nec meditari, & ideo, ne otio vacet, vtrumque opus iniungendum est illis, in quo laborent vtrique.

Fratribus infirmis vel delicatis talis opera, aut ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.] Delicatus dicitur, delitijs pastus, & diuersis epulis enutritus. Et ideo fortioribus laboribus inscius, qui propter corporis teneritudinem, aut

G

imbecillitatem pie cum infirmis est tolerandus, & humanius, clementiusque tractandus. Nec contra eos murmurandum est eis, qui vires laborandi habent, sed magis & isti & infirmi à sanis sunt consulendi, &, vt dictum est, humanius, clementiusque tractandi. Quorum imbecillitas, id est, fragilitas vel impossibilitas ab Abbate quasi à pio est consideranda Patre pariter atque Rectore.

CAPVT XLIX.

De Quadragesimæ obseruatione.

Licet omni tempore vita monachi Quadragesimæ debeat obseruationē habere.]Licet, hic pro quamuis, positum est. Oportet enim monacho sine dubio cum mundus illi crucifixus est, & ille mundo, vt castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, & omni tempore exhibeat semetipsum sicut Dei ministrum, in varijs necessitatibus, in laboribus, in vigilijs, & ieiunijs, cæterisque virtutibus se exercendo.

H

Tamen quia paucorum est ista virtus, eorum videlicet, de quibus scriptum est: Multi autem vocati, pauci vero electi: ideo suademus istis diebus Quadragesimæ, omni puritate vitam suam custodire.] Omni puritate dicit, omni sinceritate, & simplicitate cordis, nihil facientes pro vana gloria vel laude humana: sed simplici corde & pura mente quod sequitur agere, id est: Matt.20.

Omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere.] De hoc enim tempore Quadragesimæ scriptum est: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. In quibus diebus vnusquisq; nostrum, in quantum illi vires supperunt, carnem maceret, eiusq; desideria affligat, concupiscentias turpes de corde suo repellat, & hoc modo aliorum temporum negligentias his diebus sanctis pœnitendo deleat. Vnde & sequitur

A *Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitijs temperamus.*] Temperamus dicit, id est, abstinemus, vel coerceamus nos à vitijs omnibus.

Matt. 5. Psal. 125. *Orationi cum fletibus.*] Scriptum est enim: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Et, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.*

Lectioni, & compunctioni cordis atq; abstinentiæ operam damus.] Hinc Isidorus ait: Omnis profectus ex lectione, & meditatione procedit. Geminum enim donum confert lectio sanctarum scripturarum, siue quia intellectum mentis erudit, seu quia mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Compunctio cordis est humilitas mentis cum lacrymis, exoriens de recordatione peccati, & timore iudicij. Illa est conuersis perfecta compũctionis affectio, quæ omnes à se carnalium desideriorum affectus repellit, & intentionem suam toto mentis studio in Dei contemplationem defigit. Ille enim benè abstinet à cibis, qui & à malitiæ actibus, & à mundi abstinet ambitionibus.

B *Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ.*] Solitum pensum dicit, consuetum vel vsitatum abstinentiæ nostræ ieiunium, cui adhuc diebus Quadragesimæ aliquid amplius est augendum. Vnde & subditur;

Orationes peculiares ciborum & potus abstinentiam, vt vnusquisque super mensuram sibi indictam aliquid de propria voluntate cum gaudio sancti Spiritus offerat Deo.] Cũ gaudio enim sancti Spiritus offerre debet monachus suum Domino Deo votum, qui ab illo sperat accipere regnum cælorum. Qui enim cum hylaritate, & gaudio Domino seruit, vel donat aliquid, centuplum ab illo accipiet, insuper & vitam æternam possidebit. Offerat ei cum gaudio, & faciat quod sequitur;

Id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderij gaudio sanctum Pascha expectet. Meritò enim de resurrectione Domini tales debent cum Christo in Pascha lætari, qui corpus suum per abstinentiam pro eo consenserunt crucifigi. Qui enim in præsenti vita aliquid desiderijs vel substantijs carni subdu-
C xerint, debent meritò de diuinis animæ delitijs abundanter in perpetuo saginari. Quia in hoc paruo tempore pro Domino voluerunt ad modicum contristari, iustè cum eo merebuntur in futuro lætari.

Hoc ipsum tamen quod vnusquisq; offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate: quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur, & vanagloria, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt.] Hinc quidam monachorũ magister ait: Dicat Abbas omnibus fratribus: Qui vult pro anima sua laborare, & aliquid abstinere, liberam ei voluntatem concedimus. Qui verò noluerit, regulæ de hoc titulo constituta accipiet, & Quadragesimæ contentus erit mensura. Iam qui de fratribus voluerint aliquid abstinere, humilient se ad genua Abbatis, agentes gratias de boni actus voluntate concessa, & post impensam humilitatem simul & ore suo Abbati indicent, quis quid voluerit abstinere.

CAPVT L.

D *De fratribus qui longe ab Oratorio laborant, aut in via sunt.*

FRatres qui omninò longe sunt in labore, & non possunt occurrere hora competenti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei, vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ, sed vt possunt, agant sibi, & seruitutis pensum non negligant reddere.] Hinc B. Pachomius ait: Et si in naui fuerint, & in monasterio, & in agro, & in itinere, & in quolibet ministerio orandi & psallendi tempora non prætermittant. Hinc & Basilius dicit: Vnusquisque in opere suo obseruare debet propriam regulam, sicut membrum in corpore; quia damnũ habebit, si neglexerit implere, quod ei iniunctum est, & de communi fratrum vtilitate negligens amplius periclitabitur. Et ideo mente & deuotione
Eph. 5. complere debet id, quod scriptum est: *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Si enim corporaliter non occurrit adesse cum cæteris ad orationis locum, in quocunque loco inuentus fuerit, quod deuotionis est expleat. E Oportet tamen obseruare, ne fortè quis possit complere in tempore suo, quod complendum est, & occurrere, sed dum loqui vult occasiones nectit, tanquam ministerij opere occupatus. Quod qui facit, & offendiculum cæteris præstat, & ipse negligentis crimen incurrit. Hinc alius monachorum magister ait: Cum fratres spiritales sine laico ambulant, iuncti ad se, & cantantes, modicè de via flectant genua, & post orationem redeant in via, mox ab omni verbo alieno adeo tacentes propter reuerentiam operis Dei, & sic ambulando petita benedictione impositum prorumpant psalmum.

CAPVT LI.

De fratribus, qui non longe proficiscuntur.

FRatres qui pro quouis responso proficiscuntur, & ea die sperant reuerti ad Monasterium, non præsumant foris mãducare, etiamsi à quouis rogentur, nisi forte eis ab Abbate suo præcipiatur. Quod si aliter fecerint, excommunicentur.] F Hinc antiqui Patres dixerũt: Nemo tamen extra monasterium mãducet aut bibat. Hoc enim regulæ non recipit disciplina, vt vel poma vilia desumantur, aquam ipsam ante refectionem legitimam bibere non præsumant. Si quis verò extra conscientiam Abbatis vel Præpositi qualemcunq; locum egressus, gulæ vel ebrietati se sociauerit, aut si in proximo trãsmissus, pro sui leuitate vel gulæ non statim expedita necessitate ad cellulam redierit, aut cum in id facinus fuerit detentus, vt canones docent, aut triginta diebus à communione separetur, aut virgis cæsis emendetur.

CAPVT LII.

De Oratorio Monasterij.

ORatorium hoc sit, quod dicitur, nec ibi quicquã aliud geratur, aut condatur. G *Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeãt, & agatur reuerentia Deo: vt frater qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed si alter vult sibi forte secretius orare, simpliciter intret, & oret, non in clamosa voce, sed in lacrymis, & intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit non permittatur expleto opere Dei remorari in Oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.*] Hinc B. Augustin. ait: In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quid factum est, vnde & nomen accepit. Aut si fortè etiam aliqui præter horas constitutas, si eis vacat, & orare voluerint, [illegible]is sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Item alibi: In Oratorio præter orandi & psallẽdi Dei cultu penitus nihil agatur, vt nomini huic & opera iugiter impensa concordent. Vt si aliquis præter constitutas horas Domino supplicaturus ingreditur, votũ suum occupatio aliena nõ tardet.

CAPVT LIII.

De hospitibus suscipiendis.

H

OMnes superuenientes hospites tanquam Christus suscipiantur: quia ipse dicturus est, Hospes fui, & suscepistis me.] Hinc & Apostolus nos inter cætera hortatur dicens: *Hospitalitatem sectantes.* Matt. 25. Rom. 12. Dicens enim sectandam esse hospitalitatem, non illud solùm ostendit, vt venientem ad nos hospitem suscipiamus, sed & requiramus & solliciti simus, & sectemur, ac perquiramus vbiq; hospites, ne vbi fortè in plateis sedeant, ne extra tectum iaceant. Recordare Loth, & inuenies, quod non solũ hospites, sed ipse quæsierit hospites, & hoc erat hospitalitatẽ sectari. Hinc & B. Macharius ait: Hospitalitatem sectantes per omnia, & ne auertas oculum, aut inanem dimittas pauperem, ne fortè Dominus in hospite, aut in paupere ad te veniat, & videat te hæsitantem, & cõtemneris; sed omnibus hylarem te ostende, & fideliter age. Aduenientib. ergo hospitibus alacris susceptio adhibenda est, sciens ob hoc nouissimam consequi retributionem, quando in iudicio his, qui à dextris erunt, dicturus est Dominus:

A Mt. 25. minus: *Hospes fui & collegistis me: quia quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Et omnibus congruus honor exhibeatur.] Congruus dicitur conueniens, competens, vel condignus, qui fit, quando vnicuique quod expedit, & quomodo expedit impenditur. Nam quamuis vna charitas omnes amplectatur interius, aliter pauperibus, aliter verò exterius congruit ministrare potentibus. Neque enim æqualis omnibus præparanda est sessio, neq; æqualis omnibus ciborum conuenit præparatio, sed vnicuique necesse est cum charitatis discretione congruus locus, congruus cibus, congruus lectus, cõgruus omnibus exhibeatur & honor, vt congruè à nobis recepti sine murmurio ad propria reuertantur amici.

Maximè domesticis fidei, & peregrinis.] Domesticus dicitur amicus familiaris, vel sodalis; quos duobus modis intelligere debemus, siue omnes generaliter Christianos vnam nobiscum fidem, vnum habentes baptisma; siue specialiter monachos, qui nobis cum Deo peculiarem Dei cultum, & religionis exhibent famulatum. Peregrinus dicitur in longæ patriæ agro positus.

B *Vt ergo nunciatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore, vel à fratribus cum omni officio charitatis.*] Quia enim duæ ad monasterium personæ solent venire; duas & illis rationabiliter iubet occurrere. Prioribus enim necesse est occurrat Prior, fratribus occurrat frater. Si enim venit Rex Episcopus, aut aliquis de summo apice potens exeat illi obuiam Abbas. Si autem venerit alter, obuiam illi exeat alter.

Et primitus orent pariter, & sic sibi socientur in pace.] In pace dicit, id est, in osculo pacis. Pacificos enim oportet esse, & sibimet inuicem in osculo sancto sociari oportet filios pacis. Vnde & sequitur;

Quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas.] Si enim cũ sit diabolus tenebrosus, transfigurari valet in angelum lucis, valet vtique transformari & in personam hospitis, quod factum iam fuisse & in dialogorum, & in vitis legitur Patrum. Quæ phantasmatis illusio stare, nocereque non valet, si oratio prompta ex corde sancti Monachi procedit.

C *In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas*] Omnis humilitas dicitur tota, plena, atque perfecta, non ficta, sed de corde puro manans, vera atque sincera. Quę quomodo exhibeatur audi sequentia;

Omnibus venientibus siue discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.] Et hic, sicut & superiùs, duas aduenientium inducit personas; vnam mediocrem, cui tantum caput inclinatur à fratre; aliam verò summam, quæ in terram toto prostrato ador[illegible] & corpore. Sed tamen in vtrisque Dominus Iesus Christus adoratur, qui & suscipitur.

Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, & postea sedeat cum eis Prior, aut cui iusserit ipse. Legatur coram hospite lex diuina, vt ædificetur, & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas.] Omnis humanitas dicitur omnis misetãtis affectus, & obsequium plenum, & perfectum amoris, quod hospitibus exhiberi oportet in cibi & potus, & omnium illis competentium administratione.

D *Ieiunium à Priore frangatur propter hospitem: nisi forte præcipuus sit dies ieiunij, qui non possit violari. Fratres autem consuetudines ieiuniorum prosequantur.*] Dies ieiunij, qui violari non possunt, intelliguntur dies sanctæ Paschalis, Quadragesimæ, Letaniarum, & quatuor anni temporum, aut si alicuius diei festi fuerit agenda Vigilia, quando non solum à Canonicis, clericis, verumetiam à laicis Catholicis ieiunatur. Fratres autem consuetudines ieiuniorum prosequantur, ne pro vno hospite à toto monasterio ieiunij solennitas auferatur. Nam vt charitatem monstretur habere in hospitem, solummodo ieiunium mandat frangi à Priore, & maximè propter ipsius hospitis honorem solui mandat ieiunium ab ipso monasterio seniore. Sed & hoc non pro omnibus hospitibus est agendum, sed tantum pro peregrinis fratribus, aut illis summis personis, quæ tardè visitant monasterium.

Aquam in manibus Abbas hospitibus det: pedes autem hospitibus omnibus tam Abbas, quàm cuncta Congregatio lauet.] Hinc Fructuosus ait: Hospitibus vel peregrinis fratribus cum summa reuerentia charitatis, & ministrationis obsequia sunt præbenda, & ad vesperum lauandi pedes, & si ex itinere sunt confecti, oleo perurgendi sunt, lectaria, lucerna, & extrema mollia exhibenda, ac proficiscentibus iuxta pensam cœnobij viaticum imponendum. E

Quibus lotis hunc versum dicũt: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.] Ac si dicat: Suscepimus in isto hospite misericordiæ tuæ visitationem in medio templi tui, in medio templo monasterij tui. Aliter: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, id est, in medio cordis nostri, quod totum dicit Apostolus esse templum: suscepimus istius hospitis cum charitatis dilectione aduentum. Psal. 47.

Pauperum, & peregrinorũ maximè susceptio omni cura sollicitè exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur.] Hinc Pachomius ait: Quando ad ostium monasterij aliqui venerint, si clerici fuerint, aut monachi, maiori honore suscipiantur. Lauabuntque pedes eorum, iuxta Euangelij præceptum, & deducent ad locum Xenodochij, præbebuntq; omnia, quæ apta sunt vsui monachorum. Hinc Isidorus ait: Et licet omnibus hospitalitatis bonum cum gratia oporteat referendum, vberior tamen monachis, & clericis deferenda est honorificentia hospitalitatis. Præbeantur eis hospitacula, lauentur eorum pedes, congruis etiam sumptibus eiusdem humanitatis gratia præbeatur. F

Nam diuitum terror ipse sibi exigit honorem.] Quia enim omnibus congruus honor est exhibendus, non tamen metu terroris, quantum etiam præparandum est diuitibus obsequium causa discretionis. Debemus enim secundùm Apostolum reddere cui timorem timorem, & cui honorem honorem.

Coquina Abbatis, & hospitum per se sit, vt incertis horis superuenientes hospites, qui nunquam desunt monasterio, nõ inquietent fratres. In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium bene impleant. Quibus, vt indigent, solatia ministrẽtur, vt absque murmuratione seruiant. Et iterum quando occupationem minorem habent, exeant vbi eis imperatur, in opera. Et non solum in ipsis, sed & in omnibus officijs monasterij ista sit consideratio, vt quando indigent solatia, accommodentur eis, iterum quando vacant, obediant imperanti.] Æstimatur enim à multis, quia sicut coquina alia quàm fratrum, & in alio erat constituta loco, ita & mensa Abbatis non tunc in communi refectorio erat cum cæteris mensis posita, sed in alia erat cellula segregata, quã crebrò venientes hospites frequenter cibis inuenirent paratam. Sed modo ab Episcoporum, Abbatum, & cæterorum Francorum magno Concilio salubre inuentum est Concilium, vt pro sua & fratrum custodia habeat in communi refectorio mensam, vbi quando adfuerint cum hospitibus, quando verò defuerint, cum quibus voluerit, reficiat coram fratribus. G

Item & cellam hospitum habeat assignatam frater, cuius animam timor Dei possideat, vbi sint lecti strati sufficienter, & domus Dei à sapientibus sapienter administretur.] A sternendo enim lecti strati dicuntur. Strati quasi scoriati. Scoria enim dicitur, quod nos mattam, vel nattam dicimus. In his autem solis antiqui monachi dormire solebant, & his solis lectulos suos sternebant. Cuius enim animum timor Domini possidet, sine dubio iam inter sapientes debet haberi. Scriptum est enim: *Initium sapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum.* A talibus enim sapientibus domus Domini, id est, domus quæ in monasterio pro pauperibus Domini ædificatur, aut pro eius implendo mandato constituitur, necesse est sapienter administretur. Hinc & quidam monachorum magister ait: Cella peregrinorum semotè monasterio constituatur cum lectistratis, vbi superuenientes fratres maximè ignoti dormiant, & visatias suas ponant. H Eccl. 2.

Hospitibus autem, cui non præcipitur nullatenus societur, neq; colloquatur, sed si obuiauerit aut viderit, salutatis humiliter, vt dictum est, & petita benedictione, pertranseat, dicens non licere sibi colloqui cum hospite.] Hospitibus non societur dicit, id est, ad fabulas faciendas non eis iungatur. Sed si obuiauerit eis, aut propè se stare viderit, petita benedictione transeat. Quod si rogatus aliquid ab hospite fuerit, respondeat ei dicens, non mihi licet cum hospite loqui. Hinc & B. Macharius

ait:

A ait: Nullus, nisi cui cura circa hospitale fuerit iniuncta, responsum det venientibus, neque sermocinari alicui fratri licebit, nisi soli, qui præest, aut quos ipse iusserit.

CAPVT LIV.

Quod non debeat monachus literas, vel Eulogia accipere sine iussu Abbatis.

NVllatenus liceat monacho nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem literas, aut Eulogia, vel qualibet munuscula accipere aut dare sine præcepto Abbatis sui. Quod si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati. Quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate cui illud iubeat dari. Et non contristetur frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat.] Hinc B. Augustinus ait: Quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, vel quælibet munuscula accipiat, si occultè confitetur illi, peccatus, & B oretur pro illo. Si autem deprehenditur, aut conuincitur, secundum arbitrium præpositi grauius emendetur. Hinc & B. Basilius ait: Munus quodlibet, siue epistolas nemo monachus accipiat, nec dare sine iussione Abbatis cuiquã præsumat. Hinc & alibi scriptum est: Qui verò literas vel munuscula cuiuscunq; accipere præsumpserit, si non statim à quo accepit, & quæ accepit, publicauerit, districtioni seuerissimæ subiacebit. Illa verò, quę transmissa sunt, peregrinis; & ignotis deputabuntur, aut certè incendio cremabuntur. Sanè qui suis filijs vel aliqua ad se necessitudine pertinentibus aliquid contulerit in rem communem redactum, cui necessarium fuerit tribuatur. Si verò cui transmissum est Abbas præcipit dare, tanquam reliqua fidelium munera, cum gratiarum actione accipiet. Quod autem dicit; non contristetur, ne fortè detur occasio diabolo: subintelligitur, aut per tristitiam, aut per inuidiã, aut per murmurium. Per tristitiam enim, quam in suo pectore tenet, nocendi monacho diabolo datur occasio, quia secundùm Apostolum, est tristitia qua impediente diabolo datur oc- C casio in anima. Nam & si illi, cui datum est, inuidetur, per inuidiam nocendi monacho diabolo datur occasio, quia scriptum est: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Imitantur enim illum, qui sunt ex parte illius. Aut si fortè murmurauerit, quia quod sibi directum est sibi non datur, & ita per murmurationem nocẽdi monacho diabolo datur occasio. Quia & qui in deserto murmurauerunt, à serpentibus perierunt. Omnis enim monachus, qui vnum ex istis fecerit, quia illi non datur, quod illi dirigitur, regulari disciplinæ subiaceat, ne indisciplinatus in æternum pro his vitijs pereat.

CAPVT LV.

De vestimentis & calciamentis Fratrum.

VEstimenta Fratribus secundum locorum qualitatem, vbi habitant, vel aerum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus. Hæc ergo consideratio penes D *Abbatem sit.*] Quod autem dicit: secundum locorum qualitatem vestimenta dari: mihi videtur de operoso, & non de tam operoso dicere loco. Sunt enim monasteria iam perfecta, & in amœno loco posita, vbi minus operatur, plus vestimentis, & calciamentis indigetur. Quod verò dicit: vel aerum temperiem: ipse exponit cum dicit. Quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus. Hæc prudentissimè ille considerans dixit. Nunc verò prudens Abbas consideret diligenter aerum temperiem, & loca in quibus habitat, quomodo sint calida, frigida vel temperata, aspera, dura, vel suauia, & secundum possibilitatem suam quod necessarium est, fideliter suis ministret monachis, vt sine necessitate Domino seruiant, & absque iusta murmuratione pacificè viuant.

Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus monachis, per singulos, Cucullam & Tunicam: Cucullam in hyeme villosam, in æstate, puram aut vetustam, & scapulare propter opera.] Mediocribus locis dicit, id est, temperaris, nec multum frigidis, nec multum calidis. Cucullam dicit ille, quod nos modo dicimus cappam. Per diminutionem enim à casulla dicitur cuculla, & à casula casulla, & à casulla diminuitur cuculla. Quod verò ille dicit; scapulare propter opera: hoc nos modo dicimus cucullam. E

Indumenta pedum Pediles, & Caligas.] Pediles autem dicit, quod nos modo dicimus calces. Caligas ille, quod nos subtalares, vel soccos vocamus. Caligæ autem à callo pedum dictę, vel quia ligantur, nam & calciarij vocantur. De pedibus autem Isidorus ait: Pediles vtendos in monasterio, quandiu hyemis coegerit violentia, siue dum fratres gradiuntur in itinere, vel proficiscuntur ad orbem. Hinc & Fructuosus dicit: In hyeme pediles calcient, qui voluerint, id est, à Calendis Nouembris vsq; ad Calendas Maias. Reliquis æstiuis mensibus caligarum tantum solatijs muniendi sunt.

De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur monachi, sed quales inueniri possunt in Prouincia qua degunt, aut quod vilius comparari potest.] Hinc Ferriolus ait: Colorem etiam in his album, vel nimis rufum, per quem sæpè species F corporis ad pęnitentiam suam videntibus commendatur, nitet, hoc est, habere non ambiat, ne iactantiæ suæ secum testimonium ferat, & dum corpus velit vestimentis ornare, de animæ ornamentis non curet. Hinc Isidorus ait: Minutus debet esse monachus, non delicatus. Sicut autem non oportet in monacho esse notabilis habitus, ita nec satis abiectus. Nam pretiosa vestis animum ad lasciniam pertrahit. Nimis vilis aut dolorem cordis parit, aut morbum vanæ gloriæ contrahit. Hinc Basilius ait: Si enim studium nobis habendum est omnium esse minimos, & omnium nos nouissimos, certum est, quod & indumẽtis omnium nos nouissimos deputare debemus. Hinc Cassianus dicit: Oportet vt talis sit vestis monachi, quæ corpus contegens, tantum verecundiam nuditatis repellat, & frigoris retundat iniuriam, non quæ occasionem vanitatis enutriat. Quæ ita sit vilis, vt nulla coloris, vel compositionis nouitate inter cæteros fratres spiritales habeatur insignis, & ita sit à studiosis superfluis accurationibus aliena, vt G nullus iterum per incuriam collectis, aut fecatis à sordibus sit deformis. Postremò sic ipsa vestis ab huius mundi separetur ornatu, vt in omni seruorum Dei cultu communis sit. Nam quicquid inter famulos Dei non ab omnibus tenetur, sed ab vno, vel à paucis præsumitur, aut superfluum aut elatum est, & propter hoc noxium iudicandum est, quod magis non virtuti speciem, sed vanitati ostendat.

Abbas autem de mensura prouideat, vt non sint curta ipsa vestimenta vtentibus eis, sed mensurata.] Si enim fuerint vestimenta curta, erunt ridiculosa, si nimis longa, erunt damnosa. Nam sicut de vestimento curto generatur ridiculum: sic & de nimis longo panni damnum. Ergo ne ista perueniant, fiant omnia mensurata.

Accipientes noua, vetera semper reddant in præsenti, reponenda in vestiario propter pauperes.] Hinc Beat. Fructuosus ait: Quicquid in vestimentis, calciamentis, vel lecticarijs monachorum vetustum fuerit, dum noua percipiunt, totum ab Abbate pauperibus erogetur. Hinc & Aurelianus dicit: Si quid verò superfuerit ex vsibus fratrum in auro, aut in ve- H stibus, vel cellerario, Sanct. Abbas per manus prouisoris, aut per quamlibet personam fidelem pauperibus, peregrinis aut captiuis faciat dispensari. Vestimenta verò vetera, cum noua accipiunt, Abbati refundant, incipientibus aut pauperibus eroganda.

Sufficit enim monacho duas tunicas, & duas cucullas habere, propter noctes, & propter lauare ipsas res: Iam quod supra fuerit, superfluum est, & amputari debet. Et pedules, & quodcunque est vetustum reddant, dum accipiunt nouum.] Hinc Isidorus ait: Ternis tunicis, & binis pallijs, singulisq; cucullis contenti sint monachi, nihil præter hæc in habitu aliud præsumentes. Hinc & sanctus Fructuosus ait: Vestimenta non multa, nec superflua sint monachis, duabus tantum cucullis villatis, & simplici vno palliolo, ternisque tunicis, & staminijs duabus cuiusque necessitatis querimonia sufficienda est. Hinc Ferriolus ait: Vestimenta superflua monachus non requi-

A rat, dicente Domino ad discipulos. Neque duas tunicas habeatis. Quas duas tunicas intelligere debemus non numero, sed propter hyemem necessarias esse; sed supra vsum si reseruatæ fuerint computari. Secus ergo si quid fuerit, putabitur alienum. Dum quicquid possessor auarus includit, magis vtitur quam Dominus. Quod vt vetetur maximus nobis B. Apostolus testis assurgit qui dicit:
1.Tim. 6. *Habentes victum, & vestitum his contenti simus.* Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.

Fœmoralia hi qui in via diriguntur de vestiario accipiant, quæ reuertentes lota ibi restituant. Et cucullæ & tunicæ, sint aliquanto ijs quas habere soliti sint meliores, quas exeuntes in viam accipiant de vestiario, & reuertentes lotas ibi restituant.] Fœmoralium vsus cuiquam est permittendus, maximè his, qui in ministerio implicantur altaris. Sed & hoc si studere noluerit, reprehendendus non erit, cum nunc vsque constet pleraque hunc vsum monasterio etiam in his
B regionibus non habere. Quod verò dicit de cucullis & tunicis, sint aliquanto pro via meliores, quàm soliti sunt habere; in illis est regionibus faciendum, vbi multum vilibus soliti sunt vti vestimentis. Vbi verò mediocria sunt inuenta, non sunt propter itinera commutanda. Fœmoralia enim sunt dicta, eo quod fœmora tegunt; ipsa & fœminalia, ipsa & braccas dicimus. Ideò bracas, quia sunt breues. Brachin enim græcè breue dicitur.

Stramenta autem lectorum sufficiant, Matta, Sagum, Lena, & Capitale.] Sagum Gallicum nomen est. Dictum autem Sagum quadrum, eo quod apud eos primum quadratum, vel quadriplum esset. Nos autem modo per diminutionem à Sago, Sagellum dicimus. Lena verò species vestis villosæ est, quam nos copam dicimus. Alij verò galnapam eam vocant. Capitale autem dicit, quod nos plumatum dicimus. De hac sententia & Isidorus dicit: Speciosam vel variam supellectilem monacho habere non licet; cuius stratus erit storia, & stragulum, pellesque lanatæ, galnapis quoque, & facitergium, geminosque ad caput puluillos.

C *Quæ tamen lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt: propter opus peculiare, ne inueniatur. Et si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauissimæ disciplinæ subiaceat. Et vt hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria: id est, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ: vt omnis auferatur necessitatis excusatio.*] Hinc & beatus Fructuosus dicit: Lectula singulorum Abbas vel præpositus bis in hebdomada reuoluat, atque perscrutetur; vt videant ne quis superfluum aliquid illic, vel occultum habeat. Subulæ sanè, acus, ac fila diuersa pro consuendis, emendandisque vestibus ipsis tribuenda sunt ab Abbate, & cum necessitas poposcerit, lauandi atque emendandi habeant facultatem. Hinc & Sanctus Pachomius ait: Nemo habeat præter ea, quæ in commune monasterij lege præcepta sunt; non tunicam, non pallium, non pellem, non nummum, nec ad caput puluillum, exceptis his, quæ à Patre monasterij per præpositos diuiduntur.

D *A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum: quia dabatur singulis, prout cuique opus erat. Ita ergo & Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs suis Dei retributionem cogitet.*] Hinc Isidorus ait: Vestimenta non erunt æqualiter distribuenda in omnibus, sed cum discretione, vt cuiuscunque ætas, gradusque expostulat. Ita enim & A-
Act. 4. postolos fecisse legimus, sicut scriptum est: *Erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique prout opus erat.* Vniuscuiusque autem fratris supplementum vel indigentia inspiciatur, vt qui habent contenti sint, & qui non habent accipiant.

CAPVT LVI. E

De mensa Abbatis.

Mensa Abbatis, cum hospitibus & peregrinis sit semper. Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniorum autem vnum, aut duos, semper cum fratribus dimittendos procuret, propter disciplinam.] Hinc patres antiqui dixerunt: Non licebit peregrino fratri cum fratribus manducare, nisi cum eo, qui præest, Patre, vt possit ædificari. Quando tamen defuerint hospites, cum quibus vult de fratribus Abbas manducet. Seniores tamen pro custodia cum fratribus dimittet.

CAPVT LVII.

De Artificibus Monasterij.

Artifices, si sunt in monasterio, cum omni humilitate, & reuerentia faciant ipsas artes: si tamen iusserit Abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eò quod videatur aliquid conferre Monasterio, hic talis euellatur ab ipsa arte, & denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum Abbas iubeat.] Hinc F Cassianus ait: Si quis autem de opere ac sudore proprio plus ab alijs reddidus constat monasterio, in nullo infletur, nec sibi de tanto operis sui acquisito blandiatur, nec amplius sibi aut delicatius aliquid solita quotidiani victus parcitate præsumat, sed tanquam peregrinum se huiusmodi reputans arreptæ nuditatis virtutem vsque perducat. Quod autem dicit: hic talis euellatur ab ipsa arte: intelligitur, suspendatur ab ipso, cui incumbebat operando artis officio; nec amplius transeat per eum, id est, non operetur, nisi humiliatus fuerit denuò. Erigere enim atque suspendere vnum intelligitur esse.

Si quid vero ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi, per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur Ananiæ, & Saphiræ, ne forte mortem, quam illi Act. 5. G *in corpore pertulerunt, hanc isti vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monasterij fecerint, in anima patiantur.*] Peior enim & durior est mors, quam fraudem faciendo monachi patiuntur in anima, quàm mors corporis, quam passi sunt Ananias, & Saphira. Mors enim corporalis omnium est communis, & temporalis: mors verò animæ impiorum est & pœnalis. Hæc animam disiungit à corpore, illa verò separat à creatore. Hæc corpus in sepulchrum, illa verò immittit animam in infernum.

In ipsis autem pretijs, non subrepat auaritiæ malum, sed semper aliquantulum vilius detur, quàm à sæcularibus datur, vt in omnibus glorificetur Deus.] Hinc quidam monachorum magister ait: Cum vnaquæque ars aliquem profectum superuacuum vsibus monasterij, vel mittendarum Eulogiarum abundauerit, interrogata qualitate pretij, quantum à sæcularibus distrahi potest, tantum infra nummorum minori semper distribuantur pretio; vt agnoscantur in hac parte spiritales à sæcularibus actibus distantiaque separari. Cum negotij causa, quæ inimica est animæ, lucrum supra iustitiam quærant, sed etiam ab ipsa iustitia minus accipiendi pretij humanitate consentiant; vt propter cupiditatem & auaritiam H artes operari credantur. Auaritia enim non est paruum, sed grande malum. Ignis est in corde auari inextinguibiliter ardens, & incessabiliter vrens. Hinc in B. Iob libro scriptum est: *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter* Iob 15. *accipiunt.* Quod B. Gregorius exponens ait: Ignis tabernacula deuorat, cum æstus auaritiæ cogitationes mentis deuastat. Hinc & Salomon ait: *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam.* Prou. 15. Et, *Auarus non implebitur pecunia.* Eccl. 5. De auaritia enim multa alia vitia pullulant, sicut scriptum est: *Radix omnium malorum est auaritia.* 1.Tim. 6. Hoc enim vitium non solum occulta plurima, sed & aperta multa generat mala.

A

CAPVT LVIII.

De disciplina suscipiendorum fratrum.

1.Ioan.4. NOuiter veniens quis ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus, sed, sicut ait Apostolus, probate spiritus, si ex Deo sunt.] Hinc & patres antiqui dixerunt: Si quis fidei ardore succensus renuncians seculo monasterium magnæ dispositionis elegerit expetendum, nouitati eius non confestim licentia tribuatur intrandi, sed primum studiosius indagetur, vtrum voluntariè, an necessitate aliqua coactus aduenerit. Sed dicente Apostolo, *probate spiritus, si ex Deo sunt*, diligenter probetur, ne fortè sit, de quibus Dominus

Matt.7. ait: *Venient ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos.* Probatio enim discernit, vtrum eum tentatio diaboli, an vocatio ad monasterium adduxerit Christi.

Ergo si veniens perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias & difficultatem ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit pa-

B *tienter portare, & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus.*] Illatas iniurias siue eas dicit, quas à portario probationis causa in cella patitur hospitum, sicut beatus de tali Fructuosus ait: Hospitibus siue peregrinis stramina comportabit, aquam calefaciens pedibus, & omnia humiliter ministeria exercebit, fascemq; lignorum suo quotidiè dorso ferens hebdomadarijs tribuet, atq; ita in omni penuria & vtilitate subactus expleto animo probatus moribus, & laboribus elimatus percepta in Ecclesia benedictione fratrum societati donetur. Sequitur;

Postea autem sit in cella nouitiorum, vbi meditetur, manducet, & dormiat.] Nouitiorum cella dicit, non hospitum, sed pulsantium. Vbi nouiter veniens siue cum his, quos ibi inuenerit, siue cum magistro, quem habuerit, meditetur, in canticis & psalmis, & hymnis, siue in regularibus præceptis, quibus tradendus est, obseruandis. Nequaquam ergo debet à tempore inchoare, qui mundo renunciat, ne per ipsum tempus rursus in amorem seculi

C cadat.

Et Senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eo omnino curiosè intendat, & sollicitus sit, si verè Deum quærat, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria.] Si sollicitus est ad opus Dei dicit, id est, ad ea, quæ propriè ad Deum pertinent, videlicet ad orationem, ad lectionem diuinam, ad vigilias nocturnas, cursusque diurnos, ad ieiunium, & omne diuinum officium. Ad obedientiam dicit; quia melior est obedientia, quàm victima. Ad opprobria, dicit, vt si venerit pro nomine CHRISTI, patienter ea toleret. De hoc beatus Fructuosus ait: Conuersum de sæculo, vt patrum Decreta docent, non suscipiendum; nisi prius experimentum sui in opere, & penuria opprobrijs dederit, & conuitijs. Hinc & beatus Basilius ait: Priusquam nouitius corpori fraternitatis inseratur, oportet ei iniungi quædam laboriosa opera, & quæ videantur habere opprobria, & obseruari oportet, si libenter hæc, ac fiducialiter expleat, ne confusionem eorum grauiter ferat, vel etiam si in labore impiger inueniatur & promptus.

D *Prædicentur ei omnia dura, & aspera, per quæ itur ad Deum.*] Prædicentur ei dura dicit, id est, rigida, fortia, vel laboriosa, vt possit dicere cum psalmista: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Aspera dicit, districta, violenta, vel arcta, & angusta, de qua Dominus: Arcta, & angusta est via, quæ ducit ad vitam. Illum audi videlicet qui dixit: Ego sum via, veritas & vita. Hinc & antiqui patres dixerunt: Hi tales sunt, cum seculi latebris liberari voluerint, appropiantes monasterio hebdomada pro foribus iungatur, & semper dura & laboriosa eis proponantur. Si verò perseuerauerint pulsantes, eis non negetur ingressus, sed is, qui præest pater, huiusmodi homines introire permittat, & qualiter vitam fratrum, vel regulam tenere possint ostendat.

Et si promiserit de stabilitate sua perseuerantiam, post duorum E
mensium circulum, legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis, si potes obseruare, ingredere: si vero non potes, liber discede.] Si potes obseruare inquit, ingredere, subauditur, si potes præcepta istius regulæ obseruare ad militandum, ingredere. Sin autem non potes, priusquam iugo regulæ colla submittas, & eius seruituti subdaris, liber discede. Notandum, quia non ait, Ecce lex, sub qua quiescas, vel vacans otio quietè viuas, sed sub qua militare vis, inquit, vt intelligas, quia militia est vita hominis super terra, & sicut dies mercenarij, dies eius. Ergo pro mercede æterna omnia debet pro Domino sustinere, qui in eius cupit transire militiam, & tanquam aurum lima malleis, & igne fornacis probari, vt ad diadema, & coronam Dominicam possit peruenire.

Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia.] Hinc Isidorus ait: Neque enim intus suscipi quemquam conuenit, qui F
relicto seculo ad militiam CHRISTI pia & salubri humilitate conuertitur, nisi prius foris posito eius humilitas siue patientia comprobetur. Ideò autem probationis sub Abbatis imperio militamus, & dura & aspera ab Abbate imperata gratanter portamus, vt post peregrinationem vitæ huius cum Domino regnare mereamur. Quod autem dicit, tunc ducatur in supradictam cellam nouitiorum, cum antea iam dixisset, sit in cella nouitiorum, non intelligitur exisse eum ab ipsa cella nouitiorum, & venisse ad auditorium, siue ad eum, quem Abbas elegit, locum, & ibi audire regulare præceptum; & tunc iterum reuerti in cella nouitiorum. Hinc Sanctus Aurelius ait: Hoc iubente Deo in primis statuimus tenendum, vt si quis ad conuersionem venerit, regula ei in salutario legatur.

Et post sex mensium circulum legatur ei regula, vt sciat ad quid ingreditur:] Hinc Ferriolus ait: Post hoc monasterij regula Abbatis iussione legatur, vt in posterum nihil, vel inusitatum aut discessurus prætereat, aut se permansurum agnoscat. Vni ergo de senioribus deputatus informetur regularibus disciplinis, vt quæ facere debeat, quibusque eum seruire conueniat, deinceps omnia recognoscat. G

Et si adhuc stat post quatuor menses iterum legatur ei hæc eadem regula.] Hinc anni cursus impletur nouitio à tempore quo pulsans venit ad monasterium. Cui & ordinatum in hoc anni curriculo ter lecta est regula, demoranti adhuc in nouitiorum cella. Quod tempus non solum B. Benedictus, sed & alij patres iusserunt obseruare nouitium. Dixerunt enim, nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur, sed si pœnitentis fuerit tanta compunctio, vt hoc sibi supplicatione assidua exigat, non negari. Tamen quod vni fideliter poscenti conceditur non quasi licitum habeatur. Hinc beatus Fructuosus ait: Sicque anno vni spiritali traditus Seniori non statim commiscendus erit congregationi, sed priùs cunctis bonorum operum exercitijs edocendus. Quod si quilibet conuersus bonis ac puris moribus enitens, Abbatis vel aliorum fratrum spiritalium fuerit iudicio comprobatus, pro merito, & puritate suæ conscientiæ clericus poterit fratrum consortijs misceri, secundum quod Abbatis vel fratrum optimorum censuerit deliberatio faciendum. H

Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens lege regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat de monasterio egredi, nec collum excutere de sub iugo regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare aut suscipere.] Habita enim ab habendo vocatur. Deliberatio autem meditatio, vel tractatio dicitur. Ergo habita deliberatio iam definita est retractatio. De hac enim sententia quidam magister monachorum ait: Qua regula in lectione nouitio expleta respondeat ei hoc primò Abbas, non fortè eum posse constituta regulæ conseruare. Cùm verò ille dixerit posse se omnia obedire, & omnia Abbatis verbis prædicta cum se responderit nouus frater seruare, & ad omnia facta esse paratum; & si professus

fuerit se omnia impleturum, tunc excipiatur in congregatione monachorum. Exceptus verò vsque ad mortem suam nec præsumat, nec permittatur de monasterio egredi propter illud propheticum: *Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

Suscipiendus autem in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum, & obedientia coram Deo, & sanctis eius, vt si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.] Promitat autem & dicat hoc modo: Ego ille in hoc monasterio sancti illius promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum, & obedientiam secundùm regulam B. Benedicti coram Deo, & sanctis eius. Cumq; hac se promissione adstrinxerit, subijciatur regulis supra scriptis, per bonorum operum industriam quandoq; Domino placiturus. Quod si aliquando aliter fecerit, id est, à regulari vita volens discesserit, à Deo se damnandum, quem irridet, sciat.

De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis.] Quæ petitio hoc tenore dicatur à nouitio: Monachatus martyrocinium diligenter attendēs considero, quod petitione meæ primum non facilis monasterij concessus est introitus, sed diu mihi pulsanti vix hospitij locus est misericorditer attributus, in quo per paucos dies demoratus, nouitiorum sum domum progressus, in qua mihi dura & aspera primò diligenter à Seniore sunt prædicata, & stabilitatis meæ promissio simpliciter expectata. Qui Senior comminans mihi hæc terribilis verba auribus intimabat: Sciendo scias, quoniam si præter promissionem regularis Obseruantiæ retro conuertens respexeris, aptus regno cœlorum non eris. Insuper qualibet te tectum vestibus monasterij claustra recepetint, in talibus te fore ab illa proijciendum cognosce. Et quia te pannis exspoliatum veteribus, pariterque exspoliatum vitijs perdiderat mundus, fas est vt vtroque suum vestitum recipiat seruum, ad ignominiam omnium in perpetuo seruandum. Ego autem Dauidico confortatus exemplo Domino clamans aiebam: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras*, certissimè sciens, quia si particeps CHRISTI passionibus fuero, & resurrectionis ero. His & similibus diuinis confortatus oraculis, omnia me constanter perpeti pro vita profitebar æterna. Hanc nostram cernens pater constantiam, ter iussit in anno per ordinem nobis legere, paritérque tradere regulam cum protestatione monentis atque dicentis: Ecce lex sub qua militare vis. Si potes obseruare, ingredere; si non potes, liber discede. Hinc ergo videns ordinatissimum atque norosum mihi, spatium attributum dubitationis aditu prætermisso, vt me vestro iam corpori sociare dignemini, lacrymabiliter rogitans deposco. Ego verò mecum iam saluationis deliberatione salubriter habita, promitto me in omnibus regulæ custodire, Domino iuuante instituta, libenterque Abbatis mei seruare præcepta, Fratrumque maiorum cunctis Domino fauente obtemperare mandatis, & propter æternam libertatem legibus huius regulæ deinceps me polliceor fideliter mancipari, ita vt non iam mihi ex hac die liceat egredi de monasterio, collumque de sub regulæ excutere iugo, quod sub anna optione aut excusare licuit, aut suscipere. Sed vt præparatus sum omni excusatione postposita promitto stabilitatem monasterij, morumque meorum conuersionem, & propter professionis meæ seruitium, & vitæ æternæ præmium, metumque gehennæ, sanctæ meæ obedientiæ coram Deo, & angelis eius humiliter militaturum subijcio. Et vt hæc promissionis meæ petitio à vobis firmiter teneatur, ad nomen sanctorum, quorum hic reliquiæ continentur, & præsentis Abbatis illius conscriptam trado in perpetuum habendam, & manu mea roboratam super altare posito hoc in monasterio perenniter obseruandum. Vnde & sequitur;

Quam petitionem manu sua scribat, aut certè si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, & ille nouitius signum faciat, & manu sua eam super altare ponat.] Hinc & alibi scriptum legimus. Si cum rebus suis introierit nouitius, tunc e breuis, vel donatio rerum suarum Deo, vel monasterio facta, ipsius donatoris manus super altare ponatur, dicente ipse fratre: Ecce Domine cum anima mea & paupertate mea quicquid mihi donasti, tibi reconsigno & offero, & ibi volo vt sint res meæ, vbi fuerit cor meum & anima, sub potestate tamen monasterij & Abbatis, quem mihi Domine in vice tua timendum præponis, cum eis dicis: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me* Luc. 10. *spernit.*

E

Quam dum posuerit, incipiat ipse Nouitius mox hunc versum:
Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & viuam, & non Psal. 118.
confundas me ab expectatione mea. Quem versum omnis congregatio tertiò respondeat, adiungentes, Gloria patri. Tunc ipse frater nouitius prosternatur singulorum pedibus, vt orent pro eo: & iam ex illa die in congregatione reputetur.] Vox pœnitentis, & ad Deum conuertentis est, quæ dicit: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & viuam*, &c. Qui enim peccando longè à Deo recessit, & velut mortuus à cognitione Dei longo vsu in peccati sepulchro latuit, pœnitendo iterum humiliatur, & vt receptus in æternum viuat, flebiliter Dominum deprecatur. Vnde & fratrum omnium prostratus pedibus, pro se orare eos rogitare debet assiduus etiam in congregatione deceptus. Hinc quidam monachorum magister ait: Post hæc dicta dicat ipse Nouitius frater responsorium hoc: Suscipe me Domine secundum verbum tuum, & viuam, &c. Post hoc responsorium dicit Abbas hunc versum: *Confirma hoc Deus, quod operatus* Psal. 67.
es in nobis. Post quem versum dictum, mox data ei ab omnibus pace compleat Abbas. Hinc datur intelligi, quia post illam gloriam ab omnibus superius dictam omnes iterum cum illo Nouitio, silentio vt mos est, debent dibere orationem Dominicam, & Abbate dicente, & ne nos inducas in tentationem; more solito respondeant omnes, sed libera nos à malo: & tunc orans Abbas super Nouitium hanc orationem dicat: Suscipe, quæsumus, Domine hunc famulum tuum ad te procella sæculi huius, laqueisq; diaboli fugientem, vt te susceptus & instanti seculo saluatum, & in futuro se gaudeat à te feliciter muneratum, Per. Et tunc osculo omnibus dato etiam in congregatione reputetur.

F

G

Res, si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solenniter donatione, conferat monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus: quippe qui ex illo nec proprij corporis potestatem se habiturum sciat.] Quod dicit: facta solenniter donatione: intelligitur religiosè coram testibus, & vniuersa monasterij congregatione. Vnde & alibi monachorum patres dixerunt: Si aliquam nouitius in cellulam voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus. Hinc & quidam monachorum magister ait: Vna cum anima sua Deo, & Oratorio monasterij per donationem offerat totum, subscribentibus religiosis testibus, Episcopo, Presbytero, & Diacono, vel ipsius territorij clero, & in ipsa cautione taxans hoc, quod si aliquando monasterio discedere voluerit sine rebus suis de monasterio, vel sine indulgentia peccatorum à Deo discedat.

Mox ergo in Oratorio exuatur rebus proprijs, quibus vestitus est, & induatur rebus monasterij.] Hic autem vt mihi videtur, si in laicali habitu est, prius tondeatur, & sic vestibus monasterij induatur. Hinc & quidam antiquus monachorum magister ait: Cum ergo cum cæteris fratribus inculpabiliter in monasterio integrum annum impleuerit, tunc demum sine aliqua dubitatione tondeatur, vel ei sancti præpositi vestes mutentur. Hinc & Cassianus dicit: Cum verò receptus quis in monasterio fuerit ita fideliter omni pristina facultate nudetur, vt ne ipsum indumentum, quo à seculo venit indutus, habere amplius permittatur: sed in medio productus exuatur proprijs, ac per manus Abbatis induatur monasterij vestimentis. Tondendo autem Nouitio, priusquam tondeatur, hæc oratio à sacerdote dicatur: Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, vt sicut hic famulus tuus comam amittit capitis, vitia cordis simul amittat, & corporis, vt corpore pariter innouatus & mente, tecum feliciter valeat in æternum regere, Per.

H

A *Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conseruanda; vt, si aliquando suadente diabolo, consenserit vt egrediatur de monasterio (. quod absit.) tunc exutus rebus monasterij proijciatur.*] Hinc Cassianus ait: Illa verò, quæ deposuit vestimenta, præposito tradantur, quæ tamdiu ab eo seruentur, donec profectus conuersationis eius diuersis tentationibus ac probationibus euidentius agnoscatur. Si verò aliqua murmuratio aut inobedientia, in eo fuerit deprehensa, exuatur monasterij vestibus, quibus indutus fuerat, & reuestitus suis antiquis, quæ à præposito conseruantur, foras expellatur, quia non est fas eum vestimentis monasterij, quæ accepit, abcedere. Hinc quidam monachorum magister ait: Vestes verò sæculares, quas dum mutat exutus fuerit, cum diligentia repositæ conseruentur, tam de laicis, quàm etiam de firmato conuerso, ne fortè quod non in conuersis contingat, cum ad suos denuò vomitus redire voluerit, & seculi elegerit iteratò repedare itinera, & nullis scripturarum, vel monitionum poterit vinculis retineri, reddat Christo quod suum est, id est, exutus sanB ctis vestibus, vel habitu sacro, suis quibus venerat vestitus vestibus resimilians seculum ad suasorem diaboli reuertatur, & non Christi prædatus habitus polluatur in seculo à fugaci.

Illam tamen petitionem eius, quam desuper altare Abbas tulit, non recipiat: sed in monasterio reseruetur.] Ideò illam petitionem iubet reseruari, vt per eam etiam illo nolente, si voluerit Abbas, possit eum iterum in monasterio reducere, ibique subiectum tenere. Aut si fortè se dixerit esse non monachum, ab illa petitione victus, in monachatus redigatur seruitium.

CAPVT LIX.

De filijs nobilium vel pauperum, qui offeruntur.

SI *quis fortè de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes eius faciant petitionem, quam supra diximus. Et cum oblatione, ipsam petitionem, & manum* C *pueri inuoluant in palla altaris, & sic eum offerant.*] Hinc Basilius ait: Oportet tamen infantes voluntate & consensu parentum, immò ab ipsis parentibus oblatas sub testimonio plurimorum suscipi, vt omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum pessimorum. Cum autem fuerint suscepti, si fortè propositum suum transgressi fuerint, nec videri eos oportet amplius, tanquàm eos, qui in Domino deliquerunt, quod est confessionis suæ pactum, cum professi sunt. Quod si peccauerit, inquit, homo in hominem, orabit pro ipso ad Dominum, si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? Hine Isidorus ait: Quicunque à parentibus proprijs in monasterio fuerit delegatus, nouerit se sibi perpetuò permansurum. Nam Anna Samuel puerum natum, & abstractum Deo pietate obtulit, quique & in ministerio templi, quo à matre fuerat functus, permansit, & vbi constitutus est deseruiuit. Hinc datur intelligi, quia parentes, non alios, quàm patrem aut matrem, qui eum genuerunt, dicit: quia Anna Samuelem, quem genuit, D ipsa & non alius eum seruiturum in templo Domini obtulit.

De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub iureiurando.] Sub iureiurando dicit, id est, cum iuramento. Omnis enim per superiorem suum iurat. Et ideo dicit, sub iureiurando, quia sub iuratione, qua iurat, & sub illo est, per quem iurat, ipse qui iurat.

Quia nunquam per se, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo, ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi.] Suffecta persona dicitur supposita, vel subrogata. Suffectus dicitur in loco alterius suppositus, quasi suffactus. Vnde & consulem suffectum dicimus eum, qui pro alio substituitur.

Vel certè si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemosynam monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus, quas dare volunt monasterio, donationem, reseruato sibi (. si ita voluerint.) vsufructu.] Vsumfructum dicit, quod nos dicimus E vsumfructuarium, id est, illas res donent monasterio per testamentum sibi vsufructuario reseruato, de quibus rebus soluant omni anno sibi indictum censum.

Atque ita omnia obstruantur.] Id est, omnis occasio claudatur, obturetur, & abnegetur, vnde puer vlterius non periclitetur. Nefas est enim, vt qui decipulam huius seculi intendit euadere, reseruet, vnde eum infestatio diabolica valeat irretire.

Vt nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit (. quod absit.) quod experimento didicimus.] Viderat enim ille tali occasione de monasterio iuuenes foras exire, & pro rebus terrenis seruitium Dei relinquere, seculumque diligere; & ideo ait, experimento didicimus. Quod & si tunc raro fiebat, nunc verò factum nos frequentissimè esse cognoscimus. De hoc enim capitulo quidam monachorum magister ait: Cum alicuius nobilis filius propter Dei seruitium in monasterium voluerit conuolare, non priùs suscipiatur, nisi, vt superius diximus, omnem à se obedientiam promiserit adimplendam. De-F inde conueniant & parentes, vt & eorum quale sit votum, agnoscatur de eo. Quod si magis fuerint consentientes eius votis parentes, conuocatis eis ab Abbate in monasterium votum filij conuertentis exquiratur ab eis, vt ab ipsis potius videatur deuoueri, vel offerri, qui eum genuerunt. Cùm ergo magis responderint parentes gratanter, se velle adimplere quæ cupit: Tunc dicat & Abbas: Ita enim nos considerantes, O parentes, iustè vobis secundum Deum pro vestris filijs suademus, vt si filium vestrum dignè Deo cupitis offerre, à seculo eum prius exuite. Quod si aliquid apud nos eis Deo remanserit conseruandum, habebit aliquando titillationem diabolici desiderij, sicut canis delectatur ad suum redire vomitum, & posita manus super aratrum respiciens retrò, iam non sit aptus regno cœlorum. Relicto quandoque monasterio securus de portione sua, & seruata à vobis cupiens in secularem domum vestram reuerti, fratribus suis volens esse cohæres, in suarum redire incipiat sponsus, & Dominus facultatum, & pristinis restitutus delicijs & pompis non aliud desideraturus quàm nuptias. Ergo, G sicut superius diximus, si dignè eum vultis Deo offerre, de portione eius tres fiant æqualiter partes. Vna distributa Abbatis manibus pauperibus, vel indigentibus erogetur. Aliam vobis, vel fratribus suis pergens ille ad comitatum sanctorum exagiliario munus titulo derelinquant. Tertiam vero partem, viatici sui vtilitatem deferat secum monasterij sanctorum vsibus profuturam. Quod si vtraque vobis graues sunt voces, vt nec Deum audiatis pauperibus erogando, & filij animam redimendo, nec nostrum consilium partibus diuidendo, & auferendo ab eo secularem substantiam, vel nudum & solum filium Deo largiamini. Ita vt iureiurando per sacrosancta Euangelia promittatis, & vlteriùs eum de vestra patrimonij substantia nihil habere, vt firmiter iam perseuerans in Domino, sciat se de seculo nihil sperare, cum se à vobis, & ab eo viderit alienum. Tantum est, vt nihil habeat de seculo, quod viuis vobis aut mortuis de vestris facultatibus iam speraret. Quia qui semel crucifixus est mundus, denuò ab eo delectari non debent. Sequitur; H

Similiter autem & pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, cum oblatione offerant filium suum coram testibus.] Quæ traditio filiorum siue nobilium, siue ignobilium, siue diuitum, siue sit pauperum cum agatur, hoc tenore dici insinuetur. Dum legaliter sancitum, antiquitusque teneatur, & tantum cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini Domino feliciter seruituros, proculdubio hoc de nostris filijs faciendum nobis salubriter præbetur exemplum. Æquum etenim est iudicium Creatori nostro de nobis reddere fructum. Idcircò hunc filium nostrum nomine illo cum oblatione in manu atque petitione altaris palla omnia inuoluta ad nomen sanctorum, quorũ hic reliquię continentur, & Abbatis præsentis, trado coram testibus regulariter permansurum, ita vt ab hac die iam nō liceat illi collum de sub regulæ excutere iugo, sed magis

eiusdem

eiusdem regulæ fideliter se cognoscat instituta seruare, & Domino cum cæteris gratanti animo militare. Et vt hæc nostra traditio inconuulsa permaneat, promitto cum iu-eiurando coram Domino & angelis eius, quia nunquam per me, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi ei de monasterio tribuo occasiones; & vt hæc peritio firma permaneat, manu mea eam firmam & testibus tradidi roborandam.

CAPVT LX.

De Sacerdotibus qui voluerint in Monasterio habitare.

S*I quis de ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi rogauerit, non quidem ei citius assentiatur.*] Ideo dicit: non ei citius assentiatur, vt eius inquirendo constantia approbetur, & in ›ulsando perseuerantia cognoscatur. quia scriptũ est: *Quære & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Vel certè ideò, vt ›robetur, vtrum Spiritu sancto afflatus, aut alio veniat piritu commotus, atque tentatus.

Tamen si omnino persliterit in hac petitione, sciat se omnem re-ulæ disciplinam seruaturum.] Regulæ disciplinam dicit, re-gularem in omnibus doctrinam, & eruditionis sanctæ ›ræcepta. Disciplina enim à discendo nomen accepit. Quicquid enim in schola regulari sanctè discitur, non ncongruè disciplina vocatur. Eruditio enim regularis disciplinæ in præceptis eiusdem regulæ custodiendis, & in astigationibus, & increpationibus, & in varijs iudicijs :onstat. In quibus qui perseuerauerit vsque in finem, hic aluus erit.

Nec aliquid ei relaxabitur, vt fit sicut scriptum est: Amice ad uid venisti?] Tradere enim Iudas venerat Dominum, & xcusationis causa falsum illi porrigebat osculum. Qui Dominus ait: *Amice ad quid venisti?* Sub hoc age, venisti e-im me tradere, non osculari. Dimitte ergo osculum fal-um dare, & festina magistrum & Dominum tuum trade-e. Hoc enim modo dicendum est sacerdotibus, & omni-us in regulari vita degentibus, qui eius in omnibus o-edire non curant præceptis. Dicatur enim: Amice ad uid venisti? hoc age; venisti enim obedire, non impe-are. Operari, non otiari. Operibus exerceri, non fa-ulis vacare. Humiliare non superbire. Ergo amice ad uid venisti? hoc age. Regularia venisti obseruare præce-ta, in quantum vales Domino adiuuante, obserua illa, vt istificeris illa obseruando, non pericliteris ea contem-endo.

Concedatur ei tamen post Abbatem stare, & benedicere, aut Mis-s tenere: si tamen iusserit ei Abbas, sin alias, nullatenus aliqua asumat, sciens se disciplinæ regulari subditum, & magis humi-atis exempla omnibus det.] Sacerdos qui benè in seculo cu-oditus ob amorem Dei, morumque suorum honesta-em, vitæque regularis temperamentum venit ad mona-erium, & vt quietus ibi Domino seruiat, & amplius am-liusque in virtutibus crescat, & vt pater monachorum monasterio viuit, & sanctitatis exemplum ostendens in rtutibus sanctis cæteris præcellit. Huic ritè concedatur post Abbatem stare, & benedicere, & Missas tenere. t hoc ipsum non sua temeritate, sed iussus, & ordinante ebet agere Abbate. Qui verò peccati pondere pressus in onspectu Dei à sacerdotali est honore depositus, & vt luetur, claustra petit monasterij, vt ibi pœnitentiæ sub-ctus viuat semper humiliatus, non ei talis est locus quæ-ndus, sed sui ordinis humiliter loco debet esse conten-is.

Si forte ordinationis aut alicuius rei causa fuerit in Monasterio, um locum attendat, quando ingressus est Monasterium, non illum, i ei pro reuerentia Sacerdotij concessus est.] Quod dicit: si for-ordinationis: aut quia sacerdos est ordinatus, aut quia dinationis ministerium, id est, aut aliquid ordinaret, otestatem accepit ab Abbate, in monasterio, aut alicu-s rei causa, subauditur fuerit exaltatus in monasterio, il-m locum attendat, &c. De hoc capitulo & quidam mo-chorum magister ait: Sacerdotes si hoc elegerint, vt pro amore Dei, vel propter disciplinam, vel mensuram sanctæ vitæ monasterijs habitent, in solo nomine patres monasterij nuncupentur, & nihil aliud eis in monasterijs liceat, nisi orationes colligere, complere, & signare. E

Aliud verò nihil aut præsumant, aut eis liceat, nisi aliquid ordinationis, aut dominationis aut dispensationis vindicent, sed omnem formam licentiæ, vel ordinandæ dominationis monasterij Abbas, qui super gregem vniuersum est ordinatus, cum Regula iudicet, vel defendat. Nam solo honoris nomine ideo statuimus eos patres monasterij appellari propter sacrationem sacerdotij, aut ordinationem. Nam ipsi Sacerdotes, si victum aut vestitum, aut calcearium monasterij, vti magis quotidiè eligunt, & operari communiter secundùm præceptum Apostolicum, memores Spiritus sancti, Apostolis formam ostendentis de se, & dicentis: *Non gratis panem nostrum manducauimus.* Et iterum dicit: *Laborauimus manibus nostris, ne quem vestrum grauaremus.* Et item ipse dicit: *Qui non laborat nec manducet.* Ergo quod si diutissimè otiosi labore manuum suarum quærere victum noluerint, eum reuerentia per multorum religiosorum testimonia conuenti ab Abbate Ecclesijs reuertantur. Si verò (. Quod absit.) non pacificè, sed magis per scandalum exire voluerint, tenti & exuti rebus monasterij clausa regia excludantur, quia magis ipsi agere debent, quod alijs prædicant. 2.Thess.3. 1.Cor.4. 2.Thess.3. F

Clericorum autem si quis eodem desiderio Monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur. Et ipse tamen si promittit de obseruatione Regulæ, vel propria stabilitate.] Et hic illos clericos mediocri iubet collocari loco, qui non peccati pondere pressi, sed amore Dei, & regularis vitæ desiderio fratribus se sociari voluerint in monasterio. Cæteri verò, vt iam superiùs est de Sacerdotibus dictum, ordinis sui vnusquisque humiliter contentus sit loco.

CAPVT LXI.

G

De Monachis peregrinis, qualiter suscipiantur.

S*I quis Monachus peregrinus de longinquis prouincijs superuenerit, si pro Hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci, quam inuenerit, & non fortè superfluitate sua perturbat Monasterium, sed simpliciter contentus est, quod inuenerit, suscipiatur quanto tempore cupit.*] Contentus dicit, in cibo, in potu, & vestimento, siue in laboribus, vel in aliarum rerum monasterij consuetudinibus. Si verò in his omnibus superfluitate sua, id est, quærendo, vel reprehendendo superfluè non conturbat monasterium, recipiatur quanto tempore cupit. Hinc Basilius dicit: Concedi quidem ei conuenit ingressum propter incertos exitus rerum. Interdum enim potest fieri, vt per tempus proficiat, & delectetur sanctitate vitæ, & permaneat captus, sicut & frequenter factum scimus. Oportet tamen circa eum cautius agi, & diligentius, vt siue in veritate permaneat vel proficiat, siue institutionum nostrarum libertas exploratur, probabilis inueniatur & pura. Ita namque & nos Deo placebimus, & ille proficiet, si verax est, aut, si simulator est, erubescet. H

Si qua tamen rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprehendit aut ostendit, tractet Abbas prudenter, ne forte eum propter hoc ipsum Dominus direxerit.] Quod dicit: si quid cum humilitate charitatis reprehendit: de seruitio Dei, & obseruationibus Regulæ, & custodiendis præceptis Domini dicit. De quibus omnibus, si cum charitate aliquid emendauerit hospes, aut emendare iusserit, libenter audiatur, & quæ emendanda sunt citius emendentur, quia operante Domino alius frequenter per alium emendatur.

Si verò postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, & maximè, quia tempore hospitalitatis potuit eius vita dignosci. Quomodo firmet stabilitate suã, siue in corde tantũ, siue in corde simul & verbo; hic apertè non dicitur,

sed

A
ſed vt datur intelligi, ſicut ille nouitius promittit de ſtabilitate ſua coram Deo, & ſanctis eius, vt ſi aliquando aliter fecerit, ab eo ſe damnandum ſciat, quem irridet; ita & iſte quamuis non promittat, quia iam promiſſum habet. Firmet tamen ſtabilitatem ſuam corde ſimul & verbo coram Deo, & ſanctis eius, & idoneis teſtibus, ne mereatur ipſe damnationem pro multa ſua, & illicita vagatione.

Quod ſi ſuperfluus, aut vitioſus inuentus fuerit tempore hoſpitalitatis, non ſolum non debet ſociari corpori Monaſterij, verumetiam dicatur ei honeſte vt diſcedat: ne eius miſeria etiam alij vitientur.] Superfluus dicitur, vt ſuperius dictum eſt, in cibo & potu, vel cæteris regulæ obſeruationibus. Vitioſus verò dicitur vitio vſus, & crebrò in vitij maculam lapſus. Qui enim amat vitium frequenter vſitatus eo, & miſer ab illo factus conuenienter vitioſus vocatur. Vnde & hic ſequitur: Ne eius miſeria alij vitientur. Miſera enim dicitur vitioſa, & peccatis ſordida vita. Quæ ideo vocatur miſeria, quia miſeros facit diligentes ſe, ſicut ſcriptum eſt: *Peccata nos miſeros fecerunt.* Prou. 14.

B
Quod ſi non fuerit talis, qui mereatur proijci, non ſolum ſi petierit: ſuſcipiatur congregationi ſociandus: verumetiam ſuadeatur vt ſtet: vt eius exemplo alij erudiantur: Et quia in omni loco vni Domino ſeruitur, & vni Regi militatur.] Mali enim proijciendi ſunt & expellendi, ne ſocietate eorum vitientur alij. Boni verò ſuſcipiendi, tenendi ſunt, atque trahendi, vt ſocietate illorum meliorentur alij. Illi verò proijciendi, vt eorum caueantur vitia. Iſti tenendi, vt ab alijs iſtorum imitetur ſancta & honeſta vita. Suaſio verò boni, & tenendi hoſpitis iſta erit, Dicatur ei. Sta frater nobiſcum immobilis in hoc monaſterio, vt bono tuo alij erudiantur exemplo. Non enim opus eſt in aliquo quærere loco, qui vbique eſt ſemper notus. Ipſi enim Domino & nos in hoc loco ſeruimus, & ipſi Regi militamus. Vnus enim eſt Dominus in omni loco, cui à ſeruis ſuis quotidiè ſeruitur. Et vnus Rex Regum, cui à militibus ſuis ſemper in omni loco militatur. Et ideo non eſt tibi opus alium quærere locum, vbi melius ſeruias Domino, quia hic benè laborando, Dominoque ſeruiendo cœlorum poteris conquirere regnum.

C
Quem etiam ſi talem eſſe perſpexerit Abbas, liceat eum in ſuperiore aliquantulum conſtituere loco.] Quem ſi talem perſpexerit dicit, id eſt, talem, qui mereatur in ſuperiori loco conſtitui. Vitam enim ſanctam atque probatam exaltari oportet in monaſterio, non nobilem perſonam. Non ſecundùm generoſitatem parentum, vel veſtimentorum cultum, ſed ſecundùm vitæ meritum honorandus eſt Dei ſeruus.

Non ſolum autem monachum, ſed etiam de ſupradictis gradibus Sacerdotum vel Clericorum ſtabilire poteſt Abbas in maiori, quàm ingrediuntur, loco, ſi eorum talem perſpexerit eſſe vitam.] Nec iſti ideo ſunt exaltandi, quia ſunt ſacerdotes, vel clerici ordinati, ſed quia ſunt vitæ merito probati, & in conuerſatione ſancta cæteris ſanctiores inuenti. Et ideò non eos temeritas Abbatis, ſed exaltat ſanctitas actionis.

Caueat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat, ſine conſenſu Abbatis eius, aut literis commendatitijs, quia ſcriptum eſt: Quod tibi non vis fieri alteri non feceris.] Hinc Patres antiqui dixerunt: Non

D
licebit de alio monaſterio ſine voluntate eius, qui præeſt, patris fratres recipere. non ſolum recipere, ſed nec videre oportet, dicente Apoſtolo: Quia qui primam fidem irritam fecit, eſt infideli deterior. Quod ſi precatus fuerit ab eo, qui præeſt, Patre, vt in aliud monaſterium ingrediatur, commendetur ab eo ei, qui præeſt, vbi eſſe deſiderat, & ſic ſuſcipiatur. Ille verò Monachus quantos fratres in alio monaſterio inuenerit, tantos ſe nouerit habere priores. Sed nec attendendum, quid fuit antea, ſed probandum, qualis eſſe cœperit. Suſceptus verò ſi habere videtur aliquid, ſiue in rebus ſiue in codicibus, vltra ei poſſidere non licebit, vt poſſit eſſe perfectus, qui alibi non potuit eſſe ſenex. Hinc beatus Ferriolus ait: Monachum omnino ſiue clericum alterius loci, vel monaſterij recipi ſub qualibet cauſa nolumus, in-

E
terdicimus, prohibemus, proſpicientes talia ſtudio charitatis, ne nouum aliquid ſordes ſcandali ſurgente inducat. Dicit enim ſcriptura: *Quicquid tibi non vis fieri, alij ne feceris.* Matt. 7.

CAPVT LXII.

De Sacerdotibus Monaſterij.

SI quis Abbas ſibi Presbyterum, vel Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligat, qui dignus ſit Sacerdotio fungi.] Confeſſione omnium ſuorum debet Abbas cognoſcere monachorum, & tunc quem ex omnibus elegerit eſſe dignum, ordinari ſibi iubeat Diaconum, vel Presbyterum, eligens in eis regularis vitæ meritum, & ſapientiæ intellectum.

F
Ordinatus autem caueat elationem aut ſuperbiam. Nec quicquam præſumat, niſi quod ei ab Abbate præcipitur, ſciens ſe multo magis diſciplinæ regulari ſubditum. Nec occaſione Sacerdotij obliuiſcatur regulæ obedientiam, & diſciplinam, ſed magis ac magis in Domino proficiat.] Scriptum eſt enim: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Eccl. 3. Caueat ergo monachus neceſſe eſt elationis iactantiam, & omnium vitiorum matrem ſuperbiam; quæ ſicut origo eſt omnium criminum, ita ruina eſt cunctarum virtutum. Nam ideo ſuperbia omni vitio deterior, quia à ſummis perſonis atque primatibus aſſumitur, & de operibus iuſtitiæ, atque virtutibus exoritur. Rectè ergo initium omnis peccati ſuperbia eſt; quia niſi præceſſerit inobedientia, tranſgreſſionis non ſequitur culpa.

Locum vero illum ſemper attendat, quo ingreſſus eſt Monaſterium, præter officium altaris.] Id eſt, humilitatem ſemper tenens, locum ſuum in omnibus regulariter obſeruans cuſtodiat, & ſic accedat ad pacem, ad communionem, ad pſalmum imponendum, in choro ſtandum, & in omnibus omninò locis, præter officium altaris, id eſt, niſi quando altario miniſtrat. Altario enim aſſiſtens primus ſtat, ſacrificat, & primus pro omnibus orat, etiamſi vltimus inueniatur in

G
ordine. Et ideo nec locus ibi cuſtodiendus eſt, nec ordo tenendus.

Etſi forte electio Congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promouere voluerit.] Promoueri dicitur honorari vel exaltari, & ab humiliori loco in ſuperiori ſublimari. Dignum eſt enim apud homines ſublimari, qui fretus amore Dei conſentit præ cæteris humiliari. Monachus enim, qui cautela & moderatione, pudicitia, fide, humilitate, charitate, obedientia, & omni puritatis ſinceritate præ cæteris ornatur, oportet vt præ cæteris honoretur.

Qui tamen regulam à Decanis, vel Præpoſitis conſtitutam ſibi ſeruandam ſciat: quod ſi aliter præſumpſerit, non vt Sacerdos, ſed vt rebellis iudicetur.] Si enim regulam ſibi conſtitutam benè ſeruauerit, & dignitate & nomen Sacerdotis honorificabitur. Si autem non ſeruabitur, nec Sacerdos nec etiam monachus, ſed rebellio vocabitur, quia pactum, quod prius voluntariè & pacificè promiſit, poſteà ſuperbus & contumax irritum fecit. Rebellio enim dicitur, qui poſt pacem factam rurſus reiterat bellum.

H
Et ſæpe admonitus ſi non correxerit, etiam Epiſcopus adhibeatur in teſtimonium. Quod ſi nec ſic emendauerit, clareſcentibus culpis proijciatur de Monaſterio, ſi tamen talis fuerit eius contumacia, vt ſubdi, aut obedire Regulæ nolit.] Si enim tam peruerſus extiterit, vt nec amore CHRISTI, nec pro reuerentia emendare velit Epiſcopi, omnibus notum factum vicinis proijciatur à monaſterio clareſcentibus culpis.

CAPVT LXIII.

De ordine congregationis.

ORdines ſuos in Monaſterio ita conſeruent, vt conuerſionis tempus, & vitæ meritum diſcernit, vtq; Abbas cõſtituerit.] Hinc

beatus

A beatus Fructuosus ait: Qui primus in Monasterio conuersus fuerit, primus ambulet, primus sedeat, primus Eulogiã accipiat, primus communicet in Ecclesia, prius loquatur, cùm interrogantur fratres pro aliqua quæstione priori psalmum dicat, in choro primus consistat, hebdomadam prior faciat, manum in mensam primus extendat. Nec ætas sola inter fratres requirenda, sed conuersio est, & laboris, studijque propositum. Vnde & hæc discretio Senioris est præstolanda, vt quem quomodo erga Dei amorem cultumq; feruentem viderit, sic honoret. Non enim generis dignitas, aut rerum opulentia, quam quisque habuit in sæculo, vel ætatis grandæuitas exquirenda, sed vitæ rectitudo, & ardentissimæ fidei merita debent esse pensanda. Ille enim potior, qui Deo proximor quoq; iudicandus est.

Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum.] Quomodo conturbat Abbas gregem sibi commissum sequentia declarant, cum dicitur;

B *Nec quasi libera vtens potestate, iniuste disponat aliquid.*] Iniustè ergo aliquid disponendo conturbat Abbas gregem sibi commissum. Pro qua re & illum facit esse peiorem, & sibi pro iniusta dispositione multiplicat cumulum damnationis. Vnde & sequitur:

Sed cogitet semper, quia de omnibus iudicijs & operibus suis redditurus est Deo rationem.] Alij autem homines de suis tantùm operibus Domino rationem in iudicio sunt reddituri; Abbates verò, & omnes qui præsunt alijs, non solùm de prauis operibus suis; sed & de iniustis iudicijs rationem reddituri sunt Domino, cùm venerint cum illo in supremo iudicio. Valdè enim debet Abbas timere, qui pro cogitationibus suis, & operibus, pariterque iudicijs Domino debet reddere rationem. Diligenter autem & illud debet attendere, quod Dominus ait: *In quo iudicio iudicaueritis iudicabimini.* Et, *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Sed & illud terribiliter debet expauescere, quod scriptum est: *Iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet: potentes autem potenter tormenta patientur.*

C *Ergo secundùm ordines, quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedent ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum. Et in omnibus omnino locis ætas non discernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel & Daniel pueri, presbyteros iudicauerunt.*] Hinc Isidorus dicit: Quicunq; autem monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus psalmum dicit, primus in mensam extendit manum, prior in Ecclesia communicat, nec ætas inter eos quæritur, sed professio. Quod dicit: Samuel & Daniel pueri presbyteros iudicauerunt: de Heli, & de illis, qui Susannam opprimere voluerunt intelligitur. Samuel presbyteros iudicauit, quando filios Heli peccare vidit, & eos in corde suo præuaricatores iudicauit, & condemnauit. Heli autem, quia eos districta animaduersione non repressit, & ab iniquitate compescuit, similiter reprehendit, & iudicauit. Daniel quoque tunc presbyteros iudicauit, quando illos iniqua cogitatione plenos, qui Susannam voluerunt falso testimonio condemnare, reprehendit, damnauit, & angelico eos gladio trucidandos esse prædixit.

Matt. 7. Luc. 6. Sap. 6. 1. Reg. 7. Dan. 13.

D *Ergo exceptis his, quos, vt diximus, altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit certis ex causis, reliqui omnes vt conuertuntur, ita sint, vt verbi gratia, qui secunda hora diei venerit in Monasterium, iuniorem se nouit illius esse, qui prima hora venerit diei, cuiuslibet ætatis aut dignitatis sit.*] Hinc alibi scriptum est: Abbati verò studendum est, vt per ordinem, sicut conuersi in monasterio fuerunt, ita in suo ordine constituantur, præter si vberis conuersatio religionis meruerit, vt tam in antea promoueatur, vel si grauis culpa exegerit, vt retrò regradetur.

Pueri verò per omnia ab omnibus disciplina teneatur.] Quanto enim fragiliorem in delinquendo videt Abbas ætatem, tanto debet magis mittere in custodiendo certamen.

Iuniores igitur, priores suos honorent.] Non hic honor exigitur rerum, sed reuerentia expetitur verborum & morum.

Priores, iuniores suos diligant.] Dominus enim IESVS CHRISTVS, qui est primogenitus in multis fratribus, dilexit iuniores suos Apostolos, exemplum dans illis, & dicens: *Hoc mandatum do vobis vt inuicem vos diligatis, sicut & ego dilexi vos.* Ioan. 13. E

In ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare, sed priores, iuniores suos fratres nominent: Iuniores autem, priores suos Nonnos vocent: quod intelligitur paterna reuerentia. Sicut tunc apud illos paterna exhibeatur reuerentia, vt priores vocarentur Nonni: Ita nunc apud nos exigitur hodie, vt ipsa paterna reuerentia priores nostri à nobis vocentur Donni; siue enim Nonni priores nostri, siue vocentur Donni; siue iuniores vocentur fratres, omnia benè congruunt. Tantum est, vt nullus fratrum primo vocetur nomine.

Abbas autem, quia vices Christi agere creditur, Dominus, & Abbas vocetur: non sua assumptione, sed honore & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore.] Notandum quia non dixit, Abbas, quia cunctis præest, cunctos præcellit, & super omnes est, ideo Donnus vocetur, & Abbas; sed ait, quia vices Christi agere creditur Dominus, & Abbas vocetur. Ergo Abbas, qui rectè vices CHRISTI inter fratres non agit, hoc nomine indignus recipit, & assumit. Vnde & sequitur: Non sua assumptione, sed honore & amore Christi. Debet enim moribus, lingua, iudicijs, & vita, & in omnibus omninò præceptis Domini, viuere sine querela, dicens Domino veraciter: A iudicijs tuis non declinaui. Et sic ob honorem, & amorem Christi hoc nomine fungi. Prius rectè debet Christi agere vicem, & sic eiusdem sacrosanctum suscipere nomen. Ne si fortè indignus, aut temerè illud voluerit assumere, magis sibi condemnationem, quàm iustificationem assumat. Quod autem dicit: Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore: subauditur de salute sua, & timeat, si prauè vixerit, tali nomine condemnari. Si autem rectè vixerit, gaudeat tali nomine iustificari. F

G *Vbicunque autem sibi obuiant fratres, iunior à Priore benedictionem petat. Transeunte maiore, minor surgat, & det ei locum sedendi. Nec præsumat iunior consedere, nisi ei præcipiat Senior suus, vt fiat quod scriptum est: Honore inuicem præuenientes.*] Hinc & alius pater monachorum ait: Quando sibi fratres mutuatim in via, vel in quocunque loco occurrerint, cum omni humilitate ab inuicem flectentes benedictionem rogent. Et si ex eis vnus senior fuerit, prius iunior benedictionem postulet, tunc demum senior prosequatur. In consessu verò fratrum, si alius superuenerit, qui iuniores sunt ordine assurgant, & seniori locum præbeant. Iuniores verò senioribus nullatenus superbiendo contradicant, sed eum omni humilitate, vel interrogati vel correpti respondeant. Si labentem in quodlibet delictum iunior seniorem aspexerit, non exprobrando, sed magis dolendo ad confitendum Abbati, vel Præposito dirigat. Similiter senior iuniori faciat. Rom. 13.

Pueri, paruuli, vel adolescentes, in oratorio vel ad mensas, cum disciplina ordines suos consequantur.] Consequantur dicit, id est, accipiant, & cum disciplina, & honestate, castoque timore ordines suos custodiant, & ordinati vbicunque fuerint, ambulent, stent, atque sedeant. Vnde & sequitur:

H *Foris autem vbi, vel vbi custodiã habeant, & disciplinam, vsq; dum ad intelligibilem ætatem perueniant.*] Sicut iam suprascriptum est: Quanto magis viderit Abbas fragiliorem ætatem ad peccandum, tanto amplius maiorem illi mittat custodiam ad saluandum.

CAPVT LXIV.

De ordinando Abbate.

IN Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, siue etiam pars quamuis parua congregationis, saniore consilio elegerit. Vita autem merito, & sapientia doctrina eligatur, qui ordinandus est, etiamsi vltimus fuerit in ordine congregationis.] Hinc beatus Fructuosus ait: Abbas autem è proprijs semper cœnobijs monachus eligatur, vir sanctus, discretus, grauis, castus, charus, humilis, mansuetus & doctus, qui diutinis experimentatus est documentis, omnibus præfatis rebus

benè

A bene fuerit eruditus, qui in abstinentia præcellat, in doctrina refulgeat, exquisitas epulas mensæ lautiores, consuetudinemque contemnat, vini nimis perceptionem respuat. Cunctis in commune fratribus, vt pater proprius, pijssimusque prouideat, quem nec ira subita, & immoderata deijciat, nec superbia extollat, nec mœror ac pusillanimitas frangat, nec libido corrumpat. Qui & in patientia discretionem; & cum ira exhibeat lenitatem. Quique sic egentibus, aut pauperibus pareat, vt ministrum se, & non prælatum tantum Christi visceribus recognoscat. Cuiusque tanta debet sermonis & vitæ conseruantia esse, vt id, quod docet verbis, confirmet operibus sedulis. Et gladio bis acuto præcedens quicquid alijs informat verbo iugi ipse gerat studio, vt nec sermonem operatio destruat, nec extra operationem bonam sermo inconueniens frangat.

Quod si etiam omnis congregatio vitijs suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi (ad cuius diœcesin pertinet ille locus) vel Abbatibus, aut vicinis Christianis claruerint, prohibeant prauorum præualere consensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorem; B *scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste, & zelo Dei faciant; sicut e diuerso peccatum, si negligant.*] Ideo iubet, vt Episcopus, Abbates, vel etiam Christiani vicini vitiosum Abbatem fieri prohibeant, quia in congregatione non remansit, qui hoc prohibere debeat. Ac si diceret: Si etiam omnes qui intus sunt habere vitiosum Abbatem consentiunt, hi qui foris sunt catholici viri fortiter resistunt, & non consentiant eis, ne vitium male ab omnibus nutritum inolescat in monasterio, & eo inolito habitatores eius cunctis vicinis veniant in odium, sed melius repudiatum ab omnibus vitium depereat, & calcatũ euanescat, vt & inter monachos virtutes crescant, & vitia depereant. Et vicini videntes illorum bona opera glorificent Deum, qui illis & bene velle concessit, & dignum pastorem, atque dispensatorem tribuit.

Ordinatus autem Abbas cogitet semper, quale onus suscepit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ.] Qui enim monachos suscipit ad regendum, non paruum, sed grande onus recipit ad portandum, vnde illi sudor laboris, & vnde delectatio crescat honoris. C Animas enim fratrum cœpit regere, de quibus & Domino rationem villicationis suæ cogetur ponere. Villicationis dicit, id est, dispensationis, vel gubernationis suæ. Villicus autem proprie villæ gubernator est, vnde & nomen accepit. Interdum autem nõ à gubernatione villæ villicus, sed à dispensatione vniuersæ domus vocatur.

Sciatque sibi oportere prodesse magis, quam præesse.] De eo enim, quod prodest Abbas & sibi proficit, & alijs. Si enim generat lucrum, & alijs parit profectum, sibi cõquirit Domini gratiam, & alijs salutis doctrinam infundit. Alios erudit ad iustitiam, & sibi præmia conquirit æterna. De eo autem quod præest, dum viuit, semper sibi laborem, & alijs incutit timorem. Sibi curam superfluam, & alijs laboris generat pœnam. Sibi sollicitudinem multam, & alijs iniurias irrogat frequenter iniustas. Hæc vero omnia si bene, qui præsunt, discrete, & propter Deum egerint, & peccare volentibus ne peccent, timoris pœnas ingesserint, peccantes vero seuera districtione, iudicioque recto constrinxerint, vel modicam apud Deum gratiam consequentur. D Si autem hæc facere neglexerint, sed tantum, quia sunt prælati, se extollere voluerint, non solum à mercedis præmio vacui remanebunt, sed etiam elationis suæ in inferno pœnas lugebunt. Et ideo dixit: sciat sibi oportere prodesse magis, quam præesse. Quia de præesse aliquoties paruum bonum, aliquoties vero grande sibi cõquirit malum. De prodesse autẽ semper sibi bonum, semper præmium conquirit æternum.

Oportet ergo eum esse doctum lege diuina, vt sciat & sic, vnde proferat noua & vetera.] Ac si diceret; Sit Abbas doctus lege diuina, quæ nouo & veteri Testamento constat, & ex illa sciat, & cognoscat fratribus proferre noua & vetera testimonia. Quod autem dicit: & sic: subintelligitur, sit in eius pectore thesaurus sapientiæ & scientiæ reconditus. Vnde cum necesse fuerit, possit proferre noua & vetera testimonia. Vel certe ipse Abbas sit doctus, intelligens, peritus, sapiens, & tale vas sapientia plenum, vnde cum voluerit, in E promptu habeat proferre nouum & vetus testimonium.

Castum, sobrium, misericordem, semper superexaltantem misericordiam iudicio, vt idem ipse consequatur.] Scriptum est enim: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. 5. Et econtrario iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam. Ille ergo superexaltat misericordiam iudicio, qui post actum iudicium non districte punit impium, sed misericorditer parcit ei, & à damnatione debita liberat eum. Hinc & alibi scriptum est: *Superexaltat misericordiam iudicio*, Iacob. 2. id est, superponitur misericordia iudicio, quia in quo inuentum fuerit opus misericordiæ, & si habuerit aliquid forte in iudicio, quod puniatur tanquam misericordiæ peccati ignis extinguitur.

Oderit vitia, diligat fratres.] In vno enim homine & fraternitatem nostram simul diligere, & vitia si fuerint possumus simul odire. Aliud est enim quod frater est, aliud quod vitiosus est homo. Diligamus ergo in eo fraternitatem nostram, & odio habeamus vitiositatem suam. Prosequamur in eo vitium, & emendatum vt nosmetipsos diligamus proximum. F Hinc & beatus Gregorius ait: Sic sic nimirum exhibere proximis nostris odij discretionem debemus, vt in eis diligamus quod sunt, & habeamus odio, quod in Dei nobis itinere obsistunt.

In ipsa autem correctione prudenter agat.] Id est, caute, temperate, cum magno moderamine quod facit faciat. *Et ne quid nimis.* Hæc sententia à Poetis, & à Doctoribus nostris, & à multis catholicis & eruditis viris, etiam in multis & congruis dicta locis quæ & in bonis & in malis actibus intelligi potest. In bono, vt est illud: Non sis nimis iustus, & similia. De malo autem non est nostrum dare exemplum, quia & nimis & parũ fieri penitus à Domino prohibetur. Hic autem cur à beato Benedicto hæc sententia ponatur, sequentia audiamus.

Ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas.] Hic æruginem pro peccati ponit contagionem. Vas autem pro animi fragilitate, ac si dicat; Sic munda animum monachi à delicti contagione, ne fructũ mergas in desperationem. Et quem lucrari potes moderate iudicatum, non perdas aspertime condemnatum. Vas & bene monachi tunc malesanum citius frangitur, G quando mens eius pro culpa duriter increpata, aut de desperatione veniæ fortiter conturbatur, aut de fugæ lapsu, vel monasterij discessu quotidie meditatur. Quod ne fiat, semper Abbas sollicite, sapienter, & caute prouideat, & quod sequitur semper diligenter attendat. Sequitur enim;

Suamque fragilitatem semper suspectus sit.] Dum enim suam fragilitatem suspectus attendit Abbas, atque considerat aliorum fragilitatem patienter, discrete & caute dijudicat. Hinc & Apostolus Paulus ait: *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Galat. 6. Considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Ac si diceret: Quia & tu homo es, & potes in aliquo tentari, & adiutorio indigere, & ideo debes sustinere tentatum. Qui enim sub conditione infirmitatis positi sunt, merito infirmos sustinent. Sequitur;

Memineritque calamum quassatum non conterendum.] Esai. 42. Id est, monachum maculis peccatorum confractum, varijsque vitijs conquassatum ad desperationis foueam vel fugæ lapsum, vt prædictum est, non impellendum. H Calamum enim quassatum sine dubio conterit, qui peccatori non salutis sed perditionis præbet occasionem. Hinc & beatus Hieronymus ait: Qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris sui, ille quassatum calamum confringit.

In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia.] Quia enim superius iustæ correptioni posuit temperamentum: hic autem ne crescat vitiorum, admonet, nutrimentum. Ne dum temperatur districtio peccatoris, crescat, ac pullulet vitiorum fomes. Vnde :: aperte sequitur;

Sed prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire, sicut iam diximus.] Quicquid enim charitatis officio geritur, ad salutis profectum sine dubio venit. Aliter enim vni, & aliter conuenit ipsa salutis impensio alteri. Et ideo vice medici Abbas, aliter vnum, aliter vero secundum quantitatem, vel qualitatem delicti studeat sanare alterum. Et in his omnibus sanctis discretisq; actionibus

A *Studeat plus amari, quam timeri.*] Id est, plus exerceat in subditis opus amoris, quam timoris. Et plus eos paternitatis amore demulceat, quam tyrannidis suæ pœna deterreat. Vnde & sequitur;

Non sit turbulentus & anxius.] Turbulentus dicitur commotionis ira turbatus, mœstus, molestus, vel atrox. Anxius vero dicitur accidia vel anxietate plenus.

Non sit nimius & obstinatus.] Nimius dicitur dilargus, prodigus, vel rerum monasterij nimius, & superfluus dispensator. Obstinatus vero dicitur insuperabilis, obfirmatus, pertinax, & obduratus.

Non zelotypus, & nimis suspiciosus, quia nunquam requiescet.] Zelotypus dicitur zelo sollicitudinis plenus, & suspiciosus typo repletus. Qui etiam ea, quæ non fuerint, fieri in absentia suspicatur, & ea, quæ nemo committit, committi in abscondito pertimescit; & ideo spiritus eius nunquam requiescit.

In ipsis imperijs suis sit prouidus & consideratus, siue secundum Deum, siue secundum seculum sit. Opera quæ iniungit, discernat, & temperet.] Opera secundum Deum sunt hæc: Vigiliæ, ieiunia, abstinentia, & his similia: secundum seculum autem sunt opera, quæ corpori tantum exhibentur, non animæ, id est, arare, fodere, metere, & omnia similia corporis opera. Sed & his omnibus tam spiritalibus, quam corporalibus operibus discretionis tenenda est temperantia, ne superflue laborantibus pariter deficiant corda, & corpora, & remaneat tantum nociua murmuratio sola. B

Gen. 33. *Cogitans discretionem sancti Iacob dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die.*] Hoc in loco per Iacob Rectores, per oues autem eorum subditi designantur. Qui secundum eius exemplum, siue in actione spiritali, siue sint in corporali opere occupati, sic eorum in laboribus actio, vel possibilitas est temperanda, vt nec animi virtus succumbat, nec corporis fortitudo lassescat. Sed sic omnis eorum laborum actio temperetur, vt alacri animo plus se adhuc cupiant in operibus exerceri, quam illis sui velint præpositi commendare. Vnde & sequitur;

Hæc ergo, aliaq; testimonia discretionis matris virtutum sumens sic omnia temperet, vt & fortes sint qui cupiant, & infirmi non refugiant.] Sic enim cum discretione, quæ est omnium mater virtutum, monachorum opus est temperandum, vt fit, id est, tale opus & fortes quod cupiant, subauditur, agere vel implere, & infirmi non refugiant, subauditur, ipsum opus, vel ipsius operis pondus. C

Et præcipue, vt præsentem regulam in omnibus conseruet.] Præcipue autem, & super omnia beatus Benedictus iubet Abbatem regulam obseruare, vt qui est primus in nomine, sit primus in operatione, & quod ordine prædicat, opere compleat. Et prior in humeris vel ceruicibus suis portet, quæ portare fratres iubet, & vtrum sint leuia vel grauia, quæ fratribus imponit onera, experimento cognoscat. Primatumque suum, quem prior ad mensam tenet, primus ad virtutis parsimoniam iudicet, & abstinentiam, quam lingua prædicat, experimento cognoscat, ne forte subditi tacitis cogitationibus dicant. O quam pulchre nobis prædicat abstinentiam plenus venter. Illa ergo de abstinentia prædicatio acceptabilis est, quam ieiuna ora decantant. Et in his omnibus hoc sibi conuenire nouerit Abbas, & angustum regulæ callem, per quem alios admonet intrare, prior ingrediatur ipse. D

Luc. 12. *Vt dum bene ministrauerit, audiat à Domino, quod seruus bonus qui erogauit triticum conseruis suis in tempore suo, Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.*] Bonus enim minister, id est, bonus Abbas, à bono Domino bonorum omnium retributore audiet, quod seruus ille audire meruit, qui conseruis suis triticum fideliter erogauit. Audiuit enim: Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Hanc desiderabilem, amabilemque ve[cē]m & bonus Abbas audiet, qui triticum, id est, prædicationis verbum, conseruis suis, id est, fratribus suis fideliter ministrauerit, & factis ipse compleuerit. Quod autem dicit; super omnia bona sua constituet eum: intelligitur, super omnia celestia regni gaudia, non quod ibi isti soli Dominum teneant, sed vt eorum abundantius cæteris sanctis æterna possessione fruantur. Qui enim docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et Apostolus ait: *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo, & in doctrina.* E 1. Tim. 5.

CAPVT LXV.

De Præposito Monasterij.

SAEpius quidem contingit, vt per ordinationem Præpositi scandala grauia in monasterijs oriantur.] Quod enim sæpius iam factum audiuimus, nunc autem emendare debemus, & talem sub Abbate eligere personam debemus, quæ curam monasterij, nomenque Præpositi suscipiat, & vt officia sibi iniuncta fideliter impleat, atque custodiat, & nihil temere per superbiam agat, ne sit de his, quos sequentia monstrat, cum dicitur;

Dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, qui æstimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyrannidem scandala nutriunt, & dissensiones in congregatione faciunt. Tyrannis enim dicitur honor indebitus, & per cordis superbiam acquisitus. Quem Præpositus superbè assumit, cum indebitum sibi Abbatis honorem impendi requirit, & ideo inter fratres nutrit scandala, & dissensiones in monasterio præparat. F

Et maxime in illis locis, vbi ab eodem Sacerdote, vel ab ipsis Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur.] Mos erat eorum tunc, vt quando Abbas ordinabatur, tunc & ab eodem Episcopo, & alijs coram stantibus & Præpositus ordinaretur. Sed quia inde superbiæ vitium nascebatur, non iam ab alio hodie apud nos ordinabatur, sed à proprio Abbate præpositurae illi obedientia iniungitur, vt quandocunque Abbati visum fuerit, ab ipso ministerio præpositi mutetur, ne fomes illi superbiæ nascatur. Vnde & sequitur;

Quod quam sit absurdum, facile aduertitur; quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi; dum ei suggeritur a cogitationibus suis, exutum eum esse à potestate Abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas.] Vt hæc enim mala caueantur fieri, talem Præpositum oportet eligi, vel ordinari, qui alios ædificare vitæ suæ probetur exemplo, non qui destruat male viuendo. Qui humilitatis præbeat formam, non superbiæ suæ prætendat contumaciam. Quia inferius scribitur; G

Hinc suscitantur inuidiæ.] Id est, inter Præpositum & Abbatem, dum alter superiorem se non vult videre alterum. Nulla est enim virtus, & pene nullum ministerium, quod non habeat contrarium inuidiæ malum.

Rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, & exordinationes.] Fiunt enim rixæ, & detractiones; & hæc omnia, quæ dicuntur inter Præpositum & Abbatem maxime per eorum sequaces. Fiunt dissensiones, quia quod vnus cum suis fieri consentit, alius cum suis fieri dissentit. Fiunt exordinationes, quia quod vnus ordinando disponit, alius destruit contraria ordinando. Vnde & fit quod sequitur;

Et dum contraria sibi inuicem Abbas, præpositusq; sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari. Et ij, qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos respicit in capite, qui talis inordinationis se fecerunt authores.] Heu mihi misero, qui se saluare debuerunt, & alios, & se male viuendo perdunt, & cæteros. Et qui ire, aliosque ad cœlorum debuerunt ducere regnum, eunt ipsi, & sequaces suos in perditionis foueam, infernique barathrum mergunt. Quod autem dicit: cuius periculi malum illos respicit in capite, qui talis inordinationis se fecerunt auctores: de illis dici videtur, qui sicut Abbatem, ita & præpositum ordinauerunt. Qui vnus monasterij ordinationem non duobus, sed vni debuerunt imponere, & ne inter duos periculosa nascerentur scandala, soli Abbati congregationis suæ debuerunt committere curam. Vnde & sequitur; H

Ideoq; nos præuidemus expedire propter pacis, charitatisque custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterij sui.] Ipse enim per semetipsum debet omnium monachorum suorum necessitatem tam corporis, quam animæ prouidere, & subsidia præsentis necessitatis porrigere, & corda subditorum suorum ad laudem creatoris admonendo sustollere, & eos quos tarditate, vel segnitie culpabiles repererit,

A retir, prout culpa, vel ætas fuerit, aut increpatione, aut flagello corripere.

Et si potest fieri, per Decanos ordinetur, vt antea disposuimus, omnis vtilitas monasterij, prout Abbas disposuerit; vt dum pluribus committitur, vnus non superbiat.] Nobis enim modo & Abbas & Præpositus & Decani & Presbyter simul, & semper sunt necessarij, vt vnusquisque in officio sibi commisso, vel ordine conuenienti humiliter laborare non cesset. Nec datur illis regulariter locus superbiendi, sed imponitur fascis, quo gemendo pergant oppressi.

Quod si aut locus expetit, aut congregatio petierit, rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire, quemcunque elegerit Abbas, cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens; quia quanto prælatus est cæteris, tanto eum oportet sollicitius obseruare præcepta Regulæ.] Et hunc Præpositum, sicut & Abbatem in omnibus beatus Benedictus diligen-
B ter iubet regulam obseruare. Qui si vel superbia, vel negligentia vel desidia aliqua ex his prætermiserit, quæ in regula continentur, omnibus condemnationibus, quas regula continet, subiacebit. Vnde & hic apte sequitur;

Qui Præpositus, si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbiæ, aut contemptor S. Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis, vsque quater; si non emendauerit, adhibeatur ei correctio disciplinæ regularis. Quod si neque sic correxerit, tunc deijciatur ordine Præpositura; & alius, qui dignus est, in loco eius subrogetur. Quod si & postea in congregatione quietus, & obediens non fuerit, etiam de monasterio expellatur.] Hactenus qualis esse non debet Præpositus digestum est; deinceps autem qualis esse debeat, ex sententijs Patrum demonstrandum est. Præpositus ergo monasterij nō ætate senili, sed moribus constituendus est. Multos enim prolixitas annorum attollit, sed dedecus torpentis vitæ ad infantiæ immaturitatem compescendo reducit. Constituendus est ergo Præpositus moribus grauis, sermone sollers, ingenio fortis, consideratione vigil, cursu impiger, correptione pius, disciplina moderatus, actu ca-
C stus, moribus sobrius, dispensatione æquus, humilitate ornatus, patiens, mitis, non turbulentus, non iracundus, non superbiæ, vel arrogantiæ vitio maculatus, non prodigus, non garrulus, sed omni actu religionis armatus, qui sciat languentium moribus subuenire, & tepescentium ignauiam excitare, super quem Abbas requiescat, vt in nullo ab eis præceptis deuiet, sed in omnibus subditus, & in iussis Senioris detentus nihilque Abbatis voluntati sit contrarius, aut faciat, aut ordinet faciendum; sed omnia per eius
Deut. 32. interrogationem, iuxta illud quod scriptum est: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Interrogandum semper est, vt in nullo à Seniorum consilio animæ subditæ discrepent, in nullo oues absque pastoris voluntate declinent. Ipse autem Præpositus nihil faciet, nisi quod prius iusserit, maxime in re noua. Namq; ex mora descendit seruabit regulas monasterij. Ita agens, vt nec Abbati tædium generet, nec fratres intemperantia illius laborent. Hæc obseruabit Senior monasterij, qui fratribus
D præpositus est, referens ad Abbatem omnia, vel præcipue illa, quæ per se non valuerit explicare.

Cogitet tamen Abbas se de omnibus iudicijs suis Deo redditurum rationem; ne forte inuidia aut zeli flamma vrat animam suam.] Nec inter laicos debet esse inuidiæ liuor, quanto magis inter religiosos viros, & monasterij præpositos. Abbas enim præpositum, & Præpositus Abbatem, vt frater debet diligere fratrem. Memorari enim debet Abbas, si eum aliqua inuidiæ vel liuoris tangit flamma, ne in Cain iniquā communicet inuidiam, qui per zeli liuorem Abel fratrem suum iustum occidit; & per zeli liuorem factus est inimicus Esau fratri suo Iacob; & per zeli liuorem à fratribus suis venditus est Ioseph. Zeli enim liuor quanquam vnius vitijs censeatur nomine, plurimos per diuersa vitia generat ramos. Cuncta enim virtutum germina inuidiæ liuor concremat: Cuncta bona ardore pestifero deuorat, sensum comedit, pectus vrit, mentem afficit, & cor hominis quasi quædam pestis depascit. Contra quod vitium præparanda sunt pacis & charitatis arma in Abbatis & omnium rectorum sanctorum, seu subditorum anima.

CAPVT LXVI.

De Ostiario Monasterij.

E *AD portam Monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere; cuius maturitas eum non sinat vagari.*] Notandum, quia non dixit, ad portam senex ætate, sed ait ponatur senex sapiens. Vbi datur intelligi, quia non ætas in portario quærenda est corporis, sed sapientiæ & intelle-
ctus. Hinc namque & per quendam sapientem dicitur: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Hinc ad Moysen dicitur: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sunt.* In quibus quid aliud, quam senectus cordis requiritur. Dum enim dicitur, quos tu nosti, quod senes populi sunt, profecto liquet, quia senectus mētis, nō corporis eligenda nunciatur. Sapien. 4. Num. 11.

Qui Portarius Cellam debet habere iuxta portam; vt venientes semper præsentem inueniant, à quo responsum accipiant.] Hinc & alij antiqui monachorum Patres dixerunt: Ostiario cura sit, vt omnes venientes intra ianuas recipiat, dans eis responsum honestum cum humilitate & reuerentia, nunciF
ans Abbati, vel Senioribus quis venerit, & quid petierit. Si quid vero cuicunque de fratribus missum vel mandatum fuerit, nihil ad ipsum perueniat, priusquam Abbati vel Senioribus indicetur.

Et mox vt aliquis pulsauerit aut pauper clamauerit, Deo gratias respondeat, aut Benedicat.] Eleganter hic duas venientium beatus posuit Benedictus personas. Vnam potentis, qui si ianuam monasterij inuenerit clausam, manu vel fuste pulsetcam. Aliam vero pauperis posuit personam, quæ non pulsat, sed tantum humiliter clamat ad ianuam. Quibus & satis apta à portario respondenda composuit responsa; videlicet vt voce pauperis audita, Deo gratias agat. Potenti vero occurrēs obuiam humiliter ab eo benedictionem petat.

Et cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum feruore charitatis.] Hinc & alius quidam monachorum magister ait: Portarij Monasterij tales esse debent, qui omnium simul mercedem ædificent ætate senili, G
quibus mundus, si qui iam ex præsentibus pompis nihil desiderent, sed in toto cordis affectu creatori inhærentes singuli dicant: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam talem semper superuenientibus ostendant exemplum, vt & foris ab extraneis nomen Domini glorificetur, iuxta quod Dominus ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona; & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est*; & intus cum sodalibus suis mercedis præparent lucra, dum omnium vice foris gerunt curam. Sic cauti moribus cum virtutum magistra humilitate existant, vt omnis patientiæ blandimenta ex colloquio affabili ostendant; pauperum, peregrinorū & hospitū curā inter omnia habentes, quia in his Christus suscipitur, sicut ipse ait: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Foris aliquid dare, vel cuilibet ministrare, vel à foris aliquid accipere, nullatenus commeatu Abbatis facere præsumat. A signo vespertino vsque ad secundam impletam nullatenus portarum fores aperiantur, neque vllus à foris introitus pateat, sed si necessitas aduenerit per fenestram totum deliberetur. Matth. 5. Matt. 25.

Qui Portarius si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat.] Hinc & alius Pater ait: Duobus fratribus cella intra regias H
monasterij constituatur, qui & claudant monasterium post exeuntes, & aperiant intrantibus, & aduenientes nunciēt Abbati. Vasa vel reliqua vtensilia, quæ ad hospitum vsus baiulant, ac si sacrata Deo custodiant, ne per ipsorum neglectum ab ipso mercedem non recipiant, cuius res diripiendo non seruant.

Monasterium autem, si possit fieri, ita debet construi; vt omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ intra monasterium exerceantur; vt non sit necessitas monachis vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum.] Hinc & alius monachorum Pater ait: Omnia necessaria intus intra regias esse oportet, id est, furnos, machinas, refrigerium, hortos, vel omnia necessaria, vt non sit opus frequenter foras egredi fratres. Cum ergo hæc omnia intus fuerint

constituta, clausa sit semper monasterij regia, quæ à foris cercellum habeat ferreum, quo à veniente concusso cuiuslibet intus indicetur aduentus. Ars autem pistoria ad laicos pertinebit. Ipsi enim triticum purgent, ipsi ex more molant. Massam tantundem monachi conficiant, & panem sibi proprijs manibus faciant.

Hanc autem Regulam sæpius volumus in Congregatione legi; ne quis fratrum de ignorantia se excuset.] Hinc & beatus Augustinus ait: Vt autem vos in hoc libello, tanquam in speculo possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur, & vbi vos inueneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quicunque vestium videt aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt sibi debitum dimittat, & in tentationem non inducatur. Hinc & Anrelius Episcopus ait: Ne per obliuionem aliquid negligatis, semel ea in viginti diebus legite, id est, in Calendis. Nos autem regulam nostram non solum semel in Calendis, vel in hebdomada, sed etiam quotidie in collatione legimus, vt eius præcepta cognoscere, & ad purum intelligere valeamus, & ea intelligentes vel secundum possibilitatem memoria retinentes, adiuuante Christo implere operibus valeamus.

CAPVT LXVII.

De Fratribus in via directis.

D*Irigendi Fratres in via, omnium Fratrum vel Abbatis orationi se commendent.*] His vero fratribus in via dirigendis ante altare prostratis, & ab omnibus orationem poscentibus, dicat sacerdos hos versus, ipso tamen incipiente, & alijs respondentibus: Saluos fac seruos tuos Deus meus sperantes in te. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. His peractis hanc sacerdos orationis dicat collectam. Angelus Domini bonus comitetur vobiscum, vt peracto obedientiæ cursu ad nos iterum reuertamini in gaudio, per Dominum, &c. Sed ne frater in via dirigatur solus, sententia nos docet Patrum, quæ dicit: Ad necessaria quærenda bini egrediantur, vel terni fratres, & tales, quibus creditur, non qui verbositatem, aut gulam sectentur.

Et semper ad orationem vltimam operis Dei commemoratio omnium absentum fiat.] Hoc in loco priusquam quinquagesimus Psalmus inchoetur à Sacerdote dicatur: Oremus pro fratribus nostris absentibus. Fratribus vero respondentibus: Saluos fac seruos tuos Deus meus sperantes in te. Prosequatur Sacerdos & dicat: Mitte eis Domine auxilium de sancto. Fratresque respondeant: Et de Syon tuere eos. Item Sacerdos dicat: Domine exaudi orationem meam. Respondeant Fratres: Et clamor meus ad te veniat. Et tunc subsequatur quinquagesimus Psalmus ab omnibus decantantibus.

Reuertentes autem de via Fratres, ipso die quo redeunt, per omnes Canonicas horas dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorij ab omnibus petant orationem propter excessus; ne quid forte subripuerit in via visus aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis.] Propter excessus dicit, id est, propter transgressionis lapsum. Sed pro quibus excessibus dicat, ipse exponit dicens: Ne cui forte subripuerit in via visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis. Cuius malæ rei dicat Propheta loquente intellige.

Esai. 33.

Ait enim: *Qui excutit manus suas ab omni munere, & obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum, iste in excelsis habitabit.* Reuertentibus autem de via, & oratorij solo prostratis orationemque petentibus hanc eis Collectam sacerdos dicat: Quæsumus omnipotens Deus, vt his famulis tuis, quos ad nos incolumes de via redire fecisti, quicquid illic impediente fragilitate deliquerunt, tu propitiatus dimittas, Per Dominum, &c. Hinc & Isidorus ait: Quando Fratres foras proficiscuntur, aut redeunt, congregatis omnibus in vnum in Ecclesia benedictionem accipiant.

Nec præsumat quisquam alijs referre quæcunque foris monasterium viderit, aut audierit; quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat.] Hinc beatus Pachomius ait: Quando reuersi fuerint fratres de monasterio, non audebunt alijs omnino quicquid foris gesserint, aut audierint narrare. Hinc & alius Pater dicit: Fabulis quas à secularibus, vel à quibuslibet audierint vel intellexerint, nullatenus consodalibus suis conferant. Quod si horum aliquid, quæ diximus, transgressi fuerint, regulari pœnitentia castigentur. Quod si humili satisfactione patefiant, prout humilitas confitentis cernitur, ita delinquentis culpa iudicetur. Si vero contumaciæ crimen incurrit, & modum pœnitentiæ augebit.

Similiter & qui præsumpserit Claustra Monasterij egredi, vel quocunque ire, vel quidpiam, quamuis paruum, sine Abbatis iussione facere.] Hinc beatus Pachomius ait: Nullus neque excundi in agrum, neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterij procedendi foras habeat facultatem, nisi interrogauerit præpositum domus, & ille concesserit. Hinc & Cassianus ait: Tanta obedientia regulæ debet iunior imbui, vt absque senioris sui permissu non solum de cella exire, sed nec naturali necessitati satisfacere sua auctoritate præsumat. Nec illa etiam, quæ vtilia sunt, id est, aut cellam mundare, aut aquam deferre, aut si quid aliud oportunum est, sine conscientia & ordinatione sui senioris vsurpet. Meditantibus etiam fratribus nulli liceat rebus se alijs implicari, nec liberum iudicet ab schola discedere. Qui vero in hac præsumptione proruperit, excommunicationi vt dignus est subiacebit. Si vero pro vtilitatibus monasterij missus ire noluerit, aut certè ambulans murmurauerit, vel cum aliqua tarditate exire voluerit, si placuerit Abbati, iam non mittatur, & statim excommunicationis pœnam suscipiat, & sciat se adeptum superbiam & præceptioni repugnare diuinæ.

CAPVT LXVIII.

Si Fratri impossibilia iniungantur.

S*I cui Fratri aliqua forte grauia, aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium, cum omni mansuetudine & obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter & oportune suggerat.*] Cum omni mansuetudine dicit, id est, cum omni modestia, & lenitate. Mansuetus est enim, qui nulli iniuriam irrogat: Dictus autem mansuetus, quasi manu assuetus. Talis enim debet esse monachus, non contumax aut superbus. Vnde & sequitur;

Non superbiendo, aut resistendo vel contradicendo.] Superbiendo enim magistro resistit, qui verbis, imperijsque eius despiciendo contradicit. Resistendo contendit, qui ea quæ implere iubetur, in facie renuit. Contradicendo repugnat, qui se ea, quæ fieri iubentur, non fieri aperta voce reclamat. Quod facere monacho prohibetur, cum subditur;

Quod si post suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perdurauit, sciat iunior ita sibi expedire, & ex charitate confidens, de adiutorio Dei obediat.] Hinc Basilius ait: Omne quod tibi iniunctum fuerit religionis gratia libenter obtempera, etiamsi supra vires tuas fuerit, ne spernas illud, sed causam impossibilitatis tuæ ei, qui tibi iniungit, fideliter enarra, vt eius moderamine, quod tibi onerosum fuerit, subleuetur, vt contradictionis vitio carere possis. Qui enim fideliter, & pure Deum diligit, & certus est de retributione Domini, nec sufficere sibi putat ea, quæ iniunguntur, sed semper augmenta operis quęrit, & maiora, quam iniunguntur desiderat, & optat & supra vires videatur esse quod facit. Hinc Cassianus dicit: Illa est vera obedientia, quæ, quamuis aliquid difficile ei imperetur, nil tamen discutiens, sine aliqua hęsitatione perficere nititur. Nihil de impossibilitate murmurans, sed plena fide, ac deuotione quicquid dictum fuerit, non tanquam ab homine, sed tanquam à Deo suscipit imperatum. Ita enim omnibus virtutibus præferri debet obedientia, vt huic omnia postponantur, & vniuersa dispendia monachus subire contentus sit, dummodo in nullo violare videatur.

A

CAPVT LXIX.

Vt in Monasterio non præsumat alter, alterum defendere.

SVmmopere præcauendum est, ne quauis occasione præsumat alter alterum defendere monachum in monasterio, aut quasi tueri.] Tueri enim dicitur sustinere, opem ferre, vel præsidio esse. Hinc terribiliter & Basilius ait: Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Dominum, & homines, & corripietur increpatione seuerissima. Hinc & beatus Papa Gregorius dicit: Peccatores in quo sunt sibi conscij, in eo & alium peccantem defendunt. Sibi enim quisque timet, eum alium videt corripi. Ideo contra verba corripientium vnanimiter surgunt, Hinc Salomon ait: *Stuppa collecta synagoga peccantium.* Sequitur; Eccle. 21.

Etiamsi qualibet consanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id à monachis præsumatur; quia exinde grauissima occasio scandalorum oriri potest. Quod si quis hæc transgressus fuerit, acrius coerceatur.] Hinc & alius Pater: Si quis errori alterius consenserit, & illi consilium dederit, vt se tardius humiliet, sciat se cum illo simili modo culpabilem iudicandū. Hinc & beatus Columbanus ait: Defendere proximum, vel cōsanguineum in monasterio nullo modo permittimus. Vt quid enim alium defendit, qui iam sibi non viuit, sed Christo, quem imitatus manet crucifixus? Qui ergo proprias perdidit voluntates, vt Christi in se voluntatem impleret, cur aliorum delicta defendat? Sit ergo ei æquus amor tam in consanguineo, quam in cetero fratre, qui ei sanguinis affinitate non iungitur. Nec quenquam sub disciplinæ moderamine positum tueri studeat, ne vitium defendendi in alijs dimittat. Qui enim timet Dominum, si viderit fratrē suum errare, quæ sancta sunt, debet ei demonstrare, & rectum iter ostendere, vt cum timore Dei incedens illam Salomonis impleat sententiam, quę dicit; Libera eos, qui ducuntur ad mortem, & de interitu liberare non cesses.

B

CAPVT LXX.

Vt non præsumat quisquam aliquem passim cædere, aut excommunicare.

C

PAssim dicitur inordinate, incognite, & sine rationis modo.

Vt vitetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio, ordinamus, atque constituimus, vt nulli liceat quenquam Fratrum suorum excommunicare aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit.] Nō enim secundum commonitionē, vel animositatem cordis debet frater in fratrem ad percutiendū manus extendere, sed studio charitatis castigare eum humiliter debet, atque corrigere. Hinc beatus Aurelius ait: Frater in fratrem si ausus fuerit manum mittere, legitimam disciplinā accipiat.

Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt cæteri metum habeant.] Et in Leuitico scriptum est: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Hinc B. Augustinus ait: Non est contrarius Apostolus Domino, qui dicit: Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant, eum ille dicat: Corripe eum inter te, & ipsum solum. Vtrumque enim faciendum est. Sicut infirmitatis diuersitas eorum, quos vtique non perdendos, sed corrigendos, curandosque suscepimus, & alius sic, alius autem sic sanandus est. Leuit. 19.

D

Infantibus vero vsque ad quintum decimum annum ætatis, disciplina diligentia sit, & custodia adhibeatur ab omnibus. Sed & hoc cum omni mensura, & ratione.] Hinc & quidam monachorū magister ait: Infantulos vero vsque ad decimumquintum annum non excommunicari, sed præcipimus vapulare pro culpis. Post quindecim vero annos iam non vapulare, sed excommunicari condecet, quia iam intelligunt, quomodo pœnitere, & emendare debeant.

Nam in fortiori ætate qui præsumpserit aliquatenus sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinæ regulari subiaceat.] Hinc Ferriolus ait: Monachus in monachum inflammatus, quod est turpissimum, manus inijcere non præsumat, præter illos, ad quos pertinet correctionis vel nosse modum, vel tenere iudicium, ne vno peccante cęteris præsumendi crescat audacia. Sequitur;

E

Quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.] Nemo enim vult sibi à quoquam noceri, nec ipse igitur cuiquam debet nocere, sed potius inter vtrosque debet fraterna charitas crescere, & ad eos, quos aliquis increpat, talem debet affectum seruare, qualem pater ad filium, aut medicus ad ægrotum. Tob. 4. Matth. 7.

CAPVT LXXI.

Vt obedientes sint sibi inuicem fratres.

OBedientiæ bonum non solum Abbati exhibendum est ab omnibus; sed etiam sibi inuicem ita obediant fratres, scientes se per hanc obedientiæ viam ituros ad Deum.] Hinc & alij Patres dixerunt; Virtus obedientiæ expetenda est, & secundum vires vniuscuiusque exercenda est, & ad primum verbum senioris omnes, qui audierint, ex fratribus, assurgere oportet. Et qui non surrexerit, veniam petat, & pœniteat, quantum iudicauerit Senior, & impleat, quod iussum est.

Præmisso ergo Abbatis, aut Præpositorum, qui ab eo constituuntur, imperio.] Præmisso dicit, antepositο, ante imperato, ordinato, vel mandato.

F

(*Cui non permittimus priuata imperia præponi.*) Priuata dicit, singillata, vel propria, & communia, singulorumq; imperia, priuata singulorum dimittenda sunt propter Abbatis, vel Præpositorum imperia, non super illorum imperium agenda. Sequitur;

De cætero omnes iuniores, prioribus suis omni charitate & sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur.] Licet durum videatur, obedientia vsque ad mortem facienda est, secundum exemplum Domini, obedientis Patri vsque ad mortem, & vnumquemque oportet fratri suo seruire, sicut Abbati proprio vel patri, sicut Apostolus dicit: *Seruite inuicem in timore Christi.* Galat. 5.

Si quis autem frater pro quauis minima causa, ab Abbate, vel à quocunque Priore suo corripiatur quolibet modo, vel si leuiter senserit animum prioris cuiuscunque cōtra se iratum, vel commotum, quamuis modice; mox sine mora tandiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio.] Hinc beatus Basilius ait: Eo affectu obediri oportet ei, qui nos ad opus mandati cohortatur, quo esuriens paruulus nutriri obtemperat ad verba imperanti, vel quo affectu omnis homo suscipit ab aliquo ea, quæ ad vitam pertinent; immo & si quid amplius pro eo, quod multo est pretiosior futura vita, quam præsens, sicut & Dominus dixit: *Quia mandata mea vita æterna sunt.* Ioan. 12.

G

Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat; aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.] Hinc alibi scriptum est: Ad primum discussionis senioris siue æquinomi, siue alicuius fratris venia petenda est, & tandiu in terra prostratus iaceat, donec Senior discussionem consummauerit. Si autem Senior discussionem iterauerit, & ipse veniam iterare debet. Si quis tardior ad veniā inuentus fuerit siue aliqua verba religioni contraria, siue pro excusatione sui delicti protulerit, mittendus est in carcerem, & pœniteat secundum quod iudicauerit Senior, vsquequo corrigatur. Si autem obstinatus inuenitur, separandus est à Fratribus.

CAPVT LXXII.

De Zelo bono, quem debent habere monachi.

H

SIcut est zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad infernum; ita est zelus bonus, qui separat à vitijs & ducit ad Deum, & ad vitam æternam.] Zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad infernum, sine dubio de inuidia & odio procedit fraterno. De hoc enim zelo & beatus Cyprianus ait: Zelare & inuidere alterius bono non est paruum, sed grande, & magnum malum. Salomon quoque ait: *Zelus & iracundia minuunt dies.* Sine dubio enim non paruum, sed grande est malum, quod homines separat à DEO, & subdit diabolo. Separat à patre, & ducit ad deceptorem. Separat à vita, & ducit ad mortem. Separat à gloria, & ducit ad pœnam. Hoc enim inuidiæ zelo percussus Cain, fratrem suum occidit Abel. Hoc zelo perculsi filij Iacob fratrem suum vendiderunt Ioseph. Hoc zelo perculsi Pharisæi & Scribæ, morti Dominum tradiderunt per fraudulentum osculum Iudę. Eccle. 30.

A Hunc ergo amaritudinis zelum, Dei non oportet habere seruum, sed potius illum, qui separat à diabolo, & ducit ad Christum. Qui separat à morte, & ducit ad vitam. Qui separat à vitijs, & ducit ad virtutes. Qui separat à tormento, & ducit ad regnum cœlorum. Iste enim zelus de amore nascitur virtutum, non de odio fraterno; de charitatis fonte, non de odij fomite. Iste enim zelus animæ salutem tribuit, fidem retinet, & omnem rectitudinem diligit. Hunc zelum Dominus exercuit, quando vendentes & ementes de templo flagellatos eliminauit. Nam & Phinees pro zelo rectitudinis principatum & honorem accipere meruit sacerdotis.

Hunc ergo zelum feruentissimo amore exerceant monachi; id est, Rom. 12. *vt honore se inuicem præueniant.*] Hinc & Apostolus ait: *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes: honore inuicem præuenientes: spiritu feruentes Domino seruientes.* Tunc enim in spiritu feruemus, si sæculo frigidi sumus. Et quia frigidos Dominus non amat, & in tepidis nauseat, vult nos, qui sub lege spiritu viuimus, nihil remissum, nihil in nobis habere tepidum, sed cum feruore spiritus, & calore charitatis & fidei cuncta peragere. Vnde & apte sequitur;

B *Infirmitates suas siue corporum, siue morum patientissime tolerent.*] Hæc ille veraciter implet, qui charitatem in se veraci- 1.Cor.13. ter habet, de qua scriptum est: *Charitas patiens est.* Hinc & Galat. 6. Apostolus ait: *Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi*, id est, charitatem.

Obedientiam sibi certatim impendant.] Scriptum est enim: Melior est obedientia, quam victima. Et Apostolus ait: Ephes. 4. *Obedientes inuicem in vinculo pacis.*

Nullus quod sibi vtile iudicat sequatur, sed quod magis alij.] 1.Cor.13. Hinc Apostolus ait: *Charitas non quærit quæ sua sunt*; id est, non cogitat tantum, quod sibi vtile est, sed quod alijs vtiliter seruiendo ministret.

Charitatem fraternitatis casto impendant amore.] Charitas enim non est duplex, nec alicui inuidet, sicut scriptum est: 1.Cor.13. *Charitas non æmulatur, non agit perperam*, id est, peruersa, quia omnia secundum ordinem facit, & omnia vitia foras penitus excludit, & alterius felicitatem quasi suam libenter amplectitur. Vnde & ipse hic sequitur;

Deum timeant: Abbatem suum sincera & humili charitate di- Eccles. 7. *ligant.*] Scriptum est enim: *Qui Deum timet, nihil negligit.* Et C qui vere Deum timet, ideo Abbatem suum sincera, & humili charitate diligit. Sincera & humilis charitas est, quam Ioan. 13. nos Dominus habere præcipit dicens: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ad hoc enim nos diligere debemus, vt habeamus Dominum, & maneamus in Deo. Et hæc est dilectio, qua fit Deus omnia in omnibus, & qua nos alterutrum diligere debemus.

Christo omnino nihil præponant, qui nos pariter ad vitam perducat æternam, Amen.] Cur ergo Christo nihil præponere debeamus, quæ sequuntur dicit, attonitis auribus audiamus. Ait enim: Qui vos ad vitam æternam perducat. Nullus enim nos alius ad æternam perducere vitam, nullus ad æternum, nisi ipse tantum, valet perducere regnum. Ipse e- Psal. 99. nim secundum Psalmistam ait: *Ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Ipse enim cum sit omnipotens, non aliud dedit pretium, sed morti solum pro nobis semetipsum tradidit. Ipse nos misericorditer in filios adoptauit, & vt cohæredibus cœlorum regna promisit. Et ideo illi vtpote Deo nostro nihil præponere; nec D debemus in rerum natura rerum omnium creatori aliquid coæquare.

CAPVT LXXIII.

De eo, quod non omnis obseruatio iustitiæ in hac sit Regula constituta.

R*Egulam autem hanc descripsimus, vt eam obseruantes in Monasterijs, aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conuersationis nos demonstremus habere.*] Tanto enim huius regulæ facilius obseruare debemus instituta, quanto in ea conuersationis leuiorem inesse descriptam cernimus formam. Nam qui ista negligit obseruare minima, non potest recto tramite conscendere ad maiora, quæ illi perfectam valeant componere vitam. Nam sequitur; E

Ceterum ad perfectionem qui tendit, sunt doctrinæ sanctorum Patrum; quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis.] Et Heliæ enim, & aliorum illius temporis vita, doctrina, & actio Prophetarum nihil sunt aliud, nisi exemplar, & norma istius temporis monachorum. Nam & in nouo Testamento Ioannis, & omnium Apostolorum norma sunt omnium recte viuentium monachorum. Vnde & sequitur;

Quæ enim Pagina, aut quis sermo diuinæ authoritatis veteris ac noui Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber Sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad Creatorem nostrum? Necnon & Collationes Patrum, & instituta, & vita eorum; sed & Regula S. Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi bene viuentium & obedientium monachorum exempla & instrumenta virtutum.] Hinc beatus Isidorus ait: Plura sunt præcepta vel instituta monachorum, quam sanctis Patribus sparsim prolata reperiuntur, quæ- F que etiam nonnulli ad aptius, vel obscurius posteritati compositè tradiderunt. Quisquis ergo nostram illam vniuersam veterum disciplinam contendit appetere, pergat in quantum placet, & arduum illum limitem, atque angustum leuigato cursu incedat. Qui vero tanta iussa priorum explere nequiuerit, in huius limitis disciplinam gressum ponat, neue vltra declinandum studeat, ne dum declinatius appetit inferiora, tam vitam, quam nomen monachi perdat. Quapropter sicut illa præcepta priorum perfectum reddunt ad summum, ita facient ista ad vltimum. Illa custodiunt perfecti, ista sequantur vel post peccatum conuersi. Hæc ergo serui Dei, milites Christi, contemptores mundi, ita à vobis volumus custodiri, vt maiora præcepta Patrum per omnia conseruetis. Plenitudo autem sanctæ conuersationis, & spiritalis vitæ perfecta doctrina in eorum Sanctorum Patrum regulis nobis quotidie recitatur, quorum & probata vita diuino munere & docendi est attributa auctoritas.

Nobis autem desidiosis, & male viuentibus atque negligentibus rubor confusionis est.] Cum enim priorum vitam Sanctorum tantis audiuimus pollere virtutibus; confusionis verecun- G dia, ruboreque perfundimur; quia ad illorum perfectionem venire minime valemus, sed nobis confidentiæ audaciam tribuunt verba, quæ sequuntur;

Quisquis ergo ad Patriam cœlestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice: & tunc demum ad maiora, quæ supra commemorauimus doctrinæ, virtutumque culmina Deo protegente peruenies, Amen.] Facienti hæc vita erit æterna. Paterno more beatus nos hortatur Benedictus, vt si ad cœlestem volumus conscendere patriam, hanc minimam prius festinemus inchoationis perficere Regulam, & sic adiuuante Christo ad maiorum studeamus Patrum doctrinam, & ad virtutum sublimia properemus scandere culmina. Cui nos libenter obtemperare, & eius præcepta libenter debemus audire: quia fœlix, qui hanc recte implere poterit Regulam. Fœlix qui in præsenti adhuc positus vita, ad virtutum potitur ascendere culmina. Sed his omnibus fœlicior, cui post præsentem vitam, vita erit æterna. Fœlix qui semper cum Sanctis regnare, cum Angelis viuere, cum vtrisque gaudere, & cum ipso H Domino in perpetuum fœliciter poterit viuere. Ad quam vitam ille nos fœliciter ducat, qui in præsenti misericorditer. Regnat, gubernat IESVS CHRISTVS Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vnus Deus viuit, & manet in sæcula sæculorum, Amen.

HRABANI MAVRI, ABBATIS FVLDENSIS

GLOSSAE LATINO-BARBARICAE DE PARTIBVS HVMANI CORPORIS.

WALAFRIDVS STRABVS MAVRI DISCIPVLVS.

Sic homo consistit, sic corporis illius artus
Expositos Mauro Strabus monstrante tenebo.

HOMO ab humo dictus est.
B *Anima* à ventis nomen traxit. vnde & Græce ἄνεμος, ventus dicitur, quod ore trahit aerem homo.
Corpus à corruptione dicitur.
Caput à capiendo, eo quod omnes sensus corporis capiat, & quod prima pars corporis sit.
Vertex, Scheitila, nuilla.
Occipitium, Hail ancha.
Capilli, loccha fahs.
Cæsaries, gischoran fahs.
Coma, vngischoran fahs.
Crines proprie mulierum dicuntur eo quod vittis discriminantur.
Tempora, thunuuengiu.
Facies dicta ab effigie: ibi est enim tota figura hominis & vniuscuiusque personæ agnitio.
Vultus vero dictus eo ꝙ per eũ voluntas animi ostenditur.
Frons, endi. à foraminibus oculorum dicitur *frontispicium*.
Oculi dicti quasi ocior lux, quod cito lucem capiant.
C *Pupilla*, scha, medius punctus oculi.
Circulus vero quo à pupilla albæ partes oculi separantur. discreta nigredine *Corona* dicitur.
Palpebræ sunt sinus oculorũ à palpatione dictę augbrauua.
Cilia id est tegmina, quibus operiuntur oculi, & dicta quod celent oculos.
Supercilia id est vvindbrauua.
Genæ, inferiores partes oculorum, hiufilon.
Malæ id est bracchõ: sic & *maxillæ* inde diminutiue dicũtur.
Aures ab hauriendo dictæ sunt, quia vocem hauriunt.
Pinnula, summa pars auris.
Nares, nasa. Narium recta pars *Columna* vocatur: extremitas eius *Pirula* vocatur à forma pomi piri. quæ vero dextra læuaque sunt *Pinnulæ* dicuntur. medium autem *Interfinium* dicitur.
Os id est mund, quasi ostium dicitur, quia ibi ingrediuntur cibi, egrediuntur sermones.
Labra virorum dicuntur: *Labia* mulierum.
Lingua à lingendo, sicut labia à lambendo dicuntur.
D *Dentes*, ceni: quorum primi *Præcisores* dicuntur, quia præcidunt cibos: sequentes *Canini* vocantur, quia sicut canes cum eis ossa confringunt. ita & homo quæ non possunt priores præcidere illis tradit vt confringant: vltimi sunt *Molares*, chinni ceni. Dentium numerum discernit qualitas sexus. nam in viris plures, in fœminis sunt pauciores.
Gingiua, id est biloma.
Palatus, giumo siue huruuua.
Fauces, à fundendis vocibus nominatæ.
Arteria, id est Weisunt.
Gurgulio, querca, chela, chela, à gutture nomen traxit, cuius meatus ad os & nares contenditur.
*fRumen. * *Pumen*, proximum gurgulioni, quo cibus & potio deuoratur; *sublinguium* est, id est hracho.
Mentum, chinni.
Collũ, hals, cuius anterior pars *chela* dicitur, posterior *ceruix*.
Humeri, scultyrra.
Cubitum, helina.
Vlna secundum quosdam vtriusque manus extensio est: secundum alios cubitum.

Brachium, arm.
Lacerti, musi. F
Ascilla, oahchasa.
Palma, manus extensa.
Ir, medietas palmæ spissior.
Primus digitus *pollex* est, secundus *index* siue *demonstratorius*, tertius *pudicus* siue *medius*, quartus anularis siue medicus, quintus *auricularis*.
Vngula, nagal.
Mamillæ, prusti.
Papillæ, capita mammarum.
Pectus, sub quo firmitas est hominis.
Cutis, pars exterior corporis, sicut & *pellis*.
Aruina, est pingnedo cuti adhærens.
Pulpa, caro est sine pinguedine dicta.
Membra, sunt partes corporis.
Artus, quibus colligantur.
Vertibula, sunt summæ ossium partes.
Cartilagines, mollia & sine medulla. quod genus auriculæ & narium discrimen & costarum extremitates habent.
Costæ, ribbi. G
Latus, sita.
Scapula, ah sala.
Dorsum vel *Terga*, posterior pars corporis à ceruice vsq; renes.
Spina, est iunctura dorsi, dicta eo quod habeat radiculos acutos & iuncturas costarum in se: ferturq; per eam pars cerebri longo tractu. hæc & *sacra spina* dicitur: quoniam primum infante concepto nascitur, ideoque & hostia id primum agentibus Dijs suis dabatur.
Viscera, hinnuouili.
Cor, à cura dictum.
Pulmon, lungun.
Venæ, dictæ quia viæ sunt natantis sanguinis.
Iecor, lebera.
Fibræ, iecoris sunt extremitates.
Splen, id est miltzi.
Fel, id est galla.
Stomachus, id est mago.
Intestina, id est tharma.
Omentum, membranum quod continet intestinorum maiorum partem. H
Venter, id est huuanba, & *aluus* & *vterus* inter se differunt. *Venter* est qui acceptos cibos digerit & apparet extrinsecus. *Aluus* est qui cibum recipit & purgari solet. *Vterum* solæ mulieres habent, in quibus concipiunt infantes.
Aquilicus, pinguedo ventris quod deforis est.
Matrix, est locus vteri quo fœtus gignitur.
Vesica, blatra.
Renes, lendibraton.
Lumbi, lendin.
Vmbilicus, nabulo,
Ilia, lancha.
Clunes vel *coxa*, hufphi
Anus, arsloch.
Nates, arsbelli.
Extales, crozdarm.
Genitalia, corporis partes q̃ nomẽ gignendę sobolis acceperunt.

runt. hæc & *pudenda* à verecundia siue à pube: vnde & indumento operiuntur. dicuntur autem ista & *inhonesta*, quia non habent speciem decoris, sicut cætera membra. idem & *veretrum*, quia viri est tantum vel quia ex eo virus emittitur.
Testiculi, hodon, qui semen vecti infundunt.
Viscus, est pellis in quo testiculi sunt positi.
Femora, deoh, quorum interiores partes *femina* vocantur.
Genua, chniu.
Crura, bein.
Sura, vvadon.
Medulla, marc.
Tali, id est ancli, de quibus caligæ nocturnales *subtalares* vocantur, quia sub talis sunt.
Pes, phuoz.
Planta, sunt anteriores pedis partes, quæ de multis ossibus constant.
Calcis, prima pars plantæ inferior pede qua terrã calcamus.
Calcaneum, inferior pars pedis, dictum quia vestigia terræ imprimimus.

NOMINA MENSIVM SECVNDVM Thodiscam.

Ianuarius,	Vuintarmanoth.	Iulius,	Heuuimanoth.
Februarius,	Hornung.	Augustus,	Aranmanoth.
Martius,	Lengizinmanoth.	September,	Vuitumanoth.
Aprilis,	Ostarmanoth.	October,	Vuindunmanoth.
Maius,	Vunnimanoth.	Nouember,	Heriuistmanoth.
Iunius,	Bracmanoth.	December,	Heilugmanoth.

NOMINA VENTORVM SECVNDVM Thodiscam.


Subsolanus,	Ostroniuuint.	Zepphirus,	Vuestroni.
Eurus,	Ostsundroni.	Chorus,	Vuestnordroni.
Euroauster,	Suntostroni.	Circius,	Nortuuestroni.
Auster,	Sundroni.	Septentrio,	Nordroni.
Austerafricus,	Sunduuestroni.	Aquilo,	Nortostroni.
Africus,	Vuestsundroni.	Vulturnus,	Ostnordroni.

FINIS.

HRABANI MAVRI ABBATIS FVLDENSIS.

DE INVENTIONE LINGVARVM AB Hebræa vsque ad Theodiscam, & notis antiquis.

PRimo omnium litteræ Hebraicæ linguæ à Moyse inuentæ sunt, & ab Esdra post illorum captiuitatem & reuersionem eorum renouatæ sunt. quarum elementa figurarum subtus, vt inuenire quiuimus, adnotata habemus, earumque summa XX. duarum constat litterarum.



Litteras vero Græcas in primis Gadmus Agenoris filius à Fenice veniens in Græciam nonnullas attulit. post quem aliquantas alij adiecerunt. quæque ad numeros faciendos habiles habentur. earumque litterarum, cum quibus scribi potest, summa ad XXIIII. peruenit cæteræ caracteres tres adiunctæ sunt, vt ad millenarium numerum perueniri possit.



Latinas namque litteras Carmentis nimpha Euandri mater, quæ alio nomine Nicostrata dicebatur, inuenit, & in Italiam eas prima attulit, & postmodum Græcas litteras III. adiecerunt Latini propter necessitatem: quia nonnulla verba necesse habuerunt, sicut in Græcis habentur, loqui, vt est Xps. Ymnus, ac Zelus, & reliqua. & eas cum summa cautela decretaui vobis conscribere.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Litteras etiam Æthici Philosophi Cosmographi natione Scythica, nobili prosapia, inuenimus. quos venerabilis Hieronymus Presbyter ad nos vsque cum suis dictis explanando perduxit, quia magnifice ipsius scientiam atque industriam duxit. ideo & eius litteras maluimus promulgare. in istis adhuc litteris fallimur, & in aliquibus vitium agemus. vos emendate.



Litteras quippe, quas vtuntur Marcomanni, quos nos Nordmannos vocamus, infra ſcriptas habemus: à quibus originem, qui Theodiſcam loquuntur linguam, trahunt. Cum quibus carmina ſua incantationeſque ac diuinationes ſignificare procurant, qui adhuc paganis ritibus inuoluuntur.



AVG. Auguſtus. BM. bonæ memoriæ. DM. domus mortui. EPM. epiſtolam miſit. FR. forum. GCS. Gaius Cæſar. IMP. Imperator. K. kalendas. IAN. Ianuarias. MCS. Marcus Cæſar. NC. Nero Cæſar. OOP. Oppidum. PRS. præſes. QT. Quintinus. R. Rex. SN. Senatus. TIB. Tiberius. VAL. Valerius. X. Xynodus. YMN. Ymnus. ZEN. Zenouius. LR. locus religioſus. CM. Comes.

Iſtiusmodi genus deſcriptionis Notæ Cæſaris appellatur, quod cum litteris, quæ antiqua manus appellatur, perficitur: cum quis Romanorum in ædificijs, parietibus, vel in turribus, aut in monumentis ſaxeis ob memoriam ſui ſuorumque aliquid litteris commendare ſcalpendo curauerat, eas cum punctis & titulis obligat, ne ſtatim quis ignarus legere poſſit, vt ſupra in paucis oſtenſum eſt.

A E I O V.

·NC·P·TV·RS·:· S B:: N·F: C·· :R·CH·


SL::R:: S Q:: :M: RT· R· S·

Genus vero huius deſcriptionis tam quod ſupra cum punctis V. & vocalibus, quam ſubtus cum alijs vocalibus, quam ſolitum eſt informatum continetur, fertur quod ſanctus Bonifacius Archiepiſcopus ac Martyr ab Angulſaxis veniens hoc anteceſſoribus noſtris demonſtraret. quod tamen non ab illo in primis cœptum eſt, ſed ab antiquis iſtiusmodi vſus creuiſſe comperimus.

B.F.K.P.X.

KBRXS. XPP. FPRTKS. TKRP. KNSBR. SBFFKRP. BRCHKTFNENS. SCFPTRP. RFGNK. XTDFCXS BXPF. FELICITER. A.

Litteræ enim monogrammæ ſcriptæ nonnullis in locis inueniuntur, vbi pictura cum muſeo in pariete imaginis aut in velis, vel alicubi aliter facta fuerit, ibi eorum nomina cum congerie litterarum, vnum caracterem pictores facere ſoliti ſunt, quod monogramma dicitur. quorum ſignificatio ſubtus per pauca adnotata monſtratur.



FINIS TOMI SEXTI ET VLTIMI.